WILD, Johann (O.F.M.)


R.D. Ioan. Feri... In sanctorum festa quae per totum annum in Catholica celebrantur Ecclesia, postillae / nunc demùm per R.D. Ioannem à Uia... latinitate donatae. -- Lugduni : Apud Haeredes Iacobi Iuntae, 1562 (Excudebat Hector Penet)

[16], 703, [1] p., A8, a-z8, A-X8 ; 8°

Según Palau, 87723 Ioannis Feri es seud. de Johann Wild. -- Impresor entre paréntesis tomado de colofón. -- Marca de imp. en port. -- Apostillas marginales. -- Grab. xil. en A8v. de la primera secuencia de sign., a toda plana

1. Fiestas religiosas-Sermones 2. Erlijiozko jaiak-Sermoiak I. Via, Joannes a, trad. II. In sanctorum festa quae per totum annum in Catholica celebrantur Ecclesia, postillae III. Título

R-6188 P. 701-704 deterioradas. -- Enc. perg.



R. D.

IOAN. FERI,

MOGVNTINAE EC-

cleſiæ concionatoris, in ſanctorum feſta quæ per totum annum in catholica celebrantur ecclesia, Poſtillæ.

Nunc demùm per R. D. Ioannem à Via, ſacræ Theologiæ Doctorem Latinitate donatæ.



LVGDVNI,

Apud hæredes Iacobi Iuntæ,

M. D. LXII.

Cum priuilegio Regis.

Extraict du Priuilege du Roy.

PAr grace & Priuilege du Roy, eſt permis à Arnold Birkman, heretiers de feu Iaques Iunte, & Guillaume Rouille, Libraires & Imprimeurs, d'imprimer ou faire imprimer vn liure intitulé *Sermones Ioannis Feri De Sanctis*, moyennant la certification qu'ilz ont fait apparoir des Docteurs de la ſaincte Theologie du College de la Sorbonne, laquelle eſt attachée à l'original du priuilege, auec le contreſeel du Roy, laquelle certification ſera cy apres declarée & Imprimée de mot à mot. Et pource eſt deffendu depar ledict Seigneur à tous autres Libraires & Imprimeurs & autres perſonnes quelconques de ſes pais, terres & ſeigneuries, de n'imprimer ledict liure, vendre ne diſtribuer d'autre impreſsion que celle que feront leſdicts Birkman, Iuntes, & Rouille, ſans leur vouloir & conſentement: & ce iuſques au temps & terme de dix ans, à commẽcer du iour & datte que ſera paracheuée la premiere impreſsion, & ce ſur peine de confiſcation deſdicts liures, & d'admande arbitraire, applicable audict Seigneur & aux dictes parties. Et oultre ce le Roy veult & entend que moyennant l'extraict dudict Priuilege eſtant mis au cõmencement, ou à la fin de chacun deſdictz liures, ſoit pour toute deuë ſignification, ſans que leſdictz ſoyent tenus à en faire autre plus expreſſe: car ainſi luy plaiſt, nonobſtant oppoſitions ou appellations quelconques: comme plus à plein le tout eſt contenu par l'original deſdictes lettres de Priuilege ſur ce données à Saint Germain en Laye, le 28. iour de decembre, 1558.

Par le Roy, *Maiſtre Iean Nicot maiſtre des Requeſtes de l'hoſtel, preſent.*

Signées, Guillaudet.

Anno Domini milleſimo quingenteſimo quinquageſimooctauo, die verò decimaquinta menſis Decẽbris, congregata fuit ſacratiſsima Theologiæ Facultas apud collegiũ Sorbonæ ſuper ſuis agẽdis. Audita relatiõe magiſtrorũ Theologorum, qui viſitauerunt librũ intituliatũ Sermones Feri de ſanctis. Nõ impedit dicta Facultas Theologia Pariſienſis quò minus prædictus liber imprimatur.

De mandato Dominorum Decani & magiſtrorum noſtrorum ſacratiſsimæ Facultatis Theologiæ Pariſienſis.

N. Riuoti.

PIO ET CHRI-

STIANO LECTORI

PHILIPPVS AGRICO-

LA THEOLOGIAE

DOCTOR,

Gratiam Dei per Iesum Christum precatur.

SEcundam hanc, siuè æstiuã Postillę partẽ, cãdide Lector, quàm fieri potuit accuratissimè in breues cõciones ex relicto authoris archetypo redegimus: non quidem eo consilio, vt te reliquis illius Sermonibus priuaremus, aut eos immeritò sup-

primeremus, sed vt ad tempus vsum quoq; Sanctorum qui per æstatem celebrantur, haberes, donec opportunitatem nacti maiorem, reliquos etiam Sermones in lucem proferamus. Quamuis autē præsens huius exulcerati seculi status ab hoc labore deterrere aliquem facilè possit: in quo nimirum animi hominum vsquequeadeo exacerbati sunt, vt si fieri posset Sāctos Dei ipsos, quorum vitam & passiones ludibrio habēt, de cœlo quoq; deiecturi essent: spero tamen Deū æternum, & benignum Patrem in tanta malorum colluuie, aliquem sibi piorum cœtum seruaturum esse, qui à recto tramite non aberrent, nec sequantur, vt Petrus 2. Petr. 2. ait, viam Balaā filij Bosor, qui mercedem iniquitatis dilexit: neque genua etiam curuaturi sint ante Baal: 3. Reg. 19.

sed

sed quibus Ecclesię vnio iuxta Apostolicũ vsum magis placeat, quàm contentiones & schismata, per quę discinditur miserè & dilaceratur Christiana charitas. Quibus, cùm norint externa exempla rudioribus necessaria esse, hęc scripta parari debent. Noster quidem hic Autor tempus sibi à Deo constitutum, nõ aliò, quàm ad salutem & vtilitatem Ecclesię conuertendum duxit, non ignarus Pauli præceptum ad Timotheum, iubentis opus Euangelistæ facere, ad alios etiam verbi ministros pertinere. Quamobrẽ in eam curam per totam vitam diligenter incubuit, vt in hac sua vocatiõe gregem sibi commissum sedulò admoneret, instaret opportunè, importunè, in ditionibus, ciuitatibus, villis: nec contentus doctrinam purè tra 2. Timo. 5.

didisse, exempla etiam Sanctorum suis proposuit, vnde perspicerent, quomodo sancti Patres synceritate doctrinæ, & integritate vitæ nobis præluxerint. Quæ res Euangelium in primis, præcipuè verò in doctrina & consolatione crucis, promouet: cũ afflicti intelligũt, se nõ solos esse qui persecutionem ferant, sed habere eam cum multis millibus communem: quorum pars magna præcesserint, alij comitẽtur, alij verò adhuc secuturi sint: imò verò Christum per fideliũ cruces & tormenta gloriam & potentiam suam tam magnificè mundo patefeciſſe semper, & adhuc patefacere quotidie. Quę doctrina lõgè saluberrima, si omnibus in locis & Ecclesiis, ita vt par est, retineretur & seruaretur in vsu: proculdubiò maiore cum

cũ fructu apparituri essemus in die Domini, quàm vt nunc fieri posse de nobis sperandum sit. Si enim leuem hunc & sceleratũ mundum cũ natura & fructu suo rectè contemplemur: haud abs re cogitabimus, imò etiam palàm fatebimur, illud iam tempus adesse, quod Christus vnà cum Apostolo suo sancto venturum prædixit: quo nimirum sanam doctrinam non sustinebunt, sed iuxta concupiscentias suas coaceruabunt sibi doctores ij, quibus pruriũt aures, & à veritate quidem aures auertent, ad fabulas verò conuertentur. 2 Tim. 4

Iniuria autem afficiunt Ecclesiam catholicam, qui iudicant eam, honorem Christo seruatori debitũ, illi detrahere, & ad Sanctos, in quibus tam potenter opus suum exer-

cuit trãsferre. Nunquam enim hæc Ecclesię mẽs fuit, & absit ab omnibus piis isthæc cogitatio. Est autem hæc Ecclesiæ voluntas, vt vnà cum Dauide Dominũ in Sanctis, & per Sãctos suos laudibus celebret, vt in quibus gratia Dei tam abũdè habitarit. Deinde vt nos post acceptam fidem, ad vitæ quoque pietatem & modestiam, illorum exẽplo perducãt: vt in gratia & cognitione Dei proficientes, ad salutem æternam crescamus: quales sanctus Petrus vult esse Christianos. Etsi autem nostri seculi sanctuli, si diis placet, obiecturi fortasis nobis sint superuacua esse Sanctorum exempla in Ecclesia, cùm Christi nobis in ea repręsentetur imago, ad quam vitam nostram, tanquam filij sui, quàm proximè formare debeamus: tamẽ

quia

quia piæ matri noſtræ Eccleſię non incognita eſt humanæ conditionis fragilitas, & exploratum habet, ne minimam quidem filiorũ ſuorum partem ad eam, quę in Chriſto eſt, perfectionem creſcere & peruenire poſſe: vtiliter nobis Sanctorũ quoque exempla proponit, vt qui vnà cum Chriſto metam perfectam nõ poſſit contingere, cũ Paulo ſaltem & ſanctis eius collegis dicere queat: Certamen bonum decertaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui; quod ſuper eſt, repoſita eſt mihi iuſtitię corona. Ita & diſcipuli Chriſti nos docent. Paulus Corinthiis præcipit, vt imitatores ſui ſint, quēadmodũ & ipſe CHRISTI imitator eſt: & tamen adhuc alio loco infirmitatem ſuam deplorat. Item, Hortatur Hebræos ne ſint imbecilles,

2. Tim. 4.

1. Cor. 3

Rom. 7.

sed imitatores eorum, qui per fidē ac patientiam hæreditatem accipiunt promissionis. Iisdē postea capite duodecimo Patriarchas proponit ad fidei, spei, & charitatis exemplum. Quamobrem Sanctorum etiam memoria in Ecclesia CHRISTI vnà cum doctrina Euāgelij, ad imitationem meritò conseruāda est: vt quēadmodum ipsi Christum secuti sunt, ita nos illorum vestigiis insistentes, pariter cū iis Christo adhæreamus, & iucundum hoc melos SANCTVS, SANCTVS, & cæt. absoluere conemur. Sic eos DEVS in omnem terrā emisit, vt fructum afferant, & maneat fructus ipsorum. Ad eūdem modum Paulus Philippēsibus præcipit, vt in medio nationis prauæ ac mortuosæ luceāt, tāquā lumi naria in mūdo. Porrò quid veteres

Ioan.15.
Phil.2.

Eccle-

Ecclesiæ scriptores de sanctis Dei & festis ipsorũ sensserint, doctis obscurum non est. Athanasius certè inter recentiores minimè numerãdus, tanti facit Sanctorum festa, vt ex eorum obseruatione manifestè indiciũ sumat, num Spiritu sancto præditus quis sit, nécne. Ait certum & euidens signum sancti Spiritus esse in homine, si de festis Sanctorum vehementer lætetur, & hoc tẽpus, quo eorũ celebratur memoria, simplicitate, deuotione & obedientia præcipuè transigat. Similia & maiora etiam apud alios extant testimonia, quę omnia vt hoc loco recenseãtur pij necessum non habẽt, malis verò tædio ac fastidio futura essent: quemadmodum & Paulus Euangelij prædicationem aliis stultitiam, aliis scandalũ, vocatis verò, 1. Cor. 1.

Dei

Dei potentiam & Dei ſapientiam eſſe aſſerit. Quæ ingeniorũ diſparitas & noſtro ſeculo inuenitur, in iis etiam, qui Euangelij doctrinam, & ſanctorũ exempla præ cæteris meritò ſequi deberent: vt vehementer admiranda ſit Dei lenitas, qua hanc malitiam tam diu tolerare poteſt. Quod ſanè ideò fit, quia, vt Prophe-
Ioel.2. ta ait, Benignus & miſericors eſt Dominus, patiẽs, & multæ miſericordiæ, & prętabilis ſuper malitia, nimirũ vt ad pœnitentiã & emendationem conuertamur. Quemadmodum & Paulus teſtatur, Bonita-
Rom.2. tem Dei ad pœnitentiam nos inuitare. Vtinam hanc nobis *Deus* gratiam largiatur, vt his diligenter expenſis, ita vitam & mores noſtros inſtituamus, vt è peccatis ad iuſtitiam, è tenebris ad lucem, è menda-

cio

cio ad veritatem Domini & ſeruatoris noſtri *Ieſu Chriſti* euigilemus. Quam ad rem & Sanctorum exempla adiumento nobis eſſent, ſi ſequi eos vellemus, ſique tempeſtiuè nos ad illorum vitam, legendo, audiendo, meditando, fide, charitate, ſpe & ſimilibus exercitiis Chriſtianis, componeremus. In hunc enim finem celebris & ſancta eſt in Eccleſia memoria illorum: Hãc ob cauſam nobis & ad doctrinam & ad exemplum proponuntur. Hoc eſt quod Patres docent.

Quod ad me attinet, hoc opus ex officio ſuſcepi, nõ vanæ gloriæ, aut priuati commodi cauſa, ſed ad promouendam Eccleſiæ vtilitatem, ne otioſus planè in forũ prodirem, ſed Dei benignitate adiutus pro mea quoque portione in vinea Domini

vſque

vſque ad veſperam, & hoc tempus quod Deus mihi & omnibus pro ſacroſancta ſua volũtate ſtatuit, laborans inuenirer. Oro autem Lectorẽ beneuolum, vt iſto qualicúnque initio pro hoc tempore contentus eſſe velit: neq; quidquam de nobis ſiniſtrè interpretetur, quòd (cũ in priore opere Dominicali ab Autho re ipſo, fœlicis memoriæ, promiſsi fuerint Sermones decẽ in ſingulas Dominicas & feſta Sanctorum: nec tamen hactenus id per omnia præſtitum ſit) Authoris id, aut mea, aut Typographorum Frãciſci Behemi, & Theobaldi Spengelij conciuium noſtrorum, culpa acciderit: neque alium quẽquam hoc nomine ſuſpectum habeat. Nondum enim perficiendi huius promiſsi occaſio, vel opportunitas data fuit. Quã ſimul-

atque nacti erimus, dabitur à nobis opera, vt qui ad ſupplendum hunc numerum denarium ſermones deſiderantur, tam in Dominicis, quàm Sanctorum feſtis, eos in vnum volumen coniectos Auctarij vice ſeorſim non ſine piorum fructu in lucem edamus: vt ne quid emptores horum operum grauentur.

Deus gratia ac miſericordia ſua omnibus nobis præſtò eſſe, & collapſam ac profligatam propemodum Eccleſiam ſuam, quaſi poſtliminio reuocare & erigere rurſus dignetur, Amen. Moguntiæ, 16. Februarij, Anno 1557.

	Errata	*Correcta.*
Pagina.29.linea.19.	*Oſia.Oſia.*	*lege Oſiam. Oſias.*
Ibidem lin.12.	*Manaſſe.Manaſſe.le.*	*Manaſſem.Manaſſes*
Ibidem lin.18.	*Eliacim,Eliacim. le.*	*Eliachim Eliachim.*
Ibidem lin.19.	*Zadoc Zadoc.*	*leg. Sadoc.Sadoc.*
Pag.374.lin.1.	*deſcendit.*	*leg. deſcendi.*
Ibidem lin.4.	*amplecti.*	*leg. amplectitur.*
Pag.385.lin.33.	*ſeculo accuſant.*	*leg. ſeculo falsò accuſant.*
Pag.391.lin.36.	*ſacramentum.*	*leg. ſacramento.*
Pag.436.lin.18.	*modum percipi.*	*leg. modũ fructuoſe perci-*
Pog.260.lin.1.	*non.*	*leg. nos.* *pi.)*



Laudate Dominum in ſanctis eius. Pſal. 150.

IN DIE SANCTI ANDREAE APOSTOLI, EVANGELIVM MATTH. IIII. CAP.

AMbulans autem Iesus iuxta mare Galileæ, vidit duos fratres, Simonẽ qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius, mittentes rete in mare (erant enim piscatores) & ait illis: Venite post me, & faciã vos piscatores hominũ. At illi cõtinuò relictis retibus, secuti sunt eũ. Et procedẽs inde vidit alios duos fratres, Iacobũ Zebedæi, & Ioannẽ fratrẽ eius in naui cũ Zebedæo patre eorũ, reficiẽtes retia sua: & vocauit eos. illi autẽ statim relictis retibus, & patre secuti sunt eũ.

EODEM FESTO EPISTOLA PAVLI, ROM. IIII.

FRatres, *Corde creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio, ad salutẽ. Dicit enim scriptura. Omnis qui credit in illum non confundetur. Nõ enim est distinctio Iudæi & Græci: nam idem Dominus omniũ, diues in omnes qui inuocant illũ. Omnis enim qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Quomodò ergo inuocabunt eum in quẽ non crediderunt? Aut quomodò credent ei quẽ non audierũt? Quomodò autẽ audient sine prædicante? Quomodò prædicabunt, nisi mittantur? Sicut scriptũ est: Quã speciosi pedes euãgelizantiũ pacẽ, euangelizantiũ bona. Sed nõ omnes obediunt Euangelio. Isaias enim ait: Domine, quis credidit auditui nostro? Ergo fides ex auditu est, auditus autẽ per verbũ Dei. Sed dico: Nunquid nõ audierũt? Etiquidem in omnẽ terram exiuit sonus eorũ, & in fines orbis verba eorum.*

PRIMVS SERMO QVOMODÒ Christus Euangelij negotium aggressus sit, quos in hoc selegerit, tum Andreæ prædicatio.

HODIERNA dies Apostolo sacra est, nec vlli vestrum ignotum arbitror, quid illius ordinis sanctis debeamus, quídue ab illis tenendum sit. Sit li-

cèt non omnibus plenè cognitum nomen Apostoli, quia Græcum: quia tamen nos nuntios dicimus, fit perspicuum legatos siue veredarios intelligi, à Christo Domino missos
2.Cor.5. ad nos: tales inquam, omninò legatos regios, qui non verbis & humanis rationibus, sed virtute & potentia diuina, non leui aliqua de causa, sed (quod maximi momenti est) salutis nostræ ratione apud nos suo fungatur officio. Hoc igitur quale sit, si quis secũ diligentiùs cogitauerit, nõ magno labore quid nõ dico Apostolis modò, verumetiã quantùm Deo & patri nostro, qui illos misit, debeamus, pspiciet. Porrò Euãgelium hoc duo nobis considerãda loquitur. Primùm, quod quorundam hîc apertè expressa sunt nomina, tum ex quo vitæ genere, quales ad eam dignitatem prouexerit. Estque omninò eiusmodi historia, quæ meritò admirationem parit omnibus. Certè magnũ quid Christus hac vice inter obambulandum iuxta mare Galilęæ præmeditabatur: tale, inquam, quale nemo vnquàm cogitauerit attentare, quantumlibet maxima non pauci magno nisu conati
Gen.12. sint. Non enim parum quid est, quòd Adami soboles quie-
Iudith.3. scentibus aquis diluuij, ad cœlum vsque turrim ædificare ausa fuit, quòd Alexander ille magnus nec totum mundum sui vnius legibus subiugare dubitabat. quòd Assyriæ Tyrannus abolitis Diis, solus Deus agnosci & reuereri voluit, qđ simili audacia nonnulli deindè Cæsares magna ipsa etiam cogitatione impossibilia attentauêre, vt de Nerone & aliis in Suetonio est. Sed quid hæc omnia sunt respectu eorum quæ hîc molitur Christus? Ipsum nempè Satanam impetere, regnóque suo huius mundi profligare principem: erroribus extirpatis Mosi legem Iudaicásque ceremonias, & cultum, duo magna profectò autoritate à Deo exhibita & com
Luc.3. mendata, immutare. Hæc, inquam, Christus illo secum ingenti cura versabat tempore, eáque propter cœlestia sede in hunc mundum descenderat. At nunc porrò considerem⁹ quo consilio, quáue ratione tantùm opus aggreditur. Principiò triginta annis obscurus sine strepitu humilem vitam agens, nullius magni facinoris specimen edit, nec quicquã in eo à cuiuslibet Mechanici filio alienum consideratur. Deindè manum operi appositurus, cùm in templo honoratos, in prætorio sapientes & scitolos, in Cæsaris aula potentes viros seligere potuisset, deligit inopes, indoctos, simplices. Illos prætierit, mari proximus quos videt piscatores, vocat, iuici-

cat, ſuſcipit. Hos idoneos teſtes, & myſteriorum Dei iam-iam in lucem edendorum præcones iudicat. Per hos ipſos totus mundus concuti, moueri & conuerti debuit: per hos potentum vis infringi, omniúmque ſapientum prudentia conuinci. Hos ſigna facere, miracula cunctis inaudita ſæculis edere propoſitum eſt. Et quis tanti ponderis non miratur facinus? Quis expectaſſet, quòd ipſus ille abiectus Chriſtus cum ſuis pauperculis deſpectiſque Apoſtolis, aliquod horum quæ moliebatur effeciſſet? Quæ Phariſæorum Scribarúmque dum hæc viderent, cogitatio? Haud dubiè luſum arbitrari, hæc intra ſe tacitis colloquuti ſenſibus: Quid fatuus iſte per hoſce ſuos efficiet ruſticos? Quod damnum, quam cladem diabolo eiúſque regno importabit? Sed ſic Deus huius mundi confundit ſapientes. Quod illis abiectum, aſſumit: horúmque opera plus quàm mundus vel artibus ſuis vel potentia, conficit. Quin nihil hic mundus niſi per opulentos, doctos, & potentes, per prouidos ingenioſósque efficit, contrà Deus ſua per ignobiles, imbelles, & humiles perficit opera. Et hoc quidem primùm hodierna lectione conſiderandum venit. Secundum, quòd Andreæ quoq; hîc fit mentio, pauciſsimus licèt, minimum tamen in ſacris ſcripturis propoſitum à nemine prætereundum eſt. Vocatur ergo inter alios & Andreas in hac lectione Euangelica à Chriſto, qui etiam poſt hæc in Apoſtolum eligitur & confirmatur. Quæ autem vitæ ipſius in Apoſtolatu ſeries, ex eo videre eſt, quòd ſtatim à conuerſione ſua Simoni Petro fratri ſuo inſinuat dicens: Inuenimus Meſſiam. Et quidem eius prima concio, qua ſatis quid illo tempore de Chriſto iudicauerit, quídue poſteà in totius mundi huius partibus prædicando docuerit, apparet. Quid excellentiùs, quid iucundiùs in omni materia prædicari poteſt, quàm inuenimus Meſsiam? Quicquid enim & egregium & pulchrum cùm in veteri tum in nouo Teſtamento traditum eſt, totum in hoc vno verbulo comprehenſum eſt. Meſsias enim vnctus dicitur, quomodò olim Reges & Sacerdotes vngebantur. Qui ergo Meſsiam ſe inuenisſe confitetur, Regem ſe inuenisſe inſinuat & oſtendit, qui & redimere potis ſit & defendere: & Sacerdotem, qui peccata auferre, & cum Deo reconciliare valeat. Tantùm ergo Andreas vna illa, qua Chriſto conuixerat, die didicerat, atq; vtinam vel hoc ſolùm toto vitæ noſtræ tempore poſſemus

I. Cor. I.

Matth. 10.

Ioan. I.

addiſcere. Equidem haud magno labore iſthæc efferuntur verba, Inuenimus Meſsiam, eáque addiſcere cuilibet facilè. Quemadmodùm videmus addictiſsimos quóſque carni homines nihil æquè in promptu habere, quàm quòd Chriſtum & Meſsiam inuenerint, & agnouerint ore profiteri: ſed certum eſt, non omnes eo modo Meſsiam inuenire, quo Andreas inuenerat. Hic labor multus eſt. Primũ enim Chriſtus quæri, hoc eſt, deſiderari vult: Deindè vult & teneri. Et
Ioan.1. hæc duo plenè conſiderare licet in Andræa noſtro. Quo enim deſiderio Meſsiam quæſierit, principiò ex hoc colligi poteſt, quòd ſtatim Ioanne ſuum munus prædicandi auſpicante, ipſi ſit diſcipulus: vel ea intentione, vt quem ſuapte natura inuenire non poterat, Ioannis teſtimonijs addiſceret. Secundò ex hoc videre eſt, quòd ſtatim monſtrante Ioanne Chriſtum, ſequitur ipſum. Pari autem cupiditate & diligentia Chriſtum antè quæſiuit, & alios deindè ipſi adduxit. Hoc primum in fratre oſtendit, quem ante alios ad Chriſtum perducit: nec requies, quin obuios quóſque, quibus adhuc Chriſtus incognitus, in Meſsiæ agnitionem pertrahat. Poſtremò agnitum Meſsiam tenebat mordicus, nec vel ſecundis vel aduerſis, nec morte nec vita, nec vel hominibus, vel impijs à Chriſto auelli & diuidi potuit ſpiritibus. Et hę quidem, quas adhuc quotidiè ab Apoſtolo hoc audimus, prædicationes. Verbis approperans cœlorum regnum vicinum nobis eſſe denuntiat. Exemplo ſuo quomodò, qua ratione quærendus Chriſtus ſit edocet: nempè ad ſalutem. Et denique paſsione ſua, qua mentis cõſtantia apud Chriſtum perſiſtendum, commonſtrat. Et quid deſideramus amplius? Quid cæteri Apoſtolorum ſuis vel Euangelijs vel Epiſtolis ſcriptum reliquerunt amplius his tribus partibus? Id quod eorum cauſa retuli, qui ea propter hunc noſtrum Apoſtolum inferiorem iudicant, quod non vti Petrus, Paulus, Ioannes, & alij vel Euangelia vel Epiſtolas conſcripſerit. Audiſtis enim, quòd primùm hoc verbo, Inuenimus Meſsiam: deindè etiam ſuo exemplo ſatis docuerit. Agamus ergo Deo gratias, qui tales nobis dedit Apoſtolos, patres & doctores. Laudemus Deum, qui tam mirabilis in ſancto ſuo Andræa perſtitit. Rogemus Deum vt nos gratia ſua imbuat quo Andreæ ſequẽtes veſtigia, tandem cũ ipſo omnibúsq; electis in beatorum exulremus curia, Amen.

SECVN-

SECVNDVS SERMO DE PROcessione in die Palmarũ, quæ continet Ecclesiæ ab Adam ad vltimũ hominẽ, typum: tum quomodò Andræas in hoc comitatu, quo loco, &c.

DOminica die proximè elapsa, sumpta occasione ex eius diei Euangelio audiuistis, quod ab origine mũdi in nostra hæc vsque tempora, hinc etiam ad finem mundi, hoc est, ab ipso Adam vsque ad vltimum credentem qui in fine mundi nascitorus erit, credentium deducta linea, ordo, & successio, nullibi rectiùs & clariùs insinuatur, quã illa processione, qua Christus in Palmarũ die comitatus vrbẽ intrauit Hierosolymã. Aderant plurimi multorũ ordinum homines: qui licèt omnes vnà cũ Christo vrbẽ intrarent, nõ tamen omnes simul: longè alij alios præcedebant sequebantúrq; ordine, quidam medium tenẽti Christo proximi: omnes tamen vno ore acclamabant, ipsum confitẽtes verã Dauidis sobolẽ & Messiam. Vna, inquã fides omnibus, vna acclamatio, vna omnibus confessio, multis licet postremi primos, primóq; vltimos sequerentur, præirẽntq, passibus, nec omnibus æqua videndi copia Domini. Viderũt enim sequentem præeuntes minimè: contenti, quòd certò sequebatur Christus, eóque cęteris laudando perstrepant nihilominùs. Plus aliquid sequentibus priuilegij, quod licèt præcedentis non faciem contueri datũ est, inter cæteros tamen eminentis caput, posterioráq; videre concessum erat. At planè beati, quibus proximus apud Christũ locus contigit: his nimirũ auricomũ barba totáq; adeò facie intueri & admirari licuit. Ea igitur ratiõe, eóq; modo Christus in terris regnũ suum instituerat, semper suis legibus obedientes sibíque deuinctos habuit populos: qui licèt nõ vno eodémq; viuerent tempore, per successionẽ tamen omnes in nemine, quàm in vno illo Christo salutẽ & crediderũt & sperauerunt. Præcesserunt Christũ homines, sequuti sunt ipsum homines etiamnum sequuntur homines. Ille inter omnes medius, vt qui solus in potenti suo brachio è mundi huius perditione eripit, & in cœlestẽ Hierosolymam in templũ summi Dei perducit. Eorũ ergo qui Christũ præcesserunt, quosdam proxima concione enumeraui, & ex proprijs ipsorũ dictis indicaui, ꝙ omnis eorũ fides, & sermo, & oratio nihil aliud fuerint, quã quędã cũ populo Hierosolymitano acclamatio, Hosian-

Matt. 21.

na filio Dauid. Andræas porrò noſter vicinior Chriſto fuit, imò eorum vnus ex numero, qui æquis paſsibus iuxta Chriſtum inceſſerunt, eóque non iam à tergo, ſed coram faciem contemplari commodiùs potuerunt, ac cum non
1. Ioan. 1. parua exultatione dicere: vt in Ioanne eſt. Oculis noſtris vidimus, auribus noſtris audiuimus, perſpeximus, & manibus noſtris attrectauimus. Qui certè non minimus ad ſalutem gradus eſt. Quemadmodùm ipſe etiam Chri-
Luc. 10. ſtus atteſtatur cùm ait. Beati oculi qui vident quæ vos vi-
Ioan. 17. detis. Et iterum. Hæc eſt vita æterna: vt agnoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Hoc ergo præcipuum, inter ea quæ in S. Andræa miratur: veneratur, & prædicat Eccleſia. Neq; enim quicquam melius in hac vita mortalibus contingit, quàm in Chriſti regno inter Dei annumerari filios, & amicus Chriſti eſſe & dici. Mũdus licèt hic ſtultus iſtum honorem nihili æſtimet, tantùm ab hominibus honorem quærat & gloriolam, imò hono-
Ioan. 11. rem, quem Deus tribuit, deſpicit, contemnit, abijcit, eóque non immeritò eorum vnà cum hominibus ipſis gloria diſpellitur, fugit, interit, ſempiternáque ſubſequitur ignomi-
Pſalm. 108. nia. Voluit maledictionem, & veniet ei (inquit Pſalmiſta de impijs,) noluit benedictionem, & elongabitur ab eo. Qui ergo verè Chriſtiano gaudet nomine, hodie & audiat & meditetur, quomodò Andræas primùm in huius proceſſionis comitatum peruenerit, quam in ea vitæ ſequutus rationem, quoque modo vitam poſtremò cum morte commutauerit. Cùm Chriſtus primùm conſpiceretur in mortalibus, nedum Andræas Baptiſtæ conuerſationem reliquerat. Sed quod quærebat apud Ioannem, perueſtigare nõ potuit,
Ioan. 1. ratus in Ioanne ſe habere Meſsiam, ſed non erat. Perhibente verò Ioanne teſtimonium in Chriſto, quem & commonſtrabat digito, reliquit magiſtrũ, & Chriſtum ſequitur Dominum, non enim ſeruum, ſed Dominum, non hominem, ſed Dei quæritabat ſobolem. Hoc deſiderium ſuum à Chriſto quem quæreret rogatus: verbis indicat. Rabbi, inquit: vbi habitas? ac ſi diceret. Agnoſco me peccatorem, quæro reconciliatorem, confiteor me perditam ouem, & verum inueſtigo paſtorẽ. Te ergo: quia talis mihi perhiberis, ipſum quærito, te, inquã, audire cupio, tuáque ſemper beata familiaritate frui deſidero. Et hoc quidem initium Apoſtoli huius. Quid porrò de ipſo ſacra atteſtatur hiſtoria? Relicto

aliquan-

aliquantisper Domino, fratrem reperit Simonẽ, huic prior euangelizat. Inuenimus Messiam, inquit. Et adduxit eum ad Iesum. Quòd autẽ tunc primũ in fratre ostendit, hoc deinde omni vitæ suæ tempore perficit. Hæc prædicatio eius. Inuenimus Messiam, hic labor, hæc diligentia, hic eius conatus: vt omnes ad Christum adduceret. Et hæc quidem in regno Christi præcipua, Christum confiteri & prædicare, alios adducere, & indesinenter quoquo modo Christi regni fines extendere, & propagare. Quomodò vitæ concluſit ordinem? Et hoc accipe. Cum magno studio, maiore conatu, maximo etiam fructu, sancto in vinea Domini Sabaoth propagandæ fidei negotio incumberet ad Patras Achaiæ vrbem. Aegeas ecce proconsul, ab ipso Satana missus, non solùm Apostoli prædicationibus obstitit: verumetiam minis à confessione deterrere nititur. Huic sese fortis Athleta opponens, ait. Nedum Aegea Romanis principibus cognitum, Deũ nostræ salutis causa in hunc orbem proprium demisisse filium, &c. Et continuans sermonem, tanta in laudem crucifixi Domini, tanto cum affectu perorat: vt vix à quoquã pio sine mentis commotione legi queant. Ac deindè Aegea crucem minitãte. Si, inquit, crucis pœnam timerem, gloriæ crucis Christi prædicator non essem. Verbum profectò dignum, quòd omnium mentibus inscriptum maneat. Nouimus enim gloriam crucis Christi, eoq; nec ipsam formidolosi timebimus crucem. Rapitur ergo cũ gaudio ad crucẽ, & martyrij loco appropinquans, cùm à longo crucem videret, salutat eam dicens. Salue crux sancta, decorẽ, & pulchritudinem tuam de mẽbris suscepisti Domini. O crux diu desiderata, sine intermissione quæsita, suscipio te lætus, gaudens ad te venio, suscipe me discipulum eius qui pepẽdit in te. His dictis, crucis Andræas subit martyrium, & iam cruci affixus, crucis mysterium prædicat, hóeq; biduo cõtinuans, eò auditores permouet vt adorti Proconsulem, iustum iniquissimè cruci affixum postularent reddi homini: verũ Dei amicũ acclamarent. Cõmotus Procõsul populi postulatiõe, cruce iubet deponere, sed Apostolus Deũ: vt animam susciperet, efflagitans, cœlitus emisso lumine, statim Deo tradit spiritum. Hæc historia, hæc Sanct. Apostoli vitæ series, quæ tria hæc nobis commendat, Christum quærere, confiteri, & tenere. Quæramus igitur Christum, non vt multi stulta curiositate, nec iniquitatis nostræ operculum: vt Pseudoeuan-

gelici, sed ad salutem, ad fœlicitatem, & ad beatitudinẽ. Inueniſti Chriſtum? noli erubeſcere eum, confitere eum non verbis modò: verùm etiam factis, imò omni vita, omnibus actiõibus tuis. Sed nec quid à Chriſto te diuellat, abſtrahat, diuidat. Nullis enim opibus, nulla huius mundi fortuna
Rom.8. damnum reparabit, ſi Chriſtum perdideris. Neq; etiam cõdignæ ſunt paſsiones & pericula huius vitæ, quæ comparari queant remunerationi, quæ eſt & expectatur in Chriſto eſu. Eum nobis Dominus Deus æternus largiatur in ſpiritũ, qui ſeſe in Andræa nobis manifeſtauit Apoſtolo, Amẽ.

TERTIVS SERMO VSVM oſtendit gratiæ, maximè ſub crucis inſignijs.

Matth. 4. H. Odiernæ diei lectio Euangelica Apoſtolorum vocationem nobis inſinuat, & hodierna feſtiuitas vnũ nobis ex ipſis exhibet Apoſtolis, Andræam dico, qui nõ ſolum vt alij à Chriſto vocatus: verumetiam vocationi in omnibus reſpondit, neq; id modò initio, ſed ad finem vſque vitæ ſuæ. Et quidem hoc ſolũ meretur laudẽ. Quid enim vocatio proderit, niſi quis ad finẽ perſeueraueriť? quid proderit habere gratiam, & abuti ea? quid pulcherrimarum rerum optimum, ſine fœlici fine, initiũ? Nunquid & Saũl, ipsúsq; adeò Iudas; vocati erant? nunquid gratiã cõſequuti? nunquid pulchris gaudebãt rerũ initijs? Et quidẽ ſcriptura teſtimonium
1. Reg. 9. reddente, melior Saulo in omni non erat Iſraël. Et Iudas ab ipſo Chriſto, quẽadmodùm & alij, in Apoſtolum electus &
Matth. 10. vocatus erat. Sed quid vtriúsq; profuit vocatio cũ ipſe Saũl perditiſsimus hominum, & Iudas traditor ſimul & occiſor
Matth. 26. Dei filij factus eſt? ipſo Domino dicente, melius eſſe non natum eſſe hominem illum. Et quẽadmodùm Petrus de omni
2. Pet. 2. bus loquitur in genere, ſatiùs eſſe non cognouiſſe viam ſalutis, quàm cognouiſſe, & conuerti ab ea. Id quod nos quoque cogitare debemus magno ſtudio. Habemus enim ipſi initium ſalutis vocati in regnum filij Dei. Omnes enim filij Dei eſtis, per fidem in Chriſto. Quotquot enim in Chriſto
Gal. 3. baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Eóque ſtudioſiores in acceptæ gratiæ pergere, ac in dies magis magísque in ea ſucreſcere debemus, ne quod Saũlo & Iudæ accidit, nobis quoque contingat. Et in hoc exemplum Andrææ ſeruit. In

ipſo enim

ipso enim coniuncta vidimus, Dei gratiam & genuinum eiusdem vsum, optimum initium, & huic finem non absimilem: vocationem Dei, & eiusdem exequutionem diligẽtem simul & perseuerantem. Nam cùm Ioannis primùm per de- *Luc.3.*
sertum rumor increbresceret, cùm, inquam, ipse anteambulo Messiam annuntiaret, regnúmque Dei esse prædicaret in propinquo, in primis quoque hic erat eorũ qui Ioanni consentiebant: vt vel hac ratione citiùs manifestatum Messiam agnoscerer. Deindè etiam cùm Ioannes neminem non à se ad Christum ablegaret, digitóque monstraret: quia hic est, primus quóque inter multos sese Christo associat Andreas. *Ioan.1.*
Vocatus denique è naui cum fratre Petro, relictis retibus: *Matth.4.*
vocantem sequitur Christum. Optimum profectò, præclari facinoris initium, neque tamen in hoc gradum fistit, pergit inde, séque ipso indies fit melior. Potuisset quidem alius apud se cogitare, & cõsentientibus tacitè colloqui affectibus. Ecce quęsitum diúque desideratum bonum adeptus, Christum, ipsum Messiam, salutémque veram, quid est quo indigeas? Sed minimè priuata salute contentus, qui diuite thesauro opulentam gratiam consequutus fuerat, omnes ex eo ditescere cupiebat, omnibus Messiæ agnitionem & gratiam super infundi desiderabat. Hac mẽte primum fratrem suum (vti in re naturali proximum) ad Christum adduxit. Qui enim (Paulo teste) suis, maximè familiaribus, non pro- *1.Tit.5.*
uidet, fidem abnegauit, & est infideli deterior. Prouidebat ergo Andræas fratri: vt & ipsum in agnitionẽ Messiæ pertraheret. Deindè porrò vna hæc illi solitudo, omnes ad Christum pertrahere, omnes ad propriam salutem perducere. Nunquid nõ laudi hoc ipsum Apostolo nostro datur? Quid enim in hoc ipso videmus, nisi eã, qua & Paulus præditus erat, mentẽ? cùm ait. Testis est mihi Deus, quã cupiam vos omnes in visceribus Iesu Christi. Et iterũ ad Agrippam *Phili.1.*
Regem. Optarim à Deo non solùm modica ex parte: verũ- *Act.26.*
etiam magna, non te modò, sed omnes qui me audiunt hodie, tales esse: qualis ego sum, exceptis his vinculis. Simile, dico, ingenium in Andræa videre est. Quòd autem benè & pulchrè incœpit, optimè pulcherriméque perfecit, ita planè: vt ne satis quidem admirari queat Ecclesia, nec vno modo ante oculos ponens, summè omnium Christianorum mentibus inscribere quicquid hic noster Apostolus ad crucis mortísque locum properans loquutus est, cupiat.

Sunt enim dubio procul magni momẽti verba, quæ omnes nos meritò in sui rapiant admirationem. Non illa naturæ humanę vis, non hoc carnis sanguinisq;, quod geritur, opus est, sed constantis pietate fidei, conscientiæ nullius mali sibi conscię, ipsiúsque Dei & spiritussancti gratiæ. Quia autem Andræas his omnibus imbutus erat, fide, inquam, animo optimè sibi conscio, & spiritu diuino, hinc est, quòd non intrepidè, támque cupidè crucis subit periculum, salutat crucem, & à longè crucem intuendo, crucem prædicat, & qui in cruce pro omnibus mortem obierat, Christum celebrat, intráque se exultat, quod in cruce mori dignus sit habitus. Et ne cruce deponeretur viuus, Deum exorabat. Crux huic & pretiosissimus thesaurus erat, & ingens mẽtis gaudium.

Hac igitur ratione Apostolus noster vitæ suæ finijt fabulam. Id quod tantoperè in ipso Ecclesia recolligit, miratur, prædicat, sequendum exemplum proponit. Nulli impo sibile eam adipisci perfectionem videatur. Qui enim in Andræa erat & operabatur, in nobis quóq; est & operatur, nisi nos ipsi obstiterimus. Si tamen etiam perfectionem, eúmque finem attingere non datur, quid obest quominus initium amplectamur? Non statim initio ad suprema pertingitur. Non votis scalarum suprema arripiuntur & occupantur, scandendo eò peruenitur, ab inferiori gradu peruenitur ad summum. Ab initijs ergo & paruis sumetur perfectionis principium. Apponit tibi crucem Deus, fer patienter, maiora & grauiora te commeritum esse cogita, & quòd duriora, & importabilia comminata sunt peccatoribus. Hîc primus ad summa connitenti gradus est.

Rom.8. Præterea & hoc rememora tecum, omni comparatione minora esse quæ hîc sustinemus, ad futuram gloriam, quæ aliquando reuelabitur in nobis. Hæc enim si probè & ex animo cogitaueris, non patienter modò, sed etiam lubens ac volens crucem baiulabis. Postremò & Christi crux in memoriam redeat, quæ præstabit augmentum: vt non solùm patienter ac volens iam, quin etiam summo desiderio crucem suscipias, quò ea tandem ratione conformis reddaris imagini filij Dei, imò vt olim in patria simul conregnes cum ipso, qui hîc compateris sub crucis gra-

Ibid.

1.Cor.1. uamine. Et hic quidem perfectionis supremus gradus est, hanc scandens noster Apostolus Andræas, infima quæque reliquit, summa attigit. Commodus processus à paruis ad

uis ad magna, à minimis ad maxima, à timore ad ſpem, à ſpe denique in charitatem. Dominus Deus largiatur mentibus noſtris gratiam, vt in ſua quilibet pergat vocatione. Nam hæc (dolor) diſsidia, quæ Satan noſtro excitauit tẽpore: hoc quóque ſubſequitur mali: vt omnes in primis hæreamus gradibus, nemo curat aſcendere: imò non parua pars hominum reciproco gradu priora repetunt, fiúntq; quotidiè poſteriora peiora prioribus. Et niſi ſingularis gratiæ donum perceperimus, actum erit de Chriſtianiſmo noſtrarum partium. Quod tepidum, hoc eſt, neque frigidum neque calidum eſt, Deus expuit, atq; ex ore ſuo euomit: non quòd interiturum planè ſit Chriſti regnum, ſed quòd à nobis auferre potẽs eſt Deus, daréque alteri genti, quemadmodum in Iudæis exemplum datũ eſt. Si enim non fecerimus quę decet filios Abrahæ, potẽs eſt Deus ex lapidibus filios excitare Abrahæ, ſuáſq; in ipſis promiſsiones adimplere. Propoſitum ergo Andreæ exemplum ſequamur, cuius vitam cogitemus & meditemur ſedulò, Deúmque, vt & nobis de ſua munificentia largiatur gratiam, rogitemus. Hi enim duo illi pedes quibus aſcẽdendo vtimur, ſunt: bona meditatio, & pia ad Deũ precatio. Meditatio noſtram nobis indigentiam inſinuat: precatio neceſſaria impetrat. illud viam oſtendit: hoc ducit. Meditatione futura mala, imminentiáque pericula agnoſcimus: per orationem omnia mala declinamus. Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti cum omnibus, Amen.

Apoc.3.

Matth.3.

QVARTVS SERMO IN Euangelium vigiliæ Andreæ, Ioan.1.

PVlchram ſanè & iucundam præſens lectio complectitur hiſtoriam: in qua primùm videmus in genere, quo Chriſtus modo Apoſtolos vocat, quibus rebus eos vt ſibi adhærescant attrahat. Deinde & præter iſta, de Apoſtolo Andræa, cui hæc dies ſolennis eſt, aliquid in ſpecie innuitur. Duo opponita, quæ multa pijs cogitandi occaſionem ſubminiſtrant. Quatuor autem Apoſtolorum in hoc Euangelio fit mẽtio, quos omnes Chriſtus diuiſim vocat. Primus ordine Andræas, ſecundus frater illius Petrus, tertius Philippus, quartus deinde Nathanaël, quem Apoſtolum dico, licèt hoc nomen eius (excepto ſemel in Ioannis Euangelio) nuſquam ſcriptum offendatur. Quòd autem hic Nathanaël Apoſtolus fuerit, nonnulli etiam ante nos Eccleſiæ doctores tenue-

Ioan.21.

runt,

runt,in cuius comprobationem duo inducunt argumenta. Primum,quòd tanta Christus eum laude dignatur,verum Israëlitam vocans,in quo dolus non sit pronuntiátque plura visurum esse,vt Angelos descendere & ascendere supra Filium hominis. Hoc indicat,quòd postmodum inter Apostolos vixerit,alio fortè inscriptus nomine. Quinetiam quia Philippus hunc Christo adduxit Nathanaëlem,& quia aliàs vbicúnque Apostolorum catalogus recitatur,Philippus & Bartholemæus coniunctim efferuntur,ipse Nathanaël alio nomine Bartholomæus dictus est. Sic ergo hoc loco intelligo,vt apertum sit,quemadmodum initio dixi,quatuor nobis Apostolos suis propositos esse nominibus in hoc Euangelio. Quibusdam tamen placuit addere & quintum, arbitrantes eum, qui Christum vnà cum Andræa sequutus, Ioannem esse,qui hoc Euangelium conscripsit,sed humilitatis causa proprium suppressisse nomen,Andreæ hoc honoris concesso titulo. Quemadmodũ & Lucas in suo Euangelio facit, vbi duorum meminit, quibus Christus se in Emaus manifestauit,alterius tantùm nomen indicans. Vnde quidam alterum hunc Lucam fuisse iudicant: quóque non ambitiosus,Cleophæ nomine tantùm expresso,suum proprium silentio præterierit. Simili ratione Ioannes aliàs quoque suum nomen celat,per hoc sese insinuans,quòd sit ipse discipulus ille,quẽ diligebat Iesus. Potuit ergo,vt quidam volunt,hic quoque nomen suum supprimere,tantum socium vitæ consortémque indicare. Sed vtut est,nõ magno periculo nomina præterimus,rẽ porrò aggrediamur ipsam. Quotquot ergo sunt Apostolorum,qui illo tempore vocati ad Christum venerunt: quisque tamen suæ vocationis & conuersionis euidentes & magnas causas habet. Andræas enim eiúsq; collega ex Baptista didicerãt,Christũ se esse agnum Dei,qui totius mundi peccata tolleret. Et hæc quidem res, vt Christum sequerentur, eorum pectora permouerat. Et quem hodie ad Christi imitationem hæc non inflammarent,si quis,vt omnes debemus,diuinæ gratiæ donum delictorúmque remissam desiderat? Alia deindè Petro fuit occasio. Intellexerat enim ex Andræa fratre, quòd inuenissent Messiam. Hoc eum trahebat: nec immeritò. Vna enim hæc cunctorum erat expectatio. Quis enim nõ accurreret quàm velocissimè,si quis nouus per acclamationes populi innotesceret, qui omnibus omnium hominum morbis mederi,

Matth.10. Luc.6. Marc.3.

Ioan.13.19. & 21.

Ioan.1.

omnia

omnia omnium mala tollere posset? Alia etiam Philippo vt Christum sequeretur, fuit causa, ipsum enim Philippum ipse Christus vocat: Sequere me. Vox imperantis & potestatiuè attrahens, cui Philippus cùm non potuit resistere, obsequitur, Christum imitatur: quemadmodum & Paulus vbi è cœlo vocantis vocẽ audit, oblitus propositi, suis quod dicat non habet, nisi: Domine quid vis me facere? Et hanc diuinæ vocis potẽtiam tam magnificam sacra Scriptura nõ vno in loco attestatur & prædicat. Dabit Dominus, inquit Dauid, vocí suæ vocem virtutis, Et, vox Domini cum virtute. Hæc igitur vox Philippum traxit. Quartus denique siue Nathanaël, siue ille Bartholomæus, suã quóque peculiarẽ sequendi rationem habuit. Dixerat enim Philippus: De quo scripsit Moyses in lege & Prophetæ, Inuenimus Messiam, Iesum, filium Ioseph Nazarenum. Et licèt Nathanaël principiò impossibile arbitraretur à Galilæa aliquid boni & magni esse posse, ad primum tamẽ Christi verbum, maiori & excellentiori quàm cæteri ante omnes appellatione confitetur Dominũ: Rabbi, inquit, tu es ille filius Dei, tu es ille Rex Israël. Ex his ergo, opinor, nõ obscurè patet quid ad Christum attraxerit Apostolos. Non vana in his viris curiositas erat: nõ, vt mũdus solet, incertos nouarũ rerũ sequebantur rumuscu-los: sic nec leuitas in sanctis dominatur pectoribus, vt sicut nonnunquam fex populi certatim cõcurrens, antesignanum suæ nequitiæ eligit, suos desererent, alios læderent: sed fides hos & æternæ salutis impellebat cupiditas. Atque ideò tam placidè Christus eos alloquitur: primos illos duos quid quærerent, interrogat, & hospitij sui cum ipsis iura communicat. Petro statim dicit in quem vsum vocatus, quod munus obiturus esset. Nathanaëli quóque insinuat, suæ intelligentiæ etiam aperta esse secreta quorumcúnque corda. Postremò omnibus futura promittit prodigia læta illa & visu iucundissima, ipsósq; adeò Angelos, aperto cœlo descensuros super Filiũ hominis. Ecce, igitur, hæc omnia in prima vocatione Apostolorũ cõtigêre, quæ si quis penitius cõsideraret, multę vtilissimæq; meditationis haberet materiã. Prętereà, ashæc plenã de S. Andræa historiam habet: historiã, inquã, certam, firmam, cui consentire omnes, omnes approbare & confiteri cogẽtur. Hunc enim vides primum fuisse, qui sese Christo crederet, ipsúmque sequeretur. Magnum profectò, magnę fidei argumentũ. Necdũ enim aliquam sibi Christus

Act. 9.

Psal. 67.

Psal. 28.

Ioan. 1.

in po-

in populo conciliauerat authoritatẽ: necdum miraculis clarus: nec vlli ex plebe Messias creditus: contrà Andræas Baptistæ familiaris (qui inter multos maximus habebatur) & tamen cũ tanta ex Ioanne de Christo audit, obuijs manibus huius conuersationẽ amplectitur, & sequitur. Neq; verò spe fallitur. Quem enim credebat esse Christum, is ipsus erat. Quod in illo desiderabat, inueniebat: & quod inuenerat, mordicus deinde tenebat. Vnde hodie Ecclesia illius veras laudes canendo celebrat: *Andræas Christi famulus, dignus Deo Apostolus, germanus Petri, & in passione socius.* Quibus quatuor verbis summa laus Andreæ celebratur. Primùm enim annon honoratissimus titulus est, Christi famulũ esse? Mundi huius filij de herôum familiaritate, non nũquã etiam seruitute superbiunt. Et quæ inde salus? Aegyptus homo non
Isa.31. Deus est, inquit Isaias: virtus ei' caro, nõ spiritus. Dauid, No
Psal.145. lite, inquit, cõfidere in principibus, in quibus nõ est salus. Sed Christi Andræas famulus, imò & Apostolus, nec id nomine tantũ tenus, sed re, dignus Deo Apostolus. Ad hæc Petri germanus & frater non natura modò, verumetiã & multò magis propter fidẽ: id quod in passione ostendit euidentissimè. Vterq; enim cruci adfixus. De his ergo quilibet piè Christianus denuo amplam meditandi occasionem sumere posset: & huic quidem hoc præsens seruit Euangeliũ. Hæc ergo cogitemus fratres, quę sint Christianismi exordia, quomodò primi in hoc albo docuerint, vixerint, & obierint. Hæ sunt viæ
Hiere.6. antiquæ, quarum Hieremias meminit. Si vllo vnquam tẽpore opus fuit, certè nunc summè necessarium est: vt exeamus in vias, & de vijs antiquis circũspiciamus, vt eodem incedentes, requiem inueniamus animarum nostrarum. Gratia Domini nobiscum, Amen.

QVINTVS SERMO DE duplici vocatione Apostolorum.

Matth.4. Sacra huius diei Euangelica lectio historiã vocationis S. Andræ nobis insinuat, quam quidem Euangelista nudè proponit. Christus, inquit ille, vocauit Petrũ & Andræam? Illi autem relictis omnibus, sequuti sunt eũ. Et hæc quidem duo Matthæus indicat. Verùm si quis ea, quæ heri in Ecclesia ex Ioannis Euangelio lecta sunt superioribus addiderit, eaipsa inueniet duplicia: Duplicẽ, inquam, vocationẽ: duplicem item
Ioan.1. Apostolorũ sequelã. Sic enim habet textus Ioãnis:

Vidit

Vidit Ioannes Iesum venientẽ ad se,& ait:Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi.Hæc verba Ioannis duorũ ex eius discipulis mẽtibus insedebãt,qui relicto Ioãne,sequebantur Christum:quorũ alter hic noster Andræas erat.Et hæc quidem prima,sed interna vocatio fuit. Nondũ enim audierat Euãgelizãtẽ Christũ:sentiebat tantũ intus trahẽtẽ,vt vltro ipse sequutus,tandẽ etiã germanũ Christo adduceret:ambo deinde,cùm nondũ per omnia adhærerẽt Domino,ad piscationem reuertentes.Postea verò ambos simul Dominus vocat.Venite post me,faciã vos piscatores hominũ.Et hæc externa vocatio,cui obsequẽtes,relictis omnibus cõstanter in finem vsq; cum Christo perseuerabant.Et hæc quidem sunt quæ Euangelium hoc de Andræa nostro nobis refert.Vnde haud difficilẽ colligitur,quo modo Christo attrahamur,& quæ vera Domini sequela.Nemo,inquit Christus,venit ad me,nisi Pater meus attraxerit eũ.Duobus verò modis à Patre ad Christum attrahimur:vno modo internè per Spiritũ sanctũ:deinde externè, per verbum suum. Pulchrè autem Paulus de externa in hodierna Epistola disserit:Non est(inquit) distinctio Iudæi vel Græci.Nã idẽ Dominus omniũ, diues in omnes inuocãtes se.Quisquis enim inuocauerit nomen Domini,saluus erit.Quomodò autem inuocabũt eũ,in quẽ nõ crediderũt?Quomodò autẽ credẽt ei,de quo nõ audierũt?Quomodò audiẽt absq; prædicãte?Ex his ergo Paulus cõcludit,fidem ex auditu esse,auditũ verò per verbũ Dei. Hæc igitur externa vocatio.Sed minimè isthæc sufficit,nisi interna quædã vocatio accedat.Non enim externus auditus ad omnia pertingit.Deus est qui mẽtes hominũ per Spiritũ suum consulit.Tollam(ipse ait)cor lapideũ à vobis,& dabo vobis cor carneũ,& effundã de Spiritu meo in mediũ vestri. Et in Hieremia:Dabo legẽ meam in visceribus eorũ,& erũt oẽs theodidacti. Hæc ergo vbi externo verbo accesserint, plena fit & perfecta vocatio:ideóq; minimè satis est audire verbum Dei:rogandus Deus est,ita mẽtes nostras gratia sua & sancto Spiritu perfundat:vt animemur verbũ,quod audiuimus,in effectũ ducere.Hoc ergo primum est,quod in Andræa cõsiderandũ nobis proponitur.Quòd si de cætero percõtaris,quæ vera sequela sit.Audi:ipse Paulus initio hodiernæ Epistolæ primo verbo hoc indicat,dicẽs:Corde creditur ad iustitiã,ore autẽ fit cõfessio ad salutẽ.Duas hîc audis partes,credere & cõfiteri.Ambas verò in nostro Andræa cõspi-

Ioan.6.

Roma.10.

Ioël.2.

Ezech.36.

Hiere.37.

Roma.10.

cimus

cimus:& in ipsis adeò verbis,quibus dixit, Inuenimus Messiam,fidem scilicet cordis, confessionem oris. Id quod verè est sequi Christum:Corde credere,ipsámque deindè imperterritè fidem palàm confiteri: non tamen vt hæc confessio ore fiat tantũ,nec vita actúsque nostri respondeant. In hunc enim sensum Paulus suipsius interpres est,vbi conqueritur, nonnullos esse qui confiteantur quidem fidẽ ore, sed tamen
Tit.1. abnegãt factis. Quibus sanè verbis quid aliud vult innuere: quàm sine factis confessionẽ oris minimè sufficere? Vtrúnque in Andræa habes. De fide enim quã alta mente seruabat
Matth.4. repositam,& de cõfessione oris modò audiuimus. Quomodò autem factis confessus est,Matthæus innuit:Relictis omnibus secuti sunt eum. Hoc est,Christum factis confessum esse:omnia relinquere,ipsúmq; solũ pluris æstimare quàm totius hanc orbis machinã. Hæc igitur omnia nobis de sancto Andræa Euangelica recoligenda offert lectio. Et quidẽ hucúsque initium historiæ leuius audiuimus. Cui verò & reliquum vitæ mortísque illius audire animus gestit, quæ Ecclesia in laudem eius psallat,percipiat. Deus,in tua virtute sanctus Andræas gaudet,& lætatur eadẽ comitatus. Piscatio nati tui ipse primum factus piscator populorum Mirmidones idololatras diu fluctiuagos rete cœpit fidei. Is legibus Achaiam tuis Deus victor illius subiugauit. Et trophæum Christi tui fixit ibi, bonum se ostẽtans militem, miraculis: virtutibus,doctrinis,quæcúnque quæsita spolia, tibi ô Rex attulit,atque suo cruore triũphi inscripsit titulos tui regum Domine,&c. In quibus verbis totam historiam habes,hoc est:vitam,& mortem Andrææ, breuiter simúlq; festiuè descriptam. Fuit enim prima piscatio,id est,primus quẽ Christus verbi sui rete attraxit. Sed & primus cum fratre Petro hominũ factus piscator,vti modò ex Euangelio audiuimus. Quomodò autẽ piscationis suæ officio præfuerit,quid effecerit,subsequentia indicãt verba. Primũ Mirmidones Aeginæ insulæ habitatores,idololatras fluctiuagos sua prædicatione ad nostram religionem perduxit. Secũdò totam etiam Achaiam legibus & verbo Dei,fidei Christianæ subiugauit, atque ibidem fortis athleta & victor signum crucis triumphale erexit. Tertiò,quicquid doctrina,vitę exemplo,& miraculis Satanæ detraxit,non sibi,sed Christo obtulit. Postremò,quod maximũ est,hæc omnia in sanguine suo obsignauit. Sed quicquid illud est,in tua Deus virtute semper sibi

assistente, consummauit, de qua etiamnum lætatur perenniter. Hæc igitur hodie de sancto Andræa totum per orbem diffusa sacra canit Ecclesia. Sed nunquid tam paucis verbis multa & maxima comprehenduntur? Eos Christus habuit Euangelij sui Apostolos, eos Ecclesia habuit pastores & custodes. Eiusmodi ergo exempla præstaret semper ante oculos habere: ad eam normam, fidem, vitámque nostram iustificare summè prodesset, ne vel Christi gratia, vel Apostolorum actus fideles & opera incassum abirent nostra negligentia. Nondum eorum officium cessauit, necdum munus eorum consummatum est: ad mundi finem vsque spiritualis eorũ piscatio permanet. Fœlices planè qui ita attrahuntur, vt olim, cùm mali segregantur, inter bonos pisces numerati in vitam æternam assumantur. Gratia Domini nostri Iesu Christi cum omnibus nobis, Amen.

IN DIE SANCTI NICOLAI EPISCOPI, EVANGELIVM LVC. XII.

SInt ergo lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardẽtes in manibus vestris, & vos similes hominibus expectantibus Dominũ suum, quando reuertatur à nuptijs: vt cũ venerit & pulsauerit, confestim aperiant ei. Beati serui illi, quos cùm venerit Dominus inuenerit vigilantes. Amen dico vobis, quòd præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis. Et si in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, & ita inuenerit: beati sunt serui illi. Hoc autẽ scitote, quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non sineret perfodi domum suam. Et vos estote parati, quia qua horą non putatis, filius hominis veniet.

IN DIE S. NICOLAI

EODEM DIE EPISTOLA.

ECCLESIAST. XLIIII.

ENoch placuit Deo, & translatus est in paradisum, vt det gentibus sapientiam. Noe inuentus est perfectus & iustus, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio. Ideò dimissum est reliquum terræ, cùm factum est diluuium. Testamenta sæculi posita sunt apud illum, ne deleri posset diluuio omnis caro. Abraham magnus pater multitudinis gentium, & non est inuentus similis illi in gloria, qui conseruauit legem excelsi, & fuit in testamento cum illo. In carne eius stare fecit testamentum, & in tentatione inuentus est fidelis. Deo iureiurando dedit illi gloriã in gente sua, crescere illum quasi terræ cumulum, & vt stellas exaltare semen eius, & hæreditare illos à mari vsque ad mare, & à flumine, vsque ad terminos terræ. Et Isaac eodem modo fecit propter Abraham patrem eius. Benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus Et testamentum suum confirmauit super caput Iacob. Agnouit eum in benedictionibus suis, & dedit hæreditatem, & diuisit illi partem in tribubus duodecim.

SERMO PRIMVS.

Ioan. 1.

ECCE verus Israëlita, in quo dolus non est. verũ & vsitatissimum prouerbium est, Haud difficile excusaueris quod inuitus feceris. Reipsa comperimus, apud nonnullos hoc prouerbium locum habere Christianos: qui in quamcũque rem licitam, imò necessariam, allicere conaris, semper quod excusent inueniunt, nullã profectò aliam ob causam, quàm quòd non afficiantur ad pietatem nullo religionis mouentur affectu: eáq; propter semper habent quod respondent. Adhortaris eos, vt bene agant: statim audis: Non tu nobis Euangelicus concionator, sed operum legislator es: quasi nihil aliud prædicandũ restet inter credentes quàm quia Christus venerit, pro nobis satisfecerit, omnia nobis qui qualésque simus, largiatur. Si Sanctorum proposueris vitam, austeritatis & pœnitentiæ plenam, obijciunt non esse Euangelium, dictis eiusmodi credere cogi posse neminem. Credere & negare nobis perinde est. Si ipsorum Apostolorum vitã exemplaq; adduxeris: Putásne inquiũt nobis Apostolica præsto est perfectio? Quòd si veteris instrumenti Patres, qui sub lege fuêre, recenseris, valeat lex iam dudũ (inquiunt) abolita. Euacuata est, ab ea liberati sumus. Exempla

eorum qui ante legem fuerunt indicas? nec hoc placet. Vetustatem olet. Exculant semper, quærúntq; diuerticula: placet nihil quo possint ad pietatem instrui: Sed quis rerum finis quis effectus? Omnis pietatis in Ecclesia defectus, omnis iniquitatis quotidianus successus. Et hoc quibusdam piè Christianéque viuere est. Hoc tamen persuasum sit cuíq; Christianorum non solùm Christum & Euangelium, verùm etiã totam Scripturam docere secus, secus credidisse, secus vixisse, cuiúsque temporis Dei filios. Huius ergo euidentissimum exemplum in S. Nicolão habemus, quem ità sua Deus imbuit repleuítq; gratia, vt videatur mihi peculiare in illo toto Christiano orbi exemplũ voluisse proponere. ita planè, vt si nulla etiã superesset scriptura, in vno illo Nicolao, tamen quid faciendum, liceret animaduertere. Atq; vtinam nõ minus eius vitæ sequeremur exemplum, quàm omnes ferè vitę modum habemus cognitũ. Verè vtíq; de eo, quod Christus de Nathanaële, dici potest: Ecce verus Israëlita, in quo dolus nõ est. *Ioan.1.* Et quod de Mose dictum est: Dilectus Deo & hominibus, cuius memoria in benedictione est. *Eccle.45.* Et quid amplius, quid honorificentius de vllo mortalium dici potest? Vtrúnq; in S. Nicolao cõspicimus. Verus Israëlita fuit non secundum carnem vel literam, sed secũdum spiritum in veritate, sine dolo, eóq; Deo hominibúsq; dilectus. Pueritiam cum Patriarcha Iacob habuit nõ absimilem: simplex, innocens, rectus, nõ ad malum procliuis. A parẽtibus ad omnem pietatem nõ impiè educatur, quibus hoc vnũ in votis erat, vt filium quem diuina benedictione genuerant, nõ hæreditatis corporalis modò, verumetiam spiritualis, hoc est virtutum & pietatis haberent, & possessorẽ & imitatorẽ. Quorũ haud dubiè exaudiuit Dñs preces. Nec frustrarentur etiamnum nostri parentes votis suis, si similia à Deo precarentur liberis. Iam verò in virili ætate Nicolaus alter nobis factus est Moses, hoc est, sanctus, timoratus, seruus Dei, amator boni, cõpatiens, contemptor temporalium. Sicut enim Moses *Hebr.11.* fecit, eligens malis affici simul cum populo Dei, quàm tem- *Exod.2.* porariis peccati commodis frui, maiores arbitratus diuitias probrum Christi, quàm Aegyptiorum thesauros (respectum enim habebat remunerationis) sic & Nicolaus. Defuncto vtróque parente anxiè cogitabat, qua via diuitiarum laqueis expeditus posset liber effugere. Sciebat enim, neminẽ posse dominis simul inseruire duobus. Sciebat dixisse Chri- *Matth.6.*

Luc.14. ſtum: Qui non renunciauerit omnibus iis quę poſsidet, non
Luc.8. poteſt meus eſſe diſcipulus. Nec ignorabat, nõ ſine cauſa di-
2.Tim.6. uitias à Chriſto ſpinis, à Paulo laqueis, & ab Abacuc luto cõ
Abac.2. paratas eſſe. Proindè pleno affectu ad Deum, nunquàm in-
teritura bona quærens, conuertitur, pauperibus clementi
manu, ſine ambitione, ſine retributione humana, tempora-
ria diſpenſat. In Epiſcopali ſuo munere ſine inuidia compa
rari poteſt Simoni Oniæ filio, de quo Sapiens in hæc verba
ſcribit: Ecce ſacerdos magnus qui in diebus ſuis ſuffulſit do-
mum, & in vita ſua corroborauit templum: qui curauit gen
tem ſuam, & liberauit eam à perditione. Nec hoc ſolùm: ſed
& quaſi ſtella matutina in medio nebulæ, & quaſi luna ple-
Eccle.50. na in diebus ſuis. Quaſi ſol refulgens in domo Dei, &c. Huic
ſe ſimilem reddere exemplo Nicolaus ſtuduit, maximè Epi
ſcopus factus. Nam cùm primũ à Deo nec ſine miraculo ad
eam dignitatem & officium electus eſſet: ſic vixit, vt bonus
odor veræ pietatis & ſanctitatis, nõ modò in omnes natio-
nes ſtatim exiret, verumetiam non longè pòſt, totum Chri-
ſtianum orbem impleret. Hinc ergo videre eſt, & ex ipſa
adeò pueritia & prima ætate Nicolai colligi poteſt, quę vir-
tutes iuuenes rectè deceant, homines ornent, nempè caſti-
tas, innocentia, ſimplicitas, modeſtia, pudor, obedientia, fu-
ga mali, ardor amórq; boni, &c. His ineuntis ætatis ornan-
tur pueri, quibus (malũ) in noſtris pueris nihil rariùs. Imò
his contraria vbíque apud omnes obuia: impuritas, libido,
leuitas, procacitas, malignitas, inſolentia, inobedientia, in
omne malum procliuitas, in omne bonum nauſea, & deni-
que quicquid eius generis zizaniæ ſuccreſcentis eſt, ex quo
certè nihil boni ſperare licet. Videmus præterea ex huius S.
Nicolai ætate virili, quę virtutes viros deceant, fides ſibi per
omnia conſtans, ſpes erecta in Deum, vera & perfecta chari-
tas, religionis zelus, aſsidua & deuota precatio, in inopes
prompta liberalitas, patientia in afflictionibus, & in his
omnibus, profunda & perſeuerans mentis humilitas. Et hæ
veræ virtutes proficientium, hæc ornamenta perfectorum
ſunt: ſed non minùs hæc rara ſunt apud vulgus hominum,
quàm quæ ſuprà recenſuimus in adoleſcentibus. Alget apud
Matth.24. nos omnes charitas, abundauit iniquitas. Hei, nimis verè
Oſe.4. prophetia Oicę, imò querela in noſtra infœliciſsima tempo
ra competit: Non eſt, inquit, veritas, & nõ eſt miſericordia,
& non eſt ſcientia Dei in terra. Maledictum & mendacium,
& homici-

& homicidium & furtum, & adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit. Et quid boni hinc sperabimus?

Tertiò in Episcopali munere S.Nicolai, quæ ornamenta Euangelici & Christiani pastoris sint, sine difficultate colligimus, mentis in Deum exultatio, cura, sollicitudo in commissas oues, labor in promouendo verbi Dei negotio, compatientia in pauperes & oppressos, pertinax in lupos cõstantia, sanctitas & grauitas vitę. Et hæ quoq; Episcopi virtutes, quas omnes & plenas in hoc nostro Nicolao comperimus. Primũ ergo est, quod hodie nobis considerandũ proponitur, nempè, quales olim Ecclesia habuerit pastores & rectores. Nam quemadmodũ peculiaris quædã diuini amoris significatio fuit in Israël, q̃ non Tyrannum, nõ proprię rei studiosum hominem ipsi Deus præfecerit, sed Mosen iustum, qui omniũ vtilitati, Deíque honoribus studeret, adeò vt Scripturæ testimonio illi tribuatur, non fuisse inuentũ similem eius, antè nec pòst, antesignanũ in tota illa ex Aegypto emigratione: sic quóq; magnũ argumentũ, q̃ piissimus pater Ecclesiæ suæ iam tum ab initio tales támque pios pastores dederit. Sint licèt rarissimi hoc nostro tẽpore, in exordio tamen videbantur, qui rem religionis pro affectu pio promouebant. Quin præposito Mose Israëlitis, multos imò infinitos habuisse Ecclesiã enumerare licet, qui nõ modò legis Mosaicæ, sed multò magis spiritu Christi imbuti fuêre. Et quomodò Christus Ecclesiam suã, quã ita dilexit, vt sese pro ea in mortẽ daret, hac parte desereret, præsertim cùm multis retrò sæculis promiserat se secundũ cor suum pastores daturũ esse? Habebãt Israëlitæ in Mose virũ iustum, virũ egregium, sed in successione non est inuentus similis illis quin multi cum mali & impij, pauciss imi recti sequebãtur. Verum enimuerò apud Christianos nos per longam successionem habebamus Episcopos iustos, quorum maxima pars sanguinẽ pro Christi gloria fundere nõ dubitaret, quemadmodùm in S.Nicolao videre est, qui circiter trecentesimum post Christi natalem annum venerat, quo tempore & alij sanctissimi fuerũt Apostoli: vt in Niceno Concilio clarissimè videmus. Nec hodie eorũ laboramus penuria: obierint licèt corpore, viuunt tamen exemplis, scriptis, memoria. Nihil ergo, quod excusemus est reliquum. Quod si pietatem in nostri sæculi Episcopis desideras, antiquorum memoriam repete, iisq; in recompẽsam vtere. In hoc verò elaboremus:

Deut.34.

Ephes.5.
Hier.3.

vt ardentiùs sequamur, quàm suos Israël. Habes Sanct. Nicolaum in quo, quod desideres non est. Vides optimum puerũ, Christianum grauem, sanctũ & pium Episcopũ: vt meritò cum D. Paulo omnes nos & hodie inuitare posset. Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Quisquis igitur suam vitam examinet, scrutetur conscientiam suam, consideret, si vnquam illum zelum ostenderet, inueniemus certè omnes nos adhuc in primis hærere elementis. Vt quid ergo assiduè gloriamur, quod mundus nũquam & modò Christum agnouerit, cùm tamen minimè vel vita: vel mores respondeant? Quid igitur agnitio proderit sine imitatione? Nónne scriptura ait. Qui nouerit rectè facere, nec facit, hic peccato tenetur? Nónne & Christus dicit. Seruus sciens voluntatem Domini, nõ tamen eam facit: vapulabit plagis multis. Et iterum. Non omnis qui dicit Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatẽ Dei? Sed dico, nónne patres nostri æquè atque nos magna de Christo loqui potuerunt? Attamen maior illi sequendi Christum ardor, quam nobis. Vtrúnq; ecce in Nicolao nostro videmus, sequamur eum. Ecce enim verus Israëlita, in quo dolus non est. Gratia Domini nobiscum, Amen.

1.Cor.11.

Iacob.4.

Luc.12.

SERMO SECVNDVS QVOmodo honorificetur Deus, & quomodò suos glorificet Deus.

QVicúnque honorificauerit me, honorificabo eum, quondam per Prophetã Heli Deus dixit. Solent ideò sanctorum exempla quàm maximè proponi: vt per ipsos, in q; ipsis quid sit Deus, quid nobis postulet, quid ab illo sperandum sit, discamus. Quãquàm autem hæc omnia in sacra scriptura nobis insinuãtur satis aperte & clarè, exempla tamen iuxtà ponuntur. vt non solum audiamus: verum etiam videamus, quid Deus operetur in bonis simul & malis hominibus. Sic in Abrahã, in Isaac, in Iacob, Mose, Dauide & alijs, quid fidelis facere, quid à Deo debeat expectare. Contrà, in Caim, in Pharaone, Saulo, Iuda, aliísque quæ malorũ à Deo merita. Id quod in ea quóque sententia cogitandum proponitur, quã initio recitaui. Quicúnq; honorificauerit me honorificabo eũ, dicit Dominus, qui autẽ contẽnunt me, erunt ignobiles. Hæc ipse Dominus Deus loquutus, propterea infallibilia. Quæ omnia in vno hoc nostro Nicolao, cui' hodie fe-

1.Reg.2.

die festum peragimus, si nulla alia nobis proponerẽtur exẽpla, satis euidẽter & clarè vera esse cõperiemus. Primum, ꝙ vt in alijs omnibus, sic in his quóq; verax sit Deus. Deindè Deũ à nobis velle honorarier. Tertiò, ꝙ contra suos honoret ministros. Quicúnque honorificauerit me, inquit, glorificabo eũ. Ex hoc igitur videmus primùm: verum honorem à Deo esse, propria enim laus sordet: vt Christus ait. Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est. Et Paulus. Qui seipsum commendat, ille probatus nõ est, sed quẽ Deus cõmendat. Et sapiens. Laudent te alieni & nõ os tuũ, à seipsa enim malitia fallitur. Qui videtur sibi aliquid esse, inquit Paulus, cùm sit in veritate nihil, seipsum fallit. Et Ioannes. Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Quin nec propria solum laus nihil est: verumetiam mundi huius vana & incerta gloria est: quoniam nemo scit quid sit in homine, nisi spiritus hominis, qui est in homine, & Deus præcipuè, qui etiam corda renésque perscrutatur hominum. Quem verò Deus commendat, honorificatus est: quem ille confundit, confutus est. Propterea & Dauid orabat. O Domine in te speraui, non confundar. Quid enim homo: vt vel addat quid gloriæ magnificentiæ tuæ: vel deroget? Tu solus verè dicere potes. Ego glorificabo. Sed consideremus appendicem. Honorificantes me, ego glorificabo. Nõ promittit Deus se oẽs homines glorificaturũ esse, sed se honorificantes. Et qui sunt hi? aut quid est honorificare Deum? Hoc circa cardo rei vertitur. Iudæi arbitrabantur, si sabbatum cæterósque festos dies statutis temporibus obseruarẽt, si edicto legis hostias & holocausta offerrent, satisfactũ diuinis honoribus abundè. Sed non ille verus Dei cultus, non ille quẽ Deus requirit, honos est. Quin nec voluit se coli hisce honoribus. Quo mihi multitudinem victimarũ vestrarũ, dicit Dominus. Plenus sum. Holocausta arietũ, & adipẽ pinguiũ, & sanguinẽ vitulorum & agnorũ, & hircorũ nolui, incẽsum abominatio mihi est. Neomeniã & sabbatũ, & festiuitates alias non feram, iniqui sunt cœtus vestri. Calendas vestras & solẽnitates odiuit anima mea. Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. Alij videbantur sibi pulchrè diuinis honoribus insistere, si assidui in tẽplo, laudes Deo labijs canerẽt. Sed nec hoc diuino placuit aspectui. Populus hic, inqt, labijs me honorat, cor autẽ eorũ longè est à me, frustrà ergo me colũt. Vt enim externo actu

Ioan. 8.
2. Cor. 10.
Prouer. 27.
Gal. 6.
1. Ioan. 1.
Psalm. 7.
Psalm. 30.
Isai. 1.
Isai. 29.

Deus minimè coli vult, sic nec verborum strepitu honorari debet. Alij, q̃ sese ieiunijs assiduis macerarent, placere Deo (interim nihil meliores facti interno homine) putabãt. Sed
Isai. 58. & hoc reprobauit. Nunquid tale est ieiuniũ, qđ elegi p̃ diẽ affligere hominẽ animã suã? Ecce, in die ieiunij inuenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis. Ecce ad lites & cõtentiones ieiunatis, & percutitis pugno impiè. Nec nostrũ hoc præsens sæculũ ab eiuscemodi hoĩbus liberum est, qui Dei cultũ in solo ritu externo ponunt. Fallantur in-
Ioan. 4. dubiè. Spiritus est Deus, & eos qui venerãtur & adorant eũ, in spiritu & veritate oportet adorare. Quæris ergo quis sit verus cultus Dei? Externo id te docebo exemplo. Nunquid si principi tuo assurgis, si caput nudas, si genua curuas, satisfactum eius honoribus arbitraris? Minimè. Non principis ille honos, sed tuus est. Quisquis enim id facientẽ te conspexerit, collaudat te. Ecce, inquit, hominẽ obedientẽ, suæque sibi cõditionis cognitũ. Cõtrà, si nõ eũ honorẽ magistratui tuo impendis, cuius id sit dedecore? principis ne an tuo? Certè tuo. Nihil enim ex te in hoc derogatur principi, at de te clamitant oẽs. Ecce hominẽ superbum suúmque erga magistratũ inflatũ, quã suæ conditionis immemor: quàm debitæ obedientię oblitus. Tibi ergo non principi d rogas. At quis verus magistratuum honos? Primũ si bonus: verus, iustus, misericors & benignus erga subditos, si stat promissis, si suo officio fungitur. Secũdò, si hæc omnia in illo cognita sunt, si credũtur, si prædicãtur de eo. Hîc verus honos principis est. Quòd si cõtrarium feceris, si malè de principe tuo sentis & loqueris, cũ sit optimus: vel nõ malus, iã inhonoratũ & iniuria affeciſti illũ. Cõtrà, si hæc nõ sunt in principe, quæ certè debẽt, si verè hæc de magistratu dici nequeunt, ingens profectò & summum dedecus est. Hinc videmus quis verus magistratuum honos. Ac mirũ, quosdã potentes ita stultos, ita cæcos esse: vt putent, satisfactum esse suis honoribus, si assurgatur, si caput nudetur, si genu flectatur, etsi oẽs propter tyrannidẽ & iniustitiã malè de se sentiant, inuideant, maledicant imprecẽtur dira. Sed hęc missa facio, & ad institutũ redeo. Superiore exemplo posito, existimo colligi posse, quis verus Dei cultus. Non enim ille in hoc cõsistit: vt dictũ est: vt prædicetur, illíque immoletur: vt ad appellationẽ nominis sui caput nudẽtur, genuáq; in terram vsq; incuruentur, sed hic genuinus cultus est, q̃ optimus, iustíssimus, veracíssimus, omni-

simus, omnipotens, benignissimus est. Quicúnq; ergo hæc in ipso credit, fidit, & spérat, atque ea fiducia eius opem imploraturus accedit, hic verè Deum honorificauit. De hoc honore Christus ait. Pater, ego te clarificaui super terram. Quomodò? Nomen tuum, hoc est, bonitatem: veritatem, misericordiam, omnipotentiam tuam manifestaui hominibus. Hìc verus & præcipuus Dei cultus est, cui innititur quicquid alìâs Deo externi honoris impenditur. Qui enim hæc de Deo sentit & credit, quòd optimus, iustissimus, misericors sit: verax sit, haud dubiè amabit eum: vt pijssimum Deum, timebit vt iustissimum, ei credet vt verassimo, obediet vt omnipotenti. De hoc ergo honore loquitur Deus: vbi ait. Quicúnque honorificauerit me, glorificabo eum. Ad hunc ipsum modũ Sanct. Nicolaus noster Deum coluit & honorificauit, id quod tota vitæ ipsius historia indicat. Quòd semper præclarè magna de Deo sen- 1. Reg. 2.
serit, magna huius causa peregerit. Consideret quicúnque volet vitæ ordinem huius viri, inueniet & quomodò ipse Deum, & qua ratione rursus ipsum Deus honorificauerit & glorificauerit. Ac de hoc posteriore videamus, quomodò Deus longè aliter suos glorificat, quàm hic mundus suos ministros exaltat. Neque enim secus potest exaltare suos mundus, quàm vt transeuntia, possessiones, honorés, auctoritatem, gaudia: voluptates, & id genus alia conferat. Nec Genes. 46.
enim præstantius quid habet. Hoc modo Pharao Ioseph, Hest. 1. 6. 8.
Assuerus Mardochæum, Balthasar Danielem exaltauerunt. Dan. 5.
Pij verò ista hæc omnia non honores æstimant, sed onera & grauamina, quemadmodum nec per se veri honores sunt, quòd plurimum in iniquos cadant. Non est honos, quo homines non redduntur meliores. Et quod genus honoris est, extrinsecus auro gemmísque ornari, intus verò corpus multis morbis obnoxium, ad hæc animam habere peccatis sordidam? Quis honos, assurgant tibi nudatis capitibus licèt omnes, ac in animo pro iniustitiæ tuæ merito imprecentur omnia mala? Deus verò longè alio modo suos glorificat, imò & vera bona largitur, insuper & nomen suúmque cum ipsis honorem communicat. Et quid magnificentius, quid excellentius, quid præclarius, quàm habere nomen honorémque Dei? Hoc verò nomen honósque Dei, quòd solus bonus: verax, sapiens, fortis, & omnipotens sit, eáque omnia summè & maximè. Hunc etiam

suis impertitur honorem. Primùm: quia se bonum credunt, & confitétur credentes bonos, iustósque facit: non in hypocrisi, sed in veritate, non solùm foris coram hominibus: verumetiam intus coram Deo. At certum, naturam nostram per peccatum corruptam esse, ita planè: vt omnes nostræ cogitationes ipsique adeò sensus in malum ab infantia proni sint. Vnde sacræ scripturæ innumera ferè testimonia, semp magni fuisse negotij, in ipsis etiã sanctis, quoúsq; vitiatam naturam cupiditatésque in sese mortificarent, & ob id vehementi ardore inenarrabilibúsque gemitibus Deo supplicauisse. Vt Dauid. Cor mũdum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in viscerib⁹ meis. Et iterũ. Inclina Domine cor meũ in testimonia tua, & non in auaritiam. Quid præstantiùs naturæ nostræ obtinget, quã vt reddatur melior? Tolle quicquid magnum habet & admiratur mundus: vni id omne confer homini, glorioſior & honoratior tamẽ erit is, qui innocentia, iustitia, probitate & sanctitate ornatus est. Hũc ergo honorẽ suis largitur Deus. Aufert ab illis peccatũ, largitur spiritum, per quem renouãtur & iustificantur. Mundus foris suos honoribus vestit. Sed Deus minatur per Prophetã, q̃ huiusmodi homines hisce honoribus expoliare velit, spoliatósque nudos vt in die natiuitatis statuere. Non ergo verus ornatus, quem nõ seruare possumus, quem in mortis hora relinquere oportet. Quid iuuat paruo tẽpore corã mũdo honoribus cumulatè ornatũ esse, ac corã Dei aspectu nudũ apparere? verè ornatus est, qui probitate, iustitia & sanctitate imbutus est. Hæc solus Deus elargiri cũ potest semper, semper cõfert suis. Bon⁹ enim est, & omnibus benè facit. Seruos suos bonos reddit: vt boni p se, omnibus benè cupiant. Secundò. Et sapiens Deus est, imò ipse sapientia est, quæ falli nequit, & quã nemo corripit. Et hanc quoq; sapientiã suis cõfert: vt Christus ait. Confiteor tibi pater, q̃ hæc abscõdisti à sapientibus, & reuelasti ea paruulis. Et iterũ. Paracletus ducet vos in omnẽ veritatem. Et in Psal misita nostro. Intellectũ tibi dabo, & instruam te in via hac, qua gradieris, firmabo sup te oculos meos. At quis doctior, quis sapiẽtior illo, quẽ Dñs erudit, suámq; sapiẽtiã cõmunicat? Beati, inquit Christus, oculi, quæ vidẽt quæ vos videtis. Contrà, quã sudant, quã laborant, & tantùm non sese excruciant mundi huius filij: vt sapientes, prudentes, doctíue euadãt, nihil præter nudum nomẽ referẽtes? Verũ sapientiã ne attin-

Genes. 6. *Psalm. 50.* *Psalm. 118.* *Ose. 2.* *Matth. 11.* *Ioan. 14.* *Psalm. 31.* *Luc. 10.*

attingunt quidem:imò in ſpiritualibus & diuinis cæci planè,in omnem lapidem offendũt vt corruant. At pius quiſq; intra ſe ſuũ doctorem habet,qui non permittit cadere. Nobis,inquit Paulus,Deus reuelauit per Spiritum ſuũ (ſapientiam puta) quam nemo principũ ſæculi huius nouit. 1.Cor.15. Et hæc quidem ſecundus honos quo Deus ſuos glorificat. Reddit ſapientes & doctos,non ſimulatione,ſed verè. Tertiò,in hoc quóq; honos noménque Dei cõſiſtit,quòd fortis,& omnipotẽs eſt:ita planè,vt eius poteſtati reſiſtat nemo,cui nihil impoſsibile. Et hanc etiam fortitudinem ſuis largitur,reddens eos fortiores ad perferẽda imminentia quæque pericula. Vt Paulus ait:Quotidie morti tradimur. Verũ in his omnibus Roma.8. ſuperamus,per eum qui dilexit nos. Et iterum:Malè audien 1.Corin.4. tes,benedicimus:perſecutionem patientes,ſuſtinemus. Et: Laboramus & ſuſtinemus,ſed nõ in deſperationem inducimur:perſecutionem patimur,ſed nõ deſolamur:morti addicimur,ſed nõ perimus. 2.Corin.4. Sic Deus ſuos fortes,& in omne bonum paratos facit,vt in Paulo videmus:Plus omnibus laboraui:nõ autẽ ego,ſed gratia Dei mecum. Et:Omnia poſſum Phil.4. in eo qui me corroborat. Tertiò,fortiores ſuos reddit Deus contra peccatũ,mortem & Sathanã. Ecce,do vobis,ait Chriſtus,poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes,& ſcorpiones,& ſuper omnẽ virtutem inimici,& nihil vobis nocebit. Luc.10. Et Paulus:Benedictus Deus qui dedit nobis victoriã contra peccatum & mortem per Dominũ Ieſum Chriſtum. 1.Corin.5. Quartò,eam quóque Deus ſuis fortitudinem largitur,vt ſeipſum Deum teneant. Geneſ.32. Sic Iacob Angelum tenuit,vt diceret:Dimitte me, quoniam aurora ſurgit. At Iacob contrà:Non dimittam te, Exod.32. niſi benedixeris mihi. Sic Moyſes Deũ tenuit,vt diceret:Dimitte me vt oſtendam iram meam in populũ iſtũ. Sic Abraham Deum retinuit,vt tandem promitteret:Si decem in So Gen.18. doma iuſti inuenti fuerint,parcã eis. Ecce piè credentis fortitudinẽ,qui ſua oratione Deũ obtinere poſsit. Qui me honorificauerit,glorificabo eũ. Quintò,Non ſolùm fortes,ſed & omnipotẽtes Deus ſuos facit. Vt Chriſtus ait:Omnia poſ- Matth.17. ſibilia credẽti. Qui credit in me,opera quę ego facio,& ipſe Ioan.14. faciet,& maiora horũ faciet. Et:Si habueritis fidem,dicetis Matth.11. huic mõti:Tollere,& mittere in mare,ſiet. Et hoc quicquid eſt,lõgo experimẽto didicimus cõfirmatũ. Moyſes percuſsit Exod.14. mare virga,quam in manu tenebat:diuiſum eſt mare,& Iſraëli ſiccũ trãſitũ prębuit. Loquutus eſt Ioſue,& ſtetit ſol in Ioſue.10.

firma

firmamẽto,quoúsque hoſtiũ copias occideret omnes.Locu-
4.Reg.6. tus eſt Helias,& cecidit ignis.Helizæus natare fecit ferrũ ſu-
per aquas.Aliáq; his ſimilia recẽſet Scriptura,quibus omni-
bus cõſiderare licet,quàm ſint verè credẽtes fortes & poten
Phil.4. tes.Omnia(inquit Paulus) poſſum ih eo qui me corroborat
Et quid collata ad hæc hominũ valet poteſtas?Quam opta-
rent mũdi huius filij pretio cõparare eam poteſtatẽ.Sed Dei
Act.8. donum eſt,qđ pecunia nõ venit.Simõ Magus hanc poteſta-
tem,hoc donũ nitebatur pecunia ſuum facere,ſed Petri ma-
ledictione repellitur. Et quid multa? Honorificantibus ſe
Deus nõ hæc modò bona ſua:ſapientiã,veritatem iuſtitiam
& fortitudinem largitur,verùm etiam ſemet ijs impendit,
ſeſe patrem,protectorem,conſeruatorẽ,redemptorẽ,& ſal-
uatorem offert. Et quid hoc optabilius? Quid totius huius
mundi bonos erga hanc gloriã,quam Deus tribuit? Quàm
miſeri ergo nos,quàm deplorãdi,quã infœlices ſumus,qui
tantùm humanam citóq; perituram gloriã venamur:verã,
quam Deus donat gloriam,negligimus? Honorificauit Ni-
colaus noſter Deũ:honorificauit,inquam,fide,ſpe,charita-
te,obedientia,obſeruantia mandatorũ eius,omniſq; pieta-
tis:corde,ore & opere,anima & corpore,& quicquid ſuum
poſſidebat.Eáq; propter ipſum quoq; Deus glorificauit,de-
dit illi iuſtitiã ſuam,manifeſtauit illi ſapientiam ſuam,vir-
tutem,pariter potentiã ſuam contulit illi,vt nõ ſolùm poſ-
ſet benè agere,aduerſáque ſuſtinere,verùm etiam miracula
edere,vt legenti eius vitæ hiſtoriam apertũ eſt.Veneremur,
& honorificemus ergo & nos Deũ ſecundum S.Nicolai no-
ſtri exemplum,vt vnà cum ipſo hîc & alibi,in ſempiternum
glorificemur.Gratia Domini nobiſcum,Amen.

IN DIE CONCEPTIONIS MARIAE, EVANGELIVM MATTH. 1.

LIber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid,
filij Abraham. Abraham autẽ genuit Iſaac.
Iſaac autem genuit Iacob. Iacob autem genuit
Iudam & fratres eius. Iudas autẽ genuit Pha-
res & Zaram de Thamar. Phares autem genuit
Herſon.

Hesron. Hesron autē genuit Aram. Aram autē genuit Aminadab. Aminadab autē genuit Naasson. Naasson autē genuit Salmon. Salmō autem genuit Booz de Rachab. Booz autem genuit Obed ex Ruth. Obed aūt genuit Iesse. Iesse autē genuit Dauid Regē. Dauid autē Rex genuit Salomonē ex ea quæ fuit Vriæ. Salomon autē genuit Roboā. Roboā autē genuit Abiā, Abia autem genuit Asa. Asa autē genuit Iosaphat. Iosaphat autē genuit Iorā. Iorā autem genuit Osia. Osia autē genuit Ioathan. Ioathan autē genuit Achaz. Achaz autē genuit Ezechiam, Ezechias aūt genuit Manasse. Manasse aūt genuit Amō. Amon autem genuit Iosiam. Iosias autem genuit Iechoniam & fratres eius, in transmigratione Babylonis. Et post transmigrationem Babylonis Iechonias genuit Salathiel. Salathiel autē genuit Zorobabel. Zorobabel aūt genuit Abiud. Abiud autē genuit Eliacim. Eliacim aūt genuit Asor. Asor autē genuit Zadoc. Zadoc autē genuit Achin. Achin autē genuit Eliud. Eliud autē genuit Eleazar. Eleazar autē genuit Matthan. Matthan autem genuit Iacob. Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.

EODEM FESTO EPISTOLA.

PROVERB. VIIII.

Dominus possedit me initio viarum suarum, antequam quicquam faceret à principio, ab æterno ordinata sum & ex antiquis, antequam terra fieret. Nōdum erant abyssi, & ego iam concepta eram. Necdum fontes aquarum eruperant, necdum mōtes graui mole cōstiterāt. Ante omnes colles ego parturiebat. Adhuc terram non fecerat & flumina, & cardines orbis terræ.

Quando præparabat cœlos aderam: quando certa lege & gyrò vallabat abyssos. Quando æthera firmabat sursum, & librabat fontes aquarum. Quando circundabat mari terminum suũ, & legem ponebat aquis, ne transirent fines suos. Quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens. Et delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore, & ludẽs in orbe terrarum, & deliciæ meæ esse cum filijs hominum. Nunc ergo filij audite me. Beati qui custodiunt vias meas. Audite disciplinam, & estote sapientes, & nolite abijcere eam. Beatus homo qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidiè, & observat ad postes ostij mei. Qui me inuenerit, inueniet vitã, & hauriet salutem à Domino.

PRIMVS SERMO.

Roma. 15.

INITIO huius sermonis libet ea repetere, quæ Dominica proximè elapsa in Epistola ex Paulo audiuimus: Deus, inquit, patientiæ & solatij det vobis idipsum sapere in alterutrũ, secundum Iesum Christum, vt vnanimes vno ore honorificetis Deum & patrem Domini nostri Iesu Christi. Ex hac diui Pauli prece facilè colligimus, permultum interesse Ecclesiæ Christi, vt vbique & semper doctrinæ verbi & cultus seruetur vnanimitas & conformitas. Ad quid enim Apostolus hoc ipsum credentibus tanta cum diligentia, éaque verborum grauitate optaret, cùm alia potuisset precari? Sed & tum iam videbat quæ impedimenta Euangelio simul & Christiano nomini. Romanorum quorum alij ex Iudæorum familia, alij ex Gentium domo ad fidem Christi conuersi erant, allatura esset dissentio. videbat, inquam, hanc rem vniuersæ Ecclesiæ maximum damnum, ingentémque calamitatem vltimis hisce temporibus importaturam esse. Optat ergo fidelibus in primis vnanimitatem, & os vnum. Optimum profectò votum, necessariũ desiderium. Id quod non solùm in præsenti festiuitate, verumetiam quotidiana experientia ostendi posset. Nemo enim nescit, quòd scandalum tam variæ disputationes, contentionésque de virginis matris conceptione quondam pepererint. Sed nec necesse fuit vllis contentionibus in hac materia laborare. Licuisset enim esse Christianos, etiam non mota hac quæstione. Sed & contra apertam in hac re veritatem nõ decuit tot machinis pugnari. Nemo enim nescit, his contentionibus Christianæ re-

næ religioni nihil commodi venire, magnâ verò calamitatem accedere ex ijs, quibus hodie nihil impugnatum manet. ita planè vt nisi tandem finis rei imponatur, extrema mala expectare, nihil boni liceat sperare. Ad pietatem vbique nos sancta Scriptura adhortatur, vti ad omnia vtilem, habẽtem huius & futuræ vitæ promissiones, sed ecce eam & quicquid eius reliquimus, ac solùm contentionibus occupamur: nec libet attendere, Sacrarum Scripturarum authoritate ad charitatem, ad pacem, ad concordiam, & quicquid cõtentionibus contrarium est adhortari. Neque enim Christus vllum Apostolis suis præter charitatis præceptum dedit: nec quicquam ea grauitate discessurus, vt hoc concordiæ mandatũ, commendauit: tum nec quicquam à patre tam ardẽtibus votis optauit, quàm credẽtes suos in dilectionem inducere, in eáque conseruare. Denique & Paulus patrẽ dicit non dissensionum, non contentionũ, sed pacis, sed vnitatis, sed concordiæ dicit Deum. Ex cõtentionibus porrò multa oriri mala, vt iurgia, liuor, ira, inuidia, odium, suspitio, blasphemia, & id genus innumera. Et Galatis dicit: Quòd si alium alius vicissim mordent & deuorant, videant ne vicissim alius ab alio consumantur. Necesse ergo haberemus, omnes ardentibus votis cum diuo Paulo precari Deũ, vt tandẽ exoratus omnibus vnanimitatem largiretur, consensum in Religionis doctrinæque Christianæ negotio pijs pectoribus inereret. Sed hæc ne quidem cogitare malignus ille cõcedit spiritus. Ferre nequit vt in doctrina simus concordes, vtilioribúsq; occupemur negotijs, illius lucrum nostra dissentio est, qua horribiliorem calamitatem nullus vnquam tyrannus impiissimus Ecclesiæ Christianæ intulit: imò sæuientibus tyrannis credentes cõiungebantur arctiùs. At vbi ipsi inter ipsos Christiani disputationum hoc est, contentionum pugnis conflictare inciperent, vt Arrij aliorúmque hæreticorum temporibus, mox Ecclesia dissidij cladem excipit. Atque hæc maxima nostri fundi calamitas. Verùm enimuerò quod ad hodiernam festiuitatem, nullæ nunc rixæ atque, vtinam reliqua alia doctrinæ Christianæ dissidia ea ratione sedata essent. Quòd si cui disceptandi adhuc libido insedit maximè in hac materia, breuiter cum diuo Paulo respondeo: Nos talem consuetudinem non habemus. Hactenus hæc mea consuetudo: hanc eiúsque generis alias festiuitates proponere, vt simplicis ingenij hominibus emendationi sint: atque ne-

1. Thimo. 4.

Ioan. 13.

Ioan. 14.

Ioan. 17.

1. Corin. 14.

Gal. 5.

1. Corin. 11.

inceps porrò antiquũ obtinebo. Et quidem in Ecclesiæ sanctæ gremio positus, credo, Beatam hanc virginem matrem Mariam sine peccato conceptam esse originali, eóque cum
Cant. 4. Ecclesia confidéter cano: Tota pulchra es amica Dei, & macula non est in te. sed enim vt lilium inter spinas, sic tu inter cæteras fœminas. Ideóque vident te filiæ Sion, & beatam te prędicant. His Ecclesia hodie in virginis matris laudem vtitur verbis: nec dubitat hanc esse ipsam, de qua Salomon hęc ipsa verba propriè dictauerit. Quanquàm enim libellus ille Canticorũ pręcipuè in vniuersum de Ecclesia, deindè etiam de qualibet fideli in specie animæ loquitur: certum tamẽ est in nullum hominem vel melius vel rectius, vel denique perfectius competere, quàm in hanc ipsam virginem matrem. Id quod omnes confitebimur, si pœnitiùs isthæc verba examinauerimus. Duo sunt autem quæ de ea prædicantur: primùm, quod tota pulchra, secundò, quod amica Dei. Certè postremum hoc aliis quoque tribuitur sanctis hominibus,
Ioan. 15. vt sint amici Dei. Sic enim Apost. suos Christus alloquitur. Porrò primum illud non ita facilè alicui competit. Neque enim parum est, totam pulchram esse. Multa enim comprehendit, Tota pulchra. Cõcludit enim in se corpus, animam omnésque potentias hominis, intellectum: voluntatem, memoriam, concupiscentiam, sensualitatem. Posteà etiam cogitationes omnes: verba, opera: vitã, conuersationẽ, initium, mediũ, & finem hominis. Postremò excludit etiã omnigena peccata, mortalia, quotidiana, imò ipsum quóque originale. Vbi verò horũ aliquid desideratur, ibi plenè & perfectè pulchra tota non est anima. Sed quis est hic? quis gloriari potest mundum se habere cor? Summo studio in hoc quõdam laborabant Gẽtes: vt Veneres, Proserpinas, Iunones, Lucretias suas aliásque exornarent, & toti mundo exempla proponerent. Sed ne quicquam sudabant. Quomodò enim hæc laus homini in infidelitate & idololatria posito conueniet? Quomodo purus, qui in anima pręcipua hominis parte, peccatis atq; impietate ĩpurus? Laudãtur quidẽ nõnulli vtriusq; sexus homines, diuinarum scripturarum eulogijs pro verá-
que in illis pulchritudine, & ornatu: vt Abel, Enoch, Noë, Abraham, Sara, Rebecca, & alij, sed inter omnes, de quo dici posset. Tota pulchra es, nemo. Sẽper aliquid in singulis ani-
3. Reg. 8. maduersum est imperfectionis. Nec mirũ, qñ ipsa sacra scri-
Psalm. 129. ptura testetur, nõ esse hominẽ qui nõ peccet. Et Dauid quo-

que de

que dicat: Si Deus iniquitates obseruaueris, quis sustinebit? Vnica est, quã hæc laus singulari diuinæ gratiæ priuilegio decet. Maria beata virgo. Huic inquã, soli post Christũ hæc laus cõpetit. Ipsa enim lilium inter spinas, ex spinis quidẽ ortũ, sed à spinis illęsũ. Nos spinetũ, nos peccati spina sumus cruẽtati: sed tu spinæ nescia, canit ecclesia. Ipsa est, in qua singulare quid Deus operari voluit. Nã reliquos oẽs è puluere suscitat peccati, vt collocet eos cũ principibus populi sui. Hãc verò præseruauit gratia sua, ne in puluerẽ incideret. Et hoc ipsum vult Ecclesia, qñ canit: Tota pulchra es amica Dei, & macula nõ est in te. Magna laus, nec quid alienũ ab eo quod primũ Angelus ad eam loquebatur: Inuenisti gratiã apud Deum. Et deindè Elizabet: Benedicta tu inter mulieres. Super isto ergo opere non disputabo, nec sciolus quæstiones mouebo, nec præceps iudicabo, sed cũ ingenti admiratione recogitabo, qualis quantúsque architectus Deus sit: atq; indubitatè credã, ipsum nõ solùm lapsos posse erigere, verùm etiã quoslibet, ne labantur, conseruare. Nunquid nõ hęc vtilitate commendabilis exercitatio est, si quis secum reputet, qua potẽtia, qua sapientia, qua arte actus suos ordinet Deus, cuius certè excellẽs hodie ꝓpositũ habemus exẽplũ? Egregiũ Deus quondã opus cõfecerat, pulcherrimũ vasculũ exornauerat, cuius vsum honorificũ, imò in qđ thesaurũ suũ reponere prædestinauerat: hoc est, hominẽ creauerat, cui imaginẽ suã impresserat, ac poste à eidẽ similitudinẽ sui donare, id est, gratiã & spiritũ sanctũ suum infundere, pérq; seipsum in eo habitare volebat. Sed malus ille spiritus ita hoc opus perturbauerat, in puluerẽ lutúmq; pessundauerat, vt ipse homo fateri cogeretur ac diceret: Factus sum vas perditũ. Veruntamẽ Deus opus suũ hoc reformauit, atq; secundã manũ apponẽs ad integrũ instauranit, hominẽ per Christũ redemit, omnibúsq; nuper amissis honoribus donauit. Potuisset vtíq; opus suum ab ea perditione cõseruare, Satanæq; malis artibus resistere: sed voluit pius Creator se & nouas rerũ formas creare, & collapsas deperditásq; rursus instaurare posse ostẽdere, nec posse nequã illũ cauillatorẽ tantũ cunctis suis artibus deformare, quãtũ diuina manus reformare potis sit.

Luc.1. *Gen.1.* *Gen.3.* *Psal.30.*

Vt tamẽ veteratori illi suísq; cõplicib⁹ innotesceret posse Deum plasma suũ à lapsu perditionéq; integrũ conseruare pro sua volũtate: nouũ quid hodie Deus fecit, eóq; illud subuexit, tantáq; industria cõmuniuit: vt nẽ quidem attingere

ausus sit maligous spiritus, ne dicam perdere & pessundare posit. Illud ergo Maria virgo est, quã Deus statim ab initio eius conceptionis ita suis gratiis circunuallauit, vt ne quidẽ appropinquare ille cauillator lethali sua potione ausus sit. Hoc opus quod hac nobis festiuitate proponitur, & profectò grande opus, in quo architectus Deus maiestatẽ suã, potentiam sapientiámq; magnificè exhibet & ostendit. Vides igitur qua ratione hoc festũ nos ad Deum inq; Deũ respicere docet. Prætereà in nos ipsos quóque respicere docet, principia nostra cõsideremus, cõmunia mala examinemus, quibus grauati fuimus: hoc est, in originale peccatũ oculos cõuertamus, per quod in irã Dei dãnationémq; dati eramus priusquã nati. Quæ tota meditatio omnẽ in nobis superbiã, omnẽ arrogantia suffocare posset. Secundũ originale peccatum omnes sacrarũ scripturarũ dictis genimina viperarum appellamur. Quod enim ex parẽtibus cõtraximus primęuum venenũ, porrò in nostrã sobolẽ diffundimus. Peccatũ illud à nostris nobis parẽtibus hæreditariũ est, illud ipsum quoque nostris hæreditarium relinquimus. Et quid efferimur? quid superbimus? Non nobis Dñe, non nobis, sed nomini tuo da gloriã. Tu enim solus nos, nostráq; sobolẽ à pestifero hoc veneno liberas. Vide ergo nũ & hęc pulchra vtilisq; foret meditatio. Ad hęc vnũ adhuc discere ex hodierno festo licebit, nullũ tam enorme peccatũ esse, quod tolli nõ possit diuina gratia. Quod enim malũ in nostra natura altiores radices egit, quã peccatũ originis, quod per omnes homines omnia membra discurrit, ac nocuit? Deus tamen potest, non solũ ab illo nos (quemadmodũ in baptismo fecit) liberare, verumetiam homines ab illo malo conseruare, id quod in beata virgine ostẽdit. Quòd si id potuit in originali, quod quodã naturali modo nobis insitum est: quãtò magis in aliis peccatis? Vide ergo nũ præsens festiuitas & hac parte cõsolationẽ nostris pectoribus adferat. Malis pœna perpetua est, mordens cõsciẽtias eorũ, pro perpetrato malo. Pius verò crux est, semper in acie stare, ne qua parte irrepat hostis, & nos ad peccatum pertrahat. Sed quid loquitur hęc festiuitas? Ne desperes homo. Deus est, qui lapsum te eriget, qui etiã ne labaris conseruat: exemplũ cape ex me. Nõ parua cõsolatio est homini hæc cogitãti. Vides ergo hac festiua die plurimã nobis dari occasionẽ benè cogitãdi, rectè loquẽdi, piéq; faciẽdi? Primũ Quæ melior meditatio, quã in hoc lucidissimo Mariæ spe-

culo,

culo,quã Deus ab omni macula,ab omnibus cicatricibus pu
ram ſeruauit,noſtrã deformitatẽ cõſpicere & deflere? Nun-
quid bonũ cũ Dauide dicere:O Dñe crea in me cor mundũ, *Pſal.50.*
ſpiritúmq; rectũ innoua in viſceribus meis?Nũquid neceſſa
riũ in hoc feſto omnibus viribus incũbere, vt ipſi à peccatis
liberi maneamus?Haud dubiè in hos vſus præſens feſtiuitas
inſtituta eſt.Nõ ſufficit frater,ſi credas Mariam præter ori-
ginale peccatũ cõceptã,& canas,Tota pulchra es amica Dei
ſi porrò in peccatis perſeueraueris. Nõ eſt hæc ſpecioſa laus
in ore peccatoris.Si eſſe ſine peccato magnũ excellẽtius gra *Eccle.15.*
tiæ donũ arbitramur,vti profectò eſt,certè laborandum eſt,
ſine peccatis,quantũ eius fieri poteſt, inueniamur. Nullum
enim aliãs cõmodum erit. Mariam ſine originali cõceptam
eſſe peccato,ſi nihilominùs nos & in conceptione, & omni
vita peccatis ſordidi perſeuerauimus.Sine dubio fratres,no
ſtra quóq; hîc res agitur. Et nos Deus mundos cupit. Ideõ
eñ Chriſtꝰ ſanguiné propriũ fudit,vt Eccleſiã ſuã, hoc eſt, *Epheſ.5.*
fideles ſuos lauaret & mũdaret:vt ipſe ſibi exhiberet glorio-
ſam ſponſam,nõ habentẽ maculã aut rugã. Tum enã certũ *Apoc.21.*
eſt,inmundũ nihil in regnũ Dei procedere. Certũ q; in ſuã
nos Chriſtus receperit amicitiam, atq; in omnibus verũ fi- *Deut.36.*
dúmq; amicũ exhibuerit.Nam vt verbis Moſi vtar,fecit nos
creans,& quaſi peculium ſuſce pit nos. Secundũ corpus, ex *Gen.8.*
terræ luto fecit nos:ſecũdum animã ex nihilo creauit nos:
vtrúnq; & animã & corpus in ſuũ ſuſcepit peculiũ. Inſuper
in deſerto,in peccatis & tenebris inuenit nos,ſed eduxit nos
docuit,& ſicut pupillã oculi ſui cuſtodiuit nos.Poſtremò in
terrã opimã introduxit nos in ſanctã Chriſtianã eccleſiã,vt
comederemus fructus terræ, & mel ſugeremus de firmiſsi-
ma petra,qui eſt Chriſtus.Hęc nobis Chriſtus exhibuit, in
his ſe fidũ amicũ præſtitit. Et cur tanta amico nõ reſponde-
mus amicitia?O quanta deuotione,qua humilitate,qua obe
dientia beata illa virgo ſeſe Deo obtulit, vbi primũ hac diui-
ni fauoris gratiã ſenſit?Magnificat,inqt, anima mea Domi-
num,& exultauit ſpiritus,&c. Huius ergo ſequamur exẽplũ *Luc.1.*
gratiã & fauorẽ Dei magni æſtimemus. Non enim talis eſt,
quales in mundo videmus,amicus,qui ſimul cũ fortuna mu
tãtur in horã: ille ſemper ſui ſimilis eſt, nũquã ſuos deſerit,
deſerti ſint licèt ab omnibus creaturis.Præterea quod à no-
bis exigit grãde nõ eſt,ſed charitatẽ,gratitudinẽ,fidẽ poſtu
lat.Pluſa & multò maiora tibi facienda reſtãt vt hoſtis amici

tiam conſerues, quid grauaris minimo ſi potes Dei fauorē in te fouere? Sequamur igitur beatæ virginis exemplū: anni tamur placere illi, cui illa placuit: quęramus ibi gratiam, vbi illa inuenit gratiam: ſtudeamus illi innocentiæ & pulchritudini, quam in illa laudamus & admiramur. Quod ſi fecerimus, haud fruſtrà hodiernum nobis feſtum celebratū eſt. Gratia Domini ſit cum omnibus nobis, Amen.

SECVNDVS SERMO DE IPSO FESTO.

DIcturus de hodierno feſto, vnū mihi timendū eſt, nēpe q̄ nōnulli ſuperuacaneū arbitraturi ſunt, multa diúq; de ea re loqui, præſertim cū eo mūdus ipſus deuenerit, nullos ferè feſtos dies obſeruet: imò non obſcurè intonet poſſe multos feſtos dies prętermitti. Sed & iniquum reputet, cum eiuſcemodi rebus nos occupari, quibus nihil vel decedit religioni noſtræ, vel etiam accedit: & maximè cùm ſint, quæ populo poſſunt proponi multa, quorum fundamentum in ſcripturis eſt, quęque ad ſalutem neceſſaria. Non eo inficias, non vſq; adeò diſplicere quod dicitur, ſi nō ſub herba lateret anguis, contemptus ordinationum Eccleſię. At verò negari poteſt minimè mundū hūc in iis quæ diuina cōcernūt, tam negligētē, tā pigrū eſſe, vt multis etiā nec audire libeat quæ nō neſcirēt neceſſariò: & q̄d in nō perindè neceſſarijs? Multa quidē ſunt in Eccleſia inſtituta, quę nō aliquis reprehendere, multis vſibus iſq; piis inſeruire poſſent. Sed vt dixi, mūdus ea porrò cōtēnit. Eſſet igitur operę pretiū, imò nec quicquā melius, poſtpoſitis alijs omnib⁹, id vnū vrgeremus quod omnes ſcire neceſſariū eſt, ne qua in re ſtultus mundus Eccleſiæ traditiones ita traduceret. Nihilominùs tamen, nō poſſum (vtut cōtra ſeſe opponat mundus) quin vno verbo ſummā huius feſti recēſeam. Et quidē hoc ipſum verbū q̄d hodie inter cætera cecinimus: Auctor mortis diabolus, genus ab exordio vitiauit humanū. Sed aurū fulgēs reperitur in luto. Et ex pungēte ſpina pulchrè rubens oritur roſa. Ex radice vitiata ſine vitio prodijt virga Ieſſe Maria. Eo modo hodiernū feſtū meditatur Eccleſia, & ipſa quidē ſumma eſt. Duo his verbis audis. Primò quid Satā per peccatū in homine perfecerit, imò perdiderit. Secūdò, quid Deus per gratiā in hoīe inſtauauerit & renouauerit. Vtrobíq; magna ſunt quæ cogitāda ſunt. Magna perditio hoīm, ingēs Saluatoris gratia, id quod Apoſtolus pulchrè & diſertè enarrat. Sicut

vnius

vnius delicto multi mortui sunt: ita gratia Dei & donum, & gratia vnius hoīs Iesu Christi in plures abundauit. Vtriúsq; & delicti & gratię hodiernus dies nos cõmonefacit, ac iustè quidẽ cõiungũtur: neutrũ enim sine altero posset verè intelligi. Nunquã enim magnitudinẽ diuinę gratiæ dimetiri poteris, nisi priùs enormitatẽ delicti perditionísq; in qua positi eramus, diligẽti indagine perscrutat⁹ fueris. Ingratus hîc cæcúsq; mundus audit Dei prædicari gratiã & per Christũ annunciari, sed nec cõmouetur, nec in minimo emendatur, eò q̃ cogitat profunditatẽ perditionis, cui subiecti eramus. Vis scias quæ nostra perditio? discas ab Ecclesia. Auctor, inquit illa, mortis diabolus, genus ab exordio vitiauit humanũ. Hei mihiũ verè hæc. Experti quondã oẽs, experimur hodie. Deplorarũt ea semper pij quíq;, vt in Dauide videre est: imò deperire oẽs homines primũ fuit, nisi diuina per Christum gratia subueniisset. Quæris quis fuerit tanti facinoris autor? Quis vel potuit alius præter dęmonẽ. Huic cõuenientissimũ nomen, Mortis autor. Deus enim mortẽ nõ fecit, sed inuidia diaboli intrauit in vniuersum genus humanũ. Coërcet quidẽ ac punit Deus homines morte & damnatione, sed non eius autor est. Quomodò autẽ hæc diabolus potuit? Per peccatũ. Mors, inquit Paulus, stipendiũ peccati. Nunquàm morte potuisset nostra corpora perimere, si nõ prius anima peccato interẽpta fuisset. Cogere hominẽ ad peccãdũ nõ valuit, mẽdacio allicere potuit. Et cõsequẽter prima & radicalis mortis causa propria hoīs volũtas, corrupta volũtas Satanæ. Ideò verè hoī dicit Deus: pditio tua ex te, salus autẽ tua ego sum. De diabolo verò idẽ dicit, Ille homicida fuit ab initio. Quid ergo peregit? Vitiauit genus humanum. Bene ac propriè dictũ. Neq; enim hęc res vllis cõmodioribus verbis posset effari melius. Vitiauit genus humanum, perdidit, infecit, dedecorauit, sauciauit, imò peccatis omnigenísque deformitatibus impleuit: nec solũ primũ hominẽ, nõ aliquos tantùm, sed totum genus in vniuersum, non aliqua ex parte sensibus, concupiscentijs, potentijs, corpore & anima. Et quando hæc fecit? ab exordio nõ modò tẽporis, verumetiã radicis. Incepit nõ ab ramis, sed à radice ipsa: eámq; ita vitiauit, vt nisi singulari gratię priuilegio, nihil ex ea nasci queat sanũ: imò quicquid vnquã ex ea ꝓdiit, id totũ peccato subiectum fuit, pręter vnũ Christũ, in quo nihil habuit diabolus, & (quẽadmodũ hodiè piè credimus.) Mariã virginẽ beatã. *Rom.5.* *Psal.50.* *Sapien.1.* *Rom.16.* *Osee.8.* *Ioan.14.*

Quòd verò vitium, quod dānum, quo Satan humanū genus sauciauit: vitiauit, atque eo modo radicitus deperdidit? Ipsum originale peccatum, id quod paucis quidem effertur verbis, nemo tamē vnquā tanti peccati dānum satis expressit, multi licèt multa de eo conscripserint. Et quidem hoc ipsum experientia docti fatemur omnes. In baptismo quidem extirpatur quantū ad culpam, sed tamen & post baptisma tot pessimorū fructuū in nobis relinquit semina: vt per omnē eriī vitā eradicādis ijs defatigemus. Quæris qd hoc? Est internè mens impia, externè procliuitas in omne malū. Hoc remanet in nobis ex originali peccato, qđ aliud nihil est, nisi veræ originalisque iustitiæ carētia, quæ iustitia propriè in gratia ac similitudine Dei consistit. Vbi ergo ipsa originalis iustitia nō est, ibi carentia omnis boni est, ibi neque fides, neq; spes, neq; charitas, neq; agnitio Dei est. Atq; hinc est, ꝙ adeò nihil in diuinis rebꝰ intelligimꝰ, nec ea curamꝰ. Deo nō credimus, nō illi fidē habemꝰ, nec amamus, fugimꝰ, odimꝰ, mādatis eius reluctamur, nec vnquā nos illiꝰ legibus verè submittimꝰ. Hos ergo similésq; fructꝰ pessimos post se in anima originale relinquit peccatū. In corpore itē externísque sensibus, haud illis absimiles: vt ꝙ ad omnia peccata proni, ꝙ nunquā sine peccato viuimus. Et quāquam per baptismā: vt dixi, nobis auferatur culpa, ita vt non reputetur hæc procliuitas ad peccatum, sī nō sequimur, ac cōsentimus illi, & hoc Christi meritò (nā quēadmodū per vnū hominē multi sunt cōstituti peccatores, ita & ꝑ vnū hominē multi iustificantur,) nihilominus tamen post baptisma hoc semē nequā in nobis manet, séque idētidem patefacit, etiā in sanctis, in alio atq; alio minus. Hinc ergò est, ꝙ precamur. Pater, dimitte nobis debita nostra. Ac cū Dauid dicimus Ecce in iniquitatibus cōceptus sum, & in peccatis cōcepit me mater mea. Et iterū. Anima mea replera est malis, & vita mea appropinquat inferno. Et, Tota die, siue quotidiè ignominia mea cōtra me est: quoniā humiliata est anima mea vsq; ad pulueré. Hūc ergo pertinet, quod Paulus ait. Natura oēs filij iræ fuimus. Et, Omnes peccauerūt, & egent gloria Dei. Et quod Hieremias ait, Vę nobis quia peccauimus. Vide ergo, hoc modo per peccatum author mortis diabolus humanum genus vitiauit ac deperdidit. Nunquid autē misera perditio, internè spoliatū esse omni bono, externè procliuum esse ad omne malum, ipsámq; adeò mali omnis radicē intra

Rom. 5.
Matth. 6.
Psal. 50.
Psal. 87.
Psal. 43.
Ephes. 2.
Rom. 3.
Thre. 5.

se cir-

se circunferre? Nũquid talis homo æternæ maledictionis dignus, niũ culpa per Christum cõdonaretur? Quid ex seipso homo posset, qui natura peccator est? Quî posset amara atq; vitiata hæc radix bonos fructus proferre? Quomodò, inquit Christus, potestis bona loqui, quũ sitis mali? Et iterum. Nunquid de spinis colligunt vuas? Quisquis ergo originalis peccati calamitatem hoc modo penes se cogitauerit citiùs ad propriæ infirmitatis agnitionem perueniet, eóque celeriùs desiderium sortietur diuinæ gratiæ. Quin ex huius peccati consideratione quilibet videre potest meliùs, cur in Ecclesia credatur ac seruetur, Mariam peccato originali non esse subiectã. Audiuimus enim iamiam, q̃ istud peccatum hominem non tantùm gratia Dei spoliat, atq; in irã Dei præcipitem dat, in maledictionem damnationémq; deijcit: verumetiam, quòd totam naturã nostrã inficiat, ita planè: vt qui semel huic peccato subiectus fuerit, semper in se inueniat procliuitatẽ ad malum, nec diam, id est, tædium ad bonũ: vt nunquã verè sese diuinis legibus subijciat, nũquã etiam sine peccato viuat. Sed quis hoc de beata illa virgine speraret? Imò quis tanta audacia: vt non vereatur templum Dei, primum atque adeò vnicũ Christi hospitium isto luto aspergere? Satiùs tolerabiliúsque multò foret, dicere Mariam alijs peccatis maculatã esse, quã originali vitio deformatam asserere. Horribilius enim & graui⁹ est originale peccatũ, quã vllum aliud, imò causa & radix omniũ alierũ peccatorũ est. Quisquis igitur iam pertinaciter asserit fuisse peccatũ originis in Maria, idẽ fateatur necesse est, ipsam virginẽ nũquã dein ceps sine peccato, aut certè mala cõcupiscẽtia & ad peccata procliuitate fuisse. Sed vbi iã, quod ad eã defert Angel⁹. Bñdicta tu inter mulieres? Vbi illud sapientis dictum. In malenolam animã non intrabit spiritus sapientiæ, nec habitabit in corpore subdito peccatis? Vbi etiã, quod Paulus ait. Lux & tenebræ, iustitia & iniustitia. Christus & Belial nõ inuicẽ cõueniũt. His aliísque causis, seruat ac credit Ecclesia, Mariam non fuisse peccato originali subiectã, sed gratia præseruatã, ne in illud incideret: vt decebat rẽplum Dei in quo ipse Christus requiescere volebat, & quẽ sibi in matrem elegerat. Obseruat, inquã, ac credit Ecclesia, q̃ Christus secundũ humanitatẽ inhonoratiùs principiũ non habuerit, ipso Adamo, qui de virgine principiũ non habuerit, ipso Adamo, qui de virgine terra, priusquam in eam deuenisset maledictio, creatus

Matth. 12.
Matth. 7.
Luc. 1.
Sap. 1.
2. Cor. 6.

erat,& quòd Maria inhonorationem originem non habuerit ipſa Eua,quæ ſine delicto de viro ſumpta atq; creata fuit. Ac propterea hodie canimus. Ex radice virtiata ſine vitio prodijt virgo Ieſſe Maria. Hûc iam cõfer duo illa exempla auri & roſę. Quid terra immundius? lutoſius? Fulgẽs ſplendẽsq; tamen in ea reperietur aurum. Quid inconuenientius, & quod magis lædit, quam ſpinetum? Roſas tamẽ profert non tantum non pungentes: verũetiam omnes forma gratóque odore delectantes. Quòd ſi hoc natura valet, quomodò ergo naturæ author non poterit, homo vt ex peccatoribus,& tamen ſine peccatis naſcatur perficere? Quòd ſi hoc Deus poteſt: vti nemo dubitare poteſt: certè in aliquibus hoc oſtẽdit hominibus. At quis hominum dignior, cui hoc præſtaret Deus, præter Mariam? Hæc igitur totius huius feſti ſumma eſt, quòd non tantum honoribus diuæ virginis matris: verũetiam ac multò magis gloriæ maieſtatíque Dei, & Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruit, tum etiam cõſolationem adfert omnibus pijs, in hoc opere Dei Opti. Maxi. gratiam videntibus & admirantibus. Det Deus ſua gratia hæc ſedula mente cogitemus, Amen.

TERTIVS SERMO
de peccato originali.

QVamquã hodierno feſtũ à quibuſdã traducitur, nobis tñ ob id erit cõmẽdabilius, q̃ in eo. Opti. Max. Dei gratia tanta cũ dignitate, tã perſpicuè nobis exhibetur, quũ nos peccati originalis commonefacit, in quo vniuerſum genus humanum ſubmerſum ſuffocatúmque, per Chriſtũ ſola gratia ſeruatũ eſt. Huius, inquam, hodie in primo limine admonemur. Optima cõpendioſiſſimáque via Dei beneficia cogitandi. Nemo enim quid gratia Dei ſit diſcet, qui nõ antè naturam proprietatémque peccati nouerit. Nemo rectè agnouerit, quãtum cõmodi Chriſtus attulerit, & quã in ipſo redẽptionẽ habeamus, niſi prius ac iuxtà quã calamitatẽ Adam intulerit, & quæ dãnatio, cui obnoxij, cogitauerit. Quemadmodùm in corpore nemo verè bonũ ſanitatis agnoſcit, qui nullas vnquàm imbecillitates ſuſtinuit. Indè eſt, quòd Paul, primus præcipuúque gratiæ declamator, non arbitrabatur ſe poſſe diuinæ miſerationis maieſtatem pro dignitate annuntiare ac palã facere, niſi prius peccati damno inſinuato.

Rom. 1. et 2. Id quod præcipuè in ea, quã ad Romanos ſcripſit, Epiſto. fa-

cit, in qua principio Iudæis pariter atque Gentibus sua ipsorum peccata ostendit & ob oculos ponit, non alia ratione, quàm vt oblatam gratiam rectiùs agnoscerent. Maximè verò hoc agit quinto capite, facta collatione Adam & Christi primùm enumerans inobedientiæ peccatũ in primo Adã, eiúsque demeritam ac iustam damnationem, ac statim deinde subnectens de obedientia, gratia, donis, iustitia & redemptione Christi. Hæc, inquam, sibi inuicem pugnantia confert gratiam verò per Christum datam magnificentiùs commendat, affirmans multis parasangis excedere, quod Christus restituit, quàm quòd Adam deperdidit. Verum enimuerò non parum horribile formidabiléue barathrum, in quod primus Adam versutia malitiáque diabolica præcipitatus est, nec mediocris perditio, quæ inde sequuta est, & in omnes homines pertransijt. Certè Paulus eam describens, multis verbis vtitur, peccatum vocat, transgressionem, maledictionem, ipsámque mortem. Vnde facilè colligi potest, redemptionem per Christum non parui esse momenti. Atque ideò idem Apostolus non paucioribus verbis in hac describenda vtitur quàm in illa, donum vocat, gratiam, redemptionem, iustitiam, & vitam æternam. Insuper vbicúnque Christi eiúsque donorum mentionem facit, semper addit: vtitúrque hoc verbo, Multò magis. Dei gratiam in Christo multò maiorem esse, seséque latiùs diffundere, quàm peccatum, insinuans. Huius ergo hodiernum festum nobis & exẽplum & indicium præbet, nempè, quòd Christus etiam priúsquã nasceretur in mundum, in sua matre voluit ostendere, Dei gratiam multò prævalere peccato. Christus, inquã, in sua matre ostendere voluit, quòd non solùm instaurare ac in integrum restituere collapsum diabolíque malitia deperditum: verumetiam maiora & excellentiora donare & elargiri posset. Proindè & nos non immeritò canimus. *Mariam sui genitricem sublimiori sanctificationis genere redemit.* At verò certum est, Christum ab origine nobis suam exhibuisse gratiã, quòd post lapsum erexerit nos. Si ergo matrem suam virginem sanctam excellentiori & sublimiori sanctificationis modo redemit, sequitur, quòd ita gratijs suis eam præuenerit: at in nullum originis peccatum inciderit. Quale verò hoc sit donum, quæ gratia, nemo rectè perspiciet, nisi prius cogitauerit, quàm sit originale peccatum lethale venenum. Sed nec hoc quisquam Rom. 5.

verè agnoſcet, qui non antè, quæ fuerit originalis iuſtitia agnouerit. Quapropter pio cuilibet multa cogitandi ex hoc feſto materia venit, quomodò ſit homo creatus, in quã cladem & perditionem per peccatum lapſus ſit, quomodò per Chriſtum liberatus ſit, quale priuilegium gratiæ ſuæ virgini matri donauerit, quomodò illa ſeſe in illo exercuerit, & quid ex his omnibus colligendum diſcendúmue ſit. Quæ certè omnia eiuſmodi ſunt: vt digne conſiderentur meritò, partim verò eius generis: vt de ijs noſtra ætate non minimè oriantur diſputationes intra doctos, maximè de originis peccato, de quo tamen antiqui illi Doctores, ante Auguſtini tempora nunquàm ſatis expreſsè ſcripſerunt.

Sancti illi Eccleſiæ proceres ſimpliciter docebant, quòd omnes in peccatis naſcamur, quę mala ex illo peccato nobis orta ſint, & quòd in baptiſmo per Chriſtũ ab illo ipſo peccato manumittamur. His contenti erant. Vbi autem Pelagius & Cœleſtius ſua doctrina percrebuiſſent, nimiúmque humanis viribus tribuiſſent, contra gratiam Dei eleuarent, ipsúmque originale peccatum in totum abnegarent, grauiſſimis de cauſis Auguſtinus & alij, ipſum originale peccatum aliquantò latiùs & profundiùs declarabant. Poſt hos verò talibus conflictabatur contentionibus: vt docti ne hodie quidem in definitione illius peccati conſentiant. Quidam inobedientiam primi hominis originale peccatum dicunt, & hanc omnibus nobis imputari. Alij malam concupiſcentiam, quam in nobis deprehendimus originale peccatum dicunt. Alij, quod natura non tantùm non timemus vel amamus Deum: verumetiam fugimus, odimus, deſpicimus, nec ipſi fidimus, originale peccatum dicũt, quæ tamen magis fructus & effecta illius peccati ſunt, quàm ipſum peccatũ. Propriè tamen originale peccatũ nihil aliud eſt, quàm quòd omnes originali iuſtitia vacui & ſpoliati naſcimur, contra eam naturam nobiſcum in mundum inferentes, quę in corpore & anima, mala concupiſcentia infecta atque deperdita eſt. Id verò vt intelligatur recti⁹, animaduerte, quòd Deus non ſolùm ad imaginẽ ſuam, hoc eſt, rationalẽ creauit hominem: verumetiam pro ſingulari dono ipſi, ne quid inordinatum ſibi ineſſet, omnia verò ordine ſuo fungãtur munere, indidit. Superiores cũ illæ potentiæ obediebant Deo, inferiores porrò: vt eſt ſenſualitas hominis, rationi. Nulla hîc omninò colluctatio. Qui enim hominis imperio omnia

Originale peccatum quid.

cæte-

cætera animantia subiecerat Deus, idem & sensualitatẽ verę rationi obedire dederat sine vllo cõflictu & pugna carnis & spiritus, quam nos hodie experimur, & Paulus in multis locis indicat. Hoc donũ siue mũdum Adamo Deus donauerat pro se suáq; posteritate omni, vt ab ipso in omnes homines velut hæreditariũ quid (ni cecidisset Adã) ista rectitudo & innocentia transcenderet, quam etiã omnes nobiscũ in hũc mundum intulissemus. Atque hac de causa originalis seu hæreditaria dicitur innocentia & iustitia, quòd primò homini data, nostra esset quodammodò hæreditas. Nec sola ista hæc iustitia fuit in homine: omnes virtutes, omnia Dei dona secum habuit, vt sunt, agnitio & amor Dei, fides, spes. Tum, temperantia, iustitia, veritas, quibus in omne bonum promptus faciliſq; fuit homo. Neque verò in hac originali iustitia confirmatus homo erat, quomodò nunc sunt Angeli, qui labi nesciunt: sed eò vsque hæc rectitudo & obedientia sensualitatis erga rationem, eò etiam vlq; hæc cõcordia inter carnem & spiritũ perduratura erat, quò vsque homo Deo obedientiã præstare perseueraret. Et huc pertinet quod Sapiens ait: Deus ab initio cõstituit hominem, & reliquit eũ in manu consilij sui, hanc rectitudinem aut nolle aut velle seruare, in hominis erat arbitrio. Si voluisset Deo obediens persistere, & ipse sensualitatis suæ erga rationẽ obedientiam experiretur, vt nulla lucta inter carnẽ & spititũ sentiretur. Apposuit illi, inquit Syrach, malum & bonũ, vitã & mortem, ignem & aquam: quod placuerit ei, dabitur illi. Vide ergo quid porrò cõtigerit, & quomodò Adã noster sua sit vsus libertate. Homo, inquit Dauid, cùm in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Nam suggerente diabolo, inobediens factus est in Deum; idcirco etiam sensualitatis suæ erga dominam rationem, amisit obedientiam, ac mox repugnantiam in se carnis contra spiritum sensit, originalem iustitiam miserè perdidit. Sic ergo inobedientia alia aliam trahit: sic homo mundum suum amisit: sic diabolus eum innocentiæ habitu spoliauit, omnibus donis & gratijs diuinis, virtutibúsque priuauit, corpore & anima vulnerauit: vt semimortuus homo animæ vita perdita, ad momentum relicturus vitam tantùm seruaret corporis. Tum etiam in toto homine nihil præter miserandam inordinationem erat: mox enim in corpore mali dominabãtur affectus. Ratio ipsa ignorantiæ obscurabatur

Roma.7. Gal.5.

Eccle.15.

Psal.48.

nebu

nebula,quæ Dei diuinarúmque rerum agnitionem obfuſcabat:in voluntate inordinata oriebatur ad malum procliuitas,tædium in omne bonum creſcebat, Nihil ergo homo iam erat niſi amiſſo clauo nauis,quæ ventorum vi nunc huc nunc agitur illuc. Haud ſecus,atque indomitus equus,qui, deiecto ſeſſore,excuſſo fræno,quoquouerſus rapitur,ſéque ipſum vel fouea vel per abrupta petrarum præcipitãs. Hinc
Roma.7. eſt quod Paulus dicit,Condelector legi Dei ſecũdũ interiorem hominem:video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ,& captiuantem me in lege peccati. Hinc etiã eſt,quod ratio quæ debebat domina eſſe, ſæpè carni & ſenſualitati ancilletur:contrà caro & ſenſualitas meritò ſerua dominetur,& regno in nobis potiatur. Atque ideò idem Apoſtolus ait:Non quod video bonũ hoc facio,ſed quod nolo malum hoc ago. Hinc igitur fructus illi infecti naſcũtur,quòd (niſi Dei gratia renouati) nec timemus,nec amamus Deum:ſed fugimus,odimus,obmurmuramus illi,veloces in malum,pigri in bonum. Duas ergo hîc partes audiuimus:quid Adam in creatione ſua à Deo accepe rit,quid per peccatum amiſerit. Originalem iuſtitiam acceperat,hanc ipſam diabolus ab homine abſtulit:imò homo ipſe,imprudentia & incuria ſua amiſit,& perdidit. Quod ergo propria voluntate perdidit,ipſo carere deinde oportuit: imò quod amittendo non habuit,hoc poſteritati ſuæ hæreditarium poſt ſe relinquere non potuit. Vnde omnes in pec-
Pſal.50. caris ac ira Dei naſcimur,ſpoliati carentes originali iuſtitia:
Epheſ.2. & huic contraria,omnia illa mala de quibus ſuprà diximus, nobiſcum circunferimus. Et quidem hoc originale peccatũ eſt. Ideò originale dictum,quòd à parentibus ab origine hucuſque in nos hæreditarium ſuſcipimus & trahimus:peccatum verò,quod nobis etiã imputetur,quum Adam illud non pro ſeipſo tantùm,ſed etiam pro poſteritate ſua ſuſcepit. Porrò in hac originalis iuſtitiæ carentia naſcimur omnes,atque ideò omnes iræ filij. Deus enim ſua dona cum fœnore & augmento eorum exigit. Quando ergo in nobis dum naſcimur,non inuenit,quod antè Adamo donauit pro omnibus:imò contrarium illi offendit,nempe, deſtructam ſuam imaginem eſſe,Satanæ peccatoris damnatíque Adam imaginem erectam:certè in tali creatura beneplacitum habere nõ poteſt. Ac propterea natura filij iræ dicimur. Et quidem in hac ira in perpetuum permanſiſſemus,ni ſecundus

Adam

Adam ſuppetiatum veniſſet. Ille enim noſtri miſertus, pro nobis ſatisfecit: ſua gratia, noſtra peccata ſuſtulit: ſuis donis noſtram indigẽtiam recõpenſauit, ſua iuſtitia ignominiam noſtram cõtegit: ſua redemptione noſtram maledictionem abſtulit: ſua vita mortem noſtram fugauit. Et denique ſuo ſpiritu deperditam noſtram naturam ſauciámque ſanauit, extulit, ſicq; imaginem Dei rurſus in nobis erexit, vt Deus ſuos nos agnoſceret porrò filios. Illius ergo magnæ miſerationis hodierna die admonemur, quum eiuſmodi exemplum nobis proponit, in quo luce meridiana clariùs videmus, multò magis prævalere ad noſtram ſalutẽ Chriſti gratiam, quàm diaboli malitiam ad noſtram perditionem. Malignus ille ſpiritus proſternere hominem potuit, at Chriſtus eundem non tantùm erigere, verumetiam cõfirmare, ne caderet, prævalait. Quod ſi eo modo quem præſeruat, ne labatur in peccati lutum, ea profecto multò excellentior gratia eſt, quàm ſi quem lapſum iam erigat. At potuiſſe Chriſtum vtrúnque, dubitat nemo. Quod ſi potuit, haud dubiè vtrũque etiam ipſo opere oſtendit & exhibuit. Et quidem primùm in nobis omnibus oſtẽdit, quos poſt lapſum erexit: quin ergo æquum fuit, dignũ ſuis honoribus factũ: alterum quoque vel in pauciſſimis oſtenderet, eósque eo modo præſeruaret, quò gratiæ ſuæ maieſtas eò melius appareret. At certum eſt, beatã Virginem illius gratię fuiſſe digniſsimam, atque ideò non dubitamus, hanc Deus ſingulari ſanctificationis modo præcæteris dignatus ſit. Id quod maximè facit ad honores Dei, eiúsque gratiam prædicandam. Et hæc quidem tertia pars huius feſti, nempe quòd Chriſtus ſuæ matri, etiam in conceptione illius, gratiæ priuilegium contulerit. Reliquum eſt, vt etiam reliquas duas partes audiamus: nempe quomodò Maria ea gratia vſa ſit, & quid inde diſcere nobis Luc. 1. neceſſe ſit. Nec hìc verbis neceſſe eſt multis agamus, quum in vnica illa cantione ſatis perſpicuum ſit, eo modo ipſam gratia diuina vſam fuiſſe, vt deinceps etiam maiori gratiarum priuilegio dignata ſit. Ex quo etiam hoc optimum eſt diſcere, primùm noſtram miſeriam cogitare, cui ſubiecti eramus. Id quod plurimũ facit ad humiliationem noſmetipſorum. Secundò, vt cogitemus miſerationes Dei per Chriſtum, qui nos ex damnatione illa eripuit. Id quod nos ad gratitudinem incitabit. Tertiò, vt ſingularis gratiæ priuilegium meditemur: Id quod nos ad laudes Dei præpa-

rabit;

rabit: tum etiam spem dabit, quòd etiam nobiscum Deus suam misericordiam facturus sit, vltra quam vel sperare, vel petere audeamus. Idcò enim in quibusdam gratiam suam magnificat, vt alij eò audacius ab ipso petant. Accedamus ergo, vt Paulus monet, ad gratiæ thronum, vt inueniamus gratiam in tempore opportuno, Amen. Hebr. 4.

QVARTVS SERMO, CVR maneat Sanctorum memoria in piorum Ecclesia.

PRincipio huius sermonis, vt quilibet pius hoc aliáque similia festa eò melius defendere possit, iísque facilius respondere, qui nullas Sanctorum in Ecclesia memorias sustinere volunt, nescio hac vice, quod firmius ponam fundamẽtum, quàm historiam, in qua sacra Scriptura ita propriè enumerat, quos Dauid in suo quondam regno viros fortes belíque peritos habuit, quémque proprio nomine quæque vniuscuiusque egregia facinora describens. Quam si quis examinauerit, is certè non arguet Ecclesiam, quòd Sanctorum ac præcipuè Virginis matris memorias toties & tam honorificè repetit: tum verò & alijs commodiùs respondebit hac de re secum quæstionem mouentibus. In ea enim ipsa historia videmus primùm, sacram Scripturam non tantum Dauid ipsum, eiúsque regnum describere, verumetiam cuiuslibet & omnium, qui egregium quid in illo Dauidis regno perpetrarunt, laudes enumerari: nec hoc id tantùm loco, repetit idipsum postea, ac quibus de causis ad Dauid venerint, & quomodò illius se regno dediderint. Tui sumus ô Dauid, & tecum fili Isai. Pax tibi, & pax adiutoribus tuis: Te enim adiuuet Deus tuus. Atque hæc quidẽ præcipua causa, cur eorum sacra Scriptura meminerit, quòd à Saulo deficientes, Dauidi adhæserint, atque cum ipso in periculis permanserint, quòd Dei voluntatem in Rege agnouerint, quòd totis viribus ad dilatandas regni fines incubuerint, semper contra hostes repugnauerint. Hoc, inquam, in his herôis laudatur, ab hoc celebrantur, atque apud omnes æterna memoria viuunt. Nec immeritò: si enim ijs, qui sese Dauid opponebant, exterminatio denuntiabatur, æquum profectò fuit eos, qui Dauid suppetias tulerunt, iustis non defraudari honoribus. Vbicúnq; enim hostium mentio fit, ibi amicorum 1. Paral. 12. & 13. 2. Reg. 23.

fides

fides minimè obliuioni tradenda est. Omne enim hoc diuinis seruit honoribus, qui vtrobique operatur. Dei opus fuit, Dauidem tot hostium copias debellare, eorúmque vires infringere: sed & Dei opus fuit, tot Dauidem fortes heroas in suo regno habuisse. De his quidē omnibus dicitur, quòd fortes viri fuerint, sed tamen non sine differentia. Alij fortes, alij fortiores, nonnulli etiam fortissimi dicti sunt, quibus similes non fuerunt alij. Sed tamen vtut egregia de ijs prædicentur, Dauid tamen vbique supremum locum occupat, præfertur omnibus, vt cuius fortitudo omnium excelluerit virtutem. Et hic quidē catalogus Heroum fortissimorum, horúmque facinorum Dauidis demeritos honores minimè deprimit: quin verò æternum magis ipsius suíque regni decus est. Et hoc quidem huius sermonis fundamentum sit positum. Nunc verò quibus rationibus festi nostri dies, manentésque memoriæ in Ecclesia Sanctorum hac ex historia defendi queant, porrò videamus. Primùm negari nō potest, Dauid fuisse Christi figuram: nec regnum Dauid aliud quicquam est, quàm sancta Christianorum Ecclesia. Et qui sunt illi fortissimi duces in regno Dauidico, nisi omnes electi Dei, mundum, diabolum, propriam concupiscentiam affectúsque vincentes? Hi sunt qui sese Christo dediderunt, tanquam altero Dauidi, vtut ille pauperculus despectúsq: in terris mundo habitus creditúsque sit. Hi sunt qui cum Christo *Luc. 22.* in tentationibus permanserunt: qui in dilatandis finibus Christiani regni Christo auxilio fuerunt: qui omnem vim suam, fortitudinem, omnemque virtutem cōtra Christi hostes exercuerunt. Fortissimi heroës omnes: nulla enim hic differentia est. In Christo nemo infirmus: in Christo neque mas neque fœmina: imò in Christi regno nōnunquam vnica tenella virguncula virtute contra Christi hostes tres adæquauit fortissimos. Hanus nobis hodierno festo exemplum proponitur. Quis enim mortalium plus ad ædificationem Christi regni contulit vnquam, atq; hæc beata Virgo? Num- *Coloss. 2.* quid angularem lapidem posuit Christum, cui domus Dei ipsáque Ecclesia Christianorum super ædificata perstitit? Quis hominum vnquam regni Christi hostem magis comminuit? Nunquid hæc genuit eum, qui diabolum deuicit, ipsúmq; palam omnibus insum posuit, de ipso triumphum ducens? Quid potuit ille hostium nequissimus omni sua potestate, artibus omnibus, lethalíque veneno, contra hanc

1.Cor.11. beatam Virginẽ? Nónne ist hæc illa est qua ipsi diabolo sta-
Gen.3. tim à principio minitabatur? Verũ quidem est, minationẽ ipsam propriè non mulierẽ, sed mulieris respicere semen, hoc est Christum, qui conteriturus erat serpentis caput: sed tamen & ipsius fœminæ fit mentio. Neque enim simpliciter Deus dixit: Ponã inimicitias inter semen tuum & semen mulieris: sed, Inter te & mulierem, inter tuum illiúsque semen. Audis ergo hanc quoq; mulierẽ Diabolo oppositã, victoria licèt atq; triũphus Christo propriè assignetur. Vides opinor hoc exemplo, in Christi regno, etiã qui in specie imbelles, magna fecisse atq; adhuc facere in rem regni Christi, ad debellandum eius hostes. Omnes fortes duces, alius sit licèt fortior alio: variæ enim sunt donationes spiritus. Alia atq; alia dona aliis atq; aliis donãtur. Quòd si Dauidis duces illi fortissimi nominis sui gloriam in sacris libellis habent, eámq; apud fideles omnes memoriam: vt heroica ipsorum virtus ad mundi vsque consummationẽ vbíque prædicetur, nec vnquã, dum sancta scriptura manet, obliuione sepeliantur, cur non & Christi duces fortissimi suam in Christiano orbe memoriam laudésque haberent? Nunquid in his perinde atque in alijs illis Dei operatus est spiritus? Nunquid æquè hæc nobis exempla ad consolationẽ, ad corroborationem, ad emẽdationem prosunt atque illa? aut decorũ magis cum Dauide esse, quã cum Christo? Vtrùm maius est, contra homines, an verò contra malos spiritus pugnare? Nunquid vtrúnque ad gloriã Dei est, quod per hos magnum fecit, & quod olim per illos? Eu verò Christo suæque Ecclesiæ & regno est dedecori, suorum militum non obliuiscí: atque ipsorum egregia facta in Ecclesia laudare atque celebrare? Minimè gentium. Quemadmodũ & Dauid eiúsque regno nec dedecori nec damno est, quòd sui enumerantur milites, vt enim illi magnificè laudãtur extollantúrq;, Dauid tamen, hoc est Christus, semper primũ locũ occupat. Dauid, inquit Scriptura, sedet in Solio suo, est manétq; Rex, prudẽtissimus
2.Reg.23. & præcipuus inter omnes. Ipse ille est cui cõparari potest ne mo: imò ipse est qui omnibus alijs virtutẽ fortitudinémque præstat. Nunquid & aliud huius vis exemplum, quod nostri milites in Christi regno, hoc est, sancti & electi omnes, quã multa etiam vnquam de ipsorum factis dicantur, multò tamen, atque adeò nulla cõparatione Christo inferiores prædicantur: imò quòd omnis eorum fortitudo, præclarè gesta

omnia

omnia non ipſis,ſed Chriſto aſcribantur? Quid hodie canamus,accipe: *Corde & animo Chriſto canamus gloriã, laudãtes in cõceptione Virginis magnalia diuinæ gratiæ.* Sic cecinimus hodie,atq; ex his verbis facilè videmus; nos Chriſto omnẽ honorem aſcribere,atque huc præcipuè hoc feſtum dirigi, vt diuinæ gratiæ laudentur in Maria magnalia. Quæris quæ ſint magnalia? Quòd Chriſtus fortior ſit diabolo,quòd peccatum præualeat gratiæ,excellat,ac multò præeat. Nunquid ea poteſtas diaboli,vt per vnũ hominem peccatorem, omnes in ſuam poteſtatẽ pertraxerit, nec tamen Deus per vnicum ſuum vnicè dilectum filium omnes rurſus redimere potuerit? Abſit. Quod ſi peccatum tam eſt lethale, vt per vnum hominẽ pertranſierit in omnes, imò in omnia membra hominis cuiuſlibet deriuatum ſit: eſt ſine dubio & Dei gratia tam potens,vt per vnum hominem Chriſtum in omnes,imò in omnia membra hominis cuiuſlibet peruenerit. Quod ſi vnius hominis inobedientia omnes peccatores cõſtituit, in mortem damnationẽque pertulit: cur non & obedientia vnius hominis Chriſti, ipſiúsq; merita, omnes homines ad iuſtitiam,ad vitam,ad ſalutem perduceret? Hoc ſimilibúſque argumentis in Epiſtola ad Romanos vtitur Paulus. Et hæc quidem diuinæ gratiæ magnalia. Sed vbi vel certiùs vel potentiùs hæc conſiderãtur,quàm in hodierno feſto? Quod euidentius ſignum, peccato præualere gratiam,quàm eſt conceptio Mariæ? Ita enim venenũ ſuum per totam illam humanæ naturæ maſſam perfuderat, vt certiſſimum eſſet,neminem illius poſſe effugere manus. Sed quia hanc Deus ab illo præſeruauit malo: nemo dubitet,gratiam præualere peccato. Non ergo immeritò admonemur, magnalia diuinæ gratiæ in conceptione laudare virginis. Et hoc quidem iam rurſus exempli loco pono: quòd,licèt nonnullis Sanctorum ſelectiſsimorúmque militum in Eccleſia facta præclara memorentur, quicquid tamen boni in ipſis conſideratur, Deo omne aſsignatur. Hic in illis laudatur. Rom. 5.

Atque hinc puto licebit videre, non immeritò in Eccleſia fortiſsimorum militum, quos Chriſtus regni ſui propugnatores habet, fieri mentiones, memoriáſque honorificas, cùm omnium ſanctorum, tum in primis beatæ Virginis matris feſta celebrari: neque id Dauidis, Chriſti reputationi obeſſe, eiúſue nomen eleuare, verùm multòmagis laudi eximiæ tribui. Quotquot enim ſunt, omnes

tamen dicunt: Tui sumus ô Dauid. Quicquid habemus, tibi acceptum ferimus: imò ecce quod te donante accepimus, grata mente reddimus. Tua omnis gloria, potestas atq; victoria. Quicquid vel sublime cœlum, vel patens terra cõtinet, tuum. Tua virtute potestatẽ omnem superas: tuum regnum, diuitiæ, omnes omnium tibi subiectæ sunt. Tu thesauros omnes possides, tu dominaris omnium. Benedictus sis, & superexaltatũ nomen tuum in sæcula sæculorũ. Hæc est illa confessio, quã Dauid quondam pro se suóq; populo Deo tribuit. hoc ipsum semper omnes electi Deo tribuũt. Quare nulla diminutio Christi gloriæ est, memorias habere Sanctorũ, eorúmq; fortissimas pugnas recensere, quãdo ipse solus operatur in omnibus: eóq; omnium honores omnes in ipsum dirigũtur ab omnibus. Atq; hac ratione Ecclesia docet hanc præsentẽ celebrare festam diem eóq; minus rationis est eam cõtemnere. Faxit Deus Opt. Max. suæ gratiæ donis suíque spiritus imbuti muneribus, sua magnalia rectè cogitemus, atque ab eius nunquàm laude cessemus, Amen.

1. Paral. 29.

QVINTVS SERMO DE VERBIS Psal. 45. Fluminis impetus lętificat ciuitatẽ Dei, sanctificauit tabernaculũ suum altissimus.

EVangelium Lucæ habet, q̃ aliquando habente coram multitudine concionẽ Christo, mulier quædam de turba extollens vocem suam, dixerit ad Iesum: Beatus venter qui te portauit, & vbera quę suxisti. Inducebatur mulier, mouebatúrq; id facere ex magna admiratione diuinę doctrinę Christi. Verisimile est, hãc mulieris vocem, vel nõ placuisse omnibus, vel non vno modo susceptam esse ab omnibus.

Luc. 11.

Placuit fortasse nonnullis, displicuit aliis pro cuiúsq; in Christũ vel amoris, vel odij affectibus. Approbare mulieris sententiã diligentes Christũ, iratci atq; indignè ferre hunc clamorem fœminæ inuidentes ipsi. Probabile quosdam ita secum cogitasse: Insana ist hæc mulier est, quæ suis clamoribus totum cœtum perturbat. Quemadmodũ ipse etiã Apostolus Portio festo insanus videbatur, q̃ imperterritus tanta cum constantia Christum prædicaret, tam multa etiam de futura resurrectione diſſereret. Sed Christus confirmat vocem fœminę, addens vt & ipsi plurimíque alij huic ipsi beatitudini studerent, audiendo & custodiendo verbum Dei.

Act. 26.

Quod si aperris auribus, nec cæcis oculis attendere libet,

inue-

inueniemus & hodie simile quid. Ipsa enim Ecclesia hac festa die clamat: Beatus venter qui te portauit Christe, & vbera quæ tu suxisti. Hanc occlamationem nos quoque dispariбus interpretamur animis. Sunt qui inertes negligentéq; in diuinis, ne quicquã quid in Ecclesia agatur cũrãt. Alij indignè ferunt toties tantáq; cũ laude beatæ Virginis matris memoriam celebrari in Ecclesia, indignum rati, haud secus atq; olim Pharisæi indigenabantur discipulos Christi domino suo acclamare: Benedictꝰ qui venit in nomine Domini: Increpa, aiebant, discipulos tuos. Sed quid respondet? Dico vobis: & si hi tacuerint, mox lapides clamabunt. Idipsum & mihi hodie dicendum puto: Si tacuerimus nos, nec Dei magnalia in beata Virgine prædicauerimus, ipsi lapides cõtra nos clamabunt. Eáq; propter qui piè Christianus est, non auersatur in Ecclesia Dei laudes in Maria tanta cũ diligentia rememorari atq; celebrari. Et maximè cũ videmus non hoc primũ facere Ecclesiam, nec solam. In veteri quoq; Testamento Spiritusancto illuminati Prophetæ, hæc Dei magnalia in hac fœmina cũ ingenti admiratione & laude Dei meditauêre, quemadmodũm id modò facit Ecclesia. Cuius quidem hoc ex Dauide damus exemplum, ita dicente: Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei, sanctificauit tabernaculum suum Altissimus. Deus in medio eius, nõ commouebitur. Adiuuabit eam Deus manè diluculo. Hæc sunt verba regij illius Prophetæ Dauid, quæ propriè quidem, vt alibi dixi, de Ecclesia interpretanda sunt. Illa enim Dei ciuitas est, atq; in ipsa omnia inueniuntur quæcúnq; Dauid his verbis insinuauit. Sed quis non videt, ea ipsa verba etiam in hanc diuam Virginem omninò quadrare, vt quæ nõ modò membrum, verùmetiam nobilissimum honoratissimúmq; membrum Ecclesiæ sub capite ipso Christo est? Primùm, quis mortalium ciuitas Dei, æquè vt Maria dici potest? & in quo homine vnquàm Deus habitauit eo modo, quo in Maria? Quem vnquàm ea donorũ cœlestium perfudit atque impleuit abundantia qua beatam Virginem? Cæteris (antiqui illi proceres Ecclesiæ canebãt) per partes gratia præstatur. In Mariam verè tota se infudit gratiæ plenitudo. Alij enim alio dedit minus manú-que, qui secundùm suæ donationis mensurã omnia elargitur omnibus. Vode si vnquàm de aliquo homine dici potuit, & eum Deus flaminis gratiæ perfuderit impetu, certè hæc ipsa Virgo est. Iam verò tanctaMatth. 21. Luc. 19. Psal. 45. 1. Cor. 12.

Luc.1. Scriptura dicit: q̃ Ioãnes Baptista adhuc in vtero matris repletus sit spiritusancto. Sed & Zachariam & Elizabeth plenos
Act.6. spiritusancto legimus. Tum etiam eadem autoritate D. Stephanum plenum fide & spiritusancto accepimus, plenum
Hier.1. gratiæ & fortitudinis. Et de Hieremia, de quo ipse Deus loquitur. Priusquàm formaré te in vtero matris, noui te, & antequàm exires de matre tua sanctificaui te, & Propheram dedi te. Quantò magis hæc omnia de beata credenda sunt Virgine, cui & Angelus testimonium de plenitudi-
Luc.1. ne spiritussanctus dedit, dicens, Aue gratia plena: Benedicta tu inter mulieres. Inuenisti gratiam apud Deum. Et hoc primum verbum huius Psalm. Secundò, si vnquàm Deus hominem aliquem sibi sanctificauit in templum & domũ, hæc ipsa virgo est. Iam verò de omnibus Paulus dicit, quòd sunt templum Dei, & spiritussanctus habitet in eis. Quantò magis de hac Virgine matre dici potest, quòd Deus in templũ ac domum suam eam elegerit. Et hoc secũdum huius Psal.

Tertiò, si vnquàm de quodam dici potuit verè, Ecce hîc Deus, hîc Omnipotens habitat: de hac profectò Virgine id dicere debuit. Iam verò de iusto illo Simeone scribitur, q̃ spiritussanctus erat in eo. Cur ergo non de beata Virgine hac dicere licebit, quòd Deus in medio eius? Atque hoc huius loci tertium. Quartò, quòd si vnquàm de homine dictũ est verè, quia Deus ab eo non sit commotus, idipsum quoq; de hac dici potest Virgine. Quis est hominum, à quo Deus nunquàm amotus fuerit, quíq; labi aliquãdo permissus non sit? Hîc verò verè Prophera dicere potuit. Deus in medio eius non commouebitur. Postremò, de quonam homine ita propriè dici potuit, Adiuuauit eum Deus manè diluculò vt illud potest de hac Virgine? Quod illud Manè? Ipsa nempè conceptio in materna aluo. Quem igitur præseruauit, vt non sit originali peccato maculatus, hunc verè adiuuauit
Psal.50. manè in diluculo. Ecce, inquit Dauid, in peccatis conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Et sanctus ille Paulus: Omnes, inquit, filij iræ nascimur. Et iterum: Per vnum hominem peccatum pertransiit in omnes, & per pec-
Ephes.2. catum mors: imò in vno illo peccauimus omnes. Summa:
Rom.5. Nostrum manè diluculum, hoc est, nostra conceptio contaminata est peccato originis: Quod enim natũ est de carne,
Ioan.3. caro est. Nobis verò si quod adiutorium est, in regenerationis luuacro est, quod Christus in aqua & spiritusancto

instituit.

instituit. Hîc nostra sordities ab Adamo hæreditaria nobis aufertur, priórq; ab originali peccato mundatur natiuitas.

Nihilominùs tamen necesse est, sit aliquis in quo Deus gratiâ suam manè diluculo, in cõceptione ostenderit, quando certò constat, ipsum non solùm à peccatorum seruitute redimere, verum etiam à peccatorum tyrannide posse custodire ac præseruare. Id verò de quo mortalium, quàm de beata hac Virgine, intelligitur & creditur rectiùs? Neque enim est quisquam in hac nostra massa, quẽ Deus omnigenis gratiis perindè in sublime euexerit, atq; hanc ipsam Virginem matrem. Quare rectè creditur, ꝙ Deus hac etiam parte præ cunctis eam manè diluculo adiuuerit, in conceptionis momento sua gratia præsto fuerit, ne in originis vitium inciderer, sed stirpe peccatrice, vitiata radice, sine peccato speciali priuilegio Deiq; processerit adiutorio. Vt autẽ simplicioris ingenij homines minus hoc mirentur, ꝙ hęc tanta constantia Ecclesia credat, ꝙ matrẽ suam honoratissimã Christus hoc aliísq; priuilegiis honorauerit: aliud placet nõ absimile superiori exemplũ in medium afferre. De Helisæo legitur, ꝙ cũ ab Helia Dei mandato Propheta constitutus, post raptũ Heliæ Prophetici muneris officio huc illúcque in ea terra circumiens prædicaret, sæpè Sunem transiret, accidit. Hic notus ferè cunctis; mulier quædam iuxtà opibus ac honestate clara, aliquando sua cũ marito secretò confert cõ filia: Video de Helisæo loquens, quia hîc vir Dei, sanctus est. præparemus illi cellulam cõtectũ: sellam, & candelabrũ in eam ponamus, vt cũ hàc transit, ibi requiescat. Hanc mulieris humanitatẽ Propheta suscipit, eaq; vtitur, non ingratus: quærit enim primũ occasiones, quibus gratias agat. Considerata igitur sterilitate amborũ, & ꝙ tædio inertis matrimonij nihil perindè ardẽrer, atque sobolem, quã hæredem mortalibus relinquerent, à Deo efflagitarent, mox oratione ad Deum conuertitur, atque exauditus illo ipso anno mater pulcherrimi filij esset, obtinuit: eundémq; puerum post non multos annos mortuum, ad vitam reuocat. Hoc Helisæus mulieri præstitit ignotæ. Quid ergo Christus dilectissimæ Virgini matri suæ non præstitisset? Quin hæc ipsa historia inducit nos, vt facilius eò cum Ecclesia credamus, Mariam esse, quam Deus manè diluculo in conceptionis suæ momento adiuuerit, & ab originali vitio custodierit. Quid enim Helisæus nisi salus Dei. Et quis Dei salus

3. Reg. 19. 4. Reg. 1. & 4.

Elisua Hebraicè, salus Dei.

nisi Christus? Certè Simeon ille iustus ipsum salutare Dei vocat, quemadmodum & Isaias, imò Deus ipse longo tem-
Luc. 2. pore antè salutem nominat, licens. Dedit te in lucem Gen-
Isa. 49. tium, vt sis salus mea vsque ad extremũ terræ. Et quæ ista hęc mulier, quæ Helizæum Christum, tam honorificè excepit, nisi virgo mater? Quicquid enim de ista dicitur, cum vlatè in hac inuenitur. Si ergo isti laudi datur per tot sæcula, quòd Prophetam hospitio excepit, cur non & virgini matri sempiternæ laudi tribuitur, q̃ Christũ Prophetarũ omniũ Dominum, imò Dei patris vnigenitum hospitio susceperit, non materiali domo eum complectés, sed sanctissimi vteri subter virginea præcordia, includens? Quòd si sacræ scripturæ testimonijs approbatur, quomodò fidelis fœminę deuota in Prophetam obsequia, à Deo diuite retributione compensata sint (idq; ad consolandum, ad incitãdum alios ad religiosam pietatem) cur in Ecclesia silentio prætermittemus, quid Deus in hac fœmina quæ Christũ peperit gratiæ contulit, quidq; in ea stupẽdum admirandúmue impendit? Vtique Helizæo multo maior Christus est, tum verò Christum concipere, quã solũ Prophetam hospitij iure dignare, longè præstãtius. Iste homo quõdã, hic Deus ipse & homo. Si ergo remuneratione nõ caret quicquid Prophetæ Dei impenditur, quomodò, dicito, manebit irrepensum, quod ipsi Deo est impẽsum? At quis vnquàm eiusmodi obsequia Deo impendit quæ Maria? Quæris quæ eius plena deuotiõis cliẽtula? Hospitio, nõ iam spiritualiter per fidem tantum, sed &
Luc. 1. corporaliter suscepit eũ. Et hoc præcipuum. Ecce, inquit, ancilla Domini, fiat mihi secundũ verbũ tuum. Et qua hic hospitem liberalitate tractauit? Nouam cellulam cõclaue nullis alijs vsibus commodũ, hoc est, cor mundum, ab omni huius mundi amore concupiscẽtia & cura secretũ parauit illi. Hîc lectulus pacatæ & trãquillæ conscientiæ, candelabrum illuminatæ fidei, sedes constantis contẽplationis rerũ cœlestium diuinarúmque est. In hanc politè pulchréque exornatam domum excepit Dominũ. Quid ergo mirum illîc morari huic fuisse deliciæ. Imò cur miramur, ibi abũdantiores gratiæ effadisse riuulos, quàm vsquam alibi? Sed, inquis, quæ
Ibid. bñdictio? Respexit inquit illa, humilitatẽ ancillæ suæ, quin-imò magna mihi fecit qui potens est, cuius nomen sanctum est. Iam ergo vide, nũm pulchra foret meditatio huius festi, cõparatis inuicẽ, qua deuotione hęc virgo Christum concepe-

perit,

perit, ipsíque miniſtrauerit, tum verò, & econtrariò quomodò eam Deus honorauerit, quibus etiam benedictionibus impleuerit. Atque hæc huius feſti ſumma eſt. Nobis verò cõmunis ſortis hominibus gratum eſt, in ò Deo Opt. Maxi. acceptum fecimus, q̃ non omninò in luto deſertos linquit, ſed veſpere & lapſu facto, nos erigit. Neq; enim obligatus id facere inæternum perituros potuiſſet deſerere. Gratia ſaluat nos, atque de ea triumphãtes dicimus. Apparuit nobis benignitas & humanitas ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti, non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundum miſericordiam ſuã ſaluos nos fecit. At in Maria excellentius quid prædicamus, q̃ manè diluculò, in cõceptionis eius momẽto dexteram diuinæ miſerationis ſuæ extenderit, atque ne originali peccato fœdaretur præſeruauerit. Ex quibus omnibus nemo non pius facilè videt, non ſine graui cauſa nos huius feſtę diei ſacra colere. Sed & piè credentibus piorum meditationum plurima poteſt eſſe occaſio: vt aliquando dixiſſe me memini. Huius aliorúmque igitur feſtorum piam obſeruantiam largiatur Dominus, Amen. *Tit. 3.*

SEXTVS SERMO
de ipſo feſto.

QVod hodierna die agi ſolet, de immaculata atque beata virgine Maria, plurimã olim diſputationẽ, aut, ſi mauis, quæſtionẽ inter doctos mouit, ſitne ſacræ ſcripturæ cõſentaneũ, credere virginẽ matrem ſine peccato originali cõceptã eſſe. Veriſimile eſt necdũ omninò omniũ hac de re pacatas eſſe conſciẽtias, quandoquidẽ de omnibus in genere Paulus dicat. Omnes peccauerũt, & egẽt gloria Dei. Et, Cõcluſit eos oẽs ſcriptura ſub peccatũ & infidelitatẽ: vt omniũ miſereatur. Et iterum. Oẽs nos filij iræ naſcimur. Et Dauid. Omnes inutiles facti ſunt, nõ eſt qui faciat bonũ, nõ eſt vſq; ad vnũ. Et Iſaias. Oẽs aberrauimus: vnuſquiſque in viã ſuam abijt. Hæc ſimiliáque pronuntiata cauſam præbuerunt quæſtioni. Sitne Maria his ſententijs incluſa, ſitne vna cum alijs mortalibus maledictioni ſubiecta, in peccatis concepta, an verò ſingularis gratiæ præſeruata priuilegio, immaculata lethali veneno originalis peccati permanſerit, etiamſi ſancta ſcriptura perhibeat, omnes eſſe peccatores, omnes in peccatis iræ diuinæ naſci filios. Cui quidem quæſtioni vel vnico illo Danielis dicto reſponderi poterit, quòd ipſe ma- *Rom. 3.* *Rom. 11.* *Ephes. 2.* *Pſal. 31.* *Iſai. 53.* *Dan. 2.*

gna pietate secretorũ Dei ac futurorum doctus à Deo pleno mẽtis affectu dictauerat. Benedictũ & laudabile nomẽ Dñi in sæculũ sæculi: quoniã sunt omnis sapiẽtia & virtus. Trãsfert tẽpora & momẽta, creat Reges & deponit, qui sapiẽtiã præstat prudẽtibus, & intelligẽtibus largitur intelligẽtiam. Hoc vnico inquam dicto Danielis satisfieri posset illi quæstioni. Si enim apud Deũ potestas omnis est, ostenderit eam aliquãdo, necessum est. Si etiã apud eũdẽ omnis sapiẽtia est, prudentissimè æquissimẽque haud dubiè omnes actus suos
Psal.103. disposuit. Id quod ipse etiã Dauid fatetur, vbi dicit. Omnia in sapiẽtia tua fecisti Dñe. Sed minimè vti omnes nouimus, hanc potestatẽ suã in cœlis tantũ exercuit, quin etiam in his terris eam magnificauit, in corporalibus simul & spiritualibus. Daniel quidem illo in loco externa tãtùm nominat, in quibus Deus suã potentiã ostendit, & vnde omnipotentiam altissimi colligere licebit. Mutat tempora, inquit, &c. Magna profectò ist hæc virtus est, sed non tamen omnis, plurima enim Deus & maiora potest, illa etenim externa sunt.

Maiora igitur sacra scriptura indicat, quibus Dei potestas, non solũ temporaneis his, sed etiam in ijs, quæ spiritus
Ose.13. sunt, manifestè ostenditur. Ipse in Osee loquitur, cùm dicit. De manu mortis liberabo populũ meũ, de morte redimam eũ. De hoc Michæas. Deponet iniquitates nostras, & proijciet in profundum maris omnia peccata nostra. Rursus ipse
Ezech.36. Deus in Ezechiele. Tollã vos, inquit, de Gentibus, & adducam vos in terrã vestrã, congregabo vos de vniuersis terris. Et effundã super vos aquã mundã, & mũdabimini ab omnibus inquinamentis vestris. His similia alia plurima inuenimus, quibus Deus Opt. Max. suã potentiam in Satanæ re-
Col.1. gno magnificaturus à Prophetis perhibetur. Id quemadmodum Prophetæ futurum antè Prophetarunt, sic Paulus iam completum testatur. Redemit nos, inquit, de potestate tenebrarum, & adduxit nos in regnum vnigeniti filij sui. Videmus ergo, & in spiritus nẽgotio aduersus diabolum, omnem apud vnũ Deum potentiã esse, quando à peccato, à morte, à diabolo denique ipso liberare potest. Atq; hîc nostra res maximè agitur, quibus necessaria ist hæc potestas plurimũ est: vt de Satanæ regno, hoc est, à peccato, morte & damnatione nos liberet. Id quod per Christũ semel fecit, facítq; etiãnũ, sed diuersimodè. Quosdam enim ex hac diaboli tyrannidè eripuit lẽgo iam tẽpore in peccatis & perditione illa assue-

tos: vt

tos:vt in Matthæo, Zacchæó, latrone illo & alijs multis videre est. At verò in nobis hanc ipsam potestatẽ ostendit iam recens in mundũ natis, per baptismum à potestate regnóq; diaboli eruens, & in sanctã Christianorũ cõmunionẽ filios & hæredes non adoptans. In quibusdã etiã, sacris literis attestãtibus, adhuc materna aluo clausis, hãc magnificauit potentiam.vt in Hiere.& Ioanne Baptista. Vnum restabat:vt etiã hanc potentiã suam in quorũdam conceptione ostẽderet, quos ita suis gratijs muniret:vt omni Satanæ intercluso aditu, nullus lethalis sibilus cõtingeret. Et hic magnæ illius diuinæ potestatis aduersus diabolum, in humanę redẽptiõis opere supremus gradus est. Vt ergo cunctis apertũ sit, omnẽ potestatẽ apud Deũ esse, imò suũ ꝓpriũ esse, igitur Ecclesia credit & obseruat, Deũ in hoc supremo gradu suã potẽtiam exercuisse & ostendisse, & præcipuè atque in primis in beata virgine, qua nemo hac gratia dignior, conseruasse eam, custodiuisséque: vt ne minimũ in ea habuerit Satan:vel vni co momẽto in suã potestatem importare potuerit. Hoc, inquã, sancta credit & obseruat Ecclesia. Sic etiam in Basiliẽsi concilio definiuit, nẽpè mundã & incõtaminatã Marię cõceptionẽ, nõ solũ humanæ rationi:verũetiã fidei nostræ, & sacris literis cõformẽ, & consonam esse. Vnde & hodie hęc inter alia modulatur. *De mundißima matre, mundißimus natus est filius, in cœlo habẽs patrẽ immortalẽ, aternũ, & in terra matrem omni corruptione carentem.* Vt in cœlis pater est, sic & filius est:vt in terris mater est, sic & filius secundũ hominem est. Sed in cœlis cũ patre hic filius omnipotẽs est, incõprehensibilis est, immensus est, & in terris cũ matre mundus & immaculat⁹ est. Ecce, quomodò intaminata virginis Mariæ conceptio omnipotentia Dei præseruari potuit. Si enim apud eũ omnis potestas est, hoc potens fuit facere. Si potuit, igitur & voluit, inquit Anselmus, si voluit, certè factum est. Omnia enim quæcúnque voluit fecit, in cœlo & in terra, in mari & in omnibus abyssis. Et hoc primum. Idipsum & incomprehensibilis ostẽdit sapientia. Si enim cætera omnia in summa creauit prudẽtia, nihil profectò hîc prætermisit. vbi filio suo selectã matrẽ, Spiritui sancto honorificũ templum, sibíque ipsi beneplacitã ancillam creare proposuit. Sed nunquid decebat Dei sapientiam: vt veritas responderet figuræ, & quemadmodùm primus homo ex virgine terram, in quam necdũ maledictio venerat, creatus est, ita etiam Chri-

Hiere.1. *Luc.1.* *Psal.134.* *Genes.1.*

ſtus ſecundus homo ex matre virgine, quæ nunquam peccato vel maledicto, nunquã diaboli imperio ſubiecta fuiſſet, naſceretur? Nunquid dignũ fuit diuinæ prouidentiæ, ſuum ipſius templum, quod tanquã domũ, corporaliter inhabitare elegerat, ab omni fœditate & impuritate purum præſer-
Pſal.92. uare, maximè quãdo multis retrò ſæculis Dauid de hoc habitaculo prædixerat: quia domum Dei ſanctitudo decet.
1.Cor.6. Quid verò perindè pugnat cum ſanctitate atque peccatũ? Neque enim hæc duo ſimul in vno ſubſiſtunt ſubiecto. Si ergo nihil præter ſanctitatẽ domum Dei decet, nullus profectò peccato in Maria, quæ propriè domus templúmque Dei eſt, locus fuit. Ecce, quod & incomprehenſibili Dei prouidentia intaminata Mariæ conceptio, quemadmodũ & pij
Epheſ.2. patres noſtri fecerunt, ſatis conſtanter aſſeritur. Quòd ſi cui libido eſt, in illis verbis ſcripturæ pedem figere atque perſiſtere, quæ dicit omnes filios iræ naſci, atque hinc cõcludere, Mariam ergo in peccatis conceptam fuiſſe, quod. Omnes, ibi neminem nõ includat, ne falſitatis arguatur ſcriptura, poſſem & ego alios ſcripturæ locos in medium producere, multò abſurdiora in ſpecie ſignificantes. Vt, cõmu-
Geneſ.3. nem omnibus maledictionem Deus mulieri denũtiauit, in dolore filios pareret, ac ne vna quidẽ ab hac execratione excipitur, imò ipſa experiẽtia oſtendit omnibus fœminis eſſe communẽ. Ergo etiam Maria, neceſſe erit, ſuã prolẽ in do-
Ibid. lore pepererit. Aliud. Omnes homines tãgit ſeuera illa Dei ſententia, quòd ſint terra, & neceſſariò in terrã reuertãtur, ergo & Mariæ corpus in terram redeat neceſſe eſt, quòd & ipſa homo humano corpore animam circũdata fuerit. Vide ergo, quæ conſequentia, ſi in nudis verbis hæſeris, ſæpè expectanda foret. Sed quis iſthæc loqui non verebitur? Quis eam ſuſtineret blaſphemiam? Si ergo cõpertum habemus, Mariam in tam multis priuilegiatã eſſe: vt quòd virgo conceperit: virgo pepererit, ſtupente etiam natura ipſa, quòd ſine dolore pepererit, etiamſi in omnes communis ſit maledictionis fœminas dictata ſententia, quòd corpus ipſius non ſit in terram ſolutum, etiamſi ipſe Deus dictauerit, quemcúnque hominem in terram reuerſurum, ſi, inquam, hæc omnia vera eſſe cõfiteamur, neceſſe eſt, ſine peccato originali cõceptã eſſe, licèt ſcriptura oẽs ſub peccatũ includat,
Rom.11. neminẽ excipit, impoſsibile certè Deo nõ eſt. Authori legis ſemper diſpenſatio legis præſeruata eſt. Qui in tam multis

Mariam

Mariam priuilegio donauit,& in hoc quóque excipere atq; immunem defendere potuit. huius omnis poteſtas & ſapientia eſt. Id enim verbum quicquid vnquam in intaminatam Virginis huius conceptionem innecti poterit, totum diſſoluit. Non immeritò pius quilibet hoc diuinæ gratiæ factum miratur, atque Dei magnificentiã laudans, ipſi omnem honorem, omnem gloriam cum ipſo Danïele aſsignat: Benedictum nomẽ tuum Domine, & laudabile in ſæculum ſæculi. Et qua ratione vtilius hanc præſentem diem tranſigere poſſemus? Quid præterea hodie à nobis poſtulatur? *Lauda Ieruſalem Dominum* (Eccleſia canit) *exultent Mariam diligẽtes. Nam eius conceptum fundauit Rex altiſſimus, gratia præuẽtum redemptúmque ſublimius.* Nam quẽadmodum olim diluuium ſuſtulit omnes homines ſola arca Noë, & quæ in ea, ſaluata ſunt: ſic & hãc ſuam Deus à peccato immunem præſeruauit arculam, à peccato, inquam, in quo ab origine omnes perierũt, pereúntq; quotidie homines. Vide qua ratione hodiernæ diei feſtum recolendum proponitur. Quę omnia in eum finem dirigũtur, vt eò commodiùs Dei opus, & redemptionis Chriſti virtus agnoſcatur. Nec alia ratione hoc ipſo feſto vtamur. Id ergo vt præſtemus, gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti nos adiuuet, Amen. *Geneſ.7.*

SEPTIMVS SERMO.

NVlla alia hiſtoria maiori cum diligentia in Gene. lib. deſcripta eſt, quàm vbi rectus ille Noë diuino mandato arcam præparauit, vt in eo diluuij tempore aliqui ſeruarentur illæſi. Non ergo mirum ſi qua poteſt diligentia, Mariam nobis propouit Eccleſia, quæ & ipſa arca Dei, mirè & diligentiſsimè ædificata, in communi omnium diluuio peccati, quo omnes ſubmerſi ſumus, præſeruata eſt. Quamobrem etiam tantùm Dei Opt. Max facinus minimè incogitanter præteribimus, vt alij, qui eò impietatis deuenerunt, vt neque feſtorum, neque Sanctorum deinceps reminiſcantur. His, feſta celebrare, inutile atque adeò ſuperfluum eſt: Sanctorum recordari, eósque in Domino Deo honorari, Deum contumelia afficere eſt, quacúnque id tandem ratione fiat. Verùm enimuerò ſi impiè magis quàm religioſè venerantur Sancti, ſi cum Dei obliuione obſeruantur, ſi Deo debitus honos ijs attribuitur, ſi ab ipſis poſtulamus & ſperamus, quæ propriè à Deo dantur, hoc certè diuino cultui contrarium, Deíque honorum diminutio eſt. Neque mihi ea excuſandi *Geneſ.6.*

animus

animus est: attamen non possum nō mirari, cur hac sola parte diuino cultui timeamus tantopere, quum in cæteris illius honorem nō tantùm non promoueamus, verumetiā ipsum Deum, atq; reuerendū nomē eius indignissimè execramur, easq; blasphemias sine respectu vllius, sine correptione, sine animaduersione vlla ab alijs sustinemus ac toleramus. Sed & hoc demiror, q̄ hac sola parte tam anxiè à peccatis timemus nobis, cùm aliàs, tum in alijs omnibus, nullo timore, nulla formidine, nullóue pudore impingimus, quasi apud Deū nullius alterius delicti pœna maneret, nihilq; peccatū esset, præter venerari Sāctos, interesse diuinis Missę officijs. Cōtra hęc enim duo hodie ex omnibus cācellis, in omnibus vociferatur sermonibus. Hęc nostra ætate sola atq; maxima peccata mūdi sunt. Hinc ergo plebs nullū prætereà peccatū æstimat supereſſe, cætera omnia perferantur vtut enormia, tantū nullorū Sāctorū memineris, nulli Missæ interfueris Sed nūquid nō Satanę doleas sentis? Quod per se minimè malū, plurimi causa boni est, quasi peccatū, quasi abominatione quasi execratione dissuadet, cōtrà, quod per se malū, veréq; corā Deo abominatio est, vt dulcè & suauè incogitātib⁹ nobis ingerit, ne delicti magnitudinē cōsideremus. Et hoc q̄dē ille laborat, vt à pietate deterreat, in impietatē pertrahat, illaqueatos detineat. Nō ignoramus cogitationes eius, inquit Paulus. At meritò nō nescimus isthæc. Filij hominū, nolite, inquit Christ⁹, secūdū aspectū iudicare, sed iustū iudicate iudiciū. Quòd si tātus vobis erga cultū Dei zelus cordi est: incūbite illi, studete illi, sed & in alijs, nō in hac parte tantū. Si tantū vobis à peccatis timetis: si tantùm impietatē exhorrescitis, per omnē vitā vestrā ostēdite, vt verè id velle dignoscamini: neq; enim aliàs suspitione carebitis, quasi sub hoc operculo aliud, vt, innouationes, omniúmq; Christianarum ordinationū dissipationē molientes. Sed de his alibi satis dictū est. Pius quisq; catholicus nō cōsentit, nullos Sanctos Dei in memoria habētibus, sed experiētia doctis, eiuscemodi diuorū memorias in multis prodesse, multò minus his astipulat, qui vt malū reputāt Deū ī Sāctis, Sāctósq; in Deo venerari: sed iis qui Deū in omnibus operibus, in omnibus etiā creaturis suis glorificare didicerūt. Ac tertiò q̄dē minimè in eorū opinione stat, q̄ grāde peccatū blasphemiā mue æstimāt, si qs dicat, Sācta Maria p̄ nobis ora: sed ī horū sentētiā manibus pedibúsq; ir, qui propriæ infirmitatis minimè oblitī, i nsuffi-

2. Cor. 2. Ioan. 7.

insufficientiæ suæ semper viuunt memores, eóque cum diuo Paulo, omnibúsq; piis aliis, omniũ ad Deum intercessiones expetunt. Quæ omnia ideò dico, vt minus hoc aháq; per anni totius circulũ festa in Ecclesia fastidiamus. Certè nõ impiè ab Ecclesia, sed vt p ea ad pietatẽ adiuremur, nobis sunt proposita. Quòd verò ad hãc præsentis diei festiuitatẽ, multæ variæq; disputationes quõtã motę sunt, at porrò nũc sedatę, quãdoquidẽ in Ecclesia receptũ est, ac creditur, ꝙ Deus ingens facinus ac peculiarem in virginis Mariæ cõceptione ostenderit gratiã. Cõcedendũ vtíque, nos omnes cõmuni lege naturæ nasci filios iræ. In Adã enim omnes peccauerunt, ab eoipso mortis dãnationísq; maledictũ in se tanquã hæreditariũ quid recipiẽtes. Sic & Scriptura omnes homines sub peccatum includit, vt Deus solus inter omnes benedict⁹, ne quis glorietur. Sed tamen nõ ignoramus ꝙ Deo potestas est & æquitas quẽlibet eximere & libertate donare. Quis enim repugnabit illi, vt nõ quod vult faciat, nec vbi quãtũcũq; volet largiatur? Deinde & illud scimus, ꝙ aliàs quoq; hanc suã liberã potestatẽ in hac ipsa Virgine ostẽderit, quando repugnãte naturę ductu, vt integra virginitate cõciperet, & sine omni dolore filiũ pareret, largitus est. Tertiò & illud nouimus, licèt incarnationis Christi mysteriũ vltimis múdi tẽporibus manifestatũ sit, apud Deũ tamen præcognitũ, prędestinatũ, ac definitũ, priusquã hîc cõderetur orbis, vt Petrus ait, & à prĩcipio ꝙ Prophetarũ respõsa vaticinatũ fuit. Vnde sequitur, hanc quóq; personã fuisse præcognitã, prędestinatã, & in Vnigeniti Dei matrẽ electã, priusquã mundi huius fundamenta locarentur, tum etiã cõsequenter à Prophetis prædictam. Quartò etiã hoc scimus, ꝙ Adam & Euæ primis nostris parẽtibus statim ab initio singularis quædam fœmina, quæ in semine suo diabolo caput esset contritura, promissa fuerat. Quintò certum habemus, hãc ipsam beatã Virginẽ, eam esse fœminã. Ipsa enim nobis illud semen benedictũ illum fructum genuit, qui solus diabolo virtute potior, ipsum deuicit, tulitq; prædã ab origine mundi raptam. Sed & sextò Scripturis attestãtibus didicimus, in maleuolã animã nõ introire Spiritũ sapiẽtiæ, neq; habitare in corpore subdito peccatis. Tum etiã lucis & tenebrarũ, iustitiæ & iniustitiæ. Christi & Belial, tẽpli Dei & tẽpli dęmoniorũ nullã omninò esse communionem. Postremò & illud nouimus, quod in omne tempus templum seu domum Dei sanctitudo deceat. Ex his ergo

Ephe. 2. Roma. 5. Roma. 11. 1. Pet. 1. Luc. 1. Sap. 1. 2. Cor. 6. Psal. 91.

ergo omnibus cõcludimus, Mariam in initio, ipsóque adeò conceptionis suæ momento, ab omni peccato, diuinę gratię & operationis priuilegio præseruatam esse, vt & esset, & fieret digna Dei vnigenito Christo mater. Credimus vtiq; in nullum aliũ hominem tantùm honoris cõtulisse Christum, quàm in suam matrem. Nec immerito Honos enim matris decus filij, vt è contrario, decus filij honos matris est. Iam verò maius decus, maiórque honos est, præseruare quem ne prolapsus luto fœdetur, quàm post lapsum erigere & abstergere. At quis illo honore diua Virgine dignior? Deinde & hoc certò persuasum habemus, quod diuinã suã maiestatem Christus præcipuè in hac Virgine ostenderit. Iam verò pro ea maiestate atq; omnipotentia sua ab omnibus hominibus diabolum fugauit. Quid ergo si maius quid matri exhibue-
Gene. 3. rit, atq; diabolo, ne omninò accederet appropriarétue restiterit? Insuper credimus nõ inhonoratũ Christo ab Adã fuisse principium. Sed ille è terra nondum maledicta creatus fuit: quãtò ergo æquiùs de Christo id cõfidimus, quòd ex matre, quæ nunquam vel peccato, vel maledicto subiecta, fuerit, natus sit? Postremò etiam credimus Christi matri nõ inhonoratius fuisse principium, quàm ipsi Euæ matri mortis. Hæc
Gene. 3. verò sine peccato creata ex costa Adę. cur ergo nõ magis credimus Mariam vitæ matrem sine peccato & cõceptam & genitam esse? Hoc ergo diuinę miserationis opus hodierna festiuitate celebrat Ecclesia. Sed & admonet nos, simus licèt tantæ gratiæ indigni, pro suo tamen quisq; gratiæ acceptæ modulo grates Deo persoluat, instemus oratione ad Deum ardentiùs, vt in nos respiciat clementiùs, in sua tutela nos conseruet, & ab imminentibus peccatorum periculis defendat pius atque custodiat.

OCTAVVS SERMO.

IN corporeis fit: vt læta forma fructum aliquem visu gustúue percipiẽtes, admiremur, nec tãtùm fructum ipsum, sed etiam terram vel arborem, in qua natus ille, imò & qui plantauit seu coluit, agricolam prædicamus: in primis verò Deum, qui virtutem naturæ incrementúmque dedit. Quòd si tantũ nobis in ijs, quæ Spiritus sunt, rationis prudentiæq; esset, non nunc peculiaris aliquis hodiernæ diei requireretur sermo, quisque pro sepio, quid faciendum cogitaret optimè. Toto anni circulo beneuictus ille fructus, admirabile

bile illud ac nobile frumenti granum Christus Iesus ob oculos nobis ponitur, tanta etiã & tam multa de eo nobis prædicantur, vt sine miraculo quis terram illam atque agrum, vnde natum illud frumentum videre cupiat. Certissimum enim, bonam esse arborem, terrámq; fertilem, quæ tam nobilem fructum produxerit, maximè, quod non dubitatur nullibi, hunc oriri fructum præterquam in vbere ac bono agro. Iam verò hæc solennitas ipsum nobis agrum, in quo ille fructus Christus natus est, demonstrat, nec id simpliciter, sed cum ingenti laude, ita planè, vt si quis rectè cogitationes suas in hoc festum direxerit, non miretur porrò, eiusmodi agrum talem progenuisse fructum. Hic ager beatissima omnium Virgo mater est, qua in cunctis creaturis nil nobilius, nihil est sanctius. Hæc illa ipsa est, quam omnes homines à progenie in progeniem, qui fuerunt, sunt, atque aliquando erunt, beatam sanctámque dixerunt & prædicauerunt, beatam & sanctam in sæculum vsque prædicãt. Hæc illa quæ in omnibus & hominum & Angelorum creaturis, ipsíque Deo pro fructu, quem nobis genuit, sola vt beneplacita electa est, & dilecta. Angelis quidem pro virginitatis puritate: Deo, pro fidei constantia, próque humilitate profundissima. Hic ille ager, qui præ vbertate sua, nulla humana cultura, sed tantũ rore, pluuia, solísque operatione cœlitus, hoc est, gratia virtutéque Spiritussancti necesse habuit. Hic ipse ager ita circũuallatus custodiáque munitus vndíque: vt nulla patẽte parte infernalis ille serpẽs suo audeat posítue accedere sibilo: sic diuinæ gratiæ splendoribus oppositus: vt nullis gelicidiis frigoribúsque esset locus. Hæc illa terra à Deo ita benedictionibus imbuta, vt nullũ omninò vel actuale: vel originale peccatum appropinquare posset. Non ergo immeritò hodie pedem hîc sistere tantámque formæ lætitiam huius contemplari iubemur agri: nec hoc solùm: verumetiam nostrã calamitatẽ deplorare, quòd tantæ inertiæ agri nil nisi immaturos malósque fructus, imò tribulos & spinas proferim⁹, lõgè à diuini amoris sole positi, nũc pruina immoto cœlo, nũc tẽpestatibus obrigemus facilimè. Collatis ergo ad inuicẽ his duob⁹, cũ admiratione, & gaudio licebit dicere: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus vẽtris tui. Et cũ Salomone: Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Deinde & ad ipsum vsque Deum nostram meditationẽ dirigemus, à quo omne bonũ procedit. Ioan. 12. Luc. 1. Cant. 4.

Et huc

Et hic quidem optimus diuinorum humanorúmq; cõtemplationis ordo. Neque enim satis, nobile illud frumenti granum Christũ laudibus prædicare, nec rursus sufficit agrum hunc latissimũ aspicere cum admiratione, hoc est, Mariam beatam matrem suspicere. Et illum etiam, qui vtríq; grano frumenti Christo tantam virtutem, atq; agro in quo natum est illud, Mariæ tantã formæ excellentiam dedit, cogitemus
2. Cor. 1. operepretium est. Hic verò solus Deus Optimus Maximus
Galat. 4. est pater misericordiarum, & Deus totius cõsolationis. Hic filium vnigenitum suum nobis donauit, ac misit, ex Maria virgine natum, sub lege positum, vt eos qui sub lege erant redimeret, vt adoptionem, hoc est, honorem & hereditatem filiorum reciperemus. Quæ autem huic apud Deum gratia, quis honos, qua dignitate fulgeat, ex hoc colligitur, q̃ in ea sola, plus quam in alijs hominibus omnibus operatus est. Primò, quòd huius integritatem virginis diuina potentia fœcundauerit: vt nihil magis virginitati partus obstiterit,
Exod. 3. quàm rubus ille in quo Moti quõdam Deus apparuit, ignis calore consumptus est. Secundò, quòd ea ipsa ineffabili modo quodam in vnam personam vtrãque diuinã humanámque naturam coniunxerit: vnde perpetua inter nos qui in terris, & ijs qui in cœlis sunt, pax, familiaritas communio sequitur. Quẽadmodũ id quondã Iacob Patriarchæ scala quæ
Genes. 28. terram pedibus, cœlum summitate tangebat, in qua Angeli ascendebãt descendebantq;, imò cuius ipse Deus summitati innitebatur, ostensum fuit. Tertiò, quòd eam insuper perfecta puritate atque sanctitate ornauerit, corpore pariter & anima, in cõceptione eius, natiuitate totáq; vita. Et hoc quidẽ huic præsenti festiuitati seruit. In hoc ergo non tantùm contemplationem nostram, sed & laudes, gratiarũ actiones, orationésque dirigere decet hodie, vt in hanc sententiã aut non absimilẽ pro se quisque meditetur, loquatur, oret: O te ter fœlicẽ, Virgo beata, quã ipse Altissimus magnis gratiarũ donis præuenit, à peccato originali præseruauit Benedicta tu nõ inter fœmineũ sexũ modò, sed etiã inter mortales omnes. O quæ tua nũc in deitatis oculis dignitas, quæ hic in terris positã te respexit piissimè? Quãtũ nũc in gloria omnes electos angelos excellis & homines, qui in terris Dei filios omnes præcessisti in gratia? Tibi ô piissime Domine Deus laus, tibi honos: qui hanc virginẽ tam cumulatè donorũ tuorũ gratijs beasti: qui gratiã pariter & misericordiam

tuam

tuam tam manifestè in ea ostendisti. Da clementissime domine Deus, vt sicut illa ab originali macula munda præseruata est, vt dignum vnigeniti tui habitaculum efficeretur, ita & nos ab omni peccati labe mundi, dignam filio tuo domum in nobis præparemus. Huc ergo prius quisque hodie suas cogitationes, Dei laudes, orationes dirigat. Ita enim hoc festum piè colitur, si in aliud ex alio, ex inferioribus ad sublimiora transcenderimus, à Maria ad Christum, ab illo ad ipsum Deum patrem ascendentes: Hinc ergo optimi nascerentur fructus. Gratia Domini nostri Iesu Christi nobiscum, Amen.

IN DIE SANCTI THOMAE APOSTOLI, EVANGELIVM IOAN. XX. CAP.

THomas autem vnus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando venit Iesus. Dixerunt ergo ei alij discipuli: Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, nō credam. Et post dies octo iterum erant discipuli eius intus, & Thomas cum eis. Venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio & dixit eis. Pax vobis. Deinde dixit Thomæ: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus: & noli esse incredulus, sed fidelis. Respondit Thomas & dixit: Dominus meus & Deus meus. Dicit ei Iesus: Quia vidisti me Thoma credidisti: beati qui nō viderunt, & crediderunt.

PRIMVS SERMO, COMPARATIO huius Apostoli cum Ioanne.

IN multis aliis quibus Ecclesia nos per aduentus Domini tempus, nocentissimum peccati somnum, omnémq; impietatem vitæ nostræ deseramus, hortatur & admonet, seuerus ille Baptistæ clamor præcipuum est, eáque propter duobus Dominicis diebus illius clamoribus, non sine causa, vt illo tempore dictũ est, occupati fuimus. Nunc porrò hac festiua die, appropinquante natalis Domini festo, vt quæ præterito tempore audiuimus pœnitius animis nostris insideant: alius quóque concionator Ioanni adiungitur, ipse nempè Thomas Apostolus, cui ipse Christus prædicandi munus delegauit: intérque eos annumerauit, qui suum suíq; regni Euangelium declamaturi erant omnibus. Eam igitur ipse Thomas (vt in hodierna lectione Euãgelij audiuimus) clamantis vocem edidit, quæ meritò omnium piorum mentes in admirationem & deuotionẽ induceret. Quam & ipse Christus exclamationem vt piè rectéque credentis vocem agnouit & approbauit. Quia, inquit, vidisti me Thoma, credidisti, beati qui non viderunt, & crediderunt. Collatis igitur ambobus Ioanne & Thoma, vnáque eorum prędicationibus, quid nisi eas duas argenteas tubas, quibus populum suum quondam Moses conuocabat, audimus? Sed vltrò hi duo nostri causa hodie conueniunt, Ioannes & Thomas: & quidẽ adhortationibus summoperè egemus. Primò enim iam tempus est à somno surgere, quãdo iam dudum ex Paulo, quòd nox præcesserit, diésque appropinquauerit, audiuimus. Secundò, omninò opportunum est surgere, ac Christo non solùm appropinquãti, verumetiam in foribus & propè stanti obuiam procedere. Sic enim hodie nobis acclamatũ est. Nolite timere: quinta enim die veniet ad vos Dominus Deus vester. Tertiò, iam necessariũ maximè est, vt nos vndiquáq; muniamus quàm diligentissimè, ne tantã nobis gratiam præripiat, vel tantis nos donis spoliet Satan, sciẽtes nihil tam primum esse, quàm Christum nobis facere inutilem. Postremò & vrgens causa adest, vt præparemus corda nostra, à peccatis emundantes ea, atque omnigenis pietatis virtutibus ornemus: quandoquidem summa nostræ salutis in propinquo est festiuitas. His tantis rebus denuntiandis nõ vnica tuba sufficit: ideò ergo duab⁹ arduum clagẽtibus hodie vtimur. Ioannes & Thomas non dormientes solùm, verumetiam

Matth.10. Marc.16.

Ioan.20.

Num.10.

Rom.13.

vetus etiam de mortuos, Ioannes in Iudæa, in India Thomas clangore suscitant. Id quod in nobis etiam præstarent hodie, nisi ipsi aures nostras obturantes à veritatis sono auerteremus. Quẽ enim non cõmoueat, quod de Ioanne testatur Lucas? Erat Ioannes prædicans baptismũ pœnitentiæ in remissionẽ peccatorũ. Sicut dixit Isaias Propheta: Vox clamantis in deserto, parate viam Domini. Sicut dixit Isaias Propheta: Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & erunt praua indirecta, & aspera in vias planas, & videbit omnis caro salutare Dei. Hæc diui Ioannis totũ mundum clangore implens buccina. Clarè enim insinuat neminẽ huius salutis fore participẽ, qui se nõ ante pœnitentiæ submiserit. Sed & decet, regnũ Christi omnimò nouos mores nouámq; vitã in nobis requirere. Vt enim Christus suo aduẽtu noua facit omnia, montes præaltos, id est, Iudæos superbos humiliat: valles profundas, id est, Gentes humiles in agnitionẽ Dei extulit: prauã nodosámq; mũdi doctrinã suo Euãgelio direxit: asperã, iniquã, peruersámq; impietate doctrinã Gentium æquã & planã fecit: sic etiam necesse erit tota vita nostra innouetur ita, vt qui antè mõs per superbiæ tumorẽ exstitit, deindè vallis, hoc est, per humilitatem efficiatur submissus: & qui quondã per desperationẽ ex peccatis vallis, in sublimia cœlestis gratiæ exurgat: & qui quondã prauæ volũtatis, iniquã viam sectabatur, nũc porrò cõiuncta sua cũ Dei voluntate, suã vitã diuinis legibus adæquet. Qui denique, asper, hoc est, in proximũ & fratrẽ inhumanus inmitisq; nũc tandẽ p cõpassionẽ reddat, & fiat mitior & benignior. Hæc ergo Ioannis concio, aut certè præcipua eius pars fuit, quã nos auidis auribus audire optimũ procul dubio esset, quoniã tangit omnes, qui nulla præeunte pœnitentia, imò apertissima impietate tantùm Christianũ nobis vendicamus nomẽ, déq; Christi benignitate plurimũ cõfidimus. At neutrũ horũ Ioannes cõcedit. Aut ergo Ioãnes errauit, aut nos à veritate deuiamus. Sed Ioãnes errare nequiuit, vt qui à Deo missus, à spiritusancto agitatus, & ad quẽ sermo Dei factus est. Sequitur ergo q̃ nos ipsos seducamus miserè. At hæc sufficiant de Ioãnis dixisse buccina. Diuus Thomas noster pari clamauit studio, licèt cunctaretur. Serò enim attestãtibus licet Apostolis se vidisse Dñm, resurrexisse credidit. Nec potuit credere quod nõ didicerat visus tactúsque sensibus. Id quod singulari quadam Dei ordinatiõe factum

1. Timoth. 4.

Luc. 3.

Isa. 40.

2. Cor. 5.

Lucas.

credimus, vt in primo apparente Iesu, Thomas non adesset, nec posteà crederet, vt vel sic per occasionẽ secũdò appareret Iesus, suæq; veritatẽ resurrectionis clariùs demõstraret, ipsum cunctantem Apostolum ab errore & incredula mente conuerteret. Non enim suos in erroribus perire permittit pius Dominus. Quemadmodùm ergo in ipsa passione sua Petrum tertiò se negantẽ respexit: ita etiam hunc incredulum Thomã nunc docet pius magister; vt scripturæ sua maneat veritas, quæ dicit, Iustus cùm ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manũ suam. Neq; tamen è uestigio Thomam ab incredulitate eximit, octiduo antè probat: tandem verò vbi iam de aduẽtu desperare potuisset nunquàm reuersurum esse Dominũ, ecce in foribus adest: imò medius inter ipsos præsto est: hęc Deo in aliis quóq; consuetudo est: vbi minimè speratur, adest præsentiùs. Interea tardat, suámque manum remoratur, probãs nos, nec tamen omninò emanet. Vnde nec immeritò Propheta nobis occinit: Expecta Dominum si tardauerit: veniens enim veniet, & non tardabit. Quòd autem Christus non nisi peracto octiduo ad suos redit, indicium est, nos nunquàm verè ac plenè Deum posse agnoscere, dum septem hi dies sunt, hoc est, quoúsque hęc vita manet: vbi autem octaua orta fuerit, hoc est, quãdo generalis omnium resurrectio venerit, tunc Deum, sicuti est, videbimus, ibi porrò nullus dubietatis locus erit. Interea verò Apostolorum sequamur exemplum, qui vnà manebant congregati, experti semel charitatis mutuæ & concordiæ fructus, & q̃ Christus (vt charitatis amator) tunc maximè se ostendat, quando vnanimes in suo nomine nouit cõgregatos. Eam ob causam ergo Apostoli manent vnà congregati, sperantes se Dominum reuertentẽ visitaturũ. Neq; verò eos fefellit opinio, & hoc ipsum Thomã coniunctum illis seruabat. Semel sese à grege segregauerat, suo id damno maximo: spoliauerat enim seipsum magno contemplationis Dei bono. Cõgregatus igitur aliisq; iunctus, cõmuni gaudio & consolatione participat. Mox enim se mediũ videndũ offert Iesus. Rursus clausis venit ianuis, se iam porrò clarificatũ & immortale corp⁹ cui nihil obesset, habere insinuãs. Medius inter omnes stat: eum em̃ locũ post resurrectionẽ sibi suam elegerat. Ab illo vtíq; tẽpore nulli obscurus, credẽtibus suis omnib⁹ in finẽ vsq; mũdi vult esse præsentissimus. Adhæc rursus pacẽ precatur, vt bis vna illa

Luc. 23.
Psal. 36.
Abac. 2.
1. Cor. 13.
1. Ioan. 3.
Matth. 18.
Matth. 18.
Ioan. 20.

priore

priore apparitione fecerat, omnibus, ne quid dubitarent se pacẽ inter Deum feciſſe & hominẽ, id quod aliâs perterritis tardísq; conſcientiis credere difficilimũ eſt. Secundò, vt ſcirent pacẽ illam, quã Chriſtus ipſe daret, ſummũ bonũ eſſe. Tertiò, vt triplicẽ à Deo pacem petere diſcerent: internam, externam, & ſempiternã. Verùm ſuper hæc omnia ad Thomam, vt plus cæteris inſtructionis egentẽ Chriſtus conuertitur, quẽ non nauſeat, eò q̃ nõ malitia, ſed puſillanimitate peccaſſe nõ neſcit. Atq; hoc ipſo verũ oſtendit quod Dauid cecinit: Sicut pater filiorum ſuorum, ita miſertus eſt noſtri. Ipſe enim agnoſcit facturã ſuam. Quod autẽ Thomę dicit; Infer digitũ tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis: ſe nõ neſcire abſente ſe Thomæ procacitatẽ linguę, inſinuat. Tũ q̃ attrectare eũ iubet, fit vt eò facilius credat Apoſtolus, & per externam attrectationẽ Magiſtri, interna cordis vulnera ſanarentur diſcipuli, tum etiam noſtra confirmaretur fides & robur ſumeret: imò vt ſi recuſamus iis credere, qui poſt reſurrectionẽ Chriſtum viderunt, ſaltem fidem habeamus iis, qui & viderunt, & ſuis manibus attrectauerunt. Pòſt enim de deitatis illa ſummæ triade fidem, præcipua in Chriſti reſurrectione ſolatia noſtra conſtant, vt Paulus atteſtatur. Si confeſſus fueris Chriſtum (intellige, q̃ patri Deo æqualis ſit) & credideris in corde tuo, quoniã Deus à mortuis eum excitauerit, ſaluus eris. Ideóq; Chriſtus dicit: Noli eſſe incredulus, ſed fidelis. de promiſsionibus & verbis meis ne dubita, etiã ſi impoſsibilia videantur, quãdo iam nunc in me cernis & palpas, quod antè iniquum & impoſsibile arbitraberis. Et hæc regula omnibus præſcripta, ne ſint incredu li, ſed fideles. Ecce quantũ requirebatur, vt Thomas ad ſuam exclamationẽ induceretur, ſed quò tardiùs, eò perducitur, eò deindè audentiùs & honorificentiùs cõfitetur: Dominus meus & Deus meus, inquit. At hîc mihi mirificam Dei manum vide. Quis crederet ex tam pertinaci incredulitate tantam venire fidem, & tam citò? Sic nec quiſquam latronem ſaluum, nec Saulum Apoſtolum fore putauiſſet: vtrúnque tamen factum eſt. Nullius ergo hominis, quò ad hîc vixerit, ſalutem in deſperatis habebimus: Duo autẽ huic Apoſtolo præter omnem ſpem & expectationem contigêre. Videbat & palpabat, quòd Chriſtus verè reſurrexiſſet. Ad hæc audiebat ipſum quoque quæcúnque antè dixerat nouiſſe. Atque

Pſal. 102.

Rom. 10.

Ioan. 20.

Luc. 23.

Act. 9.

ideò eum Dominum suum confiteretur & Deum. Dñm, quòd mortem deuicisset, Deum, quòd omnia etiam abscondita nosset cordium. Et hæc vera perfectáque nostræ fidei confessio est, similis, per omnia confessioni Petri: vbi dixerat. Matth. 16. Tu es Christus filius Dei viui. Quãquã Thomas apertiùs & clariùs omnia, quòd Christum nõ Dominum solùm: verũ etiam confitetur Deũ, nec hoc simpliciter, sed suum Dominum suúmque Deum. Et hic cardo rei vertitur. Neq; enim satis est credere, q̃ Christus sit Dominus & Deus: nisi etiã, quòd tuus Dominus tuúsque Deus sit, tota mente confidas, hoc est, in ipsum speres, omniáque bona ab illo expectes.

Vide ergo, hæc Thomæ concio est, qua hodie exhortamur, nec immeritò. Vtut enim verbis breuissima, ea tamen omnia comprehendit, quæ nobis scitu sunt necessaria. Vt, quid de Christo credendũ, nẽ pẽ, quòd Dominus sit & Deus, deinde, quid ab illo quærendum, nempè auxilia vti à Dño, salutem: quasi à Deo. Postremò, quod illi debeamus, nempè, obedientiam tanquam Domino, & fidem, cum spe & charitate: vt genuino Deo nostro. Animaduertis ergo, quanta & quàm multa Christus paucissimis his nos doceat verbis. Et hęc quidẽ maximè omnium necessaria. Audiamus igitur ambos hos buccinatores, audiamus diligenter Ioannis & Thomæ buccinas. Veneremur vt viros sanctissimos. Precemur Deum: vt cordium nostrorum referet abdita, hæc hísq; similia audiamus, cogitemus, & diligentissimè opere impleamus, Amen.

SECVNDVS SERMO de fide S. Thomæ.

INter alia multa, quæ in nobis corripienda sunt meritò, non infimum locũ tenet, quòd tam tardè quę nobis commoda essent: videmus, cõtrà tam oculati sumus, si qd vsquã, quod ad tegenda delicta nostra arbitramur facere. Id quod clarissimè videmus in præsentis diei Euangelica lectione: vbi leuissimi quíque Christiani non Christianè nil aliud vident vel obseruant, quã q̃ ita ferò resurrectionẽ Christi credidit Thomas, imò, q̃ quodãmodò pertinaciter contrà pugnat, certa licèt dent cæteri signa, & nõ, q̃ aliorum relatione obiter audierint, sed, q̃ viderint referrent. Hoc tantũ, inquã, inutiles illi homines ex hoc Euangelio obseruant, arbitrantúrque se nihil oportere, hoc prætextu, nisi, q̃ videant,

crede-

credere. Quòd verò alibi scriptura huic laudi tribuit, nolũt discere, imò nec insequẽtia statim hac ipsa lectione nolunt videre, nempè, ꝙ tam citò idem ille Thomas noster abiecta incredulitate sua mox constantissimè fidem suã confitetur, cùm clamat, Dominus meus & Deus meus, & ꝙ ideò à Christo laudatur. Quòd si in alijs etiam idẽ facere animus est, id solum, quod peccatorũ leuitatisque nostræ operculum arbitramur, ex Euãgelicis lectionibus enucleare, alia omnia negligere, nũquam profectò Christiana religio pristinũ recuperabit statum. Taceo interim minimè Christianũ esse, ex sacris scripturis solùm si quid mali est, excerpere. cũ D. Paulus prudentes in bono, simplices verò in malo velit esse, hoc est, tales simus, qui facilè, quod bonũ est videãt, malũ autem videntes: quasi minimè videamus. Porrò bonum & malum in diuo Thoma habemus propositũ. Malum erat, quòd Apostolis credere recusabat resurrectionẽ Christi annuntiantibus. Bonum verò, quòd tã facilè ad fidẽ conuertitur. Vtrũq; describit Ioannes: vtrúnque audiamus. Et principiò quidem nõ approbandum est ꝙ Thomas, referẽtibus ipsi Coapostolis, nec vno solo sed omnibus simul, lætũ illud nuntium resurrectionis Domini, tam procaciter obgannijt. Nisi videro in manibus pedibúsque illius fixuras clauorũ, & mittam manum meã in latus eius, nõ credã. Sed minimè mirandũ. Nam & homo ipse, & nõ solus inter discipulos, in quo Christus defectum aliquẽ comperit. Petrus ipse non absimilia loquitur statim ante passionẽ, & quasi Christo veritatẽ dicenti repugnat, cùm audiret modò. Non potes me sequi, sequêris autem posteà, recusat credere. Cur, inquit, nõ possum te modò sequi? Animam meam pro te ponam. Et vbi Christus ait, ꝙ ter se negaturus esset, necdũ vera dicenti credidit, imò loquitur audentiùs. Etsi, inquit, omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquã scandalizabor, imò si oportuerit me mori tecum nõ te negabo. Quòd si id in Dñm ausus fuit Petrus, cur non & in condiscipulos Thomas? Quin idipsum, quod Thomas, cæteri oẽs facturi erant Apostoli, si à solis hominibus Christum surrexisse audiuissent. Neq; enim mulieribus Christi resurrectionem significantibus crediderunt. Sed & Christo seipso manifestante, cum ipsis colloquente: vt viderent & palparent iubente, corãque commedente dubitauerunt, putantes se spectrum videre. Non ergo mirandũ illud in solo Thoma. Nemo itaque sinistrè iudicet de quopiam

Rom. 10

Ioan. 13.

Ioan. 20.

Luc. 24.

homine, in tentationibus succumbente. Si enim tu idem sustineres, grauiùs fortè delinqueres. Quòd autem Ioannes incredulitatem Thomæ ita propriè depingit, non detrectãdi, aut alijs sua vitia obijciendi id factum est libidine, quẽadmodum nec eo animo alij Euangelistæ Petri lapsum deseri psere. Minimè. In lapsu Petri hoc solum docere voluerunt, ne quid nimium quis sibi polliceatur de sese: vel in sua virtute cõfidat. Sic Ioannes in descriptione incredulitatis Thomæ, proprietatẽ naturæ nostræ insinuare voluit. Nudo verbo non credimus, nisi coram videntes palpamus.

Ioan. 4. Quemadmodùm & Christus Regulum ea propter corripit, Nisi signa & prodigia videritis, non creditis. Quare

Luc. 17. semper cum Apostolis precemur necesse habemus, Domine

Matth. 8. adauge nobis fidem. Et, Credo Domine, adiuua incredulitatem meam. Videmus ergo propriam nostram infirmitatem in Thoma. Videmus & iudicia Dei, qui nonnunquàm suis labantur permittit: vt deindè vbi dextra cœlestis porrigitur, diuinam opem & miserationem agnoscant rectiùs: vtque alij timidiùs cautiúsque ambulent. Sed hoc quoque cogita. Thomam hoc facto personam gessisse Iudaici populi, ij ab initio vsque modò idipsum, quod Thomas, faciunt. Vtut enim multa illis Apostoli annuntiarũnt, & etiamnum hodie tota Ecclesia profiteatur, Vidimus Dominũ, in incredulitate tamen sua semper perseuerant, nec vnquam credituri,

2. Cor. 3. quo vsque Deus velamen oculorum ipsorum tandem abstulerit, ipsum Christum ipsi videant. Atque hæc de incredulitate Thomæ dixisse sufficiant. Porrò & fidem eiusdem audiamus, quam omnibus credentibus idem descripsit Apostolus, Dixerat quopdam Dominus Iesus, idq; ipsum impleri necesse fuit. Pater, quos dedisti mihi, custodiui, & ne-

Ioan. 17. mo ex eis perijt, nisi filius perditionis. Et rursus. Nemo de

Ioan. 10. ouibus meis peribit, & nemo eas de manu mea tollet. Pater, qui mihi dedit eas maior est omnibus, & nemo eas tollet de manu patris mei. Propterea nec Thomas potuit perire in incredulitate sua. Christus eripuit. Huius gratia, denuò Apostolis se manifestat, omnibus pacem precatur, at mox ad Thomam se vertit, iisque verbis alloquitur: vt exaltata voce prorũpat. Dominus meus & Deus meus. Cui etiam respõdit Dominus. Quia vidisti me Thoma, credidisti. Beati qui non viderunt & crediderunt. Tantùm de fide Thomæ scripsit Ioannes, omnia prægnantia verba, quę me illius

histo-

historiæ Veteris Testamenti admonent: vbi filij Iacob crescente fame in Aegyptum perrexissent, atque à fratre suo Ioseph, quem non agnouerant frumenta emerét. Iuniorem natu fratrem domi reliquerant, sed benè illius recordatur Ioseph, quærit de eo, nec requies donec coram videat. Etsi autem protraheretur id longo tempore, suscipitur tamen in summa dilectione & amicitia à fratre Ioseph Beniamin, nec minus, imò cumulatiùs dimittitur. Nec secus hoc ipso Thomæ accidit. Christus frumenta inter Apostolos distribuit, cùm ait. Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Dedit eis cibum in viaticum, cùm ait. Pacem meam relinquo vobis. Habebant & sacculos ad summum impletos, quando Ioannes de illis dicit. Gauisi sunt discipuli viso Domino, Thomas autem non erat cum eis illo tempore. Pater eum domi seruauerat, hoc est, diuina patris prouidentia factum est: vt non adesset cæteris Apostolis illo tempore Thomas: vt deindè euidentiùs doceretur, quòd verè à mortuis resurrexisset Christus. Neque enim propterea in obliuionem abijt: quia tunc abfuit, nec reijcitur, quòd non cum alijs credidit, quòd serò ad fidem reuertitur. Imò illius gratia comparet denuò, peculiaríque eum donat priuilegio. Infer digitum tuum hûc, & vide fixuram clauorum. Nihil ergo minus, quàm cæteri etiam Apostoli indè retulit Thomas. Id quod his colligitur verbis, quum dicit. Dominus meus & Deus meus. Ostendunt enim primùm fidem eius, quibus quid de Christo credendum, insinuat manifestissimè. Deindè & obedientiam eius suscipimus, quòd Dominum confitetur Christum, Postremò & spem, quòd Christum confitetur Deum. Ac demum dilectionem suam minimè vulgarem, quòd eundem Dominum suúmque Deum vocitat. Sed nónne pleno tibi gaudere videtur sacco, qui hæc quatuor in sese comperiens, confitetur palàm, fidem, inquam, spem, charitatem, & Dei mandatorum obedientiam? Hæc omnia in vno Thoma, quæ non verbis modò, sed & factis, tota vita, atque adeò sua passione ostendit: vnde pro merito à Christo celebratur. Quia vidisti mè Thoma, inquit, credidisti, beati qui non viderunt & crediderunt. Quasi diceret. Oculis tuis Thoma: vidistime, manibus tuis attrectasti me, corde tuo agnouisti me, nec cæcus, nec piger, nec permansisti pertinax. In vita mea, in morte mea in

Gen. 42. 43.

Ioan. 20.

resurrectione mea vidisti me. Vidisti docentem me populos vidisti liberantem: vidisti triumphantem. Constanter credidisti corde, fideliter confessus es ore, perseveranter id ostendisti operibus. Beati omnes ita me confitentes, ita credentes, corporalibus licèt me oculis nunquam viderint. Atque hoc quidem verbo, omnes nos ad imitationem Thomæ confessionis nos attrahit, Hoc, inquam: verbo consolatur nos, fore: vt æque salutem consequamur nos, qui nunquam vidimus Dominum Iesum corporaliter, nec videbimus hîc, atque illi qui viderunt, modò crediderimus. Sed & incredulos his verbis præuenit Christus, ne arbitrentur sua causa Christum rursus, quemadmodum Thomæ se se manifestaturum. Tibi, inquit Christus, Thoma, datũ est, rursum videndum me offeram: cæteris autem nõ sic, quibus verbo meo assentiri satis sit. Beati qui nõ viderũt, & tamen crediderunt. Illuminet & adaperiat omnium nostrum oculos pius Dominus: in plenam sui agnitionem nos dirigat, Amen.

IN DIE S. STEPHANI EVANGELIVM MATTHAEI XXIII.

DIxit Iesus Iudeis. Ecce ego mitto ad vos ꝓphetas & Sapientes & Scribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagellabitis í Synagogis vestris, & ꝓsequemini de ciuitate in ciuitatẽ: vt veniat sup vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terrã, à sanguine Abel iusti: vsque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occidistis inter templum & altare. Amen dico vobis: veniẽt hæc omnia super generationẽ istam. Hierusalem Hierusalem, quæ occidis Prophetas & lapidas eos q̃ ad te missi sunt: quoties volui congregare filios tuos, quẽadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Dico enim

Eo enim vobis, nõ me videbitis à modo, donec dicatis: Benedictus qui venit in nomine Domini.

EODEM FESTO EPISTOLA ACT. VI. ET VII. CAP.

STephanus autem plenus gratia & fortitudine, faciebat prodigia, & signa magna in populo. Surrexerunt autem quidã de Synagoga, quæ appellatur Libertinorum, & Cyrenensium, & Alexandrinorum, & eorum qui erant à Cilicia, & Asia, disputantes cum Stephano, & non poterant resistere sapientiæ & Spiritui qui loquebatur. (Tunc submiserunt viros, qui dicerent se audiuisse eum dicẽtem verba blasphemiæ in Mosen & Deum. Commouerunt itáque plebem, & Seniores, & Scribas: & cõcurrentes rapuerunt eum, & adduxerunt in Concilium, & statuerunt falsos testes, qui dicerent: Hic homo non cessat loqui verba aduersus locum sanctum & legem: audiuimus enim eum dicentem, quoniam Iesus Nazarenus hic destruet locum istum, & mutabit traditiones quas tradidit nobis Moses. Et intuentes eum omnes, qui sedebant in Concilio, viderunt faciem eius tanquam faciem Angeli.) Audientes autẽ hæc dissecabantur cordibus suis, & stridebant in eum dentibus. Cùm autem esset plenus Spiritu sancto, intendens in cœlum, vidit gloriam Dei, & Iesum stãtem à dextris virtutis Dei. Et ait: Ecce video cœlos apertos, & Filium hominis stantem à dextris Dei virtutis. Exclamantes autem voce magna, continuerunt aures suas, & impetum fecerunt vnanimiter in eum. Et eiicientes eum extra ciuitatem, lapidabant: & testes deposuerunt vestimenta sua secus pedes adolescentis, qui vocabatur Saulus. Et lapidabant Stephanum, inuocantem & dicentem: Domine Iesu, accipe spiritum meum. Positis autem genibus, clamauit voce magna: Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Et cùm hoc dixisset, obdormiuit. Cap. 7.

PRIMVS SERMO, QVOmodò hæ festiuitates natali Domini iungantur.

QVOD Ecclesia alia adhuc festa Natalis Domini solennijs coniungit, quibus corporalibus exercitijs, vanísque mundi curis vacaremus, nemo quasi vacuum ratione aspernet. Optime enim id & Christiano planè fit proposito, cùm vt & melius

melius & diutius mentis nostræ perduret deuotio, tum etiam vt Dei mirabilia cogitandi temporis angustia non prohibeamur. Sed & penitius discamus, & agnoscatur nouus noster in mundum natus Rex, & fides nostra sumat inde augmentum. Nihil ergo his festis diebus præter laudem Dei, nostrámque salutem, quæritur. Nemo igitur paucis his diebus ab opere manuario solicitudinibúsque vacare, quo in sola Dei filij natali occupetur, difficilem se præbeat. Si enim mundi huius filij, totos menses, ne dicam integros annos sine difficultate nonnunquam impendunt, vt paululum lucelli faciant: cur nos pauculos dies iuxta Domini Iesu præsepe, vbi diuitias veras nulla etiam comparatione in infinitum cunctis mundi huius opibus maiores inuenimus, morari grauamur? de qua diffusiùs heri dictum puto. Sed hinc difficultas illa, quòd non minima inter nos hominum pars his diebus ad otium, ad comessationes, ad ebrietates, ad lusum & iocos, ad peccandum miserè abutitur: vnde fit sæpenumero his diebus plus cæteris vbique peccetur. Sed non ea horum dierum instituendorum causa. Non hoc piorum Patrum nostrorum exemplo didicimus. Illis enim hi dies nihil aliud, quàm continuatio, & duratio, & perductio quædam deuotionis, indefessa quædam diuini honoris diligentia, & constans sibi per omnia Dei Opt. Max. mirabilium admiratio erat. Non profectò vna diecula, nec duo, vel etiam tres tanti partus meditari magnalia sufficiunt: totius vitę nostræ huic rei tempus postulatur. Huius quidem nos commonefaciunt illi festi dies. Quanquam autem obiter intuenti, videntur non Christum, sed Sanctos respicere, quòd hodie Stephani, cras Ioannis fit memoria: propriè tamen eò tendunt vt simul vnáque cogitemus, quomodò se Christus per semetipsum, quo modo etiam in Sanctis suis se exhibuerit mundo. In persona Christi quatuor nobis Ecclesia proposuit heri, facta mirabilia, verba consolatoria, magnos fructus, exempla salutaria. Eadem nobis etiam in Sanctis suis Christus exhibet. Quæris quomodò? Sume tibi ad manus
Act. 6. ipsum Stephanum. Sic enim de eo scriptũ legimus: Stephanus plenus gratia & fortitudine, faciebat signa magna in populo. Vide ergo & hîc tibi mirabilia. Insuper & alia in ipso consideramus, æquè mira atque illa, quòd tam patienter patiebatur, quòd tam lætus ac volens in mortem abiit, quòd in his omnibus magis pro persequentium, quàm pro

propria suijpsius salute rogauit. Atque hæc illa verè miracula, quæ non natura in nobis, sed diuina perficit gratia. Adhæc certissima signa sunt, Christum cor hominis inhabitare. Id quod ipse Stephanus testatur: Ecce, inquiens, video cœlos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei. Ex illo fonte eiuscemodi facta promanant. Quam diu terram, quæque terræ sunt, cogitationum intuemur oculis: nihil horum efficimus. Qui enim de terra est, de terra loquitur, ipse terra, at oculos in cœlum subleuantes, Deúmque suspicientes, tunc tandem istiusmodi in nobis perficiuntur opera. Sic & in Macchabæis legimus, quòd quõdam vbi Antiochus credentes à Dei lege ad idololatriam tormentis cogere voluisset, constantis fidei matrona liberos suos admodum piè cœlum suspicerent, Deúmque cogitarent, hinc nec tyrannum nec ipsam mortem etiam timerent, futurum fore, cohortata sit. Idem & Apostolus ille Gentium de quibusdam prędicat: Direptionem, inquit, bonorum vestrorum cum gaudio accepistis, scientes vos habere in vobis potiorem substantiam in cœlis ac manentem. Ecce ergo primum, nempe quòd Christus etiam in beato Stephano magnalia operatus est. Sed & consolatoria verba in diuo Stephano comperimus, quòd dicit: Ecce video cœlos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei. Non impijs quidem persecutoribus illis hæc verba vllam consolationem adferebãt: imò & obturatis auribus audire recusarunt. Terrenis tantùm inhiantes nulla animi afficiebantur lætitia, quòd cœlum apertum audirent: pijs verò & fidelibus nihil amabilius, nihil est iucundius, quàm audire cœlum apertum esse sibi, & quòd Iesus à dextris Dei stet, se defendat: imò quòd à dextris diuinæ potentiæ adstet paratus, in omnibus angustijs, in omnibus aduersitatibus, ad eruendum & liberandum. Hoc ergo secundum signum, quod Christus in diuo Stephano operatus est, quòd tam consolatoria verba loquutus est. Tertiò & magnos fructus, maxima dona in hoc Stephano videm⁹. Stephanus, inquit Scriptura, plenus gratia & fortitudine erat. Et Stephanus plenus fide & Spiritu sancto. Nónne autem hæc magna sunt dona Dei? Vnde enim illa Stephano, nisi à Deo? Ecce ergo & tertiò hoc sese Christus in Stephano ostendit. Postremò nec desunt in illo salutaria exempla, & quidem multæ consolationis illa, maximè quòd non maledicebat, nec obganniebat, cùm malediceretur, & quòd pro inimicis

Actu. 7. Ioan. 3. 2. Mac. 2. Hebr. 10. Actu. 7.

suis

suis orabat, cùm lapidaretur. Id quod nemo præter vnum Christum in eo operatus est. Videmus ergo hoc ipsum Christum in Stephano operatum esse, quòd in seipso antè in natiuitate sua exhibuit: facta mirabilia, consolatoria verba, magna dona, seu fructus vberrimos, salutaria exempla. Quia ergo nihil in Stephano præter Christum, & sua facta, meritò & hæc festiuitas natali Domini subnectitur, in hoc nobis seruiens, vt rectiùs agnoscatur Christus. Restat ergo vt eo modo suscipiamus, & honorificentiùs tractemus eum, quàm vel Bethlehemitæ susceperunt eum in propria persona, vel Iudæi, vt hodiernum Euangelium docet, tractauerunt eum in membris suis. Magna enim certè diuinæ pietatis miseratio est, quòd Christus Prophetas suos in hunc mundum mittere non cessat. Contrà ingens quoque ingratitudo est, quòd mundus hic nequissimus, eius generis à Deo missos Prophetas non tantùm non suscipit, verumetiam plerúnque & maximè iniuria afficit, & persequitur, vt apertissimè in Stephano videre est, in quem persequutores sui dentibus stridebant, impetum in eum facientes, & extra portas eiicientes: & quem lapidabant qui pro ipsis orabat, annuntians illis cœlos esse apertos, & Iesum qui ab ipsis crucis pœna damnatus esset, in omnium auxilium paratum coram Deo stare, vt vnicus inter nos & Deum mediator. Certè horrendum iudicium futurum expectatur, si, vt verissimè expectatur, & hoc ipso Euangelio Christus prænuntiat, seruorum suorum sanguinem vindicabit Deus in mundo. Amen dico vobis, venient hæc omnia super generationem istam, omnis sanguis iustus à sanguine Abel iusti, vsque ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidistis inter templum & altare. Fugiamus ergo è mundo, ne simul cum ipso damnetur. In eam concedamus partem, Apoc. 18. vbi Christus cum omnibus electis suis stat, vt ipsius gloriæ & sempiterno regno participemus, Amen.

SECVNDVS SERMO, CVR peracto Natali Domini, statim de Sanctis habeatur memoria.

MIrabitur fortè quis, nec id sine causa, hodie: quandoquidem Ecclesia heri natalem Domini Iesu tanta celebrauerit lætitia, tantáque exultatione, tanta de eo, vti verò

Messia

Meſsia, indubitata Dei hominísque ſobole, & cantando & prædicando per totum hunc Chriſtianum orbem denuntiaueritcur hodie tam repente ad alia, nempe à Chriſto ad Stephanum, hoc eſt, à domino ad ſeruum, à Deo ad creaturam, conuertatur. Quin huius ignorans cauſas, aut aliàs faſtidiens quicquid in Eccleſia peragitur, occaſionem inde calumniandi & detrectandi de Eccleſia, vt quæ à Chriſto nos ad Sanctos dirigat, aut Sanctos pari cum Chriſto honore dignetur, aut Chriſti honoribus detrahat, præter hunc aliam quandam ſalutis denotet viam, piſcabitur. Sic enim quibuſdam mos eſt Eccleſiæ interpretari ordinationes, vt Chriſto iniuriam fieri arbitrentur, ſi quando vel in minimo recordamur Sanctorum, vel quàm prudentiſsimè de iis verba faciamus. Vt ergo ceſſet eorum calumnia & in Eccleſiam detrectatio, initio huius ſermonis, rationes reddere, cur ſtatim peracto natali Domini quorundam Sanctorum in Eccleſia habeatur memoria, viſum eſt operæpretium. Nemo ergo neſciat, non eum Eccleſiæ morem, vllius Sancti, quotquot vel hac ſeptimana, vel alias ſuas habent memorias, feſto nos à Chriſto abſtrahat, quinimo rectè ad ipſum adducit. Nulla profectò hi feſti dies alia ſunt inſtituta ratione, quàm vt beneficium Chriſti, hoc eſt, gratia & effectus, intentio & fructus ſanctæ natiuitatis illius apprehendatur & cognoſcatur rectiùs. Neque enim vllo noſtro commodo tot inſignitus eſſet titulis, quòd Rex ſit Chriſtus, quòd omnium regum Rex, quòd dominãtium dominus, & ſi qui ſunt alij, quorum heri mentionem fecimus, niſi noſtri commodi iis vteretur. Quanquam autem abundè id ſatis Scriptura paſsim demonſtret: plurimum tamen ad rem facit, iuxta Scripturam proponantur alij, in quibus clariſsimè videre liceat quid & Dominus Ieſus Chriſtus in nobis hominibus operetur. Imò totius ſacræ Scripturæ authoritas vileſceret nonnihil, ſi tantùm verbis conſolari nos velit, non etiam aliquem exhibere, in quo promiſsiones ſuas compleuiſſet Chriſtus, poſsit. Quemadmodum ergo Scriptura non modò promiſsiones Dei nobis denũtiat, ſed etiam plurima exempla, in quibus non nuda verba aut inanes promiſsiones eſſe perſpicimus: ita etiam facit Eccleſia. Heri Chriſtũ nobis vt fundamentum & angularem propoſuit lapidem, cui tutò coagmentamur: qui & ipſe fons eſt, vnde omnes omnis ſalutis promanant riuuli. Ne verò quis dubitet, omnes certò ſcia

tò sciamus vera & indubia esse, quæcúnque vel angelici cœtus: vel homines de hoc puero Christo magna prædicarunt, mox ecce proferuntur exempla, in quibus videmus, immobiles persistere, quicúnque in Christum coædificantur, quibus gratiarum donis se sequentes ditet & remuneret. Huius rei causa tantùm, hodie sancti Stephani habetur memoria, eadem etiam aliorum Sanctorũ per annum, non vt per hæc à Christo seducamur: sed vt & Scripturis doceamur, & externe ipsis oculis veluti videamus quid nobis à Christo sperandum, quidin nobis operetur, & quales nos esse cupiat. Quicquid, inquã, his festiuitatibus peragitur, omne eò dirigendum est, vt eò Christus agnoscatur rectiùs, quæratur diligentiùs, diligatur vehementiùs, teneatur fortiùs. Hanc ergo esse Ecclesiæ voluntatem in his festiuis diebus, indè colligitur, quòd licèt recordetur sanctorum, quotidiè tamen
Psal.110. suis filijs acclamat verbis Dauidicis. Misit Dominus redemptionem populo suo mandauit inæternum testamentum suum. Et iterum. Psalm. 3. Lux orta est iustis, Alleluiah, & rectis corde lætitia. Lux, inquam, miserator, & misericors &
Psal.129. iustus Dominus. Et, Apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio. Hæc ergo verba quotidiè hoc tempore nobis Ecclesia præcinit, euidens profectò argumẽtum, quòd non abducat nos à Christo. Id quod breuiter indicare volui, partim: vt simpliciores festorum huius temporis causa non scandalizentur, partim etiam: vt tandem Ecclesiæ hostibus os obturetur, qui huius causa Ecclesiam condemnant, euulgantes minimè Christianè Christianos facere, à Christo homines ad sanctos detrahere, id quod apertissima calumnia, & iniqua, vt modò audiuimus, detrectatio est. Summa. Optimè Christus & Stephanus conueniunt, nec minus amborum festa congruunt, imò necesse est coniuncta sint, ita planè, vt nihil nobis prosit Christi vel natalis, vel etiam natiuitas, vtut per se magnifica & sacrosancta, nisi sanctorum festa sequantur. Id quod sic intelligas: Vtut multa de Christi persona nobis prædicet sacra Scriptura, nulla tamen nos lætitia afficeret, nisi ea sua bona nobis communicaret. Si quando autem magna de Christo prædicantur, & consideramus quòd ea ipsa nobis etiam elargiantur, totos nos gaudijs implet & lætitia. Et quid hæc festa natalem Christi subsequentia indicant, nisi
Rom.8. quòd Christus non solùm vnigenitus velit esse Patris, verum

verumetiam quòd primogenitus in multis fratribus? Non qui solus regni illius hæreditatem possideat, sed qui multos cohæredes habeat. Hoc, inquam, præsentes sanctorum nobis indicant memoriæ, multò celebriorem, quam alioqui esset, reddentes natalem Domini. In his enim festis, in multis, non in vno clarè videmus, quòd Altissimi patris omnipotens filius, ideò de cœlis in terras deuenerit, vt nos in cœlos sustolleret. Ideò hominis factus filius est, vt nos Dei filios efficeret. Qua aliâs audacia sanctus Stephanus dixisset, Video cœlos apertos? aut qua iam morti proximus confidentia petiisset, Domine Iesu, suscipe spiritum meum? Quis huic omnibûsque aliis piè credentibus cælos reserauit & aperuit, nisi Iesus Christus? Sed & vnde illi isthęc confidentia in capitis etiam periculo, nisi quod certò sibi persuaserat, Christum in se credentibus sua dona communicasse, omniáque velle cum ipsis habere comunnia? Huic ergo rei hæc festa seruiunt, ideóque coniuncta necessariò sunt. Neque enim scire debemus tantùm, quòd Christus venerit, quòd plurima dona secum attulerit, sed etiam, cui venerit, nobis vtique, & quales nos esse cupiat. Ideò ergo vt heri audiuimus, qualis Christus Rex sit, quæ ornamenta eius: ita hodie videmus quos requirat seruulos, & quis horum ornatus sit. Heri, quòd ipse sanctus sit: hodie, quòd idem & alios sanctificet percipimus. Heri, quòd à Deo vnctus, plenus gratia & veritate sit, audiuimus: hodie, quòd illa vnctio etiam in alia omnia membra ab ipso tanquàm capite diffluat, videmus. certum enim ab eius vnctione manauerit, quod de Stephano scriptum est: Stephanus plenus gratia & fortitudine, plenus fide & sancto Spiritu. Heri, quid in seipso possit habeátque Dominus, audiuimus: hodie, quid in piis operetur seruulis videmus. Et quid multa? Heri dictum est, quòd Christus fons veræ totiúsque etiam salutis sit: hodie ab ipso fonte profluentem demiramur riuulum. Quemadmodùm enim naturali ebulitione fons multis humanis aquam largitur vsibus, vt lauetur, vt bibatur, vt aspergatur vel humectetur, vt coquatur: sic etiam à Christo promanans gratia, credentibus in omne bonum commodat, vt clarè in Sancto Stephano videre est. De ipso enim scriptum est, quòd plenus gratia, fide, & Spiritu sancto fuerit. Atque hæc quidem aqua, qua peccatorum mundamur sordibus. Sed vnde isthæc Stephano? Per Christum, per hunc gra-

Ioan. 1.

Bernard. 9.

Act. 6.

tiam, per hunc habemus redemptionem per fidem in sanguine ipsius, ipsam dico peccatorum remissum. Deinde & quod fecerit signa & prodigia magna in populo, legimus: atque hæc quidem aqua, qua nouellæ plantationes irriganEphes.1. tur. In hoc enim sanctis virtus edendorum largita est miraculorum, vt eò fortiùs imbecilliores crederent, & in fide confirmarentur. At vnde illi hæc virtus? Haud dubiè ab eodem Christo. Ego, inquit, dedi vobis omnẽ potestatẽ calcãLuc.1. di super serpentes & scorpiones, & contra omnẽ vim diaboli conterendã. Tertiò de ipso Stephano legimus, & prædicauerit, & cũ aduersariis disputauerit. Et hæc quidem aqua situm releuans, aqua, inquam, sanæ doctrinæ & sapientiæ. Sed nec hoc ipsum Stephanus vllo aliquo nisi à Christo habuit.Luc.21. Ille enim solus est, qui suis os & sapientiam contra omnes aduersarios tribuit, cui nemo potest resistere. Quarto & hoc Act.7. de sancto Stephano nouimus, quòd seuerè & duriter impios increpauerit. Duri ceruice & incircuncisi corde & auribus, inquit, vos semper Spiritui sancto resistitis: sicut patres vestri ita & vos. Atque hæc quidem feruens aqua, qua cibus coquitur, aqua æmulationis. Sed vnde illi illa gratia, vt potentes & doctos corriperet, nisi à Christo? qui in Hieremia, Ecce, inquit, posui te vt diuas, vt destruas, vt eradices Hier.1. quod malum, vt erigas, vt ædifices, vt plantes quod bonum. Et in Ezechiele: Ecce dedi faciem tuam valentiorem facieEzech.3. bus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum, vt adamantem & vt silicẽ dedi faciem tuam. Ne timeas eos, neque metuas à facie eorum, quia domus exasperans est. Quintò de Sancto Stephano legimus quòd dixerit: Ecce video cœlos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei Act.7. Et, Domine, ne statuas illis hoc peccatũ, quia nesciunt quid faciunt. Et, Domine Iesu, suscipe spiritum meum. Et hæc aqua deuotionis, imò aqua vitæ æternę: videre nempè Deũ, & de eius gratiis gaudere. Et denique vnde Stephano hæc Ioan.14. gratia nisi à Christo? qui dicit: Rursus veniam ad vos, & suscipiã vos ad meipsum, vt vbi ego sum, illic & minister meus erit. Ecce ergo, quòd nihil in Stephano nisi Christum comperimus, audimus, & videmus, eóque minus admiremur, eius in hac septimana celebrari solennia. Rogemus ergo Deum, vt sua nos donet gratia, & vt Christus eo in nobis loquatur modo, & operetur, quo in illo: maximè vt ex cordibus nostris remittamus, & pro inimicis nostris, vt ille fecit,

cuius

cuius hodie festa peragimus, oremus.

TERTIVS SERMO IN EVANgelium Matth. vigesimotertio. cap.

EVangelium quod hodiè audiuimus, non solùm per se valde seuerum, verum etiam omninò dispar ab illo quod heri nobis prælectum est. Tunc enim nobis præcinebatur ex Dauide: Speciosus forma præ filiis hominum, &c. *Psal. 44.* Verùm in huius diei Euangelica lectione ita nos alloquitur Christus, vt meritò exhorrescant & timeant omnes. Heri dicebant Angeli: Natus est nobis hodie saluator mundi: hodie verò ipse Christus nonnullis: Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta: imò auferetur à vobis regnum Dei. Heri, Benedictus qui venit in nomine Domini, Deus dominus illuxit nobis: hodie verò: Nõ videbitis me amodò Et quæ causa, quòd multò alia ratione heri denuntiatur ab angelis, quàm hodie per seipsum prædicatur orbi? Quæ illa morphosis? aut nunquid falsum reputabitur quod heri de eo per angelos denunciatur? Quod heri de ipso in Ecclesia prædicatur? At verò idem ipse Christus est qui fuit semper. Verùm enimuerò hoc videndum, quibus hominibus familiariter loquatur Christus, quibus secus. Isaias quidem *Luc. 21.* *Matth. 22.* *Psal. 117.* in persona Christi loquitur. Consolamini, consolamini: *Isai. 40.* sed addit, Populo meus. Sic Angelus de ipso: Ipse liberabit, *Matth. 1.* sed populum suum de peccatis suis. Et quis illius populus? Audi quid Dauid dicat: Populum humilem saluum facies. *Psal. 17.* Et iterum: Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor. *Psal. 9.* Ecce hic populus Domini Dei, qui in quem confidant non habent: sed in Domino Deo spes eius. Atque his quidẽ Christus amicus est. Talem se pastoribus, talem ab Oriente Magis, talẽ Simeoni, Apostolis, Latroni in cruce, multisq; aliis infimæ sortis hominibus sese exhibuit. Ad quos verò sermo hodierni Euangelij venit, non erant eius populus. Et quid mirum, quia nec amicè nec familiariter eis loquitur? Vt vt tamen seuerus illis semet exhibet Christus hoc Euãngelio: multa tamen sunt quæ amicũ ipsum ostẽdunt. Atque hoc ipsum breuiter dicã, finẽ deindè facturus de S. Stephano. Primũ itáq; duo cõsideremus in hac lectione Euangelica, nempè quo tẽpore & ad quos huius Euangelij sermo factus est. Atq; hinc illud primũ cõsideremus, qꝓ nõ suę prędicatiõis initio, sed à fine statim his verbis vsus est. Et cur non

à principio? Arundinem quassatam ne corrumperet, & li-
Isa.42. num fumigans non extingueret: hoc est, ne amplius homines perterrefaceret, vt pusillanimiores reddat, quos antè Ioannes obstupefecerat diuini iudicij denuntiatione. Ideò, inquam, Christus prædicationis suæ munus verbis consolatoriis auspicatus est, non nisi in fine seueris his sermonibus vsus est, vt impij & impœnitentes, se nõ solùm saluatorem, sed & iudicem esse: non agnum tantùm: sed & leonem: nec
Apoc.5. solũ gratię in se habere mel, sed & iudicij aceluum, quemad-
Ioan.5. modùm & in alio dicit loco: Pater omne iudicium dedit filio. Sed quibus, audiamus obsecro, tam atrocibus verbis loquitur Dominꝰ? Haud dubiè malis, & qui mirè quid à Christo audirent, indignissimis. Sed nunquid publicanis peccatoribus, tyrannis, idolatris, mœchis aut homicidis loquitur? Non ad scribis, sed Pharisæis. Et quis isthæc nõ miratur? Quid, inquis, nunquid aliis tam atrociter atque seuerè loqui potuit? Aut cur non adulteros, tyrannos, altósque eius farinæ homines tam inclementer alloquitur? An verò soli Pharisæi damnationem demeriti? Audi. Externa & omnibus manifesta delicta Moysi lex corripuit & damnauit, ideóque superfluum fuit denuò ea repetere velit Christus. Maledi-
Deute.17. ctus omnis, qui nõ permanserit in omnibus verbis istis, quæ scripta sunt in lege Mosi. Sed Pharisæi Iudæorum sibi ipsis videbãtur iusti, vt lex, nec quisquam alius eos argueret. Ideò
Rom.11. ergo necesse erat Christꝰ eos argueret, vt se peccatores agnoscerent, & nemo diceret, quia nullo saluante indigeret. Omnes enim Scriptura sub peccatum cõplectitur, vt omnium misereatur Deus. Et quid Christus in Pharisæis offendit
Luc.18. mali? Non erant sicut cæteri hominum raptores, adulteri,
Matth.6. iniusti. Ieiunabant & orabant plurimum, imò planè iusti habebantur coram hominibus. Nihilominus erat in eis quod
Hebr.4. argueret Christus. Ipsius enim oculi etiam abscondita vidét
Matth.23. cordium. Sed quæ eorum peccata fuerint, longo inuenies in Matthæo recitata catalogo. Quid ergo profuit, quod coram hominibus honestis gaudebant titulis, quòd neque raptores, neque adulteri, sed in corde coram Deo superbi, auari, impuri, inimici honorum Christi, veritatis persequutores, & iustitiæ? Atque hîc quidem mentis suspiciamus oculis. Nos enim hæc res tangit, necdum enim Pharisaicum illud fermentum à nobis absterſum est, pleni interne omnigenis cupiditatibus & peccatis, simus licèt foris in specie iu-

sti, atque

ti, atque ideò meritò timemus ne pari modo Christus contra nos clamet, Væ vobis hypocritæ & cæt. Certissimè enim grande hoc peccatum formidanda sequitur pœna. Nam hac ipsa Euangelica lectione Christus triplicem pœnam eiusmodi minitatur hominibus. Temporaneam vnam cùm dicit, Relinquetur domus vestra deserta. Spiritualem aliam, cùm ait: A modo non videbitis me, donec dicatis: Benedictus qui venit in nomine Domini. Sempiternam denique, vbi ait: Væ vobis, & cæt. Et, veniet super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, & cæt. Sit ergo nobis dictum, & timeamus semper. Sed sic licèt hoc præsens Euangelium durum & atrox in malos: habet tamen piorum causa verba consolationis plena, & quidem numero multa. Primũ, quòd non nisi vel negligentibus vel aspernãtibus immitis Deus est. Secundũ, quòd suorum iniuriam non sinit in ultam in malos. Demortui erant Abel & Zacharias aliquot annorum centenis, nihilominus Christus ait, fore vt eorum sanguis veniat super istam generationem. Tertium, quòd suos semper sub alas alliciendo collocet, hoc est, in suam fidem & defensionem suscipiat. Ea enim propter in præsepe pueriliter vagiens plorauit, ideo predicans magna voce clamauit, ideò etiam cruci affixus, manus expandit. Et quid pio magis consolatorium? Quartum, quòd non tantùm priscis seculis suos legatos, Prophetas, Sapientes, & Scribas miserit, verumetiam necdum desistat idipsum facitare: mittit quotidie homines, qui nobis præterita in memoriam reuocent, & iis quæ præsentia sunt, de futuris admoneant. Id porrò magna diuinæ pietatis miseratio est. Prophetæ sunt, qui futura prænunciant. Sapientes & prudentes sunt, qui rectè presentibus vtuntur, ideòque & villicus iniquitatis prudens: contrà diues de possessionum suarum magnitudine confidens, stultus, & lampades tenentes sine oleo virgines, fatuæ Scripturarum autoritate dictæ sunt. Scribæ verò sunt, qui præterita nobis in memoriam reuocant. Talis scriba diuus Stephanus extitit, qui lõgo sermone magnalia Dei ipsorum parentibus exhibita Iudæis repetit & enumerat. Fuit idem & sapientũ numero vnus, de quibus Christus loquitur. Primùm, quòd vera Dei dona, vt fidem, fortitudinem internam, gratiam Dei & Spiritum quæsiuit. Secundò, quòd in defensione eius, quæ in se erat, fidei, prudentem se per omnia exhibuit: quam etiam fidem constanter prædicans,

Luc. 19.
Matth. 25.
Act. 7.

nullo modo relinquere voluit. Tertiò genuinam illam & inter multos raram sapientiam ostendit per omnem vitam. Inter bonos enim multa & maxima ædebat miracula, inter malos verò angelicè planè viuēs, angelicam ex sese ostendebat faciem. Quartò & maximè eam sapientiam in mortis suæ pijssima ostendit præparatione. Suspexit enim in cœlum, remisit inimicis suis, orauítque pro eis, Animam suam Christo Iesu vero saluatori commendauit. Hoc denique morti se præparare est. Hæc summa sapientia est, & præcipua ars est. Postremò & Propheta erat, cùm dicit. Ecce video cœlos apertos, & Iesum stārem à dextris virtutis Dei. Quasi diceret. Surrexit è solio paratus ad vindictam & pœnam, resipiscite ergo, & viā iniquæ vitæ vestræ relinquite. Securis enim ad radicem arboris posita est. Non effugietis iram Domini Dei, &c. Sed nobis id dictum arbitremur, quotidiè Prophetas similia denuntiantes audimus. Videmus quotidiè etiam sapientes, in quibus veram inuestigare licebit prudentiam. Sollicitè præuideamus: vt maiori cum vtilitate ijs vtamur, quàm Iudæi vsi sunt Stephano & alijs. Gratia Dei nobiscum, Amen.

Matth.3.

QVARTVS SERMO, cur huic festo hoc Euangelium sit deputatum. Matth. 23.

Matth.13. SIc Christus in hoc Euangelio minimè blandis sermonibus imò horrificis increpationibus intonat: vt mirari
Luc.2. quis possit, sit ne idem ille Christus, quem saluatorem mun
Dan.9. di Angeli, quem sanctum sanctorum appellauit Daniel, de quo omnes passim Prophetæ tam multa bona prædicant. Si enim ipse saluator, & redemptor orbis (dicet aliquis) cur tam horrenda minitatur hominibus, quod omnis sanguis iustus qui effusus est super terram, superuenturus sit in eos? Si vt Angelus docuit, pro natiuitate eius gaudēdum est, cur ita adoritur Iudæos, quibus primum visus? Si sanctus sanctorum, cur non & hos, ne in eam impietatem prolaberentur, sanctificauit? His ergo similia cogitabit fortè quis.

Sed nemo pius propterea à erroris sumat materiam. In externis enim videmus, quòd non vbíque idem effectus solis est, mollificat ceram, indurat limum: vtrúnque tamē vno
Psal.17. splendore. Tum etiam quid scriptura Deo attribuit, nouimus, quòd cum sancto sit sanctus, & cū peruerso peruersus.

Adde,

Adde,quòd ipse Christus dicat,se in mundi veniſſe,iudiciũ: Ioan.9.
vt qui cæci videãt,& videntes non videãt. Prædixerat idem Dan.9.
illud Daniel,quòd pręteritis ſeptuaginta hebdomadibus ad Meſsiæ aduentum pręfinitis,conſummaretur prævaricatio. Id doctiores interpretantur,quòd vbi Meſsias appareret. Iudæorum iniquitas maxima eſſet futura,implens menſuram ad ſummum,idcóque Chriſtum nõ longiùs expectaturum, ſed ſimul eos eradicaturum eſſe. Id verò pulchrè conuenit cum eo, quòd ſtatim ante initium huius Euangelij Iudæis Chriſtus dixerat. Implete menſuram patrum veſtrorum. Quaſi diceret. Ecce tẽpus adeſt:vt in vos deueniat à Danie- Matth.23.
le prædicta deſolationis abominatio. Vos ergo nihil prętermittite,quin,quod patres veſtri in Prophetis,hoc ipſum in me perficite: vt conſummetur menſura, eóque citius & celeriùs Dei iudicium in vos deſcendat. Manifeſtum eſt ergo,Propheras vtrúnque coniunxiſſe, nempè Chriſtum credentibus,ſaluatorem, infidelibus ſcandalum, Gentibus lucem,Iudæis excæcationem fore,credentibus perpetuam iuſtitiam allaturum,excæcatis verò Iudæis dignam factis pœnam irrogaturum. Minus ergo turbetur pius quicúnque eſt, quòd ſeueriorem ſe Chriſtus verbis huius Euangelij exhibet, tam familiaris & amicus, cùm Angeli, tum vbíque ſcripturarum eulogijs denuntiatus. Luti, non ſolis defectus eſt,non æquè molleſcit atque cera. Non Chriſti,ſed Iudęorum cauſa eſt,qp nec ſalutaris Domini aduẽtus,ſermo,& actus,paſsio,& mors,nec Euangelium eos fructus in Iudæis protulit,quos in Gẽtibus. Hieruſalẽ Hieruſalem,inquit,quo Matth.23.
ties volui filios tuos cõgregare,quẽadmodũ gallina congregat pullos ſuos ſub alas,& noluiſti? Pulchrè igitur hoc Euangelium hodie legatur inſtitutũ eſt. Primũ,ne quis arbitretur nihil eſſe Chriſtũ,præter ſaluatorem:quaſi nihil poſſet præter ſaluare, dare, tueri, miſereri, qui neceſſe habeat omnia ab hominibus ſufferre,qui neſciat iraſci,quemadmodum id credere inductus eſt totus ferè mundus, perſuadetúrque à quibus neſcio,quotidiè. At verè fallitur. Quòd enim iraſci quoque poſsit,maximo ſuo damno,æternáque damnatione ſua didicêre. Non omnia omnium hominum acta approbat,qui & ſaluator eſſe poteſt,& iudex. Atq; idipſum etiam atque etiam inculcetur hominibus, oportet, iuxta ea quæ heri audiuimus, aliâs de ijs quæ blandè de Chriſto ſunt dicta, ſuperbient, atque ſine vlla formidine in miſerationes

Dei peccarent. Atque hæc quidem vna ratio, cur Euangelium hoc ipso die in Ecclesia legatur, Secunda ratio, quòd haud dubiè Stephanus eorum numero Sapientum & Scribarum vnus, quos æterna Sapientia, substantialéque ipsum verbum Dei Iesus Christus ad Iudæos delegauit imò, quòd Protomartyr Christi, in cuius se sanguine aspersérunt & fœdarunt. Potuisset quidem Stephanus in multis commodare Iudæis, ab ipsis enim ad nos deuenit. Quæris qui sic? Ecce videmus, & audimus, & officium & vitam, & orationem, & passionem, deniquè & ipsam mortem eius. Omnia eiuscemodi, in quibus ad nos à Deo missus ab Ecclesia nobis proponitur. Fidelis in officio: verax & constans in doctrina, in vita sanctus & irreprehensibilis, in oratione deuotus, in passione mitis, in morte voluntate, paratus. Et hæc quidem propriè hominis Christiani sunt. Itáque propter Christus, vt Apostolica tradit autoritas, in mundum venit, vt mundaret & acceptaret sibi populum ac-
Tit. 2. ceptabilem, sectatorem bonorum operum. Atque ea causa tanta honorificentia statim à natali Domini nostri in memoriam reuocatur Stephanus, nempe quod omnia quæ in Christiano homine maximè requiruntur, propriè & apertissimè in ipso considerantur. Id quod singulari est perpendendum diligentia. Si enim heri non obliquis oculis decorem perspeximus Christi Regis nostri, ad confirmationem fidei nostræ, ad consolationem conscientiæ nostræ, iam quoque consideremus quòd decus Christiani militis, ad vitæ nostræ institutionem. Sanctus, imò sanctus sanc-
Psal. 2. torum Rex noster, vt Daniel. Idem & ministros suos sanctos desiderat. Sed de his alibi fusiùs dictum est. Redeo ad Euangelium de quo suprà dictum memini, quod ideò recitatur hodie, quia & Stephanus eorum numero vnus, quos ad nos Christi delegauit benignitas, & vt sciatur perinde inclementem fore Christum in iudicio contra incredulos, atque initio suæ incarnationis & gratiæ, piis sese exhibuit clementem. Ac hoc quidem nos cautiores reddat. Ita ô fratres Christum suscipiamus, vt ab Angelis annuntiatus est, vt à Stephano à dextris Dei in cœlis visus est, sic minimè talem experiemur, qualem hoc Euangelio Iudæi verbis, postea verò in virga experti sunt. Queramus vt pastores, & inueniemus. Confiteamur eum cùm verbo tum vita, vt Stephanus, & paratum expeditúmque in omnibus aduersi-

aduersitatibus in ipsa morte ad auxiliandum sentiemus. Ecce, inquit Stephanus, video cœlos apertos, & Iesum stãtem à dextris virtutis Dei, Beatus planè qui eo modo Christum intuetur: nam hic in morte confidere, atque cum fiducia dicere poterit: Domine Iesu suscipe spiritum meũ: vt Stephanus in sua morte. Deus Opt. Maxim. largiatur nobis suam gratiam, vt Christus in æternum nobis omnibus maneat saluator: nec vertatur nobis in seuerum & inclementem iudicẽ, qualem Iudæi senserunt, & omnes impij experturi sunt. *Act. 7.*

QVINTVS SERMO, Collatio festi hodierni & Euangelij. Matth. 23. cap. cum festo Natalis Domini.

NOn videntur vel Euangelium hoc: vel etiam ipsa isthæc festiuitas quicquam ad ea facere quæ heri peregimus, quæque non modo Angeli aut Prophetæ, sed ipse etiã Christus per Dauidem prædicauerunt. Illud enim omni lætitia & exultatione fœcundum: hoc contrà minitationibus formidandum. Verùm etiam atque etiam intuentes, dupliciter iis omnibus seruit. Primò per contrarium. Si quis enim ignorat, quantum consolationis adferat, quòd Christus homo in hunc mundum natus est. si cui ignotum quod bonũ, quia iam porrò populũ nos suum vocat, séque nobis Deum fore promittit: Audi Israel, per Dauidem ait, & contestabor tibi: Deus ego tuus sum: si quis, inquam, ignorat nec intelligit quæ isthæc gratia, hodiernum Euangelium intueatur, & contrarium inueniet, nempe quòd malum eos maneat, qui nec populus Dei sunt, nec Christum siue Deum habent, nec natalem vllum, Saluatorem vllum agnoscunt, vel quòd Deus dominus illorum sit. Veniet, inquit Christus, super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram. Et, Relinquetur vobis domus vestra deserta. Et iterũ: Amodo non me videbitis. Et quid his minis atrocius? quid formidabilius? Quis infelicior illo, cui Christus eo modo loquitur? Quid nisi sempiterna indignatio reliquum illi, qui eo modo à Christo deseritur? Hæc ergo quisque piè Christianus secum cogitet, & non multo labore videbit, quod bonum sit, quæ gratia, quam conscientiis *Psal. 49.* *Matth. 23.*

pacem adferat, quòd se Christus, in sua natiuitate, Dominum nostrum fore pollicetur & conteſtatur. Seruit ergo hoc Euangelium natalitijs ſolennijs per contrariam. Vt ibi ſuos alloquitur blandè, ſic modò intonat contra hoſtes ſuos ſeuerè. Qui ergo natalem Chriſti negligit: vel blandiloquentiam Chriſti temnit: vel non ſuſcipit, nihil reliquum expectat, quàm quod hic Iudæis minitatur. Id ſi quis effugere cogitat, apud humile præſepe Chriſti incarnati perſiſtat. Nam quò illic duriùs hoſtes ſuos aggreditur, eò mitiùs hîc agit, accedere iubet, accipere mandat, & omnem petitionem omnémque expectationem excedentia daturum ſe promittit. Congregate mihi ſanctos meos, inquit. Et mox. Audi populus meus, & loquar. Iſraël, & conteſtabor tibi, Deus Deus tuus ego ſum. Hûc pertinet, quicquid vbíque ſcripturarum de regno Chriſti conſolatorium dicitur: vt videremus quàm ſecurè ſub Chriſto habitemus. Atque vnicus ille Daniel ſua inuitatione, omnes certatim concurrerent mouere poſſet. Deus, inquit, cœli ſuſcitabit regnum, quod non diſsipabitur inæternum, & regnum eius alteri populo non tradetur. Comminuet autem & cõſumet vniuerſa regna hæc, & ipſum ſtabit inæternum.

Pſal. 49.

Dan. 2.

His verbis, inquam, apertiſsimè videtur Chriſto adhærentium beatitudo. Primò enim, ſi quod regnum Chriſto eſt in terris: vtíque qui in illud iurauerunt, ſunt. Neque enim de bobus cura eſt Deo, nec cætera bruta eorum bonorum capacia ſunt. At Angeli cœleſtis regni ciues ſunt. Reſtat ergo homines Chriſti in terris regni incolæ ſint.

1. Cor. 9.

Secundò, ſi hic regnum Chriſtus habet, non vnus tantùm homo, ſed plures ſint incolę neceſſe eſt. Vnus enim nõ conſtituit regnum, ſed magna hominum frequentia.

Tertiò, ſi regnum Chriſto in terris eſt, potentiam, maieſtatem, rerum copias, ſapiẽtiam, leges, ſeruos habeat neceſſe eſt, his enim omnibus conſeruatur regnum vt ſit.

Quartò, ſi Chriſti regnum à Deo ſuſcitatum eſt: vt ſit æternum: vt non diſsipetur, neceſſe ergo eſt, nihil in ſe habeat, præter diuina omnia, fortitudinem, potentiam, diuitias, ſapientiam, imò nihil præter Dei filios, amicos & ſeruulos. Quintò, ſi Chriſti hoc regnum nulli alteri populo tradetur, nec ab ipſo auferetur, ſequitur omnes huius regni ſubditos perituros minimè: vti nec ipſe Rex peritarus eſt vnquam. Et hoc quidem ipſe Chriſtus teſtatur ſignan-

ſtatur ſignantiſsimè: Oues meæ non peribunt in æternum, Ioan. 10.
neq; rapiet eas quiſquam de manu mea. Pater meus qui dedit mihi eas, maior omnibus eſt: & nemo poteſt rapere de manu Patris mei. Et, Pater, quos dediſti mihi, cuſtodiui, & Ioan. 17.
nemo ex eis perijt, niſi filius ille perditus. Ecce omni æſtimatione maiorem certitudinis conſolationẽ iis qui Chriſti regno inſerti Chriſto adhærent. Eóque minus miramur tot mala minitari Deum aſpernantibus. Et hoc primum, in quo hodiernum Feſtum pro ratione Euangelij, natali Domini ſeruit. Secundum eſt exemplum, & quæ de S. Stephano dicuntur, quę alio quodammodo illi rei ſeruiunt, vbi Chriſtus alia ratione ſe Deum noſtrũ fore teſtatur, ſi modò ſe ſequuti fuerimus. In diuo Stephano id oſtendit. Primò, quòd ipſi nõ modò gratiam & fidem, verumetiam eam ſpiritus fortitudinem largitus eſt, vt miraculis clarus, nemo eſſet qui eius ſpiritui reſiſteret. Secundò, quòd perſequutionis tempore, tantis conſolationibus, tanta lætitia cor eius imbuit & impleuit, vt facies eius etiam externè in modum Angeli lucereret. Inimici eius, vt Scriptura tradit, videbant faciem eius tanquam Angeli. Tertiò, quòd & cœlum patefecit, quòd gloriam ſuam oſtendit. Hoc igitur modo teſtificatus eſt Ieſus, quòd non modò diui Stephani, ſed & noſter Deus velit eſſe. Sed nunquid non certæ approbationes & teſtimonia? Annon verè cum animum meũ profiteor, proximum meũ dico, qui mihi largitur, me conſolatur, & in neceſsitatibus meis præſto eſt? Eo autem modo Stephano Chriſtus adſtitit, nec huic ſoli, verumetiam innumeris alijs. Eſt ergo oſtenſum denuo, teſtificatum, & approbatum, Chriſtum qui ab æterno Deus erat, nunc in humanitatis natiuitate noſtrum etiam Deum factum, noſtrum in æternum permanſurum eſſe. Id quidem, quum merita noſtra longè excellit, difficilè creditur, ita ſeſe Deum nobiſcum ſubmergere, & maximè, ſi quales ſimus nos, qui pœnis, nullis beneficijs diguandi ſint, cogitauerimus. Sed ſatis ſupérque confirmatum eſt, Chriſtum Deum noſtrum fore, ipſo in Dauide atteſtante. In natali ipſius heri id prædicatum eſt, videmus & audimus idipſum hodie in Stephano. Meritò igitur omnes in nobis animaduerterẽt quod tam ſplendidis verbis Iſaias quõdam Iſai. 9.
cecinit: Exultabunt ſicut qui lætantur in meſſe, exultabunt ſicut victores capta præda, quando diuidunt ſpolia. Meritò profectò in nobis exultationem conſpicerent, & quidem

ſummam

ſummam. Si enim mundi huius filios in corporis vſus dimetiri fructus lætificat, quantò magis nos Dei filios gaudio imbuet, quòd Chriſtus ſemel omnia gratiarum dona, imò totum regnum, totámque hæreditatem ſuam, quam vt vnigenitus & naturalis Dei filius propriam habet, donare & tradere vult, imò donauit & tradidit? Quòd ſi mundi huius filios lætificat, vbi corporales hoſtes deuicerint, vbi prædam ampłam ceperint: quantò magis nos lætabimur, quòd Chriſtus inuiſibiles hoſtes noſtros debellauit, & ſimul importabile iugum, & virgam humerorum noſtrorum, & actoris baculum à nobis abſtulit & confregit, hoc eſt, non ſolùm quòd noſtras conſcientias præmebat peccatum, non ſolùm virgam humerorum noſtrorum, maledictionem Legis, ſed etiam baculum & poteſtatem diaboli, qua nos omnes anguſtiabat, à nobis abſtulit. Profectò, qui Chriſtum verè nouit, nunquam ſpiritali carebit gaudio etiam in maximis neceſsitatibus & periculis. Id quod rurſus clariſsimè in diuo Stephano videmus. Hîc tantum gaudium minimè celare potuit, etiam cùm blaſphemator & Dei inimicus accuſatus
Act. 7. iudici ſiſteretur, cùm dentium hoſtilium fremitu, extra ciuitatem eiectus lapidaretur. In his omnibus, inquam, animi ſui lætitiam abſcondere non potuit, nihil motus vel fremitu hoſtium, vel mendacio, vel accuſatione, vel etiam lapidatione. Ecce, inquit, video cœlos apertos, & Ieſum ſtantem à dextris virtutis Dei. Et: Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum. Et quid iſta verba, niſi plenum gaudij animum indicant? Sed vnde tantum gaudij hauſit fortiſsimus Athleta, niſi ex ipſo natali Domini, ex agnitione & conſideratione gratiæ, quam Chriſtus attulit, nobísque in ſuo regno exhibet? Hoc igitur modo, quid natiuitas Domini in nobis operetur, fiet conſpicuum: ideóque ſtatim ab illa Stephanus nobis proponitur, quo quiſque eius exemplo monitus, ſemet cognoſcat, & recténe an ſecus natalem illum celebrauerit, iudicet. O pulchram & neceſſariam probam: ſed timeo multos comperturos in ea, admodum parum ſe de regno Chriſti noſſe. Summa hæc eſt, quandoquidem viuentes natalem Domini attigimus cum Stephano, ſemper cũ ipſo in Domino nobis gaudendum eſt, eóque cum maiore diligentia gratiæ agendæ, qui nos replet conſolationibus: & gratiarum donis diligentiùs vtentes ipſe noſter in ſempiternum maneat, nec nos ab illius regno vllatenus excida-

mus,

mus,honestè ambulantes,viam mandatorum illius curramus. Hæc igitur cogitemus & meditemur hodie:in hoc enim nobis hodie diui Stephani inseruit memoria.Satis vbi que occasionis ad deuotionẽ,ad pietatem,Deus Opt.Max vt ea rectè vtamur largiatur gratiam,Amen.

SEXTVS SERMO, COLLATio hodierni Euangelij & historiæ de sancto Stephano.

IN hac Euangelica lectione Christus de Iudæorum ingratitudine,quam in Prophetas pariter,& eos qui ad se missi erant,exercuerunt conqueritur.Id verò pulchrè natalitijs Domini cõgruit.Nam eam ipsam ingratitudinem à prima ortus sui die Christo,& maximè Bethlehemitæ ostenderũt. Inter hos enim in sua natiuitate Christus pro hospitio stabulum, pro cunabulis præsepe tantùm reperit.Atque tum quidem statim impletum est quod de Christo narrauit Ioannes:In propria venit,& sui eum non receperunt.Et:In mundo erat,& mundus per ipsum factus est,& mundus eum non cognouit. Neque ergo mirum, idipsum legatis quóque ipsius factitare. Si enim patremfamiliâs vocauerunt Beelzebub,quid non in seruis illius facerent? Quòd si mundus intelligeret,quæ & quanta ab his legatis susceperit, suscipiátque,si velit,etiamnum,non ea profectò ingratæ mentis signa exhibuisset. De Christo Ioannes loquitur,quòd omnibus in se credentibus potestatem dederit, filios Dei fieri, quod bonum omne desiderium, omne facilè votum in his terris superat.Nulla alia Deus Prophetas,Christus Apostolos suos causa in hunc mundum delegauit,nisi pro salute hominum. Quoties,inquit Christus,volui congregare filios tuos,quemadmodũ gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?Imò nõ tantùm noluit,verùm etiam Christum, & quicquid eius,persequutus est,nulla alia causa,quàm quòd suis operibus sentiret oppugnatorẽ.Mala enim cùm essent eorum opera,oderunt lucem,aut certè magis dilexerunt tenebras suas,quàm lucem.Quòd si pompositus,magna satellitum caterua stipatus,in mundum veniisset Christus,apparatus vbiq; locus fuisset inuentus,vbique obuiam famuli: sed quia pauper summa inopia pressus,summa humilitate submissus,ab omnibus excluditur,à nemine intromittitur.Idẽ Apostolis & legatis suis vsu venit.Si de mũdo fuissent,mundus

Ioan.1.

Matth.10.

Ioan.1.

Matth.23.

Sap.2. Ioan.3.

Ioan.15.

dus quod suum erat dilexisset: sed quia de mundo non sunt, propterea odiuit eos mundus. De hac ergo ingratitudine Christus conqueritur in hoc Euangelio. Quod autem de omnibus suis in genere dixit, hoc totum in diuo Stephano
Act. 6. ostensum est apertissimè. De hoc enim Lucas testatur. Stephanus plenus gratia & fortitudine, faciebat signa & prodigia magna in populo. Surrexerunt autem quidam de Synagoga, quæ appellatur Libertinorum, & Cyrenẽsium, & Alexandrinorum & eorum qui erant à Cilicia & Asia, disputantes cum Stephano: sed nemo poterat resistere sapientiæ & spiritui, qui loquebatur in illo. Tunc subornauerunt viros, qui dicerent, Audiuimus eum dicentem verba contumelioſa in Mosen & Deum. Et cõmouerũt plebem & Seniores & Scribas, atq; inuadentes corripuerunt eum, & adduxerunt in concilium, statuerúntque falsos testes, qui dicerent: Hic homo non cessat loqui verba contumelioſa, aduersus locum sanctum hũc & legem. Audiuimus enim eum dicentẽ: Iesus Nazarenus iste demolietur locum hunc, & mutabit traditiones, quæ tradidit nobis Moses. At quum longo sermone Ste-
Act. 7. phanus eos increparet, q̃ non solùm Prophetas omnes, verumetiam illo ipso tempore ipsum Dei filium, verúmq; suũ Messiam persequuti fuissent, & trucidassent, dissecabantur cordibus suis, & stridebant in eum dentibus suis: exclamantes voce magna, obturauerunt aures suas, & impetum fecerunt vnanimiter in eum, eijcientes eum extra ciuitatem, lapidabant, &c. Hæc de eo Lucas. Hæc mundi huius facta in hunc tantæ sanctitatis virum, & Dei legatum. Iudæi nihil
Ioan. 15. ingratitudinis prætermiserunt. Quo modo persequuti fuerunt Dominum, eodem persequuntur & seruum. Sed dignè
Matth. 23. retaliatum est iis. Ablatum est ab ipsis regnum Dei, ciuitatem & templum amiserunt, temporaneè puniuntur, æternùm cruciantur. Sed ist hæc modò missa facio: non enim hîc de Iudæis, sed de sancto Stephano mihi institutus est sermo. In hoc ergo pulchrè videmus, quæ nobis ex natiuitate Christi bona, & quis iis bonis vtendis modus. Duo autem in eius historia audiuimus. Primò, quòd plenus gratia & fortitudine, plenus fide & Spiritusancto fuerit. Et hæc quidem omnia ingentia bona, omnibus necessaria sunt. Primùm
Hebr. 11. enim impossibile est sine fide placere Deo. Tum apertè Pau-
Roma. 8. lus. Qui non habet Spiritum Christi, inquit, hic nõ est eius. Insuper certum est, neminem sine Spiritusancto quicquam

boni

boni perpetrare, quemadmodum & ipse Christus: Sine me, inquit, nihil poteſtis facere: multò minus poterimus in tentationibus perſiſtere. Ideò ergo & ad Petrum Christus: Non potes me modò ſequi. Ideò etiam diſcipulos in genere vetuit, ab Hieroſolymis ne diſcederent, ſed expectarent quouſque acciperent virtutem ex Alto, hac enim ſine tam non permanſiſſent in perſequutione cæteri, quàm in paſſione Christi Petrus. Stephanus omnia hæc in ſe vno complectitur, fidem & Spiritum, gratiam & fortitudinem. Sed hæc omnia à ſolo Chriſto. Videmus ergo in Stephano fructus nativitatis & aduentus Chriſti. Paulus quatuor enumerat effectus, ſapientiam, iuſtitiam, ſanctificationem, redemptionem: hîc verò quatuor alios fructus inuenimus, fidem, Spiritum, gratiam, & fortitudinem. Et hac proculdubio cauſa hodiernum feſtum natali Domini annexum eſt, nempe vt eò meliùs & rectiùs beneficia Chriſti agnoſcerentur.

Ioan. 15. Ioan. 15. Luc. 24. 1. Cor. 1.

Secunda cauſa eſt, vt in Stephano diuinæ gratiæ donorum vſum addiſcamus. At quæris quomodò is Stephanus ſit vſus? Primò conſtanter ſimul & apertè confitetur Chriſtum. Secundò, etſi multis falſis teſtibus obrueretur, nihil tamen præter Angelicam faciem ipſi etiam hoſtes ſui videre poterant in eo. Tertiò, quàm, vehementiſsimè ſæuientibus inimicis, ipſe in cœlum ſublatis oculis, ſeſe conſolatur, quòd cœlum apertum habebat, quòd valentem reconciliatorem, & defenſorem pro Dei tribunali videret ipſum Ieſum Christum iuſtum, qui & ipſe eſt reconciliatio pro peccatis noſtris. Quartò, cùm lapidaretur, patientiſsimè fert omnia, de nullo queritur, non maledicit: imò duobus tantummodò verbis vitam & ſermonem finiit. Pro ſe alterum, alterum pro perſequentibus ſe. Pro ſe quidem: Domine Ieſu, inquit, ſuſcipe Spiritum meum: pro ſe perſequentibus, Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum.

1. Ioan. 2.

Ecce hoc ſtatim à natali Domini nobis ob oculos ponitur exemplum. Et eo modo nos quóq; gratiarum donis vtamur. Primò imperterritè & apertè cõfiteamur coram mundo, nec pudeat nos Chriſti. Qui enim erubuerit Chriſtum coram hominibus, hunc ipſe etiam erubeſcet coram Angelis Dei. Secundò, vt Angelicum præferamus aſpectum, & quemadmodum Petrus docet, bonã conuerſationem habeamus inter Gentes, vt qui detrectant de nobis, videant opera noſtra bona, & glorificent patrem Deum, qui in cœlis eſt.

Matth. 10. 1. Pet. 2.

Tertiò

Col.3. Tertiò, vt semper cœlum suspiciamus, & quæ sursum sunt quæramus, vbi Christus sedet in dextera patris. Quartò, vt patientiam præstemus in tentationibus, & denique non tantùm pro nobismetipsis, sed etiam pro inimicis & persequutoribus nostris precemur. Hoc demùm verè & rectè vti esset natalitijs Dei. Deus & dominus noster Iesus Christus gratiam suam & spiritum, fidem pariter fortitudinem largiatur nobis, cáque omnia in nobis efficientia faciat: vt semper in omni tentatione præstantes, in fine vitæ nostræ cum Stephano dicamus confidenter: Domine Iesu, suscipe Spiritum meum, Amen.

IN DIE SANCTI IOANNIS EVANGELISTAE, EVANGE.

IOAN. XXI.

DIxit Iesus Petro. Sequere me. Conuersus autem Petrus vidit alium discipulum, quem diligebat Iesus, sequẽtem, qui & in cœna supra pectus Domini recubuit, & dixit. Domine quis est qui te tradet? Hunc ergo cũ vidisset Petrus, dixit Iesu. Domine, hic autẽ quid. Respõdit Iesus. Si eum volo manere donec veniam, quid ad te? Tu me sequere. Exijt ergo sermo iste inter fratres, quòd discipulus ille non moritur. Et nõ dixit ei Iesus. Quia non moritur, sed. Si eũ volo manere donec veniã, quid ad te? Hîc est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc, & scimus quia verum est testimonium eius.

EODEM FESTO EPISTOLA

ECCLESIAST. XV.

QVi timet Dominum, faciet bona, & qui cõtinẽs est iustitiæ, apprehendet illã: & obuiabit illi quasi mater honorificata: & quasi mulier à virginitate suscipiet illũ. Cibabit illũ pane

vitæ

vitæ & intellectus : & aqua sapientiæ salutaris potabit illum. Et firmabitur in illo, & non flectetur, & continebit illum, & non confundetur, & exaltabit illum præproximis. Et in medio Ecclesiæ aperiet os eius, & implebit eum Spiritu sapientiæ & intellectus, stolæ gloriæ induet eum. Iocunditatem & exultationem thesaurizabit super illum, & nomine æterno hæreditabit illum.

PRIMVS SERMO, CVR HAEC tria S. Stephani, Ioannis, & Innocétum festa, statim à natali Domini celebrentur.

HODIERNVS dies ordine à natali Domini tertius est, nomine quidem à Ioanne appellatus, at in hoc verè solennis edicto, vt eò diutiùs deuotioni & meditationi immoraremur sanctæ illius & lætabundæ natalis Christi: quandóquidem omnes fateri cogimur, hei nimis citò in nobis fidei deuotionísque deficere & absumi ignem, nisi assiduo vsu, piis & exhortationibus & exemplis foueatur. Sit licèt semper festos dies agere, nullóque non tempore externis orationibus & ceremoniis inhærere impossibile, exhortatio tamen ideò cessabit minimè. sic quemadmodùm & in lege veteris testamenti, quamuis semper offerre, nunquàm consueuerunt, singulari tamen edicto mandatum erat, Leuitæ æternos ignes in tabernaculis fouerent, manè & vespere lignorum fomenta administrarent. Quis ergo vt iniquum vel poterit damnare, si Ecclesia qua potest industria & studio, apud nos insistit, ne diuini in nobis amoris ignis penitus suffocetur & extinguatur? Non quidem magni momenti res erat, illum Leuitæ fouerēt ignem: potuisset enim extinctus nullo sumptu, facilè, citóque incendi rursus. At secus hîc multò. Difficilimè enim & magno sudore semel deficiens aut extincta fides, charitas deuotióque incenditur. Id quod nimium, heu nimium verè nostra ætate videre est. Ita enim infernalis ille Draco flumine, quod contra Ecclesiam fœdissimo ore eructans euomit, omnem in eo ex hominum mentibus pietatem extinxit, vt vix possit incendi rursus. Nec id mirum. Si quando enim ipse per se ignis deficit, manent tamen carbones & cinis, & sine magno labore incendi potest: at aqua in eum effusa nihil quò incēdi queat

Leuit. 6.

Apoc. 12.

remanet. Hinc ergo est, quòd suis filijs sine intermissione causas & occasiones deuotionis submministrat Ecclesia, ne in totum pereat pietas. Huius verò in his natalitiis exemplum habemus. Vt enim dixi, hodie tertius ab illo dies est, nec tamen cessat illa eiusdem rei contradicere nobis, quibus & augeri & conseruari potest pietas. Habent quidem nomina sua à diuis Stephano, Ioanne, & Innocentibus isti dies: sed verè huic rei seruiunt, vt Christus suæque in hunc orbem natiuitatis fructus agnoscantur rectiùs. Quid enim vel Stephanus, vel Ioannes, vel omnes illi sine Christo Innocentes? Vnde his tantæ pietatis gratia nisi à Christo? Ille enim Sanctum illud à quo, vt Angelus prædicauit, in humanum genus omnis defluit & emanat sanctitas. Quòd ergo hos dies festos edixit Ecclesia statim à natali Domini celebrandos, sic factum intelligimus, quasi velit dicere: Benedictus qui venit in nomine Domini, & benedictum nomen sanctitatis eius, quoniam sanctum est: hoc est, ideò instituti sunt hi dies sacri, vt laudetur & glorificetur ille, qui non modò per sese sanctus est, verumetiam aliis vt sanctitatem communicaret, huc descendit: id quod hi dies clarissimè indicãt. Et hęc quidem de tribus hisce festis dictum sit. Sed & præter hæc vnumquódque singulare & priuatum quid habet, quod natali illi inseruit: id ergo breuiter indicandum est. Incipiam à minimo, hoc est, nominibus ipsis. Primum igitur festum nomen suum à Stephano habet: secũdum à Ioanne: tertium ab Innocẽtibus sortitur. Stephanus verò, Latinè dicitur vel corona, vel coronatus: Ioannes verò, vel gratia, vel in quo est gratia, vel etiam gratiosus. Porrò quid innocentia sit, nemo non ignorat. Sed nunquid hæc nos nomina in Christũ respicere docent? Nónne Christus in Apocalypsi loquitur: Esto fidelis vsque in mortem & dabo tibi coronam vitæ? Sic & de ipso scriptum est: Gratia & veritas per Iesum facta est. Tum etiã quòd in sanguine suo à peccatis nos lauerit. Ecce igitur huius nos tria nomina commonefaciunt. Stephanus quidem coronæ, quam Christus se diligentibus promisit: Ioannes verò gratiæ, quam hîc à Deo suscepimus: Innocentes verò nobis in memoriam reuocant, acceptam in baptismate innocentiam & iustitiam. Sed nunquid non tibi omnia ad natalem Domini videntur pertinere? Certè Christus solus ille est, per quem in baptismatis lauacro mundamur, iustificamur, & innocentes reddimur, per quem postea

Luc. 1.

Apoc. 2.

Ioan. 1.

omnis ge-

omnis generis gratias acquirimus: per quem tandem in illo
sæculo æternæ vitæ coronam expectamus. Ecce quid nobis
horum festorum nuda nomina insinuant. Quòd si porrò &
personas ipsas intueri libet, alia quoque comperiemus ad na
talem illum non parum facientia: vt quòd Stephanus, Ioan-
nes & Innocentes inæquali quidem modo hunc mundum
liquerint, omnes tamen in Christi regnũ asciti sint. Steph-
nus quidem à persequutorum manu lapidatus est: at volens
mortem subiit. Ioannes in pace defunctus est: nihilominùs
passionis calicem & truculentę mortis cum Christo amari- *Matth. 20.*
tudinẽ paratus bibere. Sed Christus dicit: Sic eum volo ma- *Ioan. 13.*
nere donec veniam. Præter voluntatem suam occiduntur
Innocentes, sed tamen propter Christũ. Omnes, ecce isti, in-
quit Bernard. sancti sunt. Stephanus sanctus, Ioãnes sanctus,
Innocẽtes sancti sunt. Ideò etiam sequuntur Natalem Chri
sti. Verùm enimuerò triplex in his sanctitatis ostenditur dif
ferẽtia. Stephanus Martyr voluntate & opere, Ioannes mar
tyr voluntate tantùm, Innocentes Martyres opere tantùm,
nondum voluntate præditi. Sed omnes calicem Domini bi
berunt, omnes à Christo susceptí, omnes in regni illius ci-
ues vocati sunt. Nunquid ergo non videtur tibi, sese magni-
ficè Saluatoris nostri in his omnibus ostenderit gratia? Vi-
demus quòd neminem quantumuis infirmũ excludat. Qui- *Ioan. 6.*
cúnque venit ad me, non eiiciam foras. Exigit ille quidem *Matth. 10.*
in nobis & voluntatem & factum, vt in Euangelio dicit: *Luc. 14.*
Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me di
gnus. Et, Qui vult me sequi, & non odit patrem suum & ma
trem, & fratrem & sororem, insuper & animam suam, non
potest meus esse discipulus. Et hoc quidem in Stephano in-
sinuatur, qui nõ modò moriendi cum Christo voluntatem
habuit, sed & ipsum factum, lapidatus propter eum. Et hîc
profectò Christianæ perfectionis supremus gradus est, vbi
voluntas simul & factum coinciduut. Atque ideò in Nata-
litiis Christi Stephanus præcedit Ioannẽ. Verumenimuerò
vbi non datur, eam operis & facti metam attingere, vt pro
Christi nomine trucidetur & moriatur, Deus Optimus Ma
ximus, paratam voluntatem facti loco suscipit. Hoc ergo in
Ioanne docetur: hic quidem calicem Domini bibere cupi-
uit, & vbi Christus Petrum ad crucem vocat, dicens: Se-
quere me, indicans ipsum quoque crucifigendum: sponte se- *Matth. 20.*
quitur Ioannes, paratus & crucifigi cum Petro, sed Christus *Ioan. 12.*

dicit: Sic eum volo manere donec veniam. Consolamur ergo in Ioanne, quòd non solùm sanguinem suum pro Christi nomine effundentes, verumetiam licèt nullum sufferentes mortis genus, in aliis tamen Christo seruiunt & ipsum sequuntur, in regni sui ius pertinere. Perfectius quidem illud est, eóque præit Stephanus. Sed hoc quoque Christo placuit, ideò Ioannes sequitur statim Stephanum. Vtérque in natalitiis Domini proponitur. Et quod maius quid est, In infantulis nostris, qui nullum vel intellectus vel voluntatis vsum habent, illud solùm opus, quod in fide Ecclesiæ in baptismate acceperunt, suscipit Deus. Id quod in innocentibus signatur, quos in suum regnum nullo proprio ipsorum opere Christus suscepit. Hinc ergo lucet, opinor, denuò, quomodò hęc festa nos in Christum respicere doceant & quòd non sine longa præmeditatione, in hanc septimanam instituta sunt. Sed & aliud quiddam in hoc ordine, quòd Ioannes Stephanum sequitur, hic illum præcedit, discendum restat: nempè quòd Christus se hominibus alio atque alio minus magísque insinuat. In natiuitate sese pastoribus manifestauit: sed hi humanitatem & humilitatem viderunt tantùm. Stephano sese in sua Deitate ostendit. Vidit enim eum in sublimi cœlo à dextris Patris stantem. In vtráque & humana & diuina natura patefit Ioanni, humilem in hotto, sublimem in monte clarificatum: Ioannes
Ioan. 1. inquam Christum vidit, vt leonem, affirmans Verbum carnem factum, sed subdit: Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre. Et hæc quidem vera Christi agnitio est. Si enim videris eum tantùm in humilitate, scandalum patieris: si in diuinitatis maiestate, perterrefactus timebis & fugies. Verùm si & humilitatem & maiestatem contueris, nec ab humilitate scandalizaberis, sciens non modò hominem, sed & Deum esse: nec rursus ab eo fugies, credens quòd etiam homo sit, non Deus tantùm. Ecce, cur Ioannes postponatur Stephano. Iisdem ergo gradibus nobis etiam ascendendum est, vt Christi agnoscamus non tantùm humilitatem, vt Pastores, non tantùm maiestatem, vt Stephanus, sed vtránque naturam simul vt Ioannes. Sic verè agnoscitur Christus, sic eius natalis rectè celebratur & completur. Et hucusque de istis festis in genere dictum est.

Nunc porrò & de Ioanne quid priuatim dicendum mihi esset, sed eo modo spero, quæ de ipso dici possunt omnibus

aperta

aperta & nota sunt, vt putem superuacaneum latius quid velle disserere. Laudatur à nomine, ab officio, & scriptis suis post se relictis. Magnum profectò nomen eius. Ioannes enim interpretatur gratiosus. Minimè in illo fictitium. Apostolico muneri verbis & factis satisfecit, nec illo tempore præsentes tantùm, verumetiam omnem posteritatem docuit, quibus nunc fidem, nunc charitatem inculcauit eo modo, vt de eo cantetur meritò: *In medio Ecclesiæ aperuit os suũ, & impleuit eum Dominus Spiritu sapientiæ & intellectus & quin & pane intellectus & vitæ cibauit illum, & aqua salutaris sapientiæ potauit eum.*

Neque tamen vllo hîc sese per totum Euangelij sui contextum alio dignatur nomine, nisi discipulum Christi. Sed & nomine & opere Christi fuit discipulus. Voluntatem sui agnouit Domini, voluntatem sui fecit domini, voluntatẽ sui Domini confessus est, voluntatem sui alios fideliter docuit Domini. At nunquid hęc omnia Christi natalitiis seruiunt? Vtinam hunc Ioannem vtróque intueremur oculo & cogitaremus. Vtinam omnes illi similes Christi essemus discipuli. Vtinam vel huius solius scripta cordibus nostris inscriberemus, profectò salutarem celebrassemus natalem Domini.

SECVNDVS SERMO EODEM ARGVMENTO OCCVPATVR.

DIxi hesterna die, quæ Diui Stephani nomini sacra fuit cur factum sit, quòd hac septimana, quæ rectè omnibus piis solius Christi beneficiis cogitandis adhiberetur, aliorum quoque Sanctorum festa plura celebrentur. Sed & Ecclesiam matrem nostram, ea calumnia liberare laboraui, quæ ipsi eiusceмodi festorum dierum ratione imputatur & attribuitur, quasi à Christo ad Sanctos nos detraheret, vti à minus sufficiente saluatore: quæ tamen minimè Ecclesiæ opinio aut voluntas vnquàm est. Et hoc quidem ostendi & confirmaui illo ipso quod quotidie Ecclesia canit, quòd his festis nihil aliud velit & quærat Ecclesia, quàm vt videamus omnes diuersitatem gratiarum per Christum allatarum, quo instituat modò regnum suum in his terris, quos velit huius ciues & domesticos.

Videmus in mundi huius imperijs, hûc omnes Reges omnésque potentes laborare: vt ex sua voluntate & beneplacito instituantur omnia, atque in hoc quærant deligántque sibi conformes & habiles seruulos. Et cur Christus quicquam, quod ad sui regni ornamentum & decus facere videretur, prætermitteret? aut qua ratione in eo inordinatum quid sufferret? Multa imperium huius mundi officia tenet, & multos habeat ministros necesse est, qui ijs officijs præsint: vt sunt, à consilijs, belli duces operarij, Præfecti, Iudices. Eodem ferè modo Christus in suo regno per spiritum suum varia gratiarum dona elargitus est, multos etiam familiares, numerosam familiam instituit. Quosdam dedit Apostolos, quosdam Prophetas, alios Euangelistas, Pastores alios, nõnullos etiam Doctores, & hęc omnia in ædificationem corporis sui mystici, quæ est Ecclesia. At verò inter vtrúnque regnum hæc differentia. Nil mundus præter temporanea omnia, diuitias, honores, potentiam; voluptatem & perituram citò quietem appetit. Ideóque summo studio exquirit Camillos & Catones, eiusmodi planè viros, qui vel ferro defendant: vel consilijs conseruent Rempublicam. At Christus nihil horum appetit, tantùm quæ spiritus sunt quærit, ideóque nec Camillos nec Catones anxiè conquirit, nec belli miratur peritiam, nec fandi eloquentiã, Merõs Stephanos, & Ioannes, hoc est, homines, qui pro se, quíque mundi huius aduersitates perferant æquo animo, quíque alios in veritatem & salutem possint inducere. Nam vibrare hastam, & gladio percutere, alios trucidare & occidere, nihil magni est, ipsæ enim feræ idem faciunt, sed contumeliam, persequutiones, martyria, mortem deniq; ipsam perferre patienter, hoc laudis opus Deo placet, hos regni sui vult consortes. Melior est patiens fortè, inquit sapiens, & qui dominari potest affectibus tuis, maior est, quàm qui expugnat vrbes. Talis verò Stephanus fuit, qui in sua persequutione, non modò nullam impatientiæ significationem dedit, nullam iræ, sed etiam orauit pro inimicis suis. Sic nec laude magna dignum, artibus, prudentia, solertia; vel etiam eloquentia mundi regna, hoc est, pompas, potentiam, tyrannidem, diuitias & id genus alia conseruare & augere. Id ipsum enim & mali possunt homines. Hoc verò laudis opus sana doctrina & piæ vitæ exẽplo, Christi regni fines extendere, multó que homines Deo in salutem adducere, ac ralis

1. Cor. 12. Ephes. 4.

Act. 7.

Ioan-

Ioannes erat. Quemadmodum igitur heri in Stephano: veram virtutem & in omnis generis malis perferendis fortitudinem consideravimus, ita hodie in Ioanne genuinum Dei spiritum & verum zelum Dei regno multos homines inferre cognoscimus. Et hæc quidem ratio, amborum memorias statim à natali Domini haberi. Summa vtique Ecclesiæ voluptas est, omnes habere Stephanos & Ioannes.

Atque vtinam tales essemus. Vbique enim eiuscemodi virorum magna in Ecclesia penuria est. Multa quidem de Christo prædicamus, de ipso summè gloriamur omnes, sed quid ille à nobis exigat, nemo cogitat. Inuenies verò multos, qui quantumlibet iniquissimam vitæ rationem instituentes, nihil obesse, tantùm si credant, sibi persuadentes.

Sed intuens hæc duo festa, secus multò inueniet. Imò si nihil in vtróque Stephano & Ioanne, quàm credere inueneris, hoc ipsum credere, ad salutem sufficere concedam. Quòd si contrarium videris, quòd non solùm crediderint, sed quòd in fide omni pietati studuerint (id quod verba ipsorum omnia, facta omnia: vita & mors satis indicant) omninò tibi persuadeas aliud quiddam à te postulari, quã quòd dicas, Credo. Ecce igitur hoc modo hæc duo festa insinuãt, non modo quid nobis præstiterit Christus, sed etiam quid à nobis exegerit. Atque ideò aliquantò diligentiùs hic noster Ioannes cogitandus est. Et quidem eius fama omnibus Christianis est notissima, quòd non solùm nomen ipsius: verùm etiam maior pars historiæ vitæ eius Euangelicis testificetur authoritatibus, imò, quòd ipse eorum numero, qui conscripserunt Euangelia, non minimus: quin vel hac ratione facilè præcipuus, quòd præter Euangelij contextũ, etiam Epistolis Christi nomen euulgauerit. Sed hoc scire, ac Ioannem talem agnoscere sufficit neutiquam. Nõ enim in sciendo, sed in operando nostra res consistit. Breuiter ergo Ioannis vitæ cape historiam. Ante vocationem piscator, nullius reprehensione victum quæsiuit. Post vocationem verò discipulus & indefatigatus Christi sequutor, id quod eò liquet, quia vsque sub crucem sequutus erat Dominum. Post Domini ascensum Apostolum se præbuit. Pòst exortis hæresibus contra diuinam naturam in Christo, etiam Euangelista factus est. Postremò & Martyr factus, quòd à Domitiano, in dolium olei feruẽtis plenum, pro sua in Christum *Ioan. 19.*

fide impositus, tãdem ab eodem in exilium missus, in Pathmos insulam profligatus est. Hæc vitæ ipsius descriptio. Et hic denuò gradus quosdam veræ perfectionis videmus.

Primus, iustum & inculpatæ vitæ corã mundo esse, quem etiam multi Iudæorum & Gentium populi gradum attigerunt, qui coram mundo honestam & irreprehensibilem vitam duxerunt, cuius apud Romanos historicos multa exempla sunt. Sed hic gradus nobis qui Christi initiati sumus, minimè sufficit, imò si in hoc quieuerimus, haud absimiles Pharisæis, qui & ipsi sese coram multitudine iustificabant. Sed nec ipsis ad salutẽ satis erat, & Christus ait se recepisse mercedem suam. Ascendendum igitur altiùs. Est autem secundus gradus pietatis, iustum & irreprehẽsibilem apud Deũ reputari, id quod per fidẽ in Christũ præstatur. Sine hac enim nemo placere potest Deo, nec vllus coram Deo iustus, nisi cui remissæ sunt iniquitates. Id verò solũ Christus præstat: vt qui mediator noster, & interpellator corã Deo, sed & recõciliatio pro peccatis nostris. Sed nec hoc ad salutem satis est, Tertius gradus est, Christum fida mente sequi, eo planè modo, quem ipse præmonstrauit. Qui vult me sequi, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Et quemadmodum ipse Ioannes. Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ipse ambulauit, ambulare. Et rursus ipse Christus. Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. Et iterum. Discite à me: quia mitis sum & humilis corde. Quartus pietatis gradus est, alios quoque ad Deum perducere. Non enim quærere debemus solùm, quod nostrum est, sed etiam, quod aliorum hominum commodis seruit, quemadmodum Christus non suam, sed omnium nostrum salutem quæsitum aduenit. Sed & omnibus mandato Dei cura proximi imposita est. Quintus pietatis gradus, est patientem & tolerantem esse in tentationibus, imò gaudere in tribulatione: vt Apostoli. Et quidem hic supremus omnia concludit & consummat, quando in fide nostra non tantùm operamur, quod bonũ est: verumetiam æquanimiter, quod malum est sufferimus. Hæc omnia in Ioanne videmus. Sed facilè est videre, quàm nihil horum cogitemus. Mundo sumus scandalum corã Deo & in conscientijs impij, in sequela Christi pigri, in propria salute negligentes, in alios incogitantes, in persequutionibus pusillanimes &

Heb. 11.

1. Ioan. 11.

Matth. 16.

1. Ioan. 2.

Ioan. 13.

Matth. 11.

Eccles. 17.

Act. 5.

nimes & impatientes, nihilominus tamen de Christianismo nostro gloriantes. Eò igitur diligentiùs hunc Ioannem contueamur. Satis vbíque Euangelium eius quid de fide in Christum sentierit, tum & satis Epistolæ eius indicant, quid de charitate & Christiana vita. Sed vita eius pariter & mors, quòd illa non modò sciuerit: verumetiam opere compleuerit testatur. In hoc enim consistit Christiana perfectio: vt cùm sciamus voluntatem Domini nostri Iesu Christi, tum opere etiam impleamus. Precemur ergo vagiẽtem infantulum, imò Christum Regem nostrum: vt nobis suam gratiam largiatur, quò hæc omnia meditemur sedulò, faciamus semper.

TERTIVS SERMO de collatione natalis Domini & Ioannis.

IN hac præsenti festiuitate non absurdè videmus, quàm inuito animo Ecclesia à Natalitijs cesset solennijs, quando iam in tertium vsque hunc diem ab externis operibus quiescit, haud alia ratione, quàm vt Sanct. Petrus ait in clarificatione Christi. Domine, inquit bonum est nos hîc esse. *Matth. 17.* Cupiuisset enim cum ea voluptate semper ibi morari. Ea, inquam, ipsa, non alia ratione huic contraria, Ecclesia in his solennijs persistat, quòd tantum consolationis, tantum lætitiæ & gaudij hîc apud præsepe Dmini comperit, eóque non parua cum voluptate videret filios secum suos ibi morari & pedem figere. Nam vbi verè agnoscitur Christi gratia & maiestas: vbi verè gratiæ verbum mentes imbuit hominum, mirandum non erit, si homo externorum omnium oblitus, his tantùm occupetur. Nec vllum in nobis tã enorme vitium, quàm quod nunquàm verè audiuimus vel vidimus Christum, hoc est, nunquàm plenè magnitudinem donorum & promissionum Christi consideraúimus. Si enim consideraſſemus, nullo tædio, quinetiam cum voluptate aliqua ijs rebus diutius occuparemur.

Atque ideò quid nam sit, quod tanto nobis studio his diebus proponitur, cogitandum est diligentiùs, nam eò dirigitur omne: vt gaudium, quod ex Domini natali concepimus, agnoscatur meliùs, & permaneat in nobis diutiùs.

Habetur quidem ipſe Ioannes hodie in memoria, & non immeritò: quia inter Apoſtolorum primos numeratus, atque ita in Eccleſiæ negotio laborauit, & docendo & viuendo: vt meritò æternum apud omnes Chriſtianos celebretur. Sed tamen in illo nihil niſi ipſum Chriſtum miratur & quærit Eccleſia. Omnia enim hæc feſta: vt alibi etiam me dixiſſe memini, nihil aliud ſunt, quàm teſtimonia & confirmationes, quòd Chriſtus in hunc mundum è cœlo hominum cauſa delapſus venerit homo factus. Tum etiam exempla ſunt & incitamenta, qua ratione erga tam amicum & beneficium ſeruatorem grati eſſe debemus. Quæ duo ſemper ſunt cogitanda ſimul.

Iam verò vtrúnque in Ioanne deprehendimus. Primùm enim: vnus omnium Euangeliſtarum iucundiſsimè nobis incarnationem verbi denuntiauit. Totum eius Euangelij contextum à capite ad calcem vſque perlege, nihil ita magnificum, quàm omnibus oblatam Chriſti gratiã inuenies. In Ioanne, inquam: videmus manifeſtiſsimè, quòd totum ſe
Ioan.3. nobis donauerit Chriſtus. Sic Deus dilexit mundum: vt filium ſuum daret vnigenitum. Nobis Chriſtus natus, nobis vixit, & omnem ſuam nobis impendit vitã. Nobis mortuus eſt, hoc eſt, pro peccatorum noſtrorum ſolutione & reconciliatiõe oblatus eſt. Omnium enim noſtrum peccata Deus poſuit ſuper eum: vt Iſai. capit. 53. loquitur. Et Petrus primæ cano. tertio. Chriſtus pro peccatis noſtris mortuus eſt, iuſtus pro iniuſtis: vt nos offerret Deo, mortificatos quidem carne: viuificatos autem ſpiritu. Nobis reſurrexit, id eſt, propter noſtram iuſtificationem. Nobis à dextris Dei ſedet: vt interpellet pro nobis, & in conſpectu Dei appareat. Et quid
Hebr.9. porrò ſcriptura? Dilectus meus mihi, & ego illi. Verus amor
Cant.2. in nullam declinat partem. Si Chriſtus ſeipſum nobis tradidit, & nos ipſos tradamus ipſi. Si ille nos prior dilexit, diligamus & nos ipſum. Proponitur ergo omnibus Ioannis exemplum: vt qui vtrúnque & verbis docuerit & opere. In Euangelio ſuo paſsim docet, quomodò nos dedamus illi per fidem, in Epiſtola verò, quomodò hoc ipſum per charitatem præſtemus. Quòd verò vtrobíque verbis ſcriptíſque docuit: vita moribúsque cõpleuit in ſeipſo. In Chriſtum credidit, Chriſtum dilexit, Chriſtum ſemper in ore & corde habuit, Chriſto adhæſit, Chriſtum ſequutus eſt, Chriſtum

prædi-

prædicauit, pro Christo multa pertulit: in Christo denique obdormiuit. Ecce hoc ipsum dicitur: Dilectus meus mihi & ego illi. Idipsum & natiuitas Domini à nobis exigit. Minimè, ô frater, sufficit quod Christus se nobis impendit: illi respondeamus oportet, nec semel tantùm, sed omni tempore. Ideóque & Paulus ait: Christus pro omnibus mortuus est, vt qui viuunt, non sibi, sed Deo viuant. Summa: hic est & ille discipulus qui testimonium perhibet de his omnibus. Verbũ caro factum est, inquit Ioãnes, & vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratia & veritate. Hoc ergo Christi natalem tangit, hoc de fide dictum est. Idem Ioannes alibi dicit: Si sic Deus dilexit nos, & nos debemus alterutrum diligere. Et iterum: Diligamus Deum, quoniam ille prior dilexit nos. Hoc vitam tangit, & verum gratiæ vsum notat. Erat lux illa, lux vera, inquit idem, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundũ. Hîc rursum tibi fides, & Christi natalis gratia insinuatur. Videte qualem charitatẽ dedit nobis Deus, quòd filij Dei nominamur & sumus: sed nõdum apparuit quid erimus. Scimus autem quoniã cùm apparuerit ille, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Et omnis qui habet hãc spem, sanctificat se, sicut & ille sanctus est. Ecce hoc rursus vitam tangit, verúmque vsum gratiæ docet. Similiter & illud fidem, gratiam, & natalem Domini tangit, quod statim initio Epistolæ dicit: Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis, & manus nostræ cõtrectauerunt de Verbo vitę, & vita manifestata est: & vidimus & testamur & annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis. Quod vidimus & audiuimus, annuntiamus vobis, vt gaudeatis & gaudium vestrum plenum sit. Mox addit: Hæc scribo vobis, vt nõ peccetis. Et: In hoc scimus quoniam cognouimus eum, si mandata eius seruamus. Hoc rursus vitam & vsum gratiæ tangit. Et quidem eius generis multa ex eius scriptis testimonia adferre liceret, vbi perspicuum, huc se sua scripta direxisse omnia, vt ex natali Christi, boni & ingenui enascantur Christiani: & eò magis pietas & deuotio diuinarum rerum in nobis augeantur, quò rectiùs Christi multiiuga gratia agnoscitur. Atque hac causa Ioannes præcipuè hac septimana proponitur, quòd tam perspicuè Christi gratiam prædicauit, insuper etiam tam clarè gratiæ vsum demonstrauit. Alia ratio est, quòd tam

1. Ioan. 1.

Ioan. 1.

1. Ioan. 3.

1. Ioan. 2.

mani-

manifestè gratia isthæc ipsa in eo luceat. Nam præter communem in omnes homines effusam gratiam, nemo inter reliquos omnes Apostolos est, cui maiora & euidentiora suæ dilectionis signa exhibuerit, quàm huic ipso Ioanni.
Ioan.13. Verum quidem est, quòd Christus suos, quos in mundo habuit, in finem dilexit, & omnes pariter: sed nihilominus eò Ioannes hoc nominis obtinuit priuilegium, vt solus is dicatur, quem dilexit Iesus. Nec id nudum sine re nomen, ipso facto ostenditur. Quotiescúnque enim aliquid singularis
Matth.10. gratiæ Christus suis exhiberet, hic semper eius fuit coràm particeps. Elegerat Apostolos duodecim: horum numero Ioannes non infimus. Inter duodecim hos, duos fecit Euan-
Matth.17. gelistas: horum vnus Ioannes est. Clarificatus est Christus
Ioan.13. coram aliquot suis: & hic Ioannes. Insuper solus supra pectus Domini in cœna recubuit. Quando igitur ita apertè Christi in Ioanne perspicitur & gratia & dilectio, mirum non est, eius quoque statim à natali Christi memoriam celebrari, imò quòd vel vltimo penè loco ponitur anni. Nam qui non ab hoc Christi dona & beneficia agnoscere didicerit, ex nullo alio facilè discet. Nemo enim tam clarè, tam dilucidè de his scripsit, vt ille. Id quod Euangelium ipsius testatur. Quicúnque ergo per hunc ad fidem non fuerit perductus, à nemine perducetur: nemo enim perinde graphicè depingit fidem, quid sit, quid efficiat, atque ille ipse.
1.Ioan.5. Quodcúnque natum est ex Deo vincit mundum: & hæc est victoria qua vincimus mũdum, fides nostra. Quis est autem qui vincit mundum, nisi qui credit quòd Iesus est filius Dei? Qui etiam denique per hunc Ioannem ad dilectionem Dei & proximi, postea etiam ad vitæ innocentiam non pertrahitur, nunquam eò pertrahetur ab aliquo. Et quid multa? Vnus hic Apostolus, totius Christi natalis nobis initium, medium descripsit & finem. Initium eius gratia Dei est: hanc in Euangelij contextu descripsit Ioannes. Medium verò vita innocens: hanc idem in Epistola depingit. Finis
Apoc.22. erit beatitudo iustorum: hanc in Apocalypsi præuidit. Beati, inquit, qui lauerunt stolas suas in sanguine agni, vt sit potestas eorum in ligno vitæ, & per portas intrent ciuitatem. Ex hoc ergo quilibet facilè considerabit, non sine causa Ioanni in ipsa hac hebdomada locum attributum esse. Habentes ergo tantum testem in conclusione natalis festi, qui sua parte tam clarè Christum, Dei gratiam, & fidem

dem prædicat & tradit: ex alia verò parte tanto ſtudio ad dilectionem ad quamlibet pietatem hortatur & inflammat: nos quoque nulla commodiore via hæc feſta concludemus, niſi vt cogitemus hæc omnia, cum paſtoribus in firma fide ad gratiæ thronum properemus, cum diuo Stephano & Ioanne acquiſitam gratiam ad Dei Optimi Maximi laudem, ad vtilitatem proximi, & ad noſtram propriam ſalutem impendamus. Neque enim ſuperfluum reputabimus, tot feſta coniungi ſimul. Vtinam noſtros natales dies cum Ioanne, hoc eſt, cum gratia finiremus. Vtinam eo modo quo Ioannes gratiam Dei prædicando magnificaremus, ea etiam ſuo exemplo vteremur, in eadem ſuccreſceremus vt ipſe, & vt ipſe idem in finem vitæ conſeruaremus. Sic profectò per omnia huic tempori & natali Chriſti ſatisfactum eſſet. Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti nobiſcum, Amen.

QVARTVS SERMO, In Euangelium.

PRæcedentibus ſermonibus dictum eſt, hæc duo feſta, licèt propria ſua nomina, non à Chriſto, ſed à Stephano & Ioanne habeant: propriè tamen in magnam illam natalis Domini ſolennitatem pertinere, nulla alia ratione in hanc ſeptimanam inſtituta, quàm vt eiuſmodi exemplis gratia & benignitas Saluatoris noſtri Chriſti reddatur magis perſpicua, & vt hac occaſione illi meditationi immoraremur diutiùs. Atque ita fieri neceſſe eſt: hic ſcopus, in hunc finem, quicquid aliâs in Eccleſia peragitur, dirigendum eſt. Nunc porrò hoc ſermone videamus qua ratione Euangelia ſibi iſtorum feſtorum inuicem reſpondeant, & veluti vnà in natalem directa ſint. Id quod facilè peruidebitur, ſi penitius aliquantò introſpexerimus. Primum enim in magna illa ſolennitate audimus, quòd Ieſus Nazarenus, regnante Auguſto Imperatore, in Bethlehem natus, iuſtus, atque adeò mundi ſeruator vnicus, qui ſimul Deo honorem ſuum, nobis verò pacem retulit: pacem, inquam, conſcientiarum, remiſſionem delictorum, & in ſempiternum permanentem iuſtitiam, completionem, quæ paſsim per Prophetas vaticinata ſunt, omnium. Hoc ergo primum propoſitum eſt nobis, & meritò primum: fundamentum enim eſt, quod Luc. 2.

ante

ante omnia in ſpirituali ſtructura noſtra ponendum eſt necessariò, cui & nonitendum eſt. Sit ergo illud primum. Ad hæc illud conſiderandum eſt, quòd licèt talis ſeruator ſit Chriſtus, qui neminem cogat ad ſalutem, vehementer tamen indignatur, oblatam ſuam gratiam ſperni & negligi. Ac quidem hac de re heſternum Euangelium loquitur, in quo ſatis declarauit, quæ ſibi mentis ſententia in Iudæos, quod gratiam non modo per Prophetas, verumetiam per ſeme ipſum oblatam ſibi præ omnibus mortalibus, impiiſsimè ſpreuerint. Neque verò hîc vlla diſputatione opus eſt, quandóquidem Scriptura vbíque tanta de Chriſti benignitate prædicet, qui factum ſit, eam non ita multum in Iudæis elucere. Non hæc in Chriſto culpa eſt, ſed in Iudæis vitium eſt. Noluiſti, inquit. Quemadmodum ſi cui lumen admotum oculorum dolorem ſuſcitat, non luminis ſplendor, ſed oculorum imbecillitas in cauſa eſt. Nihil enim corporalium rerum pulchrius lumine eſt. Hoc ergo ſecundum eorum quæ de Chriſto ſcienda ſunt: quòd gratiam ſuam nolit ſperni. Sed non hoc ſolùm: vult etiam ea rectè vtamur. Atque hîc noſtra res agitur, non minus, imò magis, quàm ſuperiori parte & maximè his temporibus. Poſſemus fortè induci, vt ſuſciperemus oblatam gratiam. Quis enim tam ſtolidus, vt danti ſibi multum reluctetur, ſi non it? Sed hoc omnibus inſipidum, vt rectè vtamur acceptis donis. Hoc opus, hic labor. Sed qua commodiore ratione iis vtemur, quàm vt ſecundum dantis voluntatem, & dignè pro cuiúſque vocatione vtamur? Ecce, hoc ipſum nos præſens docet Euangelium. Videmus enim hîc duorum exemplis Apoſtolorum Petri & Ioannis, non vnius omnes eſſe vocationis, & tamen quiſque ſuæ reſpondeat neceſſe eſſe. Petro quidem ardua ad metam properandum erat via, qui Chriſtum non ſolùm vita, ſed ipſa etiam morte ſequi debuit, crucifigendus ſicut & Chriſtus. Sequere me, inquit Chriſtus. Et paulò antè: Cùm eſſes iunior, cingebas te, & ibas quocúnque volebas: cùm autem ſenueris, alius cinget te, & ducet, quò tu non vis. Hoc autem dixit, inquit Euangeliſta, ſignificans qua morte ipſe clarificaturus eſſet Deum. Et hæc quidem Petri vocatio. Ioannis mitior eſt: hic ita permanſurus, donec veniret Dominus: hoc eſt, tranquilla morte indormiſcere debuit. Suam vterque vocationem placidè ſuſcipit. Surgit ab inſtanti Petrus, & vti iuſſus erat,

Matth. 23.

Ioan. 21.

erat, sequitur Dominum. Sed & Ioannes sequi paratus, sponte sequitur, sed huic aliud disposuerat Christus. Vt ergo paratus cum Christo crucem pertulit Petrus, post eum cruci affixus mortuus est: ita etiam paratus & sedulus Ioannes Deo, eiúsque Ecclesiæ in tranquillitate ministrauit. vtrobique, in amborum mente, plena & perfecta propriæ voluntatis resignatio in Dei beneplacitum. Hoc igitur est rectè vti gratia, vbi eum in se quisque sentit animum, qui cum Dauide dicat: Paratum cor meum Deus: paratum cor meum. Et deinde etiam cum Paulo: Domine quid vis me facere? Ac demum cum Christo ipso: Pater, non mea sed tua voluntas fiat. Ecce, quam ob causam hæc tria Euangelia aliud post aliud ordinata sint: vt in primo, Christum verum & vnicum humani generis redemptorem agnoscamus: in secundo, nolle ipsum ab vllo sua dona negligi: & in tertio, necesse esse rectè vtamur per Christum acceptis donis pro sua quisque vocatione. Hæc ergo tria si quis coniunxerit, & mulque didicerit, totum plenè celebrauit natalem Domini, huic profuerit Christus. Qui verò vel vnum horum negligit, non ille totum peregit natalem. Huic nec Christus proderit multum. Hoc ergo agamus: quòd si lætitia afficeris, si te recreat, tanta de Christo audire, noli hîc persistere, perge deinde: noli contemnere vt Iudæi, sed rectè vtere vt Petrus, & Ioannes: sic tibi hæc festa commodè peracta sint. Et hæc quidem de tribus his Euangelijs dicta sint. *Psal. 107. Act. 9. Matth. 26.*

Restat, vt de Ioanne etiam ex hodierno Euangelio audiamus aliquid. Hic de seipso præsentem lectionem scribit ita planè, vt rogare quis sit ipse, & quomodò eius nomini inscripta festiuitas nobis in his natalitijs commoder, omninò superfluum sit. Ille discipulus, quem diligebat Iesus, qui & in cœna supra pectus Domini recubuit: qui & testificatur de omnibus his, quæ vel fecit Iesus, vel passus est, vel docuit. Tria sunt profectò, quæ natalem Christi denuò nobis insinuant. Primùm enim nos omnes charitatis admonet, qua motus Christus, nostrã cœlo elapsus naturã assumpsit. Dilexit nos, & in sanguine suo à peccatis nostris lauit nos. Nihil eum cœlo descendere mouit, præter de parentis protoplasti, fraude facta cõdolens, vt Fortunatus cecinit, in terras deuenit. Cuius te admoneat quã locúnque audis Christi amorem in Ioannem peculiarem: hic enim amor in omnes dilectionis *Ioan. 21. Apocal. 1.*

1.Ioan.3. ctionis Dei signum est. Et hæc prima pars ad Christi natalem faciens. Videte qualem charitatem dedit nobis Deus, vt filij Dei nominemur & simus. Sed vnde nobis tantùm bonum, nisi à Christo? Nemo ex nobis Dei factus fuisset filius, nisi prius Christus hominis factus fuisset filius. Quemadmodum ergo dilectio ipsum hominis fecit filium, ita humanitas illius nos in Dei filios adoptauit. Ex alio aliud defluit, quorum omnium principium & origo charitas est.

Deindè etiam de Ioanne, quòd in cœna supra pectus Domini requieuerit dicitur, id quod reciprocam in Christo & Ioanne ostendit dilectionem, inter vtrúnque gradientem, nec minus affectu discipulum Christo adhæsisse, quàm capite suo pectus eius perhibetur attigisse. Id iam rursus nos commonefacit, qua dilectione, deuotionísque vehementia Christo adhærendum sit, nihil enim aliâs vtilitatis adfert, Ioãnem in cœna supra pectus recubuisse Domini. In nobis implendum idem est. Qui si Dei in Christo experti charitatem, nos reliquã exequamur necesse est. Diligamus Deum, 1.Ioan.4. inquit Ioannes, quoniam ille prior dilexit nos. Et hoc quidem secundum quod ad natalem Christi pertinet. Postremò illud quoque additur, quòd Ioannes is fuerit, qui testificetur de his, quæ & fecerit & docuerit. Id quod rursus nos monet de gratijs agendis Deo pro humili demissione, qua natus in mundum sese demisit. Nam & hoc ad Natalem pertinet. Neque enim sufficit, si in nobis ipsis magnificauerimus Dei dilectionem, si in vera fide, omnibus animæ potentijs Christo dederimus, externis etiam laude & gratiarum actione: vita, moribus confirmandum & testificandum est, vt de quolibet nostrum dici possit: Hic est ille discipulus qui testimonium perhibuit. Hic populus, quem non solùm Christus dilexit, qui etiam non modò ipsi in toto corde & fide adhæsit, sed etiam id ipsum verbis, factis, omníque vita testificatus est. Sic ritè Domini natalis peragitur, sic Christus verè in nobis nascitur. Sic & nos rectè ille populus, cui dicit: Audi populo meus, loquar: Ego Dominus Deus tuus. His ergo dictis puto non magno labore quilibet videbit, quomodò non solùm Ioannes, verumetiam ipsum hoc Euangeliũ ad natalitia gaudia nobis seruiat. Hoc agendum, vt deinceps de his meditemur, his occupemur. Sic nos Deus Optimus Maximus largiatur natalem Christi his

in ter-

in terris celebrare, vt olim aliquando cum omnibus electis & angelis in cœlesti curia videamus, Amen.

QVINTVS SERMO.

OMni animanti à natura insitum est, vt quærant quæ naturalem vitam conseruent, quæ contrà lædunt, fugiant: id quod in minutissimis animalculis videmus, sed & in nobismetipsis. Sed hominem Christianum non naturalem tantùm, sed etiam spiritualem & supernaturalem vitã habere nouimus: imò præcipuè spirituali vitæ creatus est. Sic enim Deus ait: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Non in hoc creati, vt hac tantùm temporanea vita viuamus, verùm etiam vt æterna fruamur. Non ergo minori cura quæ ad spiritualem vitam conseruandam faciunt quærenda, quàm quæ in sustentationem naturalis conducunt. Hac causa tot festi in Ecclesia dies instituti, in quibus non modò sacra Scriptura, verumetiam externa nobis proponuntur exempla, quæ omnia ad conseruationem spiritualis vitæ commodare possint. Caue igitur, ne ea quæ corporis cures tantùm, animæ verò rationem habere obliuiscaris. Nemo tam deses, qui non, si thesaurum quo reliquum vitæ tempus pro voluntate iucundum transigat exhibeas, exurgat. At nobis thesaurus & offertur & proponitur, cuius nulla in omnibus terræ diuitiis comparatio est, qui inexhaustus est, quo non modò hanc vitam pacificè cõseruare, verumetiam futuram, in sempiternum permanentem cõsequi possumus. Hic thesaurus sacræ Scripturæ. Scriptura est liber vitæ, vitæ continuens verba, quibus cùm indoctus doctior, tum pusillanimis redditur fortior. Id confirmandum ex hodierna lectione sumamus indicium, vbi & multimodam instructionem, exempla, & cõsolationem habemus. Primùm enim duplex nobis vita in eo per Petri & Ioannis personas describitur: operosam aliam: alteram verò meditatiuam, quam alij actiuam & cõtemplatiuam dixêre. Luc. 10. Vtráque alibi in Martha & Maria significata, cùm Martha occupatur externis, Domino ministrans, Maria sedens secùs pedes Domini audit verbum eius. Petrus vocatur ad laborem, ad crucem, ad ærumnas, & ad mortem: Ioannes Ioan. 21. verò, vt sic maneat, donec Dominus veniat. Ad operosam vitam pertinet quod Christus ait: Qui vult me sequi,

Matth. 16. abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.
Matth. 25. Et quod in iudicij die dicturum se promisit: Esurijui, & non dedistis mihi cibum: sitiui, & non potauistis me, &c. Ad me-
Matth. 17. ditationem verò, quòd Petrus in clarificatione ait: Bonum
Psal. 72. est nos hîc esse. Et quod Dauid: Melius est sperare in Deo, & adhærere illi. Ab operosa sumatur initium: quousque enim hîc viuimus, operi insistendum est. Meditatiua porrò finis sit, vt potè quæ perseuerabit in æternum. Maria enim optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Hoc primum quod præsens offert Euangelium: duplex vocatio. Sed quia maxima parte in actiua consistendum nobis hîc est, hoc etiam idem Euangelium docet, quomodò rectè ambulemus, quisque in sua vocatione, in ea. Aut enim Magistratus es, & plurimis præes, aut priuatam vitam ducis. Magistratus duplex, spiritualis & sæcularis (vt vocant.) Vtráque nobis opus est, quando & internum & externum hominem circunferimus. Ad internum spiritualis magistra-
Ioan. 20. tus pertinet. Et hæc potestas, cuius Christus meminit: Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c. Et iterum: Quodcúnque solueritis super terram, erit so-
Matth. 18. lutum & in cœlis, &c. De hoc & Paulus: Potestatem dedit
2. Cor. 13. mihi Dominus in extructionem, non in destructionem.
1. Cor. 4. Et: Sic nos existimet homo, vt seruos Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Quod ergo illius potestatis siue Magistratus officium? Sequere me, ait Christus Petro, quando iam tertiò oues illi suas demandasset, atque Pastorem Ecclesiæ constituisset. Sequere me, intelligi in dilectione & in mortis genere. Hæc enim duo antè, licèt obscuriùs, si-
Ioan. 21. gnificauerat illi. Diligis me: pasce agnos meos. Atque his quidem apertissimè quid spiritualis potestas ab homine postulet significatum est. Pasce agnos meos, quasi dicat: Non dominum sed pastorem te agnosce, cura & labor officium tuum est, non honos & pompa. Pascere oues non deglubere tibi incumbit meas: sed tritico non paleis pasces.
Ezech. 34. Bonam vbertate doctrinæ pascuam non pessundabis: sanam doctrinam mala conuersatione non reddes inutilem. Meas oues pasces in genere, siue personarum respectu, non vbi maximi prouentus respicies, sed vbi maius periculum imminet. Cogita oues esse, facilè posse seduci, ideóque in eis patientiam habe: Cogita meritò te pascere, qui lac &

lanam

lanam consumis ouium. Cogita meas esse oues, vt quas meo redemerim sanguine. His ergo quantùm me diligis impendas: Meæ sunt, ideóque tua merces: meę sunt, ideóque de tuis manibus, quotquot ex iis tua culpa perierint, requiram. Sequere me Petre: ego pastor bonus, qui meam pro meis ouibus deposui animam. Quemadmodùm ego feci, sic tu quoque facias. Ecce hæc spiritali dicta Magistratui sunt. Sed & externo, quem sæcularem vocant, Magistratui Christus dicit: Sequere me. Quasi diceret: In forma Dei cùm essem, non superbiui, sed memet inter vos humiliaui seruulum. Cùm mihi pro mea iustitia omnes vos perdere æquum erat ecce primùm gratiam meam, & misericordiam offero. Contritis & corde compunctis, qui me quærũt, in defensionem veni, siue diuites illi sint, siue pauperes. Nihil aliis demandaui, quod non ipse primùm peregerim: sed & animã meam pro ouibus meis impendi. Sic & tu fac. Ciuili Magistratui Christus ait: Sequere me. Eadem ipsa voce Christus omnes nos alloquitur: Sequere, vti pastorem ouis. Vocem meam audi, mandata mea serua: non cur vel hoc vel illud demandarim interroga. Ego intellectum dabo tibi, & instruam te. *Ioan. 21.* *Phil. 2.* *Psal. 31.*

Ecce hac ratione nos vnica hæc vox omnes cuiúsque conditionis docet. Quantùm ergo doctrinæ ex hoc toto Euangelio hauriret, si quis singula examinaret verba, vt quod Petrus diuino edicto certus mori, & crucifigi, atque certo modo Christum sequuturus, tanta cum diligentia quærit, quid de Ioanne futurũ esset. Domine, inquit, hic autẽ quid? Quasi diceret: Agnosco tuam Domine in me gratiam, qua non solùm ad fidei consortium: sed etiam ad mortis consortis sequelã me vocare dignaris, cuius profectò gratia summè lætor & gaudeo; hic autem quid? Vísne & illum illud gratiæ fastigium conscendere? Atque hoc modo isthæc Petri verba iustorum in tribulatione gaudium insinuare videntur. Gloriamur, inquit Paulus, in tribulationibus nostris. Et: Vobis datum est pro Christo, non solùm vt in eum credatis, verumetiam vt pro illo pariamini idem certamen habentes, quale vidistis, & nunc auditis in me. Sic & Iacobus hortatur, vt omne gaudium existimemus, cùm in varias tentationes inciderimus. In hanc ergo sententiam quidam illa Petri verba exponunt: vt intelligant Petrum, iis mentis suæ lætitiam insinuasse, quòd pro Christo esset crucifigendus, eundémque honorem fratri Ioanni optauisse. Id quod *Rom. 5.* *Philip. 1.* *Iacob. 1.*

multò aliter in nobis conſpicitur. Non enim nos in tribulationibus gloriamur, ſed fugimus: gloriam & lætitiam in externis, non nunquàm etiam in peccatis quærimus. Atque hinc huiuſcemodi Diuorum exemplis licet videre, quantùm diſtemus à vera pietate. Quod autem nullo reſponſo Petrum dignatur Chriſtus, niſi quòd ait: Si eum volo manere donec veniam, quid ad te: tu me ſequere, nobis paræneſis data eſt, vt nimiam illam curam abiiciamus, qua quidam in alios, ſui oblii, reſpiciunt. Hîc reſpondet Chriſtus: Quid ad te. id quod ego vel hunc illúmue vocauerim: tu me ſequere. Iſthæc tua vocatio eſt. Quã præſtaret omnibus
Act. 1. iſthæc inſideret ſententia penitus, ne tanta curioſitate aliorum ſciſcitaremur rebus, ſed in noſipſos oculos conuerteremur & animos. Non eſt veſtrũ, inquit Chriſtus, noſſe tempora vel momenta quæ poſuit Pater in ſua ipſius poteſtate.
Eccle. 3. Ideóque & Sapiens pulchrè monet & ſapienter: Altiora te ne quæſieris: & fortiora te ne ſcruratus fueris, ſed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper. Ecce hoc modo ex hac lectione diſcere licebit, quod ad pietatem facier plurimùm. Sed hic cardo rei vertitur, vt in his operemur, eóque modo in operoſa vita procedamus, quo tandem aliquando in diuinæ maieſtatis contemplationem ſempiternam perueniamus, Amen.

SEXTVS SERMO.

Pſal. 64. BEatus quem elegiſti, & aſſumpſiſti, inhabitabit in atriis tuis. De Ioanne, cuius hodie feſtum celebramus ſuperfluum arbitror fuſius, quis fuerit, enarrare: quandoquidem, & depicta eius laus eſt in Euangeliis, & ſua ipſius ſcripta Chriſtianum & planè pium animum eius teſtantur. Neque
Matth. 12. enim fallunt prouerbia: Ex abundantia cordis os loquitur:
Luc. 6. Et, Vbi theſaurus, ibi & cor tuum. Bonus homo de bono theſauro cordis expromit bona: & malus homo de malo theſauro profert mala. Diuus Ioannes tantæ vbique pietatis tam ignitis verbis vtitur, vt nefas ſit dubitare, diuini ignem amoris eius cor poſſediſſe. Et qui ita apertè quis ſit, in proprio ſermone deprehenditur, hedera non eget aliena.

Vnum tamen de eo quod ex ſuis ipſius ſcriptis enarrem
Ioan. 21. habeo, nempè ipſum illum diſcipulum fuerit, quem dilexerit Chriſtus, qui & in cœna ſupra pectus recubuerit Domini, non tamen qua id ratione, præ aliis ſit meritus, ſed quia planè nihil

nè nihil de ſuis meritis refert, non meriti hoc præmium, ſed merā fuiſſe teſtatur gratiam. Id quod ex hodiernæ diei Euangelica lectione hodie nobis cogitandum proponitur. Summa profectò, Deóque pergrata virtus eſt, acceptā confiteri cum humilitate gratiam. Tribus è numero diſcipulorum (vt legimus) Dominus p mutauit nomina. Petrus antè dicebatur Simon, ſed à Chriſto nomen vel Petri vel Cephæ accep t. Sed & duobus Zebedæi filiis immutauit nomina: vt filij tonitrui dicerentur. Atq; hos eoſdem Petrū, Iacobum, & Ioannem, familiariores præter cæteros habēs, maioribus & ſecretioribus imbuit myſteriis. Nam & Iairi filiolā à mortuis ſuſcitans, & clarificatus in monte, & præ anguſtia ſanguineum ſudans humorem, hos tantùm tres teſtes habuit ſecum & comites. Et licèt nullibi legatur quo id facto ſint demeriti: nomina tamen eorum indicant clariſsimè, quando Petrus Petra, Iacobus ſupplantator, Ioannes eum ſonat, in quo eſt gratia. Quo quidem non abſurdè ſignificata tria hominū genera arbitror, quibus ſua Deus præcipuè reuelet archana. Primū ij qui ſimul cum Petro fidē verbis factísque profitentes, Chriſto lapidi inſiſtunt. Secundò, qui aſsidua pugna cōtra diabolum & peccata certant. Tertiò, qui Dei confitentur gratiam. Id quod Ioannes noſter præſtat: atq; ideò minimè mirādum, ſi eum Chriſtus ſingulari ditauerit gratia, eo planè modo, vt non immeritò de eo dicatur: Beatus quem elegiſti & aſſumpſiſti, inhabitabit in atriis tuis. Quam quàm autem de quolibet piè Chriſtiano id dicat Pſalmiſta: propriè tamen huic noſtro cōpetit Apoſtolo. Tria autem iiſdem verbis Dauid inſinuat. Primò, quæ vera fœlicitas ſit. Secundò, vnde ſit. Tertiò, qui ad eam gradus ſint. Primò, fœlicitatē, hoc eſt benè beatéque viuere volunt omnes: ſed pauci, qui rectè quæ ſit illa, norint. quin & multis annis magno ſudore hac de re diſceptauerunt Philoſophi. Ille mundi huius filiis beatus dicitur, cui omnium rerum ſuppetit copia, quemadmodùm & Dauid: Beatus, inquit, dixerunt populum, cui hæc ſunt. Sed falſum, quicquid enim corporeis percipitur oculis, temporaneum & tranſitorium eſt. Sed quæ illa beatitatis perfectio, quæ breui finitur tempore? Quin externa ſæpè & oculis ſubiecta corporeis, à vera fœlicitate hominem auocant, & in profundiſsimū damnationis æternæ detrudunt barathrum: vt in Euangelico videre eſt epulone, qui rerum abundantia, luxu, & voluptatibus in ſem

Ioan. 1.
Marc 3.
Matth. 9.
Matth. 17. & 26.
Pſal. 64.
Pſal. 143.
2. Cor. 4.
Luc. 16.

piternos ignes demergitur. Eáque de causa longè aliter de
Psal.143. beatitudine scriptura sacra loquitur. Beatus ille, inquit, cu-
Psal.64. ius Dominus Deus eius. Et, Beatus quem tu elegisti & assum
psisti: vt in atrijs tuis habitet. Solus Deus omnibus homini-
bus beatitudo summa est. Neque vllam aliam præter semet-
Genes.15. ipsum mercedem Abrahamo promiserat. Ego, inquit, mer-
Psal.102. ces tua magna nimis. Ille est qui desiderium hominum bo-
nis replet, non aliquo tempore tãtum, sed semper. Atq; hæc
causa, quòd iam indè ab initio mundi, pij quíq; non ita ma-
Genes.12. gni æstimarunt temporanea, solùm quæritantes Deum. Sic
Abraham relictis, quæ possidebat, omnibus, paternos exijt
lares, arbitrabatur, satis abundè factum sibi, q̃ haberet Do-
minum. Sic & nostri Apostoli, relictis omnibus, solũ seque-
Ioan.6. bantur Christum. Domine, inquiunt, quò ibimus? Verba vitę
æternæ habes. Nec alio affectu Dominũ hic noster Ioannes
ad crucem vsq; sequitur. Ecce, quæ vera beatitudo sit audiui
mus, ipse Deus. Quam nec natura, nec pro meritis habemus
Ephes.1. fœlicitatem. Non profectò. Deus nos in eam per Christum
Psal.64. elegit gratiam. Beatus, inquit Psalmista, quem tu elegisti.
Electio & prędestinatio Dei, huius beatitudinis origo sunt,
quæ hîc in terris incipit, quando in tabernaculum suum nos
Deus suscipit, creścit, quando nos in atrium suum intromit-
tit, perficitur, quando in æternam Dei domum ingredimur.
Hæc enim quam modò viuimus vitam, comparatur taber-
naculis. Vt enim admodùm parum sub pellibus siue tento-
rijs bellorum gaudij est, plurimum verò & laboris & peri-
culi, propter hostium incursus: vt etiam tentoria supra caput
licèt tegantur, fundamento tamen carent, ac sæpè mouętur
loco, ita & piorum hîc conditio est, sub pellibus habitant,
semper timent hostem, nunquam securi. Lætentur licèt nõ-
nihil, quòd protectorem Deum habeant, quòd in magnam
Ecclesiæ domum intromissi sint, tuti tamen per omnia nun
quam sunt. At peracta huius vitæ fabula, in atrium intro-
mittuntur Dei. Proximum domui est atrium, portis & arce
munitum, patens latitudine præter tentorij angustias, fun-
damentum habens, nullo præter tectum caret. Sic & beato-
rum animæ post hanc vitam, sint licèt nõdum plenè beatæ,
requiescẽtibus in terra corporibus, propius tamẽ accedũt ad
Apoc.5. beatitudinem, sibíque dici percipiunt. Requiescant paulu-
lum, donec fratrum impleatur numerus. Tũ & ab hostium
securi incursionibus, quibus nec mors nec dolor, hoc tãtùm
deest,

deest, quòd necdum beatitudo perfecta est, sed media, animabus fœlices, corpora nondum excitata expectãtes. At vbi etiam corpora à somno surrexerint, tunc demum plena ac perfecta beatitudo est. Est ergo beatus quem in Ecclesiæ suæ tentoria Deus suscipit, beatior quem in atria sua recipit, beatissimus verò, qui æternùm domum Dei inhabitabit. Sed quod bonum in æternum Dei domum receptis maneat, Ioannes noster pulchrè in Apocalypsi refert, idque ex ipsius Dei persona. Qui vicerit, siue vincenti, dabo edere de ligno vitæ, quod est in medio Paradisi Et iterum. Qui vicerit, non lædetur à morte secunda. Et, Vincenti dabo manna absconditum, & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen nouum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit. Et, Qui vicerit, & custodierit vsque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes, & reget eas virga ferrea, & tanquam vasa figuli confringentur. Et iterum. Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius. Et scribam super eum nomen Dei mei, & nomen ciuitatis Dei mei nouæ Hierusalem, & nomen meum nouum. Et, Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis, & non delebo nomen eius de libro vitæ, & confitebor nomen eius coram patre meo. Et, Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici, & consedi cum patre meo in throno eius. Hæc sunt bona, quibus abundat Dei domus, quibus in æternum satiantur electi. Gustare licet, non saturari ijs bonis in hac vita. Gustauit Ioannes in hoc mundo, de ligno vitæ, qui est Christus, accepit. Columna in Ecclesia factus, in libro vitæ inscriptum nomen eius, memoria sempiterna coram Deo simul & hominibus memoratur. Beatus quem Deus eligit & assumit. Hæc ergo nos Deo viciniores reddant, apud quem cuncta nobis manent bona. Apoc. 3. Apoc. 3.

IN DIE INNOCENTVM EVANG. MATTH. II.

ECce Angelus Domini apparuit Ioseph in somnis dicens. Surge, & accipe puerũ & matrem eius, & fuge in Aegyptũ, & esto ibi vsque

dum dicam tibi. Futurum est enim vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum. Qui consurgens, accepit puerum & matrem eius nocte, & recessit in Aegyptum. Et erat ibi vsque ad obitum Herodis: vt adimpleretur, quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem. Ex Aegypto vocaui filium meum. Tunc Herodes videns quoniam illusus esset à Magis, iratus est valdè, & mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus eius, à bimatu & infrà, secundum tempus, quod exquisierat à Magis. Tunc impletum est, quod dictum est per Hieremiam Prophetam dicentem. Vox in rama audita est, ploratus & vlulatus multus. Rachel plorans filios suos, & noluit consolari quia non sunt.

EODEM FESTO EPISTO. APOCALYP. XIIII.

ET vidi, & ecce agnus supra montem Syon, & cum eo cẽtum & quadraginta quatuor millia habentes nomen eius, & nomen patris eius scriptum in frontibus suis. Et audiui vocem de cœlo, tanquam vocem aquarum multarum, & tanquam vocem tonitrui magni, & vocem quam audiui sicut citharœdorum citharizantium in citharis suis. Et cantabant quasi canticum nouum ante sedem, & ante quatuor animalia, & seniores, & nemo poterat dicere canticum nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra. Hi sunt qui cum mulieribus nõ sunt coinquinati: virgines enim sunt. Hi sequuntur agnum quocũque ierit. Hi empti sunt ex omnibus primitia Deo *& agno, & in ore eorum non est inuentum mendacium. Sine macula enim sunt ante thronum* Dei.

PRI-

PRIMVS SERMO, cur Innocentium memoria in hac hebdomada fiat.

PRAECEDENTIBVS D. Stephani & Ioānis festiuitatibus rationes ostendi, cur hęc festa hac hebdomada celebret, & quid horum dierum & institutione & obseruatione velit Ecclesia, restat igitur de hodierna festiuitate nōnihil loqui, & cur hac octaua celebretur. Sed nullam hîc huius diei peculiarem rationem reddo, præter eam quæ in præcedentibus posita est. Nempè, quòd Christus primogenitus esse voluerit in multis fratribus, nec minus lucri adferre mortalibus, quàm dāni importauerit Adam. At certum est, omnes homines in Adam vitiatos, etiā ipsos infantulos: vt Paulus testatur. Ideóque gratiā suam secūdum Adā effundere in omnes voluit. Quando ergo infantes maledictionis in Adam non sunt vacui, cur non & benedictionis in Christo essent capaces? Quādo ipse Deus ait. Omnis anima mea est. Vt anima patris, ita etiam anima filij mea est. Nec ad Abraham dicit tantùm. Ego Deus tuus, sed addit etiam, & seminis tui, hoc est, posteritatis tuę. Idem etiam per Ioëlem promisit. Et erit, inquit, in nouissimis diebus effundam de spiritu meo super omnem carnē, & Prophetabūt filij vestri & filiæ vestræ, &c. Sed & Paulus testatur, quòd Deus omnes homines velit saluos fieri. Quin ipse saluator. Omne (inquit Ioan. 6.) quod venit ad me, non eijciam foras. Id quod non tantùm intelligendum est de ijs qui sponte veniunt ad Christum, sed etiam de his qui ab alijs quoque modo ad Christum perducuntur. Hos etiam non vult aspernari: vt alio loco dicit. Sinite illos venire ad me, &c. Nolite prohibere eos: quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Eodem loco dicitur, quòd Christus infantes complexus sit, imposuerit manus super eos, & benedixerit eis. Euidens certè indicium, etiam infantes pertinere ad Christum. Atq, ideò mirandum est minimè, eorum quoque in hac septimana fieri memoriam. In his ergo sat occasionis cuilibet pio meditandi quæ sit ineffabilis Dei bonitas, in cuius admiratione meritò cum Dauide exclamamus. Domine, quid est homo, quòd memor es eius? aut filius hominis: quoniam visitas eū?

Rom. 8.
Rom. 5.
Ezech. 18.
Genes. 17.
Ioel. 2.
1. Tim. 2.
Marc. 10.
Psal. 8

Quin hoc festum nõ solum ad laudandum Deum te incitabit: verùm etiam vt liberos tuos, quàm commodissimè Christo adducas, qui plurimam illorum curam gerit, & apud quem nulla inuenitur malitia, præter quem nulla præsto est bonitas. Ille lux, salus ille: via: veritas & vita est, cum quicúnque sequitur, in tenebris non ambulat. Et, Qui in eo manet, non peribit in æternum. Et hæc ratio sufficiat, cur hac octaua natalis quoque Innocentium celebretur. Nulli profectò pio obscurum erit, iustam huius festi rationé esse. Nec quisquam miretur, hanc præsentem lectioné Euangelij non perindè lætis sonare vocibus: vti præcedentiũ dierum Euangelia. Nam omne illud, quod indè hucúsque audiuimus ab Angelis, à pastoribus, à Stephano, ipsóque Ioanne, plenum gaudij est. Quibus omnibus Christus gaudium lętitiámque attulit. At hæc præsens lectio, nonnihil tragicum habet. Videntur enim nobis hi Innocentes non modò nullũ ex Christi incarnatione commodum: verũetiam plurimum damni habere, quòd sine culpa tam truculenter sine omni misericordia interimuntur. Sed nemo scandalizetur. Nam quicquid sæuiens Tyrannus in illis hostile persequutus est, non ad perditionem, sed ad salutem ijs seruiuit. Compendiosissima enim ad Deum via est, pro Christi mori nomine. Beati, inquit Christus, qui persequutionem patiuntur propter iustitiam: quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Plus hostis ille truculentus sua profuit illis Tyrannide, quàm si voluisset, omnibus, suis diuitijs, maiestate, honoribus, potuisset commodare.

Ioan. 8. 12. 14. Matth. 2. Matth. 5.

In summa, quicquid Euangelij hæc lectio tristius proponit, ipsum Epistolæ vice decantata lectio rependit. Ecce, inquit Ioannes: vidi agnum supra montem Syon, & cum eo centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen eius, & nomen patris eius scriptum in frontibus suis. Scripta quidem ista hæc visio est de omnibus credentibus in genere, nec quicquam peculiare de nostris innocentibus refert, sed non incongruè eis applicatur, quòd quædam in ea verba, nulli præter nostris infantibus conueniunt meliùs. Vt cùm dicit Ioannes. Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati. Virgines enim sunt. Et iterum. Hi empti sunt ex omnibus primitiæ Deo & agno, & in ore eorum non est inuentum mendacium. Sine macula enim sunt ante thronum Dei, nemo negauerit hæc verba perappositè infantibus conue-

Apoc. 14.

conuenire. Si ergo miserandum arbitraris quod de iis in Euangelio lectum est, sume ad manus lectionem Epistolæ, & compẽsatum videbis totum. Primò enim licèt Matthæus testetur, Herodem occidisse eos in Bethlehem, & in omnibus finibus eius: Ioannes tamen dicit se eos in monte Sion vidisse, qui mons sempiternæ beatitatis imaginem gerit. Quid igitur mors nocuit, quæ illis corporalis tantùm, vitæ æternæ ianua fuit & introitus? Secundò, idem Ioannes testatur, quòd eos cum agno, hoc est, cum Christo viderit. Id certè illis beatius fuit quàm sub isthoc Tyranno in terris morari diutiùs, qui nec propria vxore, suísque ex seipso genitis liberis nefarias manus abstinuit. Tertiò, idem Ioannes refert, quòd Christi nomen scriptum habuerint in frontibus suis, id quoque maiore commodo & honore, quàm si cum sui generis hominibus in sacrosancto se Christi sanguine coinquinauissent, cum iisdẽ vociferati fuissent: Sanguis eius super nos & super filios nostros. Id quod potuisset euenire, si ad Christi passionis tẽpora vixissent. Profuit ergo eis infensissimus Tyrannus hoc ipso, quòd à truculentissimo nefandissimóque facinore eos præseruauit. Rapti sunt, ne malitia mutaret mentem eorum. Quartò, etiam nomen Dei ipsos in frontibus habuisse vidit, Dei inquam, qui genuinus parens est, super omne quod Deus dicitur in cœlis & in terra. Nullum ergo, aut certè perexiguum damnum, quòd externis orbi sunt parentibus. Quid enim si superfuissent ipsorum parentes eis commodassent? At Deus verè pater est, qui hîc & in sempiternum commodare potest, vt Christus ait: Noli timere pusillus grex, quia complacitum est Patri vestro dare vobis regnum. Quintò, Ioannes testatur se audiuisse eos canentes nouum carmen: & hoc rursus maius quid est, quod ipsis hîc in terris potuisset contingere, vbi nec fari, ne dicam cantare potuissent. Postremò, nec ambulare pedum officio potuerunt, quia biminat Ioannes eos vidit sequentes agnum quocúnque iret. Quid igitur beatius, quàm à terra in mõtem Sion, hoc est, in æternam fœlicitatem sublimari? Quid lætius quàm esse cum Christo, qui & vita & resurrectio est? Quid tutius, quàm Christi Deíque nomen in fronte scriptum gerere? Quis enim huiuscemodi homini aliquod inferet damnum? Turris fortis & arx munita est nomen Domini omnibus in eum sperantibus. Tum etiam in Apocalypsi traditur, hos tantum à seuera iusti iudicis

Matth.2.

Matth.23.

Sap.4.

Ephe.3.

Luc.12.

Ioan.11.

Prouer.10.

Apoc.7.

dicis ſeruari ſententia, quibus Dei ſignum in frontibus inſcriptum eſt. Demum, quid ſublimius, quid fidelis optaret melius, præter cum Chriſto omnibúsque electis nouum canticum decantare, quod nemo poteſt, niſi electi tantùm? Hoc autem totum hi Innocentes conſequuti ſunt. Quid ergo Tyrãnus nocuit? Quin maximè profuit, quum ad cœlos miſit, ad Chriſtum, ad Deum, ad Angelorum electorúmque hominum cõſortia præmiſit. Hac ergo ratione perſpicuum, arbitror, ſit, natiuitatem Chriſti, non ſolùm nihil obfuiſſe his innocentibus, verùm etiam plurimùm profuiſſe. Cõſtanti ergo veritate durat quod Ioannes ſcribit: Vidimus glorã eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre, plenum gratia & veritate: ita planè, vt omnes de eius plenitudine accipimus, gratiam pro gratia. Per Moſen enim lex data eſt, gratia autem & veritas per Ieſum Chriſtum. Confiteamur ergo hodie Deo, qui talem nobis propoſuit Principem. Sub huius militemus ſignis, qui neutiquam ſeducet. Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris: ſed habebit lumẽ vitæ, dicit Dominus. Hæc dicta ſint, vt videamus hanc feſtã diem vtur lugubrem teneat hiſtoriam, non ſine cauſa, imò magnis rationibus lætæ Chriſti natalis feſtiuitati ſubnexam eſſe. Deus Opt. Max. omnibus nobis gratiam ſuam largiatur, vt ſalutifera Chriſti natiuitate participemus omnes, Amen.

Apocal. 7.

Ioan. 1.

Ioan. 8.

SECVNDVS SERMO, QVID vel in Herode vel infantibus cogitandum.

DVo hominum genera in hac Euãgelica lectione nobis proponuntur admodum inter ſe diſparia, ſed multam cogitandi materiam ſubminiſtrant. Illic Herodes Tyrannus ſæuiſsimus: Hic Innocentes pro Chriſti gloria mortem perpeſsi paruuli. Vtrúnque genus pius quiſque cogitabit ſedulò, id quod non paruo fiet commodo. In Herode non tantùm ſæuiſsimum quod perpetrauit facinus cogitandum eſt, verumetiam & maximè infenſiſsima Satanæ, qui hunc infœlicem hominem illum pertraxit, cogitanda ira eſt. Diabolus, inquam, verus huius latrocinij autor eſt. Timebat enim ſuæ poteſtati, quem in homines iniquiſsimè ſuſceperat. Nouerat quoque interminationem in ſe edictam, quòd randem aliquando caput ſuum eſſet peſſundandum, baculum quo po-

Geneſ. 3.

Iſai. 15.

quo populos cædebat, conterendum, vim qua totum mundum sibi subegerat, auferendam per Christum, insuper seipsum quoque ad inferni abyssum detrahendum. Hæc timuit, atque ideò eam excitauit tragœdiam, ratus inter cæteros se Christum quoque interempturum, à quo solo sibi timuit. Id quod deinceps obtectos relinquens vel inuitus fateri coactus est. Quid tibi & nobis, exclamabant, Iesu Dei soboles? Venisti ante tempus perdere nos? Præuenire igitur *Mar.1.* voluit nequissimus. In hoc Herodem in tantam crudelitatem, in horribilem immanitatē excitauit. Sed ne quicquam *Luc.4.* fudat, frustráque laborat. Per Christum Deus humano generi opitulari proposuerat, hoc nemo impedire valebat. Iam in via erat, in itinere pergebat pius Pastor perditam ouem quærere. Hoc primum quod in hac historia cogitandum proponitur: nempe, Satanam verum esse huius rei autorem, *Luc.15.* qui semper operatur in filijs diffidentiæ. Nunc porrò huius instrumentum examinemus Herodem. Atque hîc mox considerabimus, quæ mundi huius liberorum natura sit. Statim *Ephes.2.* enim nato Christo, contra eum mundus sæuire incipit. Odio habuerunt me gratis, inquit Saluator. Primus con- *Ioan.5.* tra Christum sæuientium Herodes est. Timebat regno suo, quod non iustitia, sed mera obtinebat tyrannide. Seipsum in illud vi intruserat: sic habenas regni moderabatur, vt nemo amicus, hostes omnes, nec quicquam quàm exurgente alio Rege, omnium à se defectionem sperare ausus fuit. Nō ergo sibi fabula lusus, alium Iudæis nasci Regem. Hoc primum, aut Christum occidere, aut omnes infantes vnà interimere. Exclamat amens nuntio, inquit Prudentius, Successor instat, pellimur, satelles in ferrum rape, perfunde cunas sanguine. Quia regem nescit, multorum occisione quærit. At quid expediuit? Idipsum quod Pharao quondam, qui *Exod.1.* vt Hebræorum vires diminueret, omnes recens natos volebat mersos. Vtut autem plurimos merserat, Moses tamen *Exod.2.* elabitur, qui Tyrāno regnum simul & vitam eriperet. Imò videret oportuit, & enutriri in aula eum, & à filia in filium adoptari. Idem effecit Herodes, qui Martyres facere, fugentes persodere, non Christum inuenire quem quærebat, potuit. Quanquam autem plus Innocentibus commodi quàm incommodi attulerit, qui nec potuisset omnibus suis diuitiarum copijs tantum bonum adferre, quantum immanis illa tyrannide attulit. Temporaneam vitam sustulit, ad

æter-

æternam multísque parasangis meliorem transmisit: imò de terra ad cœlos, ex Satanæ tyrannide, ad Christi regnum transtulit. Sibiipsi nocuit, licèt serius experiretur tandem. Sed quò suspensa erat vindicta Dei longius, hoc superuenit pòst horribilius. Nam iusta Dei dictante sententia, in eam deueniebat mentis insaniam, vt propriam vxorem trucidaret & liberos proprios, seipsum quoque cruenta manu occisurus, ni parricidalem alij cohibuissent conatum. Nihilominus tandem, quod tyrannide ad se rapuerat, quod multorum cruore obtinuerat, perdidit, amisit, quin & maiora perdidit, non temporaneum tantùm regnum, verùm etiam æternum, ac demum magno cruciatu summa infœlicitate regni sui deponens gubernacula. Dignus profectò tyrannorum finis, dignum pro meritis præmium, innocentem sanguinem effundentium. Iustus es Domine, inquit Ioannes, quia hæc iudicasti: quia sanguinem Sanctorum & Prophetarum effuderunt, & sanguinem dedisti eis bibere. *Apocal. 16.*

O insanum, O impium hostem te, Christum venire quid times? Non accepit mortalia, qui regna dat cœlestia. Non eripere alijs sua, sed pius elargiri venit propria. Non venit ministrari sed ministrare, & dare animã suam in redemptionem pro multis. Spineam, non auream sibi in terris coronam quæsiuit. Non eburneo vehi lectulo, sed crucis suspendi & exaltari voluit patibulo. Sed hæc mundus non cogitat, curat temporanea solùm: quæ Spiritus sunt, atque ob id sempiterna sunt, negligit. Vnde necesse est, vtróque careat. *Prouer. 21.* Nobis verò hæc historia plurima cogitandi submINistrat materiam. Primò nihil contra Dominum perficere vllum consilium, vllam prudentiam, vllámue fortitudinem. Herodes quibus potuit contra Christum vsus est, consilio, dolis, potentia. Sed ne quicquam laborat. Secundò, videmus in Herode, quàm sit miserè deperdita in nobis nostra natura, quàm sit in malum prona, vt nihil tam impium quod non attentarent & auderent homines, nisi formido pœnæ, vel aliud quid huiusmodi retraheret. Non enim mentitur sacra Scriptura, quæ cunctas humani cordis cogitationes ad malum omni tempore intentas esse testatur. Et iterum: Prauum est cor hominis & inscrutabile. Et quid boni ex radice eo modo infecta enasci poterit? Ex corde, inquit Christus ipse, exeunt cuncta mala: adulteria, homicidia, furta, & id genus alia. Id quod clarè in Herode *Genes. 6.* *Hiere. 17.* *Matth. 15.*

vide

videtur, qui ne quidem erubuit tantum infanticidium committere, quoslibet ausus suos sequutus, cùm auderet omnia. Timeamus ergo semper, humilitatis memores, nemo sibi quicquam boni ascribat, sed illi, qui & velle & perficere in nobis operatur. Nemo se alteri præferat. Nullum enim tam enorme delictum perpetratum ab aliquo, quin idem faciat alter, si benignus conditor manum suam subtraxerit. Atque ideò meritò cum Daniele exclamamus omnes: Tibi ô Domine iustitia, nobis verò ignominia. *Philip.1.* *Dan.9.*

Tertiò, in Herode consideramus, quanam in miseria & cæcitate impij quique sint positi: discurrunt huc illuc sæuientes, nihil efficientes: quos haud dubiè puderet, suique metipsorum misererentur, si cæcitatem ac insaniam suam possent conspicere. Nihil quidem Tyrannus ille efficit, nisi quòd se inutili labore cruciat, & eneruat, haud secus, atque illi, qui in somnis arduis plurimum occupantur negotijs, expergefacti, nihil præter lassos se factos, comperiunt effectum. Id quod omnes impij tandem aliquando fatebuntur & dicent: Lassati sumus in via iniquitatis: quid profuit nobis superbia nostra & diuitiæ? &c. Omnia vt vmbra præterière. Hos bene Apostolica alloquitur authoritas: Exurge qui dormis: exurge à morte, & illuminabit te Christus. Et iterum: Nunc tempus à somno surgere, Nox enim præterijt, dies autem appropinquauit. *Isai.29.* *Sap.5.* *Ephes.5.* *Roma.13.*

Quartò, in eodem Herode videre licet radicem ac fontem omnis mali esse philautiam, id est, inordinatum sui ipsius amorem. Quid enim eum ad tantæ sæuitiæ tam horrendum facinus perpetrandum mouit, præter ambitionem & dominandi libidinem? Qua quidem ex causa non solùm, verùm etiam aliâs plurimum effudit sanguinis. Vt vitæ scilicet suæ foueret splendorem per fásque nefásque. Vnde seriò & instanter orandus Deus cum Dauide: Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis. Et: Inclina cor meum in testimonia tua Domine, & non in auaritiam. Quintò, in Herode considerare licet, quam calamitatem & perditionem prouincijs regnísque impius Magistratus importet. Vide enim quàm facilè iucandescat qui ex vnica causa, eáque admodum leui, & propè nulla, quòd non, vt iussi, redierint Magi, horrendum infanticidium exequitur. Quoties nonnulli in- *Psal.50.* *Psal.118.*

ſani maléque compti principes facili de cauſa eiuſcemodi illicita bella mouent, quibus Prouinciæ perduntur & homines, ac terra humano Chriſtianóque ſanguine perfunditur, cuius vel ſoli ipſi ſunt occaſio. Hæc ergo multáque alia pius in Herode cogitare poterit. Contrà verò in Innocentibus conſiderandum eſt, nihil eſſe fœlicius, nihil beatius, quàm pro Chriſti ſubire mortem nomine, vtvt maleſanus miſerandum arbitratur mundus. Primùm enim certum eſt, ex benigna Dei voluntate fieri, quicquid piè credentibus aduerſi contigerit. Quia autem ex bona Dei voluntate venit, indubiè hominũ ſaluti inſeruit. Diligentibus enim Deum omnia cooperãtur in bonum. At ex bona Dei voluntate ea venire, apertiſſimè Paulus in ea quam ad Hebræos ſcripſit epiſtola, teſtatur. Quin ipſe Deus aſſerit: Si filij eius (de Chriſto loquitur) dereliquerunt legem meã, in virga corripiam eos, miſericordiam autem meam non amouebo ab eis. Ideò & Dauid de maledicente ſibi Semei loquitur. Maledicat ſinite. Dominus mandauit illi maledicere Dauid. Et Iob. Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſit nomen Domini benedictum. Sicut Domino placuit, ita factum eſt. Et iterum. Si bona ſuſcepimus de manu Domini, mala autem cur non ſuſtineamus? Immittit ergo nonnunquàm Deus multa aduerſa ſuis, ſed pro ſua bona voluntate, & eorum quibus ea immittit commodo, aut vt commiſſa puniantur, aut ijs probentur, & creſcant merita. Neque tamen impij, qui iuſtam Dei ſententiam exequuntur, hoc excuſantur. Quòd enim pro bona ſua voluntate Deus facit, hi faciunt contrà peſsima. Id quod hîc in Herode videmus perſpicuè. Conceſsit Deus pro bona ſua voluntate occidi infantulos, maximo ipſorum commodo, nempe vt æternùm viuerent. At Herodes exequutor impio id facit animo. Proinde etiam non his, ſed ſibi cladem intulit. Credentem enim verè, nulla lædit creatura, at à ſeipſo lædirur. Quid enim niſi temporanea auferre poterit creatura? Sed dum ea auferunt, credentis commodis ſeruiunt, quòd vel delicta eius contegunt & abluunt, aut meritis incrementum tribuũt. Qui verò peccata abluit, qui merita tua multiplicat, non profectò incommodat, ſed vehementer commodat. Quid his infantulis Herodes damni intulit? Nihil planè. Quid Satan Iob nocuit? Quid Saũl Dauid? Quid Nabuchodonoſor tribus, qui cum Daniele erant,

Rom. 8.
Hebr. 12.
Pſal. 88.
2. Reg. 16.
Iob 1.
Iob 2.
Dan. 3.

erant,collegis? Quid Diocletianus innumeris Martyribus? Nihil omninò:nisi quòd selectissimos Dei amicos,Deo chariores,totique mundo honoratiores reddiderũt.Quid ergo est,quo tibi quoque tuus sua tyrannide nocebit hostis? Erit fortè quod corpori tuò noceat, at plus propriæ nocet animæ. Qui enim peccat, & iniquitatem amat,animam suam odio habet.Quin quelibet anima peccans,morte morietur. Nullus ergo contra hostes tuos tibi quærelæ locus relictus est,qui sibimetipsis plus quàm tibi incommodant: condolere autem magis decet, quemadmodùm Christus, cùm ait: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Nemo ergo te lædet verè,nisi lædas teipsum. Nemo tibi incommodat, nisi qui tibi Deũ præripit,aut eum tibi reddit infensum.Sed hoc nulla creatura facere potis est. Solũ peccatũ tibi alienum Deum facit & infensum. Tibi ergo ipsi plurimùm si peccaueris incommodas. Videri posset aliquo Herodes innocẽtibus obfuisse,qui profuit maximè.Nihil superesse piorum post rogum, mundi est opinio: cùm tamen tum demùm verè incipiant viuere.Iustorum enim animę in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum malitiæ. Visi sunt insipientium oculis mori,illi autem sunt in pace.Deus Optimus Maximus,& viuendo,& moriendo, gratiam suam largiatur,Amen.

Psal.10. *Ezech.18.* *Luc.13.*

IN DIE PVRIFICATIONIS MARIAE, EVANGELIVM DE CHRISTO IESV.

LVC. II.

POstquàm impleti sunt dies purgationis Mariæ secundum legem Mosi: tulerunt Iesum in Ierusalem,vt sisterẽt eum Domino,sicut scriptum est in lege Domini: quia omne masculinũ adaperiens vuluam,sanctum vocabitur Domino.Et vt darent hostiam, secundum quod dictũ est in lege Domini par turturum, aut duos pullos columbarum. Et ecce homo erat in Ierusalem,cui nomen Simeon. Et homo iste iustus &

Leuit.12. *Exod.13.*

timoratus, expectans consolationem Israël: & Spiritus sanctus erat in eo. Et responsum acceperat à Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi priùs videret Christum Domini. Et venit in Spiritu in templum. Et cùm inducerent puerum Iesum parentes eius, vt facerent secundum consuetudinem legis pro eo, & ipse accepit eum in vlnas suas, & benedixit eum, & dixit: Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum. Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israël.

EODEM FESTO EPISTOLA
MALACHIAE CAP. III.

Ecce ego mitto angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam: & statim veniet ad templum sanctum suum dominator quem vos quaritis, & angelus testamenti quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus *exercituum. Et quis poterit cogitare diem aduẽtus eius? & quis stabit ad videndum eum? Ipse enim quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum. Et sedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios* Leui, *& colabit eos quasi aurum, & quasi argentum: & erunt* Domino *offerentes sacrificia in iustitia, & placebit* Domino *sacrificium* Iuda *& Ierusalem sicut dies saeculi, & sicut anni antiqui.*

PRIMVS SERMO.

SI quis huius diei sacrosanctam Euangelij sectionem penitius aliquantò secum examinauerit, haud dubiè facilè considerabit, quia Ecclesia totum diffusa per orbem, non sine prægnanti & iusta causa, tanta cum solennitate, támque egregiis laudibus, nec sine cæremonijs hodiernam festam diem celebrat. Tanta enim in hac lectione nobis ob oculos ponuntur, vt meritò iis solis, nullo præterea accedente, & ad diligendum, & ad celebrandum Deum

incitare-

incitaremur. Quanquàm autem ſecundum ea quæ exterior litera præ ſe fert, nihil peculiare, nihil arduum aut nouum eſſe videatur, quòd Dei mater Maria elapſis diebus luſtralibus, templum ingreditur, quòd ſe ſecundum legem ſacerdoti oſtendit, quòd vnigenitum ſuum ſiſtit: imò quòd iuſtus ille Simeon (qui reſponſum acceperat non ſe viſurum mortem, niſi prius vidiſſet Chriſtum Domini:) primo quoque intuitu huius infantuli, tanta lætitia afficitur. In Moſe enim omnibus mulieribus præceptum erat eius gentis: vt peracto partus tempore, Deo ſacrificia offerrent luſtrationis: nempè, agnum anniculum pro holocauſto, pullum columbarum in victimam pro peccatis. Tum etiam Dei mandatum erat, vt omne primogenitum tam in animalibus, quàm in hominibus vuluam matris adaperiens, Domino ſanctum vocaretur. Taceo interim ſenes, qualis hic noſter Simeon, naturali quodam affectu & mentis quadam lætitia erga infantes affici: quod tamen hoc loco peculiarem ſuam habet interpretationem. Poſſet inquam, verborum contextus huius Euangelij, nihil magni polliceri, ſi obiter tantùm perlegas: at ſi altiùs inuestigaueris, maxima & multa plena admiratione inuenias, & quod dici ſolet, nuce fracta ſuauiſsimum nucleum habeas obuium. Inuenies ſanctam Dei genitricem, antè, póſtque partum virginem immaculatam conſeruatam eſſe. Inuenies hanc nouam ſobolem non ſolùm primogenitum hominis, puta Mariæ, verumetiam ac multò magis primogenitum omnium creaturarum, hoc eſt, ante omnes creaturas. Quandoquidem per verbum, qui eſt Dei filius, omnia quæ in cœlo quæque in terris facta ſunt, imò quòd ipſe vnigenitus Dei altiſsimi. Tum Simeon quoque, non vti hominis alicuius natum apprehendit, ſed diuino quodam zelo eum vt Dei filium: vt mundi redemptorem, & quemadmodùm ipſe canit, ſalutare omnium populorum complectitur. Hunc nucleum qui inuenerit, & ſecum in cogitationum mola ruminauerit, inueniet non modò magna, ſed noua planè, & inaudita hominibus miracula hodie toti mundo illuxiſſe, atque nobis hac feſta die ab Eccleſia in exemplum ob oculos poni. Certum eſt enim nec veniſſe antè, nec venturam eſſe aliquando in templum honoratiorē puerperam. Tum nunquàm aliquis excellentior infantulus Deo Optimo Maximo præſentatus: nullum valentius vel acceptius

Leuit. 12.

Exod. 13.

ſacrificium Deo oblatum eſt hodierno. Cui igitur mirum, aut cui indignum vel alienum à pietate videbitur, quòd Eccleſia Catholica hoc feſto tanto tripudio, cũ tanta puerpera, ac Dei matre, cum tantæ benedictionis fructu, Dei filio, cum prouectæ ætatis ſene Simeone, qui per Spiritum in has ſolennitates adductus, cum mentis iubilo Deo canit: Nunc dimittis ſeruum tuum Domine, ſecundum verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi noſtri ſalutare tuum. Quis hanc ſolennitatem argueret, maximè cùm ſciamus certò quicquid vel factum vel conſcriptum eſt, ad noſtram *Rom.15.* doctrinam & factum & ſcriptum eſſe: vt per patientiam & conſolationem gratiæ Dei operum, & per ſcripturarum teſtimonia tandem aliquando noſtram in Deum fiduciam ponere diſcamus? Quis non vel cum ingenti animi lætitia eorum intereſſet conſortio, vbi tanta confluunt, vbi tam diuitis theſauri porriguntur & ſuſpiciuntur dona, tam boua auditur nuntiatio? Truncus ſit, & quoquo adamante durior, neceſſe eſt, qui tantis miraculis non tangitur, tantis donis non mitigatur, tanto & tam bono nuntio non lætatur. Ter te fœlicem Simeon, cui hæc omnia coràm videre, tantum infantulum benedictis manibus ſuſcipere, imò toto affectu complecti datum eſt. Sed & beati illi, qui licèt hęc *Ioan.20.* non viderunt, annuntiant tamen, audiunt, piáque mente credunt. Vnde nemo deſperet, aut fiat triſtior, quòd non viderit iſthæc cum Simeone, quòd non illis interfuerit ſa- *Hebr.13.* cris, nec puerum externis vlnis ſuſceperit. Ieſus Chriſtus *Act.17.* heri & hodie, idem eſt etiam in ſæcula, inquit Paulus, Quotidiè hominibus ſe, vti dilectis filijs ſuis, offert, ſed & quotidie cum vera fide comprehenditur. Quòd ergo Simeon ille ſenex externis vlnis accepit, aut quòd interiùs in mente ſenſit: hoc pleniè atque perfectè nos quoque habere licebit, tantùm ardenti fide huic feſtiuitati præparauerimus, & in vnum conuenerimus. Et quid lætius, quid excellentius, quid magis ſaluti ferum obtingeret, quàm Chriſtum puerulum habere in manibus huius, diuinam gratiam & conſolationem in ſcrinio pectoris ſentire interiùs? O vtinam vel ſemel tantùm id experti eſſemus, quàm in omne porrò opus bonum paratos nos exhiberemus, quàm fortes nos in omni afflictione exhiberemus, quàm imperterriti in mortis etiam extremo periculo. Dicere cum Paulo, ſemper *Philip.1.* primum eſſet: Mihi viuere Chriſtus, & mori lucrum eſt.

Hæc igi-

Hæc igitur Ecclesia cogitat, atque ideò anniuersaria die proponit, vt eo firmior nostra à Deo petendi auxilij sit cõfidentia. Quòd si cui hanc diem decentibus atque dignis sanctificare laudibus voluptas est: omnia illa, quæ tunc cùm hæc fierent in templo, agebantur, quasi coràm videre & audire se arbitretur. Mox lumen in manus accipiat fidei, nec vllo modo vel de virginitate matris, vel multò minus de Deitate hæsitet filij: sed gratias agat Deo & Patri, quòd eousque in diuinæ gratiæ agnitione educauerit & conseruauerit. & cum Dauide, imò cum vniuersa Ecclesia decantet: Suscepimus Deus misericordiam tuam, in medio templi tui: sicut audiuimus, sic vidimus in ciuitate Domini: ideóque ô Domine Deus, sicut nomen tuum, ita & laus tua in fines terræ. Hæc nobis offeruntur hodie, huiusmodi magnalia hac festa die nobis tradit Sancta Ecclesia. Sed ô Deus, ô Pater, quàm pauci, quibus illa nunc cordi sunt. Omnes feriari, omnes otiari volunt, sed Dei in totum obliuiscimur. In dictos dies pro more & ex consuetudine obseruamus tantùm: pauciss imi, qui vno Spiritu, recta fide, veráque deuotione cum Simeone Deum in Ecclesia complectimur. Vnde fit, vt festi nostri dies contrariæ parti in risum abeant. Verùm vt nos, quos Dei huc in vnum congregauit bonitas, vberiorem aliquem fructum ex Euangelica historia, vt quæ plena doctrinæ & consolationis, hauriamus: placuit simplicioris ingenij causa hominum, breuiter quid hodierno festo agat Ecclesia in genere, vt hoc discant, qua ratione sanctificanda dies hæc, quídue in ea agere conueniat. Tria autem salutaria Ecclesia hodie peragit. Primò Deo & patri Domini nostri Iesu Christi gratias agit, quòd vnigenitum suum, saluatorem nostrum in hunc mundum miserit. Secundò filios suos, quomodò laborandum sit, Dominum Iesum in interiora mentium introm ittere atque suscipere, edocet, instruit, maguáque cum diligentia erudit. Tertiò orat Ecclesia, vt filij sui credentes, per sanctum hoc Domini Iesu Christi sacrificium, pura mente in sempiternum templum, in sanctum sanctorum vocentur & suscipiantur. In his rebus hęc præsens consistit solennitas, hîc Ecclesia eiúsque filij oc cupantur hodie. vnumquódque plurima cogitandi subministrat materiam: singula igitur examinemus. Primũ gratias agit Deo, q̃ vnicum suum filium in has terras peccata mun- *Psal. 47.*

di tollere,miſerit. Gratias agit Deo filio,quòd cùm in forma Dei eſſet,in humana natura,& pro noſtris delictis offerri ſeſe demiſerit, & humiliauerit. Gratias agit Deo ſpiritui ſancto,quod non ſolum per Prophetas:verumetiam lucidiſsimè hodie per Simeonem: verum Meſsiam Chriſtum Domini agnoſcere ſe doceat. Sed huiuſcemodi hæc ſunt omnia,quæ meritò vt Dei magnalia omnes in admiratione inducant,omnes ad grates referendas incitent.Sed non oēs hæc cogitāt (dolor) ferè inter nos hodie euenit,quod quódam cùm hæc agerentur,quæ Euangelium retulit. Plurimi illo tempore videbant Chriſtum in templum deferri, Deóque ſiſti,at pauci, qui ea propter gratias agerent Deo, illíque confiterentur:viſi ſunt. Nam ex omni illa Iudæorum turba,duo tantùm decrepiti,Simeon & Anna, qui Deo laudem darent & honorē,inuenti ſunt.Hi haud dubiè amplius quid in hoc infantulo conſpexerunt cæteris.Credebāt vtíq; hunc verū mundi redemptorem,Dei ſobolem: verum ſacerdotem,& vnicum pro hominum peccatis ſacrificium. Prophetarum dicta, maximè Aggæi & Malachiæ de aduentu Chriſti in templum memoria tenuerunt. Sciebant adeſſe, quibus Propherarum de Chriſto oracula implerentur,tempora,& quod maius eſt,ſpiritu ſancto dictante, hunc ipſum puerculum verum Meſsiam eſſe didicerant & redēptorem. Id enim ipſa eorum verba inſinuant. Statim enim Simeon ſalutare Dei, lumen Gentium, & gloriam plebis Iſraël vocat.Similiter & Anna Phanuelis filia de eo vaticinatur omnibus,qui expectabant redemptionem Iſraēl.Sic etiam Eccleſia hodie ſibi natum & datum læta exultatione ijſdem verbis,quibus olim Dauid cecinit,laudat infantulum. Magnus Dominus & laudabilis nimis. Sicut nomen tuum ita & laus tua, hodie miſericordiam tuam ſuſcepimus, non in vno facto,nec in vno loco tantùm,ſed in templo, in Eccleſia,imò in templi medio,hoc eſt,in illo loco: vbi omnes homines non Iudæi ſolùm:verùm etiam Gentes,pauperes,diuites,conueniunt.Quanta autem iſthęc Dei benignitas ſit,facilè colligitur,ſi horribilem lapſum humanę maſſæ,inuidia peſtiferi ſerpentis in Paradiſo factum in memoriam reuocauerimus. Quocúque enim faciem conuerſi fuerimus,nihil Adę poſteritati tam neceſſarium inuenimus,quàm Dei miſericordiam fuiſſe. Propterea quoq; veteres illi Iudæorum Patriarchæ ſimul & Prophetæ, nihil æquè ardenter à miſe-

Agg.2. Malach.3. Luc.2. Pſal.47. Geneſ.3.

ricordia-

ricordiarum & totius consolationis patre efflagitarunt, atque beneficam miserationis diuinæ dextram. Sic Dauid. Ostende nobis ô Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis. Et alio loco. O Domine: visita nos in salutari tuo. Sic & Daniel. O Domine, inquit, non in nostris iustificationibus preces nostras effundimus, sed in magna tua misericordia. Semper enim post lapsum timere magis sibi homo à prouidentia, à iustitia, ab omnipotentia, quàm ea experere debuit. Prouidentia enim Dei, patefacit hominis peccatum, iustitia eius iudicat, omnipotentia damnat. Habuit ergo homo, quod semper timeret, obsistentibus sibi perpetuò his tribus. Id quod etiam Diuus Iob cõqueritur. Scio, inquit: quia nemo iustificabit in cõspectu Dei, & si voluerit disceptare cum eo, non respondebit ei in millibus. Si autem perquisierit penitius, quid respondebit ei? Et, Ab omnibus factis meis timui sciens quia peccatoribus non parces. Et Dauid. Ne intres in iudicium cum seruo tuo Domine: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Videmus ergo ex his, quàm fuerit misericordia Dei filijs Adæ necessaria, qua sola à vulneribus suis sanantur, quæ vnica in gratiam Dei eos inferre potuit. Hanc ergo hodie non solum vidimus: verũetiam in Christo Iesu Dei filio, in medio, templi saluatoris nostri suscepimus. Cur igitur non lætabimur, & simul cum Simeone nostro Deo nostro laudes cantabimus: dicentes. Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi nostri salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum. Lumen ad reuelationem Gentium, & gloriam plebis tuæ Israël. Et hæ quidem causæ, quòd Ecclesia tanta hodie lætitia Dei patri, & filio, & spiritui sancto gratias agit. Ad hæc & secundò docet nos, quomodò cum Simeone Deo Opt. Max. obuiam procedere, in vlnas suscipere, tum etiam maximè in mentis nostræ templum introducere & conseruare debemus, aliàs profectò admodùm parum profuerit Ecclesiam eum hodie apprehendere & complecti in genere. Hûc ergo pertinet, quod personat Ecclesia. *Adorna thalamum tuum Sion,* id est, præpara cor tuum, *& suscipe Regem Christum.* Iusta profectò & necessaria admonitio. Non enim exterioris templi gratia venit Rex ille, nec desiderat templum ex lapidibus manu factum ingredi. Nam quia, vt Paulus refert, ipse Dominus cœli & terræ est, non in templis manu factis

Psal. 84.
Psal. 105.
Dan. 9.
Iob 9.
Psal. 142.
Luc. 2.
Act. 17.
Hebr. 9.

Prouer.23. habitat, ſed ait. Præbe fili mi cor tuum mihi, & oculi tui
Ioan.14. vias meas cuſtodiant. Sic & in Euangelio. Qui diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Et in
Apoc. Apocalypſi. Ecce ego ſto ad oſtium, & pulſo, ſi quis vocem
3. meam audierit, & mihi aperuerit, cum eo cœnabo, & ipſe mecum. Id quod D. Paulus aliquantò apertiùs oſtendit, cùm
1. Cor. 3. 6. ait. Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos. In hoc ergo
2. Cor. 6. templum Chriſtus ſuſcipiendus, ſi tamẽ cohæredes eius eſſe
Rom. 8. voluerimus. Sed multa ad hanc rem requiruntur, magna diligentia enitendum eſt: vt ipſi dignè hoc templum præparemus & ornemus: vt nobiſcum habitet. Principiò quidem & ante omnia curandum: vt fidei lumen in nobis ardeat, igne amoris incenſum, catena ſpei dependeat, hoc modo domus, cuius Deus inhabitator, ornanda eſt. Fide, charitate & ſpe, fundamenta locanda ſunt. Claudendæ deindè exteriorum ſenſuum feneſtræ, ne ventus aliquis perflans lumen extinguat fidei. Illis enim non benè occluſis, non modo ven-
Hier. 9. tus, ſed ipſa etiam mors ad nos intrat. Poſthæc etiam altare bonæ voluntatis erga Deum ſimul & homines in eo erigendum eſt, in quo perpetuò, eleémoſinæ, ieiunia confeſſiones, preces, & id genus alia ſpiritualia ſacrificia immolentur, corámque Deo fument. Quatuor item parietes politi, & omnium piè credentium exemplis depicti & ornati ſint. Poſtremò ijs omnibus peractis: videndum: vt ſoli Deo templum noſtrum & ſanctificetur & dedicetur, ſanctificatum dedicatúmque maneat, ementes & vẽdentes, canes & porci, hoc eſt, omnes carnales, inuidæ impuræque cogitationes eijciantur. His ita ordine præparatis, haud dubiè, non longè à nobis Chriſtus aberit. Et quidem hæc omnia rectè ac pulchrè in his quatuor perſonis, qui huic ſacrificio interfuerunt ſignificatum fuit. Maria geſtans puerum fidem ſignificat, quæ Dei nobis miſericordiam adfert. Iuſtus enim ex
Abac. 2 fide viuit. Et, Qui credit non iudicatur. Ioſeph verò, qui comitatur matrem, iuſtitiam denotat, quæ neceſſariò fidem
Ioan. 3. ſequitur, illíque innititur. Sine operibus enim bonis fides
Iacob. 2. eſt mortua. Simeon obedientiam refert, quæ Chriſtum & Dei ſuſcipit miſericordiam. Obedientibus enim præſtatur gratia & miſericordia: vt in Noë & Loth videre eſt, quo-
Geneſ. 6. rum alter à diluuio, alter à Sodomitico liberatur incen-
Geneſ. 19. dio. Contrà autem ira Dei manet ſuper filios inobedien-

tiæ: vt

tiæ: vt in vxore Loth videre est, quæ statim pro sua inobedientia in statuam salis versa est. Anna verò quarta in his numero persona est, ornamentúmque domus huius est, perseuerantiam in fide denotat, quam misericordia Dei in potentia sustentat ac nutrit. Qui enim vsque in finem perseuerauerit, hic saluus erit. *Matth.24.* His igitur quatuor personis in Christiano homine conuenientibus, fide, iustitia, obedientia & perseuerantia, hic verè & cum lætitia dicere poterit. Suscepimus, Deus misericordiam tuam in medio templi tui. Et quid beatius illo homine? Miserandum ergo & dolendum, tam paucos esse, qui hæc digne & verè cogitant, contrà tot esse, qui vltrò oblatam sibi spernant & reijciant misericordiam. Ideóque meritò in illis impletur, quod de quolibet impio Dauid ait. Dilexit maledictionem & veniet ei, no- *Psal.108.* luit benedictionem, & elongabitur ab eo. Quicúnque enim Christum excludit, ianuas diabolo aperit, hunc iniquum spiritum, imò nocentissimum hostem introducit infidelitas, suscipit inobedientia, pertinacia, siue impœnitentia seruat. Et quemadmodum Christus vbicúnque intrauerit, omnia bona secum omnémque salutem adfert, sic contrà semel templum ingrediens Satan, omne malum, omnémque importat infœlicitatem, nempè, superbiam, qua semper esse runtur homines, at pòst grauiore lapsu ruunt in auaritiam (quæ semper humana pectora discruciat) iram, inuidiam, gulam, libidinem, per quæ homo irrationali non absimilis fit bestiæ. Super hæc omnia ne omninò suam homo sentiat cognoscátque miseriam, hypocrisis tota eum circundat: vt sibi videatur aliquid esse, cùm in veritate nihil sit. O vtinam ergo vel cogitare possemus huiusmodi hominis infœlicitatem, haud dubiè perterriti maiori cum diligentia susciperemus, quod hodie admonet Ecclesia. *Adorna thalamum tuum, Syon, & suscipe Regem Christum,* non modò vt infantulum, sed vt Regem & tuum Regem: vt qui optimus & gratissimus hospes, qui & in hac lachrymosa valle, & in perpetuum tibi suauis adiutor esse poterit. Ecce horum nos hodie commonefacit Ecclesia, hæc docet, hûc etiam statio sancta pertinet, lumina incensa, & quicquid tale hodie fit, quibus monemur: vt externum hoc sequentes exemplum, etiam fidei lumen nostrum incendamus, in Deum sursum dirigamus, in manibus deferamus, hoc est, externè lucere curemus, non solùm Christum confitentes: verùm etiam

simplices incitemus: vt videntes opera nostra bona, glorifi-
Matth.5. cent Deum & patrem qui in cœlis est. Sed & tertiò labo-
rat Ecclesia (vt tandem hoc cõcludam) hac festa die, oratio
ne simul & prece instat: vt nos quoque in summum templũ:
vbi Deus cum suis agminibus cœlestibus perpetuò sedet,
afferri & inferri posimus. Id quod meritò apud ipsum
quærimus & petimus: quia ex nobis ipsis non possumus, tot
peccatorum grauati oneribus, attestante scriptura, quòd
Apoc.2. nihil immundum in Dei templum ingrediatur, foris ca-
Apoc.22. nes: venefici, & impudici, & idolis seruientes, & omnis qui
amat & facit mendacium, hi enim regnum Dei possidere
1.Cor.6. non possunt. Neque tamen desperare eo debemus. Nam &
hodie in templo suo Christus sedet, purgans & mũdans eã,
Matth.3. purificans filios Leui, diuidit eos vt aurum ab argento. Mun
dat, inquam, baptismate aliisque sacramentis, oleo sancti-
spiritus, probat nos igne tribulationis. Quemadmodùm in
veteri quoque lege alia igne, alia aqua, alia etiam oleo, non-
nulla sanguine & purgabantur & sanctificabantur. Hoc re-
stat: vt manum Domini purgare volentis nos placidè tolle-
Ioan.13. remus, ac cum Petro dicamus. Domine, non tantum pedes,
sed & manus & caput. His enim omnibus indigem' omnes.
Accedamus ergo ad Deum, & pro hac emundatione precemur, Amen.

SECVNDVS SERMO.

HVcúsque Ecclesia de recens nato lætata paruulo, de natiuitate Christi quosdam festos dies instituit & obseruauit. Hodie verò quartum & ordine postremum de infantuli pueritia festum celebrat, sed huiusmodi omninò festum, quod verè tandem & perfectè nobis Christum propo nit, conscientiásque nostras ritè munit & consolatur. Sunt quidam & illa non parua quæ præteritis diebus festis de saluatore recens nato audiuimus, at hodie præcipuè videmus nos quoque eorum bonorum esse participes. Hodie enim Simeon ille iustus lætum illud attulit nuntium, Christum Iesum in hominum salutem missum & datum esse, nec tantùm in salutem Iudæorum: verùm etiam omnium populorum, nec in honorem & gloriam plebis Israël, sed & in lumen ad reuelationem Gentium. Sed ne vel ex de-

men-

mentia, vel ex auaritia & humana cupiditate Simeon loquutus videatur isthæc, Euangelista antè testatur, Spiritumsanctum cor eius inhabitasse, cuius etiam instinctu sub huius oblationis tempus in templum venit. Procul ergo dubiò, hæc Spiritusancto dictante loquutus est: nec solùm hoc nobis attulit Euangelium, verùm etiam suo exemplo quid audito verbo faciẽdum, quomodò natalis Domini concludenda solennitas admonuit. Quicquid enim ille vel fecit, vel loquutus est, vel credidit: quicquid in seipso sensit, hoc ipsum nobis faciendum, loquendum, credendum & sequendum est. Si quis ergo hodie non transformatur cum Simeone, alienámque quasi personam induit: nec Christum verè agnouisse se, nec Natalitia hucusque festa dignè celebrasse glorietur. Ille enim cùm multo tempore redemptionem Israël & sperando expectaret, & expectando speraret, certus iam venisse desideratum Redemptorem, sine mora expeditè templum, Deo laudes decantaturus ingreditur, ingressus templum, quẽ solicitè cupiebat infantulum Iesum, & in eo tantam omnis consolationis copiam comperit: vt siue affectum siue mentis inspicias gaudium, non sibi temperaret, quin visum in vlnas lætabundus susciperet infantulum. Mox Deum benedicit, atque exultans canit, palàm testificans se porrò nihil in orbe vel desiderare, vel timere. Eo modo senex hic noster hãc festam diem celebrauit, hanc ex primo intuitu & præsentia huius infantuli hausit consolationem. Sed nunquid non tibi videtur, pie frater in Christo, erectam, ardentem, lucentem, odoriferámque manibus gestasse ceream? Nunquid non vera isthæc fides, quę sic apertè atque expressè de Christo confitetur, quicquid de eo confitendum est, vt nec in minimo hæsitet? Nunquid non ardens ea fides, quæ tam ignitis verbis loquitur? Nunquid non lucens fides, quæ hodie etiamnum quicquid de Christo speraudum, instruit? Sed & nunquid non odorifera fides, tam sancta, támque pia, ornata vita? Quid ergo tali decentius in nobis fide? Quid, inquam, hi ipsi quos portamus hodie incensi postulant cerei, nisi fidem in corde ardentem indesinenter, in verbis lucentem, externis factis odoriferam, & denique sine nodis erectam? Hanc ob causam hodie ardentes in manibus circumferimus cereos, eósque non fœtido seuo, sed pura benéque olente cera, vt ex iis quæ extrinsecus facimus, quales esse debeamus admoneamur interius. Hoc

enim requirit in nobis Ecclesia, quæ tales nos erga Christum cupit, qualis erat Simeon. Sed quia Christum corporaliter & visibiliter amplectendum exhibere nequit: ideò ardentes cereos porrigit, in signum eaipsa credenda, speranda, confitenda, & concupiscenda, quæ Simeon tunc credidit, speravit, confessus est, & concupiuit. Quòd si quis non hæc crediderit, sperauerit, confiteatur & concupiuerit, ne quicquam, & sibi ad ignominiam perpetuam, cereum in manibus portauerit. Operepretium ergo videtur illud ipsum Simeonis exemplum aliquanto fusiùs cogirandum proponere. Esset quidem non indignum, copiosius aliquid de Virgine matre, vt cuius hoc Euangelium meminit, & cui hæc dies sacra est, me loqui: sed quia eius laudes præteritis sæpè annis declamaui, nec vlla præterea per totum annum Simeonis in Ecclesia habetur memoria: visum est vna vice integrè ac plenè eius vobis exemplum proponere. Quin tamen quilibet piè Christianus ex hoc Simeonis exemplo facilè colliget, qua deuotione, quáue mentis lætitia virgineum pectus dum Filium in templo sistit, impletum fuerit. Si enim vel vna diuinæ consolationis guttula, & Christum vidisse tantum vel vnius momenti spatio, tanta humanum pectus replet lætitia, vt obliuiscatur omnium: quid tandem plenitudo diuinæ voluptatis faceret? Certum est, quòd si ea quæ Simeon in se sensit & fecit, iis quæ in beata Virgine matre facta sunt, conferas: haud secus esse, quàm si vnicam aquæ guttam, ingenti alicui flumini comparaueris. Semel Simeon infantulum & vidit & complexus est: Maria quotidie, non ergo dubium, omnia quæ in Simeone, & perfectius, & plenius fuisse in Virgine. Id quod in illius laudibus perspicuum fit, quibus æquè magnificè & piè de Deo Deique mirabilibus confitetur Domino, atque hic noster Simeon, imò quod hodie tandem percepit Simeon, illa iam dudum percepit, atque sensit. Non ergo minus illa Simeone Spiritualis gaudij & consolationis in se considerauit. Quicquid ergo de Simeone dixero, non aliter accipite, quàm quod perfectiùs aliquanto intelligi queat de Virgine. Sed quid de Simeone testatur Scriptura? Accepit (inquit Euangelista) eum (puerum) in vlnas suas, & benedixit Deum dicens: Nùc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuum. Hîc mihi primùm considera, senem hũc, vt primùm Christum intue-

Luc. 2.

tur,

tur, ſuſpicere, oculósque in Deum dirigere, quaſi iam certum, Deum Optimum Maximum omnia nobis per hunc Vnigenitum ſuum Chriſtum daturum & donaturum eſſe. Nec ſolùm Deum ſuum Dominum cõfitetur, verùm etiam illius ſe ſeruum teſtatur. Atque ita confieri neceſſum eſt. Neque enim ſatis eſt, ſi ſcias quod Deus Dominus noſter, niſi & ſeruos eſſe illius laborauerimus. Multi ſunt Deũ Dominum agnoſcentes & confitentes, quos tamen Dominus nõ agnoſcit ſeruos. Matth. 7. & 25. Luc. 6. Quod maius quid eſt, inuenias nonnullos in Dei miniſterio, qui tamen minimè ſeruos ſe Dei dicere queant, cùm non Deo, ſed mammonæ ſeruientes, quæ ſua quærunt, nonnunquam etiam aliena. *Matth. 6.* Orant quidem & ieiunant vt hypocritæ, ſed propter humanam gloriolam. Miniſtrant in Eccleſia prædicando verbo, adminiſtrandis Sacramentis, & cæremonijs, ſed propter externum commodum & lucrum. Quinetiam aliquando crucem in mundo ferunt, perſequutionem patiuntur, ſed non propter Deũ, nec ex fide, ſed propter reditus. A peccatis abſtinent, formidine pœnæ, non Dei amore. Ecce hi omnes in Dei miniſterio, nec tamen vllus horũ verè quòd Dei ſeruus ſit, poterit dicere. Quandoquidem alium ſibi præter Dei voluntatem finem conſtituunt, cùm tamen in Deum omnia dirigenda ſint. At verè Simeon ſe Dei ſeruum potuit dicere: fide dictante quòd Deus Dominus ſuus, & propria ipſius conſcientia teſtante, quòd ipſe ſeruus eius. His in homine coniunctis, fide & bona conſcientia, cõfidenter licet Deum precari. Sic enim Ioannes: Chariſsimi, inquit, ſi cor noſtrũ non *1. Ioan. 3.* condemnat nos, fiduciam habemus erga Deum: & quicquid petierimus accipimus ab eo. Nõ quòd benefacta noſtra eam confidentiam tribuant, ſed quia talis duplicia tenet teſtimonia: fidei & bonæ conſcientiæ. tum quòd duplici promiſſione gaudeat: vna quæ credentibus facta: altera quæ in mandatis Dei ſedulis promiſſa. Et quidem promiſsiones à Deo ijs, qui credunt & ſola miſeratione diuina ſperant, factæ, per ſe ipſæ omninò certæ ſunt: fit tamen ſæpenumero, vt quis impia vita ſua ſeipſum ijs indignum miniméque capacem reddat. At conuenientibus fide & bona conſcientia, hic duplici gaudet promiſsione. Atque hinc eſt quòd Simeon ſe quoque domini ſeruum, nõ tantùm Deum Dominũ vocat, quibus & fidem ſuam, & conſcientiam bonam ſimul teſtatur. Sic dicit: Nunc dimittis ſeruum tuum Domine, ſecundum verbum

tuum

tuum in pace. Hic ergo fructus non vnus, ſed plurimus conſpicitur fidei. Sed hi fructus ſunt. Primùm, quòd Simeon ſe totum Dei voluntati tradit. Secundò, quòd temporanea, porrò nihil æſtimat, nec in his delectat. Tertiò, quòd nihil in terris timet amplius. Sed nónne hi pretioſi fructus videntur? Singulatim peruideamus omnia. Primò non inanis nec vacua gloriatio, quòd Simeon ſe ſeruum Dei dicit. Nam quod verbis ſignificauit, factis oſtendit: quum ſe totum Dei voluntati committit, paratus non ſolùm facere & pati quod vellet, ſed etiam mori, quando vellet Deus. Nunc dimittis, inquit, nunc porrò ego ſeruus tuus, tu mihi Dominus: ſola enim tua voluntas, veluti appenſum quid ante oculos erit. Videmus ergo veram obedientiam, plenam ſuæ propriæ voluntatis abdicationem. Perfecta enim hîc ſui ipſius abnegatio, vbi corde ſimul & ore dicere poteſt homo: Tua volũtas
Matth.6. fiat. Et cum Pſalmiſta: Paratum cor meum Deus, paratum
Pſal.107. cor meum. Pſallam tibi, laudem dicam nomini tuo. Ecce cor meum & pati & mori paratum. Hanc obedientiam etiã Pau
Act.21. lus oſtendit: Paratus ſum non ſolùm alligari, verùm etiam mori pro nomine Chriſti. Et aliquanto expreſsius in Euan-
Matth.26. gelio Chriſtus: Pater non ſicut ego, ſed ſicut tu vis. Et ad diſcipulos: Ecce appropinquat qui me tradet: ſurgite, eamus,
Gen.22. ſubaudi, obuiam hoſtibus. Hanc denique & Abraham olim in oblatione filij exhibuit obedientiã. Et hic noſter Simeon. Hanc ergo à nobis Paulus exigit, ſcribẽs Corinthijs his ver
2.Cor.6. bis: Commendemus noſmetipſos in omnibus vt Dei miniſtri, in tolerantia multa, in afflictionibus, in neceſsitatibus per arma iuſtitiæ, per gloriam & ignominiam, per conuitia & laudes. Hic primus fidei fructus eſt, qui in Simeone conſpicuus: ſed tamen nõ eſt ſolus aut vacuus. Vt enim primùm agnoſcit Chriſtum, non iam in mundo quærere illum, ſed omnia quæ in mundo negligere, non affici mundi amore, temnere diuitias, honores, ſpernere voluptates, & ſi quid his annexum: quin ipſa hæc præſens vita tanquam carcer erat, quo liberari optabat. Solus illi Chriſtus vita erat, voluptas & gaudium. Atque hic ſecundus fidei fructus eſt, qui omnium terrenarum nauſeam pio mouet, Dei verò cœleſtiúmque amorem excitat. Mundus circa multa anxiè occupatur, & ſæ
Eccleſ.1. penumero fruſtra. Nã quicquid ſub cœlo, vanitas eſt: timens Deum, in ſolo Deo quieſcit: hic illius ſatuitas. Et hoc quidé vnum illud, cuius Chriſtus meminit: Vnũ eſt neceſſarium.

Hoc

Hoc vnum inuenit Christus, ideóque reliqua omnia negli- Luc. 10.
git. Neque verò Simeon iam nulla creatura mouetur, aut à Deo diuellitur: sed palàm confitetur, se nihil omnium timere, porrò in pace viuere. Nūc dimittis, inquit, seruum tuum secundum verbum tuum in pace, quasi diceret, Nunc pax & securitas, nūc pacem video, pacem sentio, vnde nec mundū, nec diabolum nec mortem timeo. Hic mihi Simeonis inspice fiduciam. Neque enim secus loquitur, ac si iam tum possideret & inhabitaret cœlum, cùm tamen ratione temporis in medio hostium viueret. Sed vnde isthæc fiducia homini, nisi ex certa fide mentis? Eiuscemodi validam mentem in Paulo etiam conspicimus. Scimus, inquit, quia diligentibus Deum Roma. 8.
omnia cooperantur in bonum. Et mox: Si Deus pro nobis, quis contra nos? Et iterum: Certus sum, quòd nec mors nec vita, nec angelus, nec principatus, nec potestas, nec vlla alia creatura nos separabit à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Videmus ergo triplicem fidei fructum. Sed quid beatius quàm hos ipsos fructus in nobis habere? Consideremus autem quantum nobis ab illa fide deficiat. Pauci enim, proculdubiò, qui eo modo suam voluntatem Dei volantati committant: pauciores verò ita ab amore terrenorum liberi: paucissimi, qui ita imperterritè pericula & aduersitates sustinent. Quin contrarium in nobis videre licet: propriam nostram voluntatem sequimur, terrenis incumbimus, in aduersitate succūbimus, & relabimur. Tantùm ergo in hoc stadio Simeon nos præcucurrit. Sed quia nonnihil de fructibus percepimus, ipsam arborem vnde illi fructus sunt, aliquantò contueamur diligentiùs. Quia, inquit Simeon, viderunt oculi mei salutare tuum. Hic fidem suam confitetur senex, hic aperit quod alto sub corde latebat, vbi quid de Christo crediderit, vides clarissimè. Non eum Saluatorem aut Redemptorem solùm, verùm etiam ipsum salutare: tum nec hominum solùm, sed Dei salutare, quod ipse Deus dat, nominat. Sed nunquid imperfectum quid à Deo proficiscitur? Atque hinc patet, Simeonem non de corporalibus loqui oculis (his enim Spirituale illud & Deitatis salutare videre nequiuit) sed de fidei oculis loquitur. Hoc interiore visu Christum vidit salutare Dei. Hoc ipsum salutare & Iacob & Dauid expectarūt. In hoc Isa. exul Gen. 49.
tauit, sicut & omnes verè credētes. Est ergo fides radix, vnde Psal. 118.
tot in Simeone fructus succreuerūt. Hac qui nō habet, nun- Isa. 35.

quam

quam ſeſe plenè Deo committet, ſemper & vbíque creaturis adhærebit, nec deniq; in aduerſitate perſiſtet. Sed reliquum de Simeone audiamus. Viderunt, inquit, oculi mei ſalutare tuum, quod paraſti ante faciem omnium populorum: Lumen ad reuelationem Gentium, & gloriam plebis tuæ Iſraël. His enim duobus populis habendum erat vnum ſalutare. Gentibus quidem lux neceſſaria, quòd in tenebris peccatorum & idololatriæ altum ſepulti eſſent. Hæc lux Chriſtus ipſe eſt, in cuius ſplendore differentiam boni & mali videre poſſunt. Primùm enim peccata, & ægeſtatem eorum detexit, deindè gratiam regnúmque ſuum Euangelizauit his. Sed & Iſraëli ingens gloria Chriſtus ex eorum natus ſanguine, in terra eorum educatus, in eorundem lege circunciſus. Quæ omnia in infantulo iſto per fidem peruidit Simeon, ideóque mirandum minimè, tantùm lætari ſenem. Sed nos hoc illo pauperiores, quòd his carem⁹ oculis, nec conſideramus quæ bona accepimus. Vnde nec Dei nos voluntati tradimus. Spiritalem Domini cõſolationem non guſtauimus, ideò creaturis etiãnum inhæremus. Quòd omnia nobis in Chriſto non credimus, ideò in periculis & aduerſitatibus timidi ſuccumbimus. Complectamur ergo Simeonis exemplum, ſuſcipiamus Chriſtum: vt nos ſua gratia illuminet, precemur: vt fides noſtra ardés luceat, laborem⁹. Diligentiùs in hoc incumbamus, ne à Deo Opt. Max. oblata dona noſtra negligentia perdamus.

TERTIVS SERMO.

SI hodiernum, Chariſsimi, Euangelium dignè: vt res poſtulat, cogitare poſſemus, ſuperuacaneum eſſet multis, cur Eccleſia hodiernam feſtiuitatem tanta cum ſolennitate & inſuetis cæremonijs celebrat, oſtendere: nec interrogaret quis qua ratione eam dignè perageret. Duo enim hæc, cauſam ſcilicet & originem huius feſti, & vſum tã aperte Euangelium indicat, vt quilibet diligentiùs conſiderans fateri cogatur, Eccleſiam iuſtis hodie de cauſis admodum lætari: imò etiam videre licèt, quid faciendum hodie. Vnde neceſſariò Euangelium hoc diligentius conſideratur, & perpẽditur. Non enim ritè huiuſcemodi feſta obſeruamus, ſi vel cauſam cur inſtituta ſint: vel quid à nobis exigant ignoramus. Negligens ergo hæc, feſtos noſtros dies non Chriſtianè,

ſed

sed vel Iudaico vel Ethnico obseruat more. Iustũ & æquum profectò nobisque perquàm necessarium, vt fidei confessione à Iudæis & Gentibus diuisi sumus, ita etiam festa nostra piè non illis conformi modo peragere. Sed, dolor, si inspicias penitius, contrarium inuenias: nempè impiè magis & abusiuè, Iudaico vel Pagano more, quàm religiosè quotidiè dies obseruari. Nunquid enim hæc Iudaica superstitio, nudis cæremonijs, neglecta earum significatione, insistere? Sed & nunquid non Paganismus festa nostra inerti otio, intemperantia, alea, aliisque id genus voluptatibus consumere & perdere? Sed quis tam cæcus, quin videat hæc apud nos vsu venire maximè? Proindè iterum atque iterum moneo & hortor, hoc diligenter consideremus Euãgelium, quod rectum verúmque festorum nostrorum vsum doceat, quemadmodùm id quoque breuiter ostendam. Complectitur ergo hæc Euangelica lectio tria, in quibus totum hoc festum consistit. Primum, purgatio est Mariæ. Secundum, oblatio Christi. Tertium, testificatio Simeonis. Tria profectò egregia spectacula, quæ non solùm transformationem quandam, verumetiam multam consolationem adferunt. Si ergo cui noua miracula audire voluptas est, huc accedat hoc auditurus Euangelium. Si te mundi sequi ludos vexat ardor, vbi nullum cõmodum: multò magis religio nostra ad optima & salutaria diuinitatísque plena spectacula te incitabit. Vt autem intelligatis melius, considerate duas hîc leges Iudaicas induci, alteram de purgandis fœminis, alteram de primogenitis: vt Leuit. 12. & Exod. 13. videre est. Hæ duæ leges communes Iudæis omnibúsque hominibus. Vnde mirandum non erat Virginem Mariam post partum purgandi se & offerendi filij gratia templum ingredi. Nihil illis tẽporibus nouum, cùm idem facerent omnes: sed nobis qui Christi censemur nomine, & magnum quid & mirabile ostenditur. Hîc enim tandem in agnitionem & Mariæ & filij eius peruenimus, scientes non subiici legi purgationis puerperam Mariam, quæ virgo ante partum, in partu & post partum permansit, sic nec Christum indubitatum Dei vnigenitum legi huic subiectum, sed legis autorem & dominum. Nihilominùs & mater & filius sponte sese Legi subiecerunt, eandémque vt alij impleuerunt. Hęc autem cogitemus sedulò: magna enim subsunt mysteria. Si ægrotus medicum, impurus purgationem, peccator pœnitens satis-

factionem sustinet, nemo miratur. Quòd si sanus, purus, & iustus ea perindè ac si ægrotus, impurus & peccator esset, faceret, nemo non miratur. Sic & in hodierno Euangelio. Stupenda & ingens humilitas, virginem Dei genitricem, tot gratiis, tot ornatam virtutibus, non se cæteris præcelisse mulieribus, sed magis vt immundam aliis comparauisse se. Potuisset enim optimo iure se excusans, in hanc sententiam dicere: Quid mihi cum vestris immundæ, lauacris, quæ nec concipiens, nec sum fœdata pariens. Quæ fontem ego virgunculæ & originem puritatis in mundum peperi: qui idem ecce præsens est, purgationem instituens criminum. Cur hoc templum ingrederer, quæ dominum veri templi pariens, hoc ipso in templum sancti Spiritus sanctificata sum? Hæc, inquam, hisque similia Virgo mater respondere potuisset: sed nihil horum ne cogitauit quidem, nedum dixerit. Sed ô Deum immortalem, quàm hîc tantæ virginis tanta humilitate nostra retunditur superbia. Primò, q̃ omnes pudet medicinæ & peccatorum ablutionis, cùm nemini non notissima nostra sit impuritas. Deinde etiam, quòd tanta pertinacia Dei præceptis repugnamus, tam leuibus de causis ea contumeliosè pessundamus, cùm tamen ea sit naturæ nostræ imbecillitas, vt non solùm nihil boni operemur sine legibus, verumetiam in omne malum incideremus. Neque verò alligari his, sed liberi esse omnes volumus. Necesse haberem de omnibus hîc Legibus loqui, sed temporis breuitate prohibeor. Tantùm ergo vnum exemplum nostræ leuitatis in lege de purgatione adducere sufficiat. Quod nostra ætate leues mulierculæ, quæ nullo vel honestatis: vel decoris respectu, mox à partu sese in hominum immiscent frequentiam? Rursus quot inhumani viri, qui infirmas & propè perpessis exanclatisq; cruciatibus semiuiuas puerperas ante tempus eiiciunt: taceo interim, statuto tempore ab iis abstineant. Sed dicit quis: Quid nobis cum lege Mosi? Quid ad me quẽ Christus ab ea liberauit? Verùm id quidem, sed nunquid ideò pecuino more viuendum, omnisque honestas & ordinatio bona pessundanda est, q̃ à lege Christus non liberauit? Nunquid nõ Pauli præcepto in medio impuri mundi peruersorúmq; hominum vt luminaria lucere debemus? Non nunc quidem subiecti sumus legi, sed quid ergo? Neq; enim & virgo hæc subiecta erat, nihilominùs tamen illi submisit. Sed nunquid peccauit, quæ legem impleuit à lege libera? Mini-

bera? Minimè gentium. Nec tibi id vitio verteretur si antiquitate & honestate cõmendabiles obseruationes diligẽtiùs obseruares. Non te Lex Mosi cogit ac ligat ad ea, sed honestas, sed natura, sed necessitas, ordinatio, obedientia sedula, charitas proximi, & euitandũ scandalum ea à nobis exigũt. Quòd si veri Christiani sumus, cũ Maria nobis Ecclesiæ cæremoniæ vnanimiter obseruãdæ sunt, quæ publicæ ordinationi cõmodant, nomen nostrum cõmendant, cultũ Dei in nobis excitant, pacẽ conseruant, scandala propulsant, carnis petulantiam infringunt, & ad laudandum celebrandúmq; Deum inflammant. Vides ergo Mariæ purgationẽ nouum quid & magnũ esse, si nostrã vitam comparaueris. Nec admiraudum solùm, verumetiam plurimũ consolationis & fiduciæ cõfert. Primùm, mulieribus, deindè nobis omnibus. Mulieres quidem hæreditariam habent maledictionem à prima matre Eua, ideò purgari necesse habent: sed hæc virgo illa maledictióe libera, sed tamen vt alias puerperas consolaretur & exemplo doceret, lustranda se obtulit. Hęc ergo mulieres tristitia indutæ recogitate, non vobis Dei matrem deesse, nec nauseare vos. Sic haud dubiè consolationẽ & resurrectionem animabus vestris inuenietis. Sed quid de mulieribus sermonẽ instituo, cùm nemini nõ consolatoria hęc Virginis est humilitas? Si te lex grauat, in Christum eiúsque matrẽ respice, qui se sponte illi, nec semel, submiserũt. Quid grauaris, aut recusas obedire Legi, cui ipse Dei filius vnáque cum illo mater selectissima obediuêre. Quotidiè vt Dei voluntas fiat precamur: sed non illa fit, nisi prius nostra voluntate mortificata aut fracta. Frangitur autẽ per leges & statuta Magistratus. Caueamus ergo ne id facto impediamus, quod petimus ore. Sed non modò admiranda nobis Virginis matris est purgatio, verumetiã vehementer ad piam vitam vtilis, si secũdum Spiritũ interpretari licet, sine quo parum profuerit isthoc spectaculum. Id quoq; audiamus. Triplex Iudæis de purificationibus lex erat. Prima, vt puerpera septẽ diebus à partu à conuersatione separaretur hominum. Secunda vt colloquẽdi & conuersandi cum familia tantùm concessa licentia, ab egressu domus, & ingressu templi arceretur, tamen vsq; ad tricesimũ diem. Tertia triginta quoq; peractis diebus, templum ingrediens, offerret agnũ aut par turturũ, aut duos pullos columbarũ. Hęc omnia ad nostram eruditionem faciunt. Primùm enim hinc discimus, ne quis *Matth. 6.*

immundus aut peccator ad Deũ accedere, aut illius regnum ingredi præsumat, nisi prius septem capitalibus peccatis per septiformem virtutẽ ablutis, vt superbiam per patientiam: auaritiam per eleemosinam: luxuriam per Dei timorem: gulam temperantia, iram mansuetudine, odium dilectione, desidiam fortitudine recompenses. His septem diebus, alios tres adde, hoc est, tres cardinales virtutes, fidem, spem, charitatem, aut trinitatis fidem. Postea etiam tribus & triginta annis quibus Christus in mundo vixit, & crucis mortem passus est, additis: plenum nostræ emundationis tempus inuenies. Ingressurus ergo templum, primùm agnum Deo offer, hoc est ipsum Christũ, semel pro omnibus nobis occisum & immolatũ. Deindè si matrimonio copulatus, & turturem aut columbam offer. Turtur amisso vitæ socio, reliquum tempus viuit solitarius: sic & tu coniugi fidem præsta, & quemadmodùm columbus fœmellam in incubãdis ouis & educandis pullis adiuuat, ita tu quoque pro educandis ritè liberis mutuam operam præsta. Non hoc mulieribus solùm sed & maribus dictum est. Si enim vxorẽ tibi vis esse turturem, filiis tuis columbam: necesse est tu quoq; vxori turtur, & liberis tuis columbus sis. Sic & super te veniet benedictio iusti, de qua Dauid: Vxor tua sicut vitis abundans in lateri-
Psal.127. bus domus tuæ, filij tui sicut nouellæ oliuarum, in circuitu mensæ tuæ. De his verò satis hoc loco. Nunc porrò oblationem Christi audiamus non minus ipsa Virginis matris purgatione mirandam, qua etiam non minus illa ambitio & superbia arguitur nostra. Sed nec mirãda solùm, verum etiam consolationis plena. Bis enim Christus nostri causa oblatus. Primò in templo tanquàm sacerdos, vti modò audiuimus. Secundò in ara crucis, vti hostia. Quid ergo desperamus, aut mœrore afficimur, & pontificem talem sine peccato, & ho-
Psal.27. stiam Deo Optimo Maximo gratissimam habentes? Meritò igitur cum Dauide Ecclesia canit: Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui. Verè misericordia & bonitas. Triplici enim circũdati miseria eramus. Cæci, ægri, captiui. At cõtra Christus attulit sapientiam, fortitudinem
1.Cor.1. & redemptionem. Hac nos Christi oblatio cõsolatione re-
Rom.12. ficit. Ad hæc docet nos, vt nosmetipsos offeramus. Viuam enim deinceps Deus non emortuam requirit hostiam. Tertium quod hodiè cogitandum & meditandum est, testimonium senioris huius de Christo est. Neque enim miracu-

carer, tan-

caret, tanta & tã multa in hoc humili infantulo senẽ conspicere, vnde illi tam egregia attribuit epithera. Sed hoc etiã & mirandum & consolationis plenum est. Salutare, lumen mundi, & gloriam plebis Israël, nominat. Iam id certã eximiámq; consolationem adfert nobis, præsertim morituris. Si enim credidero q̃ Christũ salutare, lumen & gloria suorum credentium est, neutiquam mortis horrore concutiar. Sed ne quis de hoc Simeone nostro, eiúsq; testimonio dubitet, satis Euangelista ostendit, mereri eum fidẽ. Primò enim iustus fuit. Secundò, non ex seipso, sed ex Spiritu sancto loquutus est. Tertiò, non seipsum ad hoc ingessit, sed à Spiritu sancto adactus est. Et denique q̃ Christo non in angulo aliquo parasiti more, sed in publico, in templo, quo omnes cõfluebant, hoc testimonium perhibuit. Hinc ergo discamus fidem nostram confirmare, & ad exemplum Simeonis vitam instituere. tum rectè ad Deum orare, eius verbum diligenter audire, illi fidem habere, illíque intendere, sedulò sacras ædes visitare. Christum & vlnis complecti, confiteri, & menti includere. Sic in pace hinc emigrabimus.

Hæc ergo significant cerei nostri, ipsáque processio. Cereus enim, qui ceram habet, lychnum & ignem, triplicẽ in Christo naturam designat. Cera enim, q̃ purissimã carnem verúmque sanguinem ex Virgine matre sumpserit, lychnus verò sanctissimã animam, ignis diuinitatẽ. Quæ tres naturæ non separẽtur. Non enim sufficit harũ hanc vel illã credere & cõfiteri, sed simul tres confiteri necesse est. Et hæc quidem fides in mentibus nostris ardere debet, & foribus ferri, hoc est, corã hominibus palàm confiteri, tum etiã in bonis operibus lucere: vt Christus in Luca admonet: Lucernæ ardentes in manib⁹ vestris. Ne quicquã enim fides sine bonis operibus prodest: vt Iacobus testatur: imò cereus sine igne, sine lumine est. Sedulò ergo & diligentiùs incumbendum, vt semel in nobis fidei accẽso lumine, perpetuò ardeat & luceat, extinguaẽ nũquã. Hoc ipsum præstet Deus Opt. Max. Amẽ. Luc. 12.

QVARTVS SERMO.

NEmo in Euangelium hoc attentè cogitans, quàm fuerit lætum, sanctum, & per omnia pium spectaculum, vbi dominus noster Iesus Christus à parentibus in tẽplum delatus, à iusto Simeone cũ ingenti animi sui lætitia, cũ interna méus affectiõe susceptus est perpẽdens, mirabitur, nos

Christianos sepositis hodie sæculi negotijs hoc ipso spectaculo solùm occupari, sed nec inane quid vel inutile arbitrabitur, nos tam conuenientibus externis cæremonijs hanc festam diem celebrare, & quasi coram fieret repræsentare, quod olim completum credimus. Certum est enim: quia hodie primum benedictum ventris sui fructum Maria in templo omnibus cõspicuũ obtulit & exhibuit, Et quis in Christianis sibi temperabit accurrere, hunc pretiosissimum thesaurum contueri, & maximè, quando nobis hoc ipso plurimum commodatum est? Deindè etiam quando constat, hodie primùm Dominum Iesum templum vt sacerdotem & mediatorem nostrum intrauisse, quam culpam & quod inexpiabile facinus incurrimus, si non vel saltem affectu obuiam illi nos exhibebimus gratósque nos sui aduentus declarauerimus? Insuper, cùm commune gaudium senex ille Simeon omnibus Iudæis simul & Gentilibus annuntiat, cur non & nos participes tantæ lætitiæ tantíque gaudij efficimus? Nunquid non & nos homines æquè atque illi vel Iudæi vel Gentes, qui hæc illo tempore coram viderunt? Nunquid non & nos indigemus Dei gratia perindè atque illi? Quin etiam, quod maius est, cùm Christus singulari quodam modo edictus est, lumen ad reuelationem Gentiũ, non dedecent nos nostri in manibus ardentes cerei, si tamen per hæc significare voluerimus, nos credere & confiteri, quòd Christus Iesus verum lumẽ & salutare nostrum sit, Et quid multa? Si enim patres nostri tantum scire Christum templum suum, catholicam Ecclesiam futuri tunc sæculi ingressurum esse, gauisi sunt, cur non peracto iam & completo, quòd illi futurum esse gaudebant lætabimur? Ad hæc duos Prophetico testes habemus, qui tam clarè de hoc festo vaticinati sunt: vt meritò videantur expressis nominibus annuntiare, & digito voluisse monstrare. Alter horum Aggæus, alter Malachias, qui ambo illo ipso tempore viuebant, cũ post captiuitatẽ Babylonicã, hoc illud tẽplum ædificaretur, in quod salutare nostrum Christus delatus & à parentibus suis oblatus est. Iam verò architectus huius templi, quidã præfecti erãt, qui ad operam incitarent, consolandóq; ingentẽ honorẽ, egregiũ decus, quod huic templo ex aduentu Messiæ aliquãdo debebat accedere, annuntiarent, pergerẽt incæpto opere, ne vel laboris vel impẽsæ pœniteret, quæ

omnia expe-

omnia expectatus Messias esset recompensaturus. Nec moueat, q̃ non possent tantũ decoris illi rẽplo tribuere, quantũ Salomon olim suo attribuisset, quod Messias satis illi decoris & honoris esset allaturus. Hæc dicit Deus Sabaoth, inquit Aggæus, adhuc modicum, & ego commouebo cœlum & terrã, & mare & aridam, & mouebo omnes Gentes, & veniet desideratus cunctis Gentibus. Et in Malachia. Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viã ante faciẽ meam. Et statim veniet ad templum suum dominator, quem vos quæritis, & Angelus testamenti quem vos vultis. Videtis ne ergo, quàm clarè & euidenter hi duo Prophetæ hoc festum prædixerunt? Vtérque enim Christum in aliud templum venturum esse his verbis promisit. Id quod hodie factum est. Si ergo antiquioribus gaudiũ fuit, quòd Christum in templum ingressurum audiebant credebántque, cur non etiam nos lætitia afficeret, quòd venisse iam olim & audiuimus & nouimus? Multò enim melius est, bonum aliquid habere, videre, possidere, eóque vti, quàm illud in expectatione futuri temporis præstolari. Quòd enim quis iam habet, certò possidet, nec sperare necesse habet. Omnis autem incerta spes est, fallítque sæpenumerò. Quinetiam certã spem esse concedam, interea tamen carentia desiderati expectantem cruciat. Cùm ergo hæc ita sint, nemo nostrum sine fructu hanc diem prætereat, multóque minus inutiliter consumat, sed contrà cum diligentia, quid singula huius Euangelij velint & significent consideret & cogitet. Et quidem necessariò id agimus omnes. Neque enim hodiernæ diei cæremoniæ sufficiunt: vt ijs tantùm tanti festi solemnia piè & Christianè compleamus: vt interim taceam, otio, crapula: vt gastrimargi solent, transigi non posse. Minimè. Hoc enim festum eos requirit, qui & credant & loquantur, & faciant, quicquid hæ quatuor personæ, Maria, Ioseph, Simeon & Anna, primi obseruatores illius crediderunt, locuti sunt & fecerũt. Proindè & mihi aliquid de tribus hisce rebus dicendum arbitror. Tria inquam hæc à nobis exigit festiuitas, si modò piè eam celebrare animus est, ita credere, loqui, & facere, quomodò quatuor hæ personæ fecerunt. Fidem requirit: vt quemadmodùm illa in omnibus, ita in hoc quoque fundamentum sit & primas teneat. Nam qui non crediderit verè, hanc facilè præteribit historiam, & sciens negliget, dicétque. Vt quid moror, & frustrà tem-

Agg. 2. *Heb. 12.* *Malach. 3.*

Leui.12. Exo.34. pus perdo? Nulla enim hîc me reficit nouitas. Communis Iudæorum lex erat, mulieres post partum munera sua & dona offerrent, in templo, tum in primo partu infantulos suos, si masculi, Domino offerrent & sisterent. Sed nec nostris quoque temporibus rarum, senes aspectu infantium refici & exhilarari. Quid ergo si Simeon etiam in hoc infantulo lætatur & exultat? Hæc ergo quilibet secum cogitabit, qui sine fide superficialiter hanc viderit historiam. Sed quid cõtrà canit Ecclesia? Senex puerum portabat, puer autem senem regebat. Vides ergo multò aliter sese rem habere cum hoc puero quàm cũ alijs pueris. Senes portare pueros, rarum non est, at senem regi à puero, certè rarum simul est & mirabile. Sed enim hoc nemo præter hunc vnũ puerum Christum saluatorem nostrum potest. Iam quid eadem Ecclesia de matre infantuli cãtet, accipe. Ecce, inquit illa, miraculum nobis propositũ. *Vt virgo cõcepit mater Domini: viri cõmixtionem nesciens. Stat onerata nobili onere, cõfessa se matrẽ: viri nescia. Vt virgo cõcepit: vt virgo peperit: virgo post partũ permãsit.* Auditis ergo etiã in matre Maria multò secus sese rẽ habere, quàm in alijs fœminis. Magis ergo, quod in hac audimus historia, quàm quod in ea videmus cogitandum est. Quicquid enim hîc videtur, extra miraculũ est, sed quod auribus percipitur, rarum & mirandũ est, imò cõsolatione plenum est. Nam oculis corporalibus, nemo hanc Christi matrẽ virginem adhuc esse, imò & Dei quoque matrem cognouit, multóque minus hunc infantem Messiam credit, cùm non corporeis oculis id datur percipi, sed per solam fidem intelligi. Tecum, quid Angelus huic virgini dixerit, quid Simeon de hoc infantulo credidit, reputa, & inuenies multo maiora in hac recondita esse mysteria, quàm possit oculis concipi. Audiamus ergo & Propheticum vaticinium, & seniores huius de Christo testimonium: vt fiat perspicuum quid hoc festum de Christo doceat credendum. Sed Prophe-

Agg.2. tæ Aggęi verba audiuimus. Hęc dicit Dominus. Adhuc modicum & ego cõmouebo cœlum & terram. Et iterum Et veniet cunctis desideratus. Gentibus, siue. Qui omnibus Gentibus in expectatione fuit. Quãquàm autem Latina translatio non per omnia concordet cum Hebræo, & pro desideratus veniet, legat, Electa venient, & desiderabilia Gẽtium: certum tamen est iam indè ab origine omnes in Christum sperasse. Tum etiam minimè obscurum Prophetam hi-

Chri-

Christo loqui, & de donis per eum hominibus communicandis vaticinari. Quamquàm enim Iudæi de diuitiarum copijs, quibus hoc templum Gentes honorarant, intelligere videantur, non tamen hoc secundum Propheticum spiritum sufficit. Negari quidem non debet hoc templum in maiori reuerentia & veneratione, priore illo fuisse, multi enim de longinquis partibus Gentes Hierosolymam visendi illud gratia proficiscebantur, & in eo adoraturi, quemadmodum id testantur qui: vt Christum viderent, eò venerãt, & Eunuchus præfectus Reginæ Candacis Aethiopum. Adhæc hoc ipsum templum multis donis & priuilegijs honoratum: vt à Regibus Cyro & Dario, Magno Alexãdro, tum à multis alijs Syriæ Regibus & Aegypti, præcipuè Herode, deindè etiam à multis Romanis principibus potentissimis. Negari, inquam, non potest, hoc modo templum hoc honoratum fuisse. Sed nunquid Deus ita requirit Gentium argentum & aurum? Minimè. Non illi de auro vel argento cura, sed de redimendo populo suo à peccati tyrannide magna cogitatio. Quid enim consolationis fuisset illo tempore pijs, si temporanea solùm, diues & politum templum à Deo fuisset promissum? Non hæc sperabant, sed promissum Messiam expectabant, huius dona desiderabant & spiritalia & sempiterna. Hinc ergo Propheræ sententia & mens est: venturum in hoc templum Messiam, in hoc etiam pacem suam per Euangelium omnibus annuntiaturum esse, ideóque fore vt Gentes non solùm dona sua: verùm etiam seipsos Deo in hoc templo offerrent, contrà & Deum suis hos honoribus cœlestibus, inquã, & spiritalibus bonis exaltaturum esse. Atque hæc omnia non clàm nec in abscondito, sed palàm, & commotione omnium elementorum futura esse. Ecce, inquit Deus per os Prophetæ, commouebo cœlum & terram, &c. Id quod factum est. Quemadmodùm enim olim Deus legem promulgaturus omnia commouebat elementa, erant enim tonitruum & fulgura in cœlo, concutiebatur terra, exultabant colles vt agni, pluit manna, petræ conuertebantur in aquarum flumina, Iordanis conuertebatur retrorsum, sic etiam hic cœlum & terram commouit, nouam humanis in scripturis legem pectoribus. Nato enim in mundum Christo, ecce mox Angeli aderãt è cœlo pastores: vt Christũ quærerent, admonentes, deindè etiã accelerant tres ab Oriẽte magi. Sic & Christus, cùm à pare-

Ioan.12.

Act.8.

Psal.113.

tibus in templum offerretur, per ſpiritumſanctum mouebat fideliũ mentes: vt accurrerét, ſed maximè cùm iam prædicare auſpicaretur. Tandem etiam eiuſcemodi commotio fiebat in Domini paſsione, dum ſol obſcuraretur, terra concuteretur, petræ ſcinderentur, mortui qui in monumentis erant reſurgerent, tum etiã in aſcenſione, dum cœlum aperiretur, & nubes ſeſe ad ſuſcipiendum creatorem inclinarent. Poſtea, quod præcipuum huius erat, dum ſpiritusſanctus, Apoſtolorum & mentes & linguas accendens: vt diutiùs à teſtificatione cohiberi non poſſent, deſcendebat. Hæc ergo Propheta vidit, & credentibus annuntiare voluit. Hæc igitur, piè Chriſtianus cogitet, & mox apparebit, quam fidem præſens requirat feſtiuitas, nempè vt credamus hunc ipſum eſſe, in quem omnes, quotquot vnquã fuerunt, ſunt, & erũt, crediderunt & ſperauerunt. Cuius fidei cauſam in calce huius Euangelij audituri ſumus. Sit ergo hucúsq; ſatis dictum, quid nã Aggæus de hodierna feſtiuitate prædixerit. Audiamus deinceps quid Malachias vaticinetur de eadem. Hîc verò apertiùs agit illo priore. Non enim venturum in templum ſuum tantùm: verùm etiam nomina eius & epitheta pronuntiat. Deindè etiam, quod officium illius, & cur venturus ſit. Primò Meſsiam hunc dominatorem Dominum dicit, nec ſimpliciter Dominum, ſed huiuſmodi, qui cunctis ſit deſideratus hominibus, qui in omni manſuetudine omni potens ſit, ita planè: vt neminem pro ſua terreat potẽtia, ſed
Pſal. 44. qui omnes alliceat bonitate: vt ſpecioſus præ filijs hominũ, in cuius labijs gratia diffuſa ſit. Secundò etiam Angelum dicit Meſsiam, ſiue pacis nuntium & Teſtamenti, oſtendens non modo Deum illum: verùm etiam hominem eſſe, in hoc in mundum miſſum: vt pactum ſeu fœdus, quod Deus, cum hominibus pepigerat, annuntiaret, ſuóque ſanguine confirmaret. Sed nunquid non præcipui & egregij tituli ſunt? Et quis non tantum non exultaret hæc audiens?

Adde, quòd & ſacerdotem vocat, ſed non apertis id verbis, cùm dicit eum venturum in ſuum templum: vt quem ſolum ſacerdotij decet dignitas, & qui ſolus ſacerdotale munus compleat perfectè, hoc eſt, Deum pro noſtris peccatis placare, illíque ſatisfacere poſsit.

Nec tacet Propheta, quid in templo facturus ſit Chriſtus. Ipſe, inquit: quaſi ignis conflans, & quaſi herba fullonum. Hæc enim duo fecit in templo, facítque etiam-

num. Se-

num. Sedet conflans, emundans & purgans. Igne vtatur & aqua: igne ad conflandum, aqua ad purgandum. Per verbi sui ignem probat omnium sapientiam, iustitiam & vitam. Hoc igne omnem carnalium cæremoniarũ Pharisaicæque superstitionis immundiciam & impuritatem à lege arrodit & consumpsit, probans humanam nec sapientiam nec iustitiam coram Deo persistere. Quin, quod magis est, ostendit, mundi huius prudentiam ad Dei collatam sapientiam, meram esse stultitiam, & humanam iustitiam nil esse nisi superstitionem inanem. Sed hæc faciens, vehementer mũdum lædit, qui sua indemnata vult omnia. Hinc ergo Propheta noster ait: Quis stabit ad videndum eum? Sit sui mundus semper similis, non ideò ab officio suo cessabit Christus. multò verò magis quicquid mali vsquam est, sui verbi igne consumet: mundabitque interea suos à peccatis, vt offerant Deo in iustitia, fiátque illi acceptabile sacrificium eorum, sicut à principio, & à diebus antiquis: id quod fit: vbi se per fidem in Christum sine operibus legis iustificari credunt, quemadmodum & illi qui præcesserunt Legem iustificati sunt. Ecce audiuimus à Malachia etiam aduentum Christi prædictum esse. Et quanquam illa omnia non vna die expleta sunt, hodie tamen impleri incœptum est, quòd hodie primùm in templum Christus venerit. Vides ergo quæ de Christo exigatur fides, imò etiam quæ per Christum oblata gratia, quæ nec hodie recusatur, vt & nos in vnico hoc Christo habeamus dominum, & saluatorem, doctorem & sacerdotem, imò reconciliatorem inter patrem Deum & nos: qui nec cessat nos purgare & emundare verbo & Spiritu suo: vt in omni bona actione, & diuinorum exercitio plenè & perfectè placeamus Deo. Sed dicet quis: Agnosco quidem hæc magni aliquid esse, quæ duorum Prophetarum dicta sunt testimonijs: sed quis ea omnia memoriæ commendabit? Breuiter ergo quid de Christo credendum sit accipe, & quam fidem præsens dies postulet. Simeon senex noster tria Christo epitheta attribuit. Primùm salutare eum dicit ante faciem omnium populorum paratum. Deinde etiam lumen ad reuelationem gentium. Tertiò & gloriam plebis Israël. Nec hoc sine causa, nec immeritò. Vt enim per primum parentem nostrum pacem, salutem, Dei agnitionem, sed & propriam gloriam perdidimus, ita eadem hæc in Christo recuperauimus. Et quidem hæc fides, quam

Malach. 3.

Gen. 15.

præsens

præsens dies à nobis exigit. Hæc fides eorum, qui hanc festam diem primi celebrarunt. Hæc etiam fides, quam ardens cereus in manibus tuis hodie denotat. Hac fide non ardente intrinsecus, frustra quicquid extrinsecus agimus: imò quod amplius est, si hanc fidem in nobis non habuerimus, coram Deo mendaces arguimur, ac ipsum illudimus, qui lumen in manibus ad significandam internam fidem gerimus, planè nihilominus diuina luce fidei vacui. Sollicitè ergo ô fratres laboremus, ne tantùm vmbram huius festi apprehendamus, & quod significatur amittamus, atque his nostris cæremonijs reos nos Deo constituamus, damnantes nosmetipsos. Ad hæc sciamus etiam minimè sufficere, si internè fides tantùm ardeat, cui externè verbis & factis lucear necessum est. Ergo igitur à primis huius festi obseruatoribus non solùm quid credendum, sed & quid faciendum sit discamus. Recedant vetera de ore nostro, dicebat quondam Samuëlis mater Anna. Seipsum enim commendare vetus cantilena est, quam nemo non didicit. Noua præsens dies exigit eloquia: nempe vt Christo Messiah nostro agnito, Deum celebremus & magnificemus, tum etiam Christum coram toto mundo palàm confiteamur. Verùm tum demum confitebere, vbi certus, quòd tibi Redemptor, tibi lumen, tibi gloria sit, ídque in omni populo prædicas. Iam verò ipsa, quæ hæc dies exigit, multifaria sunt opera, quando quæque persona ex his quatuor peculiare quid nobis insinuat. Quum autem præcedentibus annis abundè satis de Virginis matris actis dictum est, nunc quid Simeon suo nos exemplo doceat inspiciamus, & examinemus. Hæc Simeonis facta sunt: Ad Christum properare, Christum fidei suscipere brachiis, atque in corpore portare. Hunc vnum omnibus mundi huius thesauris præferre, pluríque facere. Hoc agnito nihil porrò in mundo appetere, seque totum diuinæ voluntatis pietati submittere.

Ecce quæ hæc festiuitas à nobis facta exigat, si eam piè & Christianè obseruare voluerimus. Deum immortalẽ, quàm fœlices nos, qua cum voluptate Christus inter nos viueret: quanta animorum nostrorum exultatione nostrum, Nunc dimittis, personaremus, imò quàm confidenter, quàm sine omni omnis periculi formidine nosmet in mortem daremus, si eo modo crederemus, loqueremur, ac denique manibus operaremur, quo hi omnes fecêre. Contrà: Væ omnibus qui hæc vel insolenter rident: vel pertinaciter temnunt.

Qui-

Quibus haud dubiè post hãc ærumnosam vitam infœlicissimè transactam æterni ignis manet cruciatus. Firma enim manet sententia: Quod qui Christum non diligit, sit maledictioni obnoxius. Quam Deus Optimus Max. clementer auertat ab omnibus, Amen.

QVINTVS SERMO
Prophetiam Aggæi explicat.

SI quis recta hanc Euãgelicam lectionem intentione examinauerit, facilè (si modò vel scintillã Christianæ pietatis in corde suo fouerit) q̃ Christiani hac ipsa festa die non immeritò spiritalibus exultamus lætitijs videbit: nec peculiari aliquo opus esset sermone, si secundum Deum idem sentiremus omnes. Quia autem (heu dolor) nonnulli nulla curant Euangelia: alij pro simplicitate, licèt audiant, & quamlibet laborioſa diligentia intendant, nihil tamen inde frugiferum addiscunt: alij etiam tam rudes, vt licèt intelligant Euangelia, tamen obliuioni tradunt: ideò non absre quædam in Ecclesijs cantilenæ summas rerum continentes, vsũque festorũ indicantes ea breuitate, vt nemo adeò simplex qui non intelligat: nemo tam insanus quin memoria contineat, audiuntur. Id ergo vt verum credamus, quasdam eius generis cantiones proponamus. Sic nempe heri hora Vesperarũ cecinimus: *Hæc dicit Dominus: Ecce ego mitto Angelum meum, qui præparabit viam ante faciẽ meam, & statim veniet ad templum sanctum suum dominator quẽ vos quæritis, & Angelus testamenti, quem vos vultis.* In matutinis horis hodie item cecinimus: *Ecce Dominus & dominator venit ad templum sanctum suum: lætare & exulta filia Sion, & vade in occursum Domino tuo.* Sed & in Missæ introitu exultãtes diximus: *Suscepimus Deus misericordiam tuã in medio templi tui, secundũ nomẽ tuum ita & laus tua in fines terræ, iustitia plena est dextera tua.* Ac demum in Vesperis horis audituri sumus, *Hodie Mariã in templum obtulit puerum, quem Simeon iustus in vlnas suas suscipiens, Deum benedixit in æternum.* Ecce tibi his Ecclesiæ cantionibus non semel huius magnæ festiuitatis causam propositam, idque breuibus quidem, sed apertis verbis, ne quis latere se causas huius festi tergiuersetur: maximè cùm isthæc omnia hodiernum Euãgelium in se contineat copiosiùs. Primò enim Euangelium hoc testatur,

Malach. 3.

Psal. 47.

Mariam

Mariam proprium filium & supernaturalem in templum hodie obtuliſſe, quæ poſt partum virgo permanens, & matris habuit gaudium, & virginitatis non amiſit pudorem. Secundò, & eximium profundæ humilitatis exemplum in Maria videmus. Tertiò tanta & tam multa à Simeone & Anna de Ieſu adhuc puero audimus vaticinata. Quartò, hodie primùm ſe Chriſtum in templo publicè omnibus cõſpicuum exhibuiſſe intelligimus: imò quòd ipſe hodie primùm ſacerdotale ſuum munus expleuerit, non obſcurè animaduertimus. Hæc omnia Euangelica atteſtante hiſtoria hodie contigêre. Cur igitur hodie non exultabimus, feſtóſque dies non celebrabimus? Mirum profectò ſpectaculum, & tale omnino, quale nunquam viſum vel auditum eſt mundo: virginem in templo infantem, cúmque ex ſeipſo natum verè, ſiſtere Domino. Et cur properamus ad videndum omnes in vnum? Non minus mirandum, hanc ipſam virginem in tam ſublime præ omnibus alijs à Deo exaltatam, ſeſe in tantam humilitatis profunditatem demittere: vt ad morem cæterarum muliercularum purificandi in ſe reciperet legem. Et quis hæc laude digna non æſtimaret? At verò quid amabilius viſu, quàm quòd ipſe Dei filius noſtram in ſe naturam aſſumpſerit? Et quis non propterea gratias referret Deo? Sic & cætera grata ſunt, quòd Simeon omnibus commune quoddam annuntiat gaudium. Et quis iſthæc audire non geſtiret? Quin ergo certiſsimum cùm eſt, hanc huius diei oblationem nõ ſolùm omnibus ſæculis ab omnibus hominibus ſumma cum pietate, ſumma cũ animorum lætitia eſſe rememoratam, verùm etiam ab ipſo Luca, tum etiam ab alijs Prophetis antiquioribus magna diligentia eſſe conſcriptam, omnes pœnam iucurreremus atrociſsimam, ſi incogitanter eiuſcemodi res tranſiremus. Neque enim dubitandum magni momenti rem aliquam latere, quam Deus tot antè ſæculis ad omnium exultationem prædici voluerit. Sed nec Lucam hæc ſine cauſa tanta diligentia ſcripſiſſe puta. Tum haud dubium hos quorum in hoc Euangelio mentio fit, homines peculiarem quandam conſolationem & lætitiam ſenſiſſe, quando tam ſeriò omnia agere videntur. Atque vtinam omnibus nobis ea mens, ille ſpiritus qui in Simeone: profectò eandem & nos experiremur in nobis lætitiam. Hic, inquam, Simeon vere intellexit Aggæum. Et ea quidem propter de ipſo, quòd expectauerit

redem-

redemptionem Israël, dictum est. Nam quia mens illi fuit antè per Scripturarum alloquia excitata & inflammata, melius præsentia Messiæ frui potuit. Ah quàm fœlices nos, si vel guttulam talis in nobis deuotionis conspicere liceret? Et quidem quotidiè Prophetam illum legimus. Sed in hoc deficimus, quod minus verè cogitemus & minus mente concipimus, quæ legimus & audimus. Quia autem Aggæus hanc nostram festiuam lætitiam tam multis retro sæculis prædixit, in illius Prophetia hac vice tantùm maneamus. Hic ergo satis indicabit quare toties repetamus, Christum in templum esse præsentatum. Accipe igitur Dei verba per Prophetam. Hæc dicit Dominus Aggæ. 2. Deus exercituum: Adhuc modicum & ego cœlum & terram commouebo, mare quoque & aridam. Et veniet desideratus cunctis gentibus & populis. Et implebo domum istam gloria. Magna erit gloria domus huius nouissimæ plus quàm primæ. Nam in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum. Ecce audis clarissimam Dei ipsius promissionem: nempe venturum Christum verum illum Messiah in templum, post manumissionem Israëlis è Babylone instauratum, & fore vt pro Christi præsentia hoc ipsum templum glorioßius illo fiet, quod extruxerat Salomon. Vnde hæc Aggæi non infima in præcipuis argumentis ad conuincendos sui erroris Iudæos, tum ad defendendum & confirmandum nostram fidem. Estque ergo hic locus vnus in præcipuis, quos Iudæi corrumpere vehementer laborant. Et magis propterea hoc ipso aduersus eos vti decet. Neque enim alia ratione euidentiori Ecclesia toties nobis proponit Christum in templum esse præsentatum. Quod si inuitis id Iudæi auribus audiunt, eoipso nobis erit gratius. Quòd si eos non piget magno labore Scripturas corrumpere, quod sibi aduersari eas intelligunt, nec nos pigeat contra eorum mendacia veritatem profiteri. Vt autem omnes quid hæc Prophetia, eiúsque impletio pijs mentibus lætitiæ adferat, videamus: primùm discamus quomodò eum locum Iudæi deprauarint. Deindè & veritatem eius meditemur. Primò autem, quod dicit Deus: Adhuc modicum, & ego commouebo cœlum & terram, &c. Ostendit mox futurum, quod promittit: id quod considerare nolunt Iudæi, transilientes quasi nihil egregium in his verbis absconsum, timéntque ne mendacij

argumē-

arguantur & conuincantur. Agnoſcunt enim non iam modicum temporis, ſed ferè bis mille tranſiſſe annos, ab eo quo
Pſal.89. hæc Aggæus prædixit tempore. Neque enim bis mille anni modicum temporis dici poſſunt. Verùm enimuerò ſi cõtradicere Dauidicis dictis præſumpſerint: quia mille anni ſicut dies heſterna quæ præterijt: ecce additum eſt & aliud quiddam: venturum, ſcilicet Meſsiam adhuc ſarto ac tecto illo templo, quod poſt Babylonicam captiuitatem, Aggæo viuente inſtauratum fuit. At illius templi iam ferè ſexqui mille annis euerſio facta eſt, nec lapidi lapis adhęſit. Propterea igitur hæc Iudæi tranſiliunt, quòd his conuincantur, atque ideò etiam cætera verba quæ ſequuntur deprauare ſtudent. Et cùm ait: vti noſter textus habet. Veniet deſideratus cunctis Gentibus, ipſi legunt. Veniet deſiderium Gentium. Id quidem cum noſtra verſione facilè conueniret. Eſt enim Chriſtus verè omnium Gentium, omnium ſibi credentium gaudium, ſumma voluptas & deſiderium. Sed ipſi hoc Gentium deſiderium tantum de concupiſcentia quadam mala habendi neſcio quas ingentes diuitiarum theſauros intelligunt. Id arbitrantes ſummum deſiderium Gentium, ita ſub ſequentia deprauant: vt theſauros magnos illos & diuites illius templi Gentes ſint pro cupiditate habendi direpturi. Sed falſum, id eſt, & dolus effugij ne in mendacio, quod contexunt deprehendantur. Nam principiò quidem ipſi ex illis Rabbini hunc Prophetæ locũ de Meſsiah interpretati ſunt. Tum nullo ſcripturæ teſtimonio vnquam comprobauerint deſiderium Gentium merũ eſſe æs & meras diuitias. Neque enim minus ipſi Gentibus hac philargiria laborant, quinetiam aliquanto magis. Præterea Gentes nõ ſolùm diuitias & aurum, verùm etiam honores, poteſtatem: voluptates, & ſanitatem deſiderant. Cur ergo illud deſiderium Gẽtium de ſolis diuitijs, interpretari nituntur? Adde vt verum ſit, quod nemo noſtrûm negauerit, Gentes magnã facultatis & æris ſummam in templum hoc contuliſſe: cur non etiam vident Iudæi quanta ex eo ipſo templo Gentes Antiochi temporibus, tum etiam ſub Romanorum poteſtate acceperint?

Tertiò quod ſubdit Prophera, Magna erit gloria huius nouiſsimi templi quàm prioris: ita exponunt, quaſi nouiſsimum illud decem annos perdurarit amplius priore. Sed nequicquam laborant, fruſtra prætexunt. Quæ enim gloria mendico ſi diuitem ſuperuixerit decem annos? At nullo

modo po-

modo postremum illud templum priori illo potuit comparari. Priùs enim illud omnia auro contexta habebat purissimo. Vnde patres quibus visum erat ante prius illud templum, lacrimis, cùm secundum illud instauraretur, abstinere non poterant: facilè enim considerabant nulla via hoc illo comparari posse. Quin etiam si hoc templum illo pretiosius auro alísque rebus, imò si merum aurũ fuisset, illud tamen verum ornatum pretiosioráque habuisset monilia: vt Dei Archam, Cherubim, Sellam propitiatoriam, aliáque id genus, quibus omnibus hoc posteriùs caruit. Et quid demũ Iudæi iactant exteriorẽ huius templi ornatum, cùm constet ipsum sæpissimè non ab idololatris modò, verumetiam ab ipsis Iudeis, (id quod ipse Christus eis exprobrat, quòd domum Dei, domum fecissent negotiationis, imò speluncam latronum,) fuisse conscelcratum? Certissimum ergo de alio quodam ornatu loqui Prophetam. Sed iste nullus alius fuit præter Christum in hoc ipsum templum venturũ. Hæc, inquam, maxima huius templi gloria, & hac parte multo illo fuit pretiosius, quod in propria Christus verus Messiah intrauit persona. Hæc ergo Propheta ad consolandum lapsos illius Gentis prædixit, adhuc nempè stante templo venturũ Messiam ad erigendos eos. Sed enim neminem prẹter hunc vnum ostendere nobis possunt, quæ adhuc stante illo ædificio venerit. At nos ipsum habemus Iesum Nazarenum, qui adhuc stante templo illo, puer in illo præsentatus est, vir in illo docuit, miracula multa & magna ædidit. Hic ergo verè nostrum, hoc est, Gentium desiderium, hunc exoptant, & desiderant omnes populi. In illius tempore cœlum commonebatur, quando in Oriente Magis nouum sydus emicuit, quod præcedens eos in Bethleem perduxit, quando sol in eius passione obscuratus est. In illius tempore etiam, terra & mare commota sunt, non in passione solùm, quando petræ scissæ sunt, nec solùm in ipsius resurrectione, nec cùm tempestatem maris cohibuit, ventisque imperitauit, siccísq; pedibus super mare ambulauit: verumetiam & multò magis cùm Euangelium prædicari demandasset omnibus creaturis. Tunc, inquam, terra commouebatur & mare, vt homines cateruatim ad fidem cõuersi, errores & idololatriam deponebant. Insuper ipse Christus in hoc templo pacem attulit. Si quis, inquit, sitit, veniat ad me. Ecce tibi omnia in Christo impleta, quæ prædixerat Propheta. Huius ergo

3. Reg. 6. & 7.
1. Esr. 3.
Ioan. 2.
Matth. 21.
Matth. 2.
Matth. 27.
Matth. 28.
Matth. 14.
Ioan. 7.

hodie admonemur his verbis, Ecce Dominus & dominator
Psal.47. venit ad templum sanctum suum. Et suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui. Hæc ergo nostra hodiernæ diei læta festiuitas, illum ipsum, quem omnes Gentes desiderant venisse, nobisque sempiternam salutem præordinasse. Restat nunc vt Simeonis sequamur exemplum. Hoc salutare vlnis complectamur fidei, Deo gratias agentes ipsum confiteamur, coram ipso in iustitia & timore Dei appareamus & viuamus, vt de Simeone dictũ est. Tunc fiet vt ipsius consolationem in nobis experiamur, & in vera pace hanc vitam concludamus. Id ergo Deus Optimus Maximus omnibus nobis præstet, Amen.

SEXTVS SERMO DE CAEREmonijs & Processione loquitur.

QVatuor magnas festiuitates hucusque Christi Iesu seruatoris nostri obtulit humanitas. Natiuitatis suę primam, Circuncisionis alteram, Apparitionis siue adorationis per Magos Orientales tertiam, quartam hodie Præsentationis suæ in templum. Et quemadmodùm hę omnes exterùe alia post aliam succedunt, ita quæque earum in quolibet verè Christiano conspiciuntur. Primò enim Christus in nobis nascitur, ídque per fidem: quo prima notatur solennitas. Ex fide autem spiritualis procedit circuncisio: per fidem emundantur mentes nostræ: imò per fidem iustificamur, vt peccata nostra præcedentia non imputentur nobis ad damnationem. Et hæc secunda festiuitas. Iam verò aguito Christo ac vbi remissæ nobis sunt iniquitates: successàriò sequitur, vt cum Magis omne nostrum desiderium ad Christum conuertamus, ipsum adoremus, illi offeramus, &
2.Cor.6. quantùm fumus dedamus, ipsius voluntatem & mandata sequamur, atque ita per secunda, pérque aduersa, per contumelias & opprobria annittentes, ad veram patriam festinemus. Et hoc tertium festum. His omnibus quadraginta huius vitæ diebus expletis, ecce & quarta festiuitas incipit: vt nempè & nos vnà cum Christo in sempiternum suum templum offeramur & suscipiamur. Ecce hęc docemur his quatuor festiuitatibus. Quartum ergo quod hodie celebramus festum, aliquãtò diligẽtiùs examinemus. Inueniemus enim hodie verè impletum esse quod de Deo olim Dauid prædi-
Psal.97. xerat. Recordatus est, inquit, misericordiæ suæ & veritatis

suæ do-

ſuæ domui Iſraël. Interpretanda quidem de omni reliquo etiam humanæ redẽptionis opere ſunt, quemadmodũ & illud Maria facit, cùm ait: Suſcepit Iſraël puerum ſuum, recordatus miſericordiæ ſuæ, ſicut loquutus eſt ad patres noſtros, Abraham & ſemini eius in ſecula. Quo modo etiam Zacharias cecinit, Viſitauit, inquit, & fecit redemptionem plebis ſuæ. Et erexit cornu ſalutis nobis in domo Dauid pueri ſui. Sicut locutus eſt per os ſanctorum, qui à ſæculo ſunt, Prophetarum eius. Salutem ex inimicis noſtris, & de manu omnium qui oderunt nos; ad faciendam miſericordiam cum patribus noſtris, & memorari Teſtamenti tui ſancti. Hoc, inquam, modo illud Dauidicum, reliquum omne noſtræ redemptionis opus tangit, in quo maximè ſeſe Dei miſericordia patefecit & veritas, vt modò ex ambobus Mariæ & Zachariæ hymnis intelleximus. Verùm peculiari quadam ratione vtrúnque & miſericordia & veritas in hac ſolennitate oſtenſum eſt euidentiùs. Vnde etiam lætis hodie vocibus nobis acclamatum eſt: Suſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio templi tui. Nónne enim magna diuinæ pietatis miſeratio eſt, quòd ſe Deus ipſe in noſtræ carnis infirmitate omnibus conſpicuum exhibuit? Nónne & veritas Dei ſeſe manifeſtauit hodie, cùm certo modo ea impleta ſunt quæ vtérque, & Aggæus & Malachias prædixerunt? Maximè. Cur non ergo lætis inuicem acclamamus ad Deum vocibus: Suſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio templi tui? Imò quò minus Iudæi hæc conſiderare laborant, eò magis & glorioſiùs nos ea cõfiteri debemus. Hac ratione iuſtus ille Simeon hodie confeſſus eſt: Nunc, inquit, dimittis ſeruum tuum Domine, ſecundum verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum, quod paraſti ante faciem omnium populorum: Lumen ad reuelationem Gentium & gloriam plebis tuæ Iſraël. Haud dubiè ſimile & Anna cecinit. Hi ergo primi huius feſti cultores fuêre, horum inſiſtendum eſt veſtigiis. Atque huc pertinet, quod hodie decantatum eſt: *Ecce dominator Dominus venit in templum ſanctum ſuum: gaude & lætare Sion, & vade in occurſum Domino Deo tuo.* Et iterum: *Adorna thalamum tuum Sion, & ſuſcipe Regem Chriſtum.* In his ergo duobus tota huius ſolennitatis conſiſtit obſeruatio: nempè, vt Chriſto obuiam procedamus, eúmq; ſuſcipiamus: quia en coràm adeſt. *Ecce*, canit Eccleſia, *venit.* Venit nõ ad tribunal iudicij

Luc. 1.

Pſal. 47.

Luc. 2.

sui, sed ad templum suum. Et quare non ad tribunal? Nempè aderat tempus acceptabile, aderat illa dies salutis, de qua olim ipse Deus in Isaia: In tempore acceptabili exaudiui te, & in die salutis auxiliatus sum tibi. Venit ergo non vti Iudex, sed vti saluator. Venit autem in templum suum. Primò, tanquàm mediator inter Deum & nos, quem ipsum Ioannes vocat. Aduocatum, inquit, habemus apud Patrem Iesum Christum iustum, & ipse propitiatio pro peccatis nostris. Deindè ad templum suum venit, tanquàm verus sacerdos & Pontifex noster, vt eum Paulus dicit. Talem, inquit, habemus Pontificem, qui consedit ad dexteram throni maiestatis in excelsis, administrator sanctorum, ac veri tabernaculi, quod fixit Deus & non homo. Tertiò, veniet in templum suum, tanquàm victima. Sic enim de seipso dicit: Pro eis sanctifico meipsum, vt sint & ipsi sanctificati per veritatem. Hoc modo Christus hodie ad templum suum venit: imò eo ipso modo etiamnum in spirituali suo templo est. Quid ergo nos faciemus? Gaude & lætare filia Sion, Sed nunquid sufficit, si lætamur, exultamúsque pro Christi præsentia? Minimè. Vade in occursum Deo tuo. Id verò qua ratione fiat, Ecclesia hodierna docet processione. Primò, bini & bini coniuncti procedant, qua fraterna insinuatur charitas, quæ omninò ad nostrum profectum necessaria est. Quisquis Christianam spernens dilectionem solus incedit, priuatum quid molitur, totam processionem dehonestat, sibi ipsi incommodat, aliis quoque oneri est. Et hi quidem sunt, qui seipsos à Christianorum communitate segregant, irrationales & carnales homines, non habentes Spiritum, non curantes seruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis, vt Paulus monet. Si ergo verè Christo obuiam procedere vis: ne solus obambules, sed adiuncto fratre procedas, quemadmodùm Christus discipulos suos legatos fecit: hoc est, teipsum contine in vnitate Sanctæ Christianorum Ecclesiæ vniuersalis: deindè etiam in vera charitate erga quemcúnque Christianum in priuato. Hoc enim est binos & binos procedere. Et hoc primùm quod ad nostram processionem pertinet. Secundò, in processione minimè conuenit otiosos, & vacuis manibus incedere. Quemadmodùm enim solum esse & incedere, vt modò audiuimus, satis non est: ita etiam

2. Cor. 6. Isai. 49. 1. Ioan. 2. Hebr. 8. Ioan. 17. Bernard. In epist. Iud Ephes. 4. Luc. 10. Eccle. 4.

Deus

Deus ne vacuus in suo conspectu appareat prohibet. Si enim otium in iis, quos ad laborandum nemo conduxit, reprehenditur, quantò magis reprehensione digni, qui iam in vineam vocati, otiamur? Proindè lucentes cereos, nec hos occultè: sed palàm & apertè, nullo tamen nisi qui sanctificatus in templo perpetuò seruatur igne accensos. Cereus noster fides nostra est, quem non solùm corde comprehendere, verumetiam manibus, hoc est, operibus ostendere debemus. Sine operibus enim mortua fides est. In corde ardeat, externè in operibus eluceat fides necesse est, quemadmodùm & ipse Christus docet: Lucernæ ardentes sint in manibus vestris. Et sic luceat lux nostra coram hominibus, vt videant opera nostra bona, & glorificent Patrem qui in cœlis est, vt simus exemplum bonorum operum. Non quolibet igne accendi debent hi cerei, quia & diabolus suos focos fouet: nempè ignes carnalium desideriorum, ambitionis, inuidiæ, & liuoris. Hos Christus in suo ministerio ignes respuit. Alienus ille focus est, & quæcúnque inde accenduntur opera, Deo displicent: quin etiam in impietate sua morietur, quicúnque hos peregrinos ignes coram Deo obtulerit, etiamsi patre natus Aaron. Sit ergo cereus noster altero igne, hoc est, sancto accensus, hoc fides nostra ardeat, nempè vero & genuino charitatis affectu erga Deum & homines. Hîc ergo ignis ille, quem Christus in terris vt ardeat, accendit. Ignitus noster erit amor: si enim tepidus fuerit, ex ore suo Deus euomet. Hoc ergo, secundum quòd ad nostram processionem pertinet: nempè recta, intima, operosáque fides. Tertiò, tacere minimè conuenit in processione: canere & Deo psallere æquum est. Hilarem enim datorem diligit Deus: Tum genuinus charitatis fructus, gaudium est in Spiritusancto. Sed & propterea vocati in admirabile lumen Dei, vt annuntiemus & confiteamur virtutem & operationem eius qui nos vocauit. Psallere autem decet non mundo, sed Domino, & nouum canticum, quia mirabilia fecit nobis: Psallere inquam, in viis Domini, quoniam magna est gloria Domini: Psallere, quia magnus cùm sit Dominus, humilia tamen respicit, & alta à longè cognoscit.

Exod.25. *Matth.20.* *Iacob.2.* *Luc.12.* *Matth.5.* *Leuit.10.* *Luc.12.* *Apoc.3.* *2.Cor.9.* *1.Petr.2.* *Psal.97.* *Psal.137.*

Quartò, nec subsistendum erit eundo, pergendum porrò de virtute in virtutem, quousque perueniamus ad montem sanctum Sion: vbi in sempiternum Deus Deorum *Psal.83.*

videbitur. Neque enim existimabimus nos cõsequutos esse,
Phil.3. sed cum D. Paulo emitendum ad ea quæ à fronte sunt, nec
1.Cor.9. cessandum donec propositum apprehendamus brauium.
Ecce hæc docemur hodierna processione, i. que Deo obuiam procedendi modus optimus. Hoc modo Maria, & Ioseph, Simeon & Anna, obuiam processerunt. Hoc ipso modo posteà quotquot vnquàm fuerunt pij, obuiam Deo processerunt. Quinetiam si rectis oculis libet intendere, hæc ipsa processio nihil aliud erit, quàm repræsentatio quædam fidei nostræ, gaudij nostri, & ordinatæ charitatis & concordiæ, quam Christiani iam indè ab origine redemptionis exhibuerunt semper. Nobis quidem vestigium eiusce modi processionis manst, sed ipsum significatum aliquando rarò in nobis inuenitur. Portamus lumina, sed nihilominus corda nostra tenebræ sunt. Coniuncti bini atque bini in
Luc.29. cedimus, sed mentes nostræ disiunctæ sunt. Canimus ore, & cor nostrum longè est à Deo. corporibus & pedum passibus procedimus, sed nullum ferè virtutum sentimus incrementum, nec solùm subsistimus: verumetiam sæpenumerò relabimur. Sed longè alia à nobis requirit Ecclesiam, nempè non vmbram externam, sed rei veritatem, hoc est, sic conueniamus affectibus: vt bini incedimus corporibus. Sic ardeat in mente fides: vt lumen lucet in manibus, sic luceat in operibus: vt cereus in omniũ oculis, sic mẽte in Deũ ascendamus: vt ore laudes psallimus, sic pergamus in virtutibus, quomodò eũdo procedimus. Id hac processione in Ecclesia hodie docemur. Neque verò sufficit si Christo obuiam processeris, nisi etiam in ornatissimam domum susceperis. Sed quem in nobis postulet ornatum, quatuor huius Euangelij
Luc.1. personis docemur. In Maria discę humilitatẽ. Ecce, inquit, ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Et iterum. Respexit humilitatem ancillæ suæ. In Ioseph discamus constantiam fidei, qui probatus constans inuentus est. In Simeone timoris Dei exemplum suscipimus. Sic enim Simeon describitur, quòd iustus fuerit & timoratus. In Anna perseuerantiam in bono colligimus. De ea enim dictum est, quòd vidua permanserit ad octogesimum & quartum annum, seruiens Deo nocte ac die, ieiunijs & orationibus. Hęc ergo vera ornamenta, quę Christus in nobis desiderat, humilitas, fides, timor Dei, & in bono vsque ad finem constans perseuerantia. His si quis domum suam exornauerit,

recte &

rectè & dignè Christum suscipiet. Sunt ergo illa, quibus hodie occupati fuimus. Eia ergo sedulò cogitemus hodie Christum venisse ad templum sanctum suum: verum dominatorem & Dominum, sacerdotem & mediatorẽ nostrum. Nec hoc solùm: verùm etiam adhuc inter nos esse, séque omnibus offerre præsentem. Hæc nos summa Dei misericordia ad gratias agendas moueat. Occurramus illi, suscipiamus illum. Sic sic fiet vt aliquando nos cum Simeone illo iusto secum in sempiternum regnum suum in pace assumat. Et hac via natalitia festa Christiani concludimus.

SEPTIMVS SERMO.

NEmo, qui hoc Euangelium perscrutatur, cur Christiani hac ipsa die fidem simul & deuotionem nostram aliquantò, quàm aliâs per anni circulum apertiùs nõ modò lætis acclamationibus & laudibus diuinis, sed & externis alijs signis ardentibúsque cereis declaramus admirabitur. Causam enim huius habemus & exempla. Causa autem harum cæremoniarum est, quòd hodie primùm se Christus palàm in templo videndum exposuit omnibus: vbi etiam publicè omnium populorum lumen & salutare proclamatus est. Exempla verò Maria & Simeon nobis exhibent, qui fidem suam in Christũ verbis simul & factis testificari sunt. Atque vtinam eiusmodi exempla vel in minimo & à longè sequeremur. An verò non est fidem suam palàm, mirè, & cum maiestate quadam confiteri, quòd Simeon talis vir, in tali loco, omnibus aspicientibus puerum Iesum in suas seniles vlnas accipit, gratias agens Deo, quòd ad eum diem superstitem seruauerit, tanta de puero edicit, quòd salutare sit à Deo cunctis donatum populis, Gentium lumen & gloria plebis Israël, iam porrò nihil præterea desiderans quicquid hic mundus possidet, certus & paratus mori, quòd hunc coràm aspexerit, quem semper & solum desiderauerit? An non admiratione raptos ab his tam insuetis verbis & factis, plurimos credibile est? Alij haud dubiè rem seriò agi, alij, & fortè maior pars lusum dixêre, & (vt sunt diuersa multorum iudicia) alij Deo gratias egêre, alij risêre. Id quod ipsa Simeonis verba declarant, cùm ait. Ecce positus est hic in ruinam & in resurrectionem multorum in Israël, & in signum cui contradicetur. Quæ vtique satis indicant, non *Luc. 2.* *Ibid.*

omnium idē iudiciū, in ea quę de puero dixerat: verba, fuisse Cur enim in hæc verba prorupisset, si eam de puero fidem, quam in seipso sentiebat, cōsideraſſet in omnibus? De nulla profectò ruina, de nulla contradictione, sed de salute dēq; resurrectione tantùm Prophetaſſet. Sed ex ijs quæ tum coram videbat, futura prædicebat. An verò ideò confessionem suam prætermittebat, quòd non omnibus seriò rē agere videbatur? Minimè. Pergit porrò Deo devotus, inque multis lusum arbitrantibus, Annā inuenit credulam. Hoc ecce nobis seruit Simeon exemplo, hoc modo hodie fidē suam, nil reliquorū veritus iudicia, testificatus est. Nō Dauid ideò ante arcam cithara ludere cessauit, quòd vxori lusum agere,
2. Reg. 6. & Rege indignū quid facere videretur. Non ideò Anna Sa-
1. Reg. 1. muelis mater ab oratione destitit, quod Heli sacerdos ebriā
Act. 2. mustóque plenam dicebat. Non ideò Apostoli Dei magnalia prædicare cessant, quòd à Iudæis musto pleni dicerentur. Non Paulus ideo prędicationē Euangelij abrūpit, quòd à Philosophis Athenis Spermologus, à festo diceretur insa-
Act. 17. nus. Cur ergo Christianum coram Deo honesti pudet? cur
Act. 26. fidelis, quod bonum est, omittit, propterea, quòd ab alijs leuiter ridetur? An nō honestū, an non pium, an non Christiano dignū, postquā audis Simeonē tanta cū maiestate fidem suā professum, tu quoque pietate accensus ipsum imiteris, nec solū intra temetipsum, sed & palā, accepto in manus ardente cereo, publicè re in ipsius Simeonis fidē iurare: nempe quòd Christus verè saluator, ipsúmque adeo salutare: verum ad illuminandos omnes omnium nationū populos lumen, confitearis? Non ob pueriles lusus, ô fratres, à maioribus institutum est, quòd hodie accensis luminibus ordine
Ioan. 1. procedimus, si cor adūt. Verè enim puerilis lusus est, si corde fide vacuo, externo tātum ritu lumen in pompa feras. Eiusmodi homines meritò ridentur. Non illa priorum sententia fuit Simeonis exemplum: verba, atque facta cogitantiū, qui vt pueris simpliciorib⁹que eò tenaciùs inhæreret: has instituēre cæremonias: vt nemo non hos externos cereos videns, illud lumen cogitaret, quod prædicauit Simeon, nempe Christū, omnes hunc apprehēdere, in hoc & viuere & ad iusti Simeonis exemplū, in ipso mori studerent. Hæc ergo causa hodiernæ pompæ est. Ac facilè hinc colligere licebit, ad quid nobis Simeonis exemplū seruiat. Sit ergo illud primum exemplū. Secundum sublimius quid indicat. Si enim

Simeon tan-

Simeon tantam fidem, tantam etiã pietatem oſtendit, tam multum gaudij & conſolationis inuenit, qui ſemel tantùm, idque exiguo admodùm tempore, Chriſtũ vlnis ſuſceptum portauit: quis tandem eloqui potis eſt gaudij illius maieſtatem, quod habuit illa, quæ virgo intacta viris, aluo aliquot menſibus ipſum tulit grauida, ac deindè peperit? Quis vel cogitare ſufficit, qua illa fide, qua pietate, quibus laudibus, qua gratiarum actione ſuum, imò & Dei naturalem filium ipſi Deo in templo obtulerit? Quòd gaudium habuerit & exhibuerit adhuc gerula clauſi legimus. Magnificat, Luc. 1.
inquit, anima mea Dominum, & exultauit ſpiritus meus, in Deo ſalutari meo: quantum ergo gaudij habuit: quando iam natum vidit, attrectauit, in templum portauit, Deóque obtulit? Nulla profectò alia cauſa id conſcribere Euangeliſtæ prætermiſere, q̃ nemo id dignè dictare potuit, & quòd ſit exemplum nemini facilè conſequendum. Sint ergo hæc de cauſa & exemplo hodiernæ põpæ dicta breuiter. Quòd reliquum eſt huius ſermonis, ipſum Propheta, qui hodie recitatus eſt, audiamus. Hîc nõ ſolũ ſeruiet nobis ad hãc feſtiuitatem digne celebrandam: verũetiam quid præſentatus in tẽplo Chriſtus effecerit efficiátque etiãnum maximè in ſacerdotibus & Leuitis. Ipſius ergo Malachiæ verba attenda- Malach. 3.
mus. Ecce ego, inquit, mittam Angelum meum: qui præparabit viam ante faciem meam, & ſtatim veniet ad templum ſanctum ſuum dominator, quem vos vultis, & Angelus teſtamenti, quẽ vos quæritis. Ecce venit, dicit Dominus exercituum. Et quis poteſt cogitare diem aduẽtus eius, & quis ſtabit ad videndũ eum? Ipſe enim quaſi ignis conflans, & quaſi herba fullonum. Et ſedebit conflans & emundans, &c. Hæc Prophetia propriè Chriſtum reſpicit atque in ipſo completa eſt, ita planè vt nec in minimo fefellerit. Ioannes ipſe Angelus ſiue nuntius, qui præiens viam illi præparauit in hominibus. In matris erat vterò Chriſtus, cùm Ioannes naſce- Matth. 11.
retur, ſic ſtatim ſecutus eſt præcurſorẽ ſuum. Quinetiam dum Ioannes prædicare incipit, Chriſtus (illo etiam teſtante) in populi ſtetit medio. Id quod Propheta indicare vult Ioan. 1.
cùm ait. Statim veniet, hoc eſt, quum primũ Angelus viſus fuerit. Et hoc primum. Secundò magna diuerſitate vtrúnque Angelum ſeparat. Ioannem quidem Angelũ, id eſt, nuntium ſiue miſſum dicit, ſed ſimpliciter, at verò Chriſtum teſtamenti Angelum vocat, quẽ omnes velint, omnes quærãt.

Quinetiam Dominum & dominatorẽ appellat. His duobus titulis Christum insignit. Talem mũdus expectabat, talem
1. Pet. 2. omnes quæritabant pij. Talis omnibus necessarius. Dispersi
Ezech. 34. vti oues errantes in medio luporum. Pastorẽ ergo desiderabant. Animaduertebant Mosen suis vel lege vel sacerdotibus, nec peccatum, nec mortem, nec etiã diuinam iram tollere posse. Propterea indigebant alio, qui melius aliquod testamentũ erigeret priore illo. Hic ipse Christus est. Ac ideò & dominator & Angelus testamenti dicitur. Tertiò: Veniet, inquit, ad templum sanctum suum, quòd eo tempore instaurabatur, quo Malachias, alio nomine (vt quibusdã placet.) Esdras dictus, cum Aggæo & Zacharia ad instaurationem templi hortabantur & impellebant. Id quod in Christo impletum est. Nam hic in idem illud templum præsentatus est, in eodem prædicauit, & miracula edidit, quod & ipsum Iudæi dicere non metuunt. Iam verò illud templum mille cccc. ann. dirutum iacet nec vllum aliud instauratum aut ædificatum est, licèt id sæpè attẽtarint Iudæi, sed confusi semper ab incœpto desistere coacti. Quando igitur Malachias & Aggæus tam clarè scribũt, Messiam in illud ipsum templum, quod tunc ædificabatur: venturum esse, atq; idem templum iam quindecies centum annis dirutum iacet, sequitur irrefragabiliter, Messiam ante tot annos venisse. Vnde, quòd adhuc venturum Messiam Iudæi expectant: vanum & falsum est. Si adhuc staret templum, aliquam ipsorum expectatio speciem certi haberet. Quia autẽ iacet euersum, nihil est, quod futurũ adhuc expectent. Imò propterea Deus illud euerti voluit: vt omnes cognoscerent hanc Prophetiam esse cõpleram: venisséq;, iam olim Messiam. Quòd si videre occæcati Iudæi nolunt, in suo errore sine nobis pereant. Certi nos, hoc vaticinium in Christo Iesu Domino impletũ esse. Quartò addit. Ecce venit. Et quis stabit ad videndum eum? Quibus hoc prædicitur. Certò quidem vẽturum Messiam, sed non secundum mundi opinionem: vel omnium sensus & voluntates. Non omnibus innotescit aduentus eius: quia pauper & humilis venturus est. Deindè non omnes de eius aduentu lætabuntur, nón omnibus laudabitur. Multi ab eo fugient odio ducti, pauci stabunt ad videndũ eũ, multis erit aduersus. Erit enim quasi ignis conflãs, &c. hoc est, nõ ad cuiusli bet voluntatem vel loquetur: vel operabitur. Nulli blãdietur,

malum &

malum & iniquum non feret: nec hypocriſi, nec errori, nec
vlli impietati patrocinabitur. Sedebit conflans, quaſi aurum
igne purgans, & quaſi fullo lixiuio, ſmegmate & herbis ve-
ſtium maculas emundans. Non obſtet, ſed rerum intima tan
get, corda hominum velint nolint, purificabit. Huc pertinet *Matth.3.*
quòd Ioannes dixit: Ventilabrum in manu ſua, & purgabit
aream ſuam. Hoc ergo Chriſti in templo ſuo, hoc eſt, in *Ioan.16.*
Eccleſia officium. Per verbum ſuum & ſpiritum, mũdum de
peccatis, de iuſtitia, déque iudicio arguit, hoc eſt non tãtùm
nos peccato ſubdit, verùm etiam oſtendit omnẽ noſtram iu-
ſtitiam (inquãtum homines ſumus) nihil eſſe. Id quod om-
nibus arrogantibus nimirúmque de ſeipſis præſumentibus
in ſua iuſtitia vel ſapientia confidentibus, quaſi ardens &
vrens ignis. Neque enim qui in peccatis ſedet, argui amat: & *Ioan.3.*
qui male agit, lucem odit, tum confidens, de ſua iuſtitia & ſa
pientia, reiici non facilè patitur. Propterea ait: Quis ſtabit
ad videndum eum? Quo oſtendit pauciſsimos ſecum conue-
nire. Id quod apertiſsimè in Phariſæis videre eſt. Iis enim
minimè cum illo conuenit, nulla eis à ſermonibus eius volu-
ptas. Et cur id? Contrarius erat factis illorum, ignem ſentie-
runt adurentem, & acre lixiuium. Conſcientias eorum pene
trabat, arguens ſuperbiã, auaritiam, hypocriſim & id genus
alia vitia. Contra hunc ignem perſiſtere cùm nõ poſſent, ce-
cidêre, perierunt, conflati ſunt, ad nihilum redacti ſunt: nec
ſolùm ipſi, verùm etiam templũ ipſorum & ciuitas. Hoc er-
go præuidens Malachias ait: Quis dies aduentus illius cogi-
tabit, & quis ſtabit ad videndum eum? Quanquam & de ex-
tremo iudicio hæc verba interpretari poſſunt: præcedit ta-
men illud. Conflat & purgat modò per verbum ſuum, qui
gehennæ igne olim conflare veniet. Quintò addit: Et pur-
gabit filios Leui. Id quod vt ſingulari quadã ratione additũ
eſt, ita etiam præcipuè conſiderari debet. Cum illis enim ho
minibus Chriſto plurimum fuit negotij, quos maximè pur-
gatos vult. Ipſis enim immũdis, alij quoq; ab eorũ doctrina
& vita impuritatẽ quandã attrahunt. An ergo nõ dolerẽt Iu
dæorũ Phariſæi, quod Propheta ait, Chriſtũ, vbi venerit, fi-
lios Leui purgaturũ, imò conflaturũ, emundaturũ, & quaſi
aurum ab argẽto in igne, ita bonum à malo ſeparaturũ, eſſe?
Si purgandi, certè impuri. Neque enim quod purum eſt, pur
gari adhuc neceſſe habet. Iam verò de Chriſto vaticinatum
erat, quòd eſſet purgaturus filios Leui, ac tum demũ purifica

torum

torum placitura illi sacrificia. Vbi ergo ipsorum iactantia:
Ioan.9. Nunquid & nos cæci sumus? Et: Nos Mosi discipuli sumus.
Luc.11. Et iterum: Magister: hæc dicens nos etiam afficis contumelia. Noluerunt defæcari, sibiipsis iustitiam simulantes. At Christus ignis est nemini parcens, omnia, quæcúnque attingit, cõsumens. Sic enim hic de eo Propheta prædixit: Et purgabit & colabit filios Leui. Sed hæc primùm de ipsis personis, pòst verò etiam de ipsorum officio intelligenda sunt, ac tertiò quidem de sacrificijs. Impura erant omnia, personę, officium, & sacrificia. Omnia purgatione & emundatione necesse habebant. Dei olim mandato Moses tribum Leui
Leuit.21. in sacerdotium & Dei ministerium ordinabat, non tamen quoslibet in ea admisit. Quicúnq; aliquo vitio laborabãt, qui vel cæci, vel claudi, vel lusci, vel gibbosi, vel scabiosi, vel rupti, aut aliàs monstrosum quid habebant, nasum, manus, aut pedes, excludebantur. Sed quales in tẽplo offendit Christus?
Ioan.7. Tales omninò, quibus verè potuit dicere: Moses dedit vobis
Matth.15. Legem, sed nemo ex vobis factis præstat Legem. Et: Sinite
Matth.23. illos: Cæci sunt, & duces cæcorum. Et: Væ vobis Pharisæi & Scribæ, quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ foris quidem apparent speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorũ, omníque spurcitia. Tales offendit, quos flagello tem-
Matth.21. plo eiectis, postea etiam patria terra expulit. Hoc modo filios Leui, in personis purgauit. Par ratio officij fuit. Optimè Moses ordinauerat, quo quisque fungi deberet munere, quomodò Reipub. præesse conueniret, quòd ab omnibus in sui sustentationem ex decimis, aliísq; oblationibus alimenta sufficientia accipiebant. De quo multa in quarto & quin
2. Paral. to pentateuchi. Melius porrò Dauid instituit omnia, diuidés
24. Leuitas in quatuor partes. Primum locum tenebat summus Sacerdos: huius munus semel in anno in Sanctum sanctorũ intrare, ibíque cum Deo populum reconciliare. Post hunc viginti & quatuor alios sacerdotes, qui ex ordine alius post
Hebr.9. alium fungerentur officio in templo. Horum officium erat oblationes & thurificationes facere, tum populum docere, & benedicere. Et hi quidem omnes ex tribu Aaron. Alios deinde Leuitas in tres turmas diuisit. Quosdam ordinabat Cantores, qui Psalmos decantarent, Deóque laudes dicerent dum alij offerebant. Quosdam Ianitores fecit, alijs templi vtensilia custodire demandauit. Atq; is quidem modus optimus. Sed quomodò Christus hæc offendit? Quomodò quíq;

suo in-

fuo inſtabant officio? Nempe vt diceret: ſuſtuliſſe Dei mandatum, vt ſuum conſtituerent: quòd templum domum negotiationis feciſſent, & ſpeluncam latronum. Ecce iterum hîc Chriſto conflandi & purgandi laborem. Sed & ſacrificia immunda erant. Quod in ijs optimum, patrum fides erat. Idipſum etiam aurum hoc. Quod reliquum acceſſerat, vti immolatio animantium & combuſtio, & ſanguinis eorum in templo aſperſio, thuríſque incenſio: non verè aurum, nec in eo Deo complacuit. Omnibus igitur Chriſtus in fornacem iniectis, fidem quæ eſt aurum, approbauit, reiectis cæremonijs, tanquam ſcorijs quibuſdam. Idipſum Propheta vult cùm dicit, Purgabit filios Leui. Nec hoc Chriſtus Iudæis horúmque ſacrificijs tantùm fecit, facit etiam hodie. Et quidem arbitror, quòd verè purget, conflet & cribret nos his temporibus: quòd ſi attendere renuimus, certè pertinaciter occæcati ſumus. Et quis iniuria ſe affici, conqueri poteſt? Siue enim perſonas, ſiue officia ſiue ſacrificia inſpiciamus noſtra, Deum immortalem, quàm ſumus inæquales ijs, qui ante nos fuerunt? Quàm nihil omninò facimus eorum, quæ illi factitarunt ſedulò? Quàm nihil aut certè quàm exiguum feruoris in nobis, quem in officio ſuo illi oſtenderunt. Idem vitium in plebe: nullus ſtatus ſibi reſpondet. Expectauit & aſpexit longo tempore Deus, admonuit, prædixit: ſed nemo verè cogitauit, nemo vitæ emendationem inijt. Aquæ nullus in nobis effectus eſt. Apparauit ergo fornacem, impoſuit ignem: efficiet malum, quod non potuit bonum. Omninò enim purganda Dei domus eſt. Si noſmetipſos diiudicaremus, non corriperemur à Domino. Quando ergo nos negligimus, ſupplet ille. Quin ſi hæc fornax non omne aurum expurgauerit, expectat nos alia formidabilior multò. Ecce inquit, in iudicium veniam vobiſcum, & ero teſtis velox aduerſus omnes, qui operantur malum. Ecce hæc de Chriſto prædixit Malachias. Hæc ipſa hodie lecta & audita, eadem quotidiè experimur omnes, expectamus vehementiora. Quare ô fratres, decenter ambulemus in domo Dei. Simeónis imitemur exemplum. Sic planè viuamus, vt olim fornacem hanc non timeamus. Neque enim quod tergiuerſemur eſt. Omninò neceſſe eſt, huic ſatisfiat vaticinio: Purgabit filios Leui. Si non hîc, certè alibi immitiùs. Gratia Dei Optimi Maximi nobiſcum, Amen.

Matth.19. Ioan.2. Matth.21.

1.Cor.11.

Malach.3.

OCTA-

OCTAVVS SERMO.

INitio huius sermonis libet cũ D. Bernardo præfari, quòd tria in assumẽda carnis nostræ natura diuina maiestas perfecerit, omnia tam grãdia, tam noua, tam insuẽta, tam rara, tãmque admiranda, vt æqualia nec habuerint, nec habitura vnquam. Hîc enim in vna eadémque persona Deus & homo inuenti sunt. Hîc in vna persona virgo & mater est. Hîc fides & humanum cor in vna persona est. Tres profectò coniunctiones, omne miraculũ omnia signa excedentes. Nemo vel cogitare sufficit, quomodò fieri potuerit tam inæqualia, tam longè latéq; distãtia in vnũ cõiungi potuerint. Quid distantius Deo & homine? Quid naturæ impossibilius, quàm virginẽ simul esse & matre? Quid dissidet magis, quàm fides & humana ratio? Omnia tamen inuenire licet in hoc Euangelio. Tres p̃sonæ hîc nominãtur: Christ⁹, Maria, & Simeõ. In Christo prima cõiunctio: in ipso enim Deus & homo adunati sunt. In Maria secũda: illa enim & virgo & mater perstitit. Tertia coniunctio in Simeone est, qui vtrúq;, etiã ea stante natura, firmissimè credidit: Nunc dimittis seruũ tuũ Domine: quia viderunt oculi mei salutare tuum. Vide ergo quæ pijs in his tribus meditandi copia, quæ etiã admirationis causa. Quid Deus, nisi summũ bonum, lumen incomprehensibile, inuestigabilis essentia? Quid homo nisi terra & cinis? Quis verò cogitasset posse hæc duo in vnam personam coire? Quid enim sublimius Deo? quid abiectius terra? At verò sic sese Deus cum terra, hoc est, cum homine, adunauit, vt etiam humanitati Christi attribuatur quicquid in ea gessit Deitas, & rursus Deitati assignetur quicquid in eo humanitas passa est. Quemadmodum enim verè dicimus: Iesus Mariæ filius à Nazaret à morte excitauit Lazarum: ita verè dici potest: Iesus Dei filius crucifixus est Certũ nihilominus est, Christum inquantũ homo, nullum edidisse miraculum, & inquantum Deus, pati non potuisse, Non. Deitas in Christo latens fecit magnalia, non verò humanitas passa fuit, nõ Deitas. Sed quia indissolubili quodam nexu Deus & homo coniuncta sunt, alterutri naturæ adscribitur, quod habuit & potuit alia. Ecce ergo puerum Iesum, in quo solo hæc duo, & nullo alio secundo, inueniuntur. Exclamat igitur sanctus Bernardus: Memento, inquit, ô homo, quòd limus sis & terra, ne quid superbias. Deo te coũnitum cogita, eóque

gra-

gratias age. Vide enim quàm erga terræ globulos dilectionem ostenderit, quo eos honore induerit. Primò enim spiritum illi vitæ inflauit, vt Moses testis est. Addidit sensualitatem, tum rationem donauit, ac denique seipsum adunuit. Hæc ergo meditanda sunt hodie. Quòd si quis verè hæc perpendere posset: Deus bone, quæ in illo pietas, quod gaudium, quæ admiratio, quæ denique gratiarum exurgeret actio? Hoc ergo primum quod cogitandum hodie proponitur. Post hæc in Mariam conuerte oculos, inuenies admirandam vnionem, nunquam in vllo hominum simul repertam. Ab exordio mundi nunquam auditum est, matrem esse virginem, aut virginem esse matrem. Nam secundum naturam nullum fœcūditas virginitati locum dat, nec fœcunditati virginitas. At verò sola hæc beatissima persona est in qua ineffabili fœcunditati virginitas, & virginitati conuncta est fœcunditas. Quod semel in ea fieri datum est, nec vnquam prius, nec factum est pòst, nec futurum est vnquam. Hæc ergo in Maria & virgine beatissima & matre fœlicissima cogitanda sunt. In Simeone verò non minus quàm superiora admiranda inuenimus. Omne, inquam, miraculum excedit, in talibus fidem conueniſſe cum ratione. Iterum dico: admirandum est, quomodo humana mens duo hæc, puerum hunc Deum esse & hominem, Mariam verò matrem eius & virginem esse possit credere. Vt ferrum & terra minimè cōflantur & vniuntur: ita nisi Deus per Spiritum suum coniunxerit, nec fides rationi, nec ratio conuenit fidei: Non enim in se habet ratio, Deum esse cum qui se in præsepio poni permittit, qui esurit & sitit, cæteráque humanam infirmitatem experiturum: imò qui flagellari, conspui, crucifigi, & sepulchro includi se permittit. Sic nec in se habet ratio, virginem esse quæ desponsata viro sem per præsenti, & coràm: qui deduxit in Aegyptū & reduxit, qui solus tantum viæ cum sola peragrauit, quæ filium lactat quem peperit. Omne, iam tertiò dico, miraculum excedit, quomodo persuaderi potuerint hæc tam contra naturam, mundo. Licèt enim alàs ratio nihil nisi quod ipsa apprehendit, possibile putat: tamen firmiter, indubitatè, ac certò persuasum est mūdo, hūc puerū esse Deū, eiúsq; matrē esse virginem. Ergo tot Martyrū myriades omnis ætatis, vtriúsque sexus, omnis generis tormenta ipsámque adeò mortem citius perpeti voluerūt, quā vel minimū ab hac fide recedere.

Id er-

Id ergo iam statim ab initio exemplo Simeonis ostensum est. Ecce enim quàm sine vlla hæsitatione tam constanter loquitur. Viderunt Domine oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum. Video hunc infantulum lumen esse Gentium, & gloriam plebis tuæ Israël. Video in eo maiestatem tuam. Video completa esse quæ expectauimus & desiderauimus. Nulla nunc mihi viuendi hîc voluntas est: nunc ergo dimitte seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace. Nullum nunc mihi abitu tua periculum est, quia ecce salutare tuum, hoc est, ille ipse per quem gratiam tuam, dona tua, ipsámque salutem impertiri vis, ante oculos meos est. Nunquid non hoc est constanter de magnis rebus loqui? Quid ergo in his præcipuũ fides. Si enim secundum rationem loquutus fuisset, certè alijs id verbis fecisset. Sed restitit ratio, cessítque loco fidei. Est ergo miraculum: vt dixi, supra miraculum omne: rationem in his, quæ non apprehendit, quæ impossibilia ducit, locum dare fidei: verè Dei solius opus hoc. Propterea hoc ipsum Euangelium de Simeone loquitur, quòd responsum acceperit à Spiritu sancto, nõ visurum se mortem, nisi prius videret Christũ Domini. Deindè, quòd idem in Spiritu sancto hac ipsa hora in templum superuenerit. Hîc ergo Spiritus sanctus haud dubiè in ipso rationem humanéque cogitatus retulit, & fidem excitauit, cõfirmauit: vt certò de hoc puero pronuntiaret: quod secundum naturam nemo alius in puero videret. Sufficeret autem hæc cogitare hodie cuique Christiano, etiãsi nulla restaret adhortatio. Sed necesse habeo porrò aliquid dicere, & quod Deus iam indè ab initio in humanæ redemptionis opere semper inuito & repugnante Diabolo, mirè processerit, ostendere. Id quod primùm ex hoc Euangelio, deindè etiã ex aljis Scripturæ locis apparet, tum etiã à cõtrario docetur. Vt enim verè Deus ab exordio rerum, omnia opera sua, omnes figuras, totam Legem, omnia sacrificia, omnes Prophetas in hunc finem direxit: vt omnes intelligerent: venturum esse aliquãdo eum, qui vno sacrificio totã humanę massę naturã cũ Deo recõciliaret: ita etiã Satã ab initio in hoc laborauit: vt hoc Deitatis opus & propositũ, quo posset modo impediret, homines in deuia seduceret. Id ergo vtrinq; probare libet exemplis.

Luc. 2.

Ac primò videmus hîc scriptũ, quòd Christus quadragesimo die è natiuitate sua in Hierusalẽ in tẽplũ latus sit: vt ibi secun-

secundum legem Domini sisteretur Domino. Quibus profectò verbis reducere nos Euangelista vult, in legem de primogenitis masculis latam vult, inquam, hanc legē propriè Christum respicere, Christi causa latam, vt & aliæ: vt cùm præcipit ne crucifixorum corpora maneant in ligno, sed eadem die ponantur & sepeliantur. Quæ certè & propriè Christum respiciebat, qui statim depositus sepeliendus erat, vt tertia die resurgens Ionæ figuram impleret. Huius ergo legis priuilegio alij gaudebant. Quid enim Deus curat, quo quisque tempore affixus maneat ligno? Eadem & hîc ratio est, cur Deus magis vellet primogenitos, quàm secundo vel tertio. An non ille Dominus, an non creator, an non seruator? cur ergo primogenita vult? nempè quia venturus erat primogenitus quidam omnium creaturarum, primogenitus virginis. Hunc certo modo lex de primogenitis masculini sexus respiciebat, hunc Deus requirebat, hic præsentandus & offerendus erat. Vt Malachias dixit: Statim veniet ad templum sanctum suum dominator quem vos quæritis. In hoc implendum quod in eodem Prophera additur: Et placuit Domino sacrificium Iuda. Et hoc primum. Secundò: Certum est, quòd Deus in paradiso adhuc viuenti homini promiserit, fore, vt quemadmodùm mulier decepta erat à serpente, ita etiam ex muliere veniret, qui serpentis caput contereret. Tum omnibus persuasum, renouatam hanc promissionem esse sæpenumerò ad Abraham. In semine, inquit Deus, tuo, benedicentur omnes gentes. Sed ne gloriarentur Iudæi, quod ipsi essent semen Abrahæ, & nos quasi ab illis salutem consequuti essemus: Paulus occurrit, dicēs: Non in seminibus, quasi in multis, sed in vno semine qui est Christus. Simili modo & subsequentibus temporibus hanc seminis promissionem renouat, sed clariùs. Vt autem eò meliùs in hac fide conseruarentur homines, nunc hanc, nunc illā exhibet futurā figuram. Hic Abrahæ mādat, vt propriū mactaret & offerret filium, indicans Dei filium offerēdum pro salute omnium. Illic Ioseph à fratribus venditur: deindè dominum illum statuens, indicans necesse esse Christum primum pati, & sic posteà exaltari. Iam agnum mactare, & postes domorū illius aspergere sanguine Ieraëlitis mandat, communi eos hoc ipso Aegyptiorum clade conseruans: indicans venturum esse, qui suo sanguine communi hosti resisteret & occideret, suósque

Exod.13. *Deute.21.* *Ion.1.* *Matth.12.* *Malac.3.* *Gen.3.* *Gen.22.* *Galat.3.* *Genes.37.* *Exod.12.* *Exod.14.*

potenter eriperet. Has aliásque eius generis figuras aliam post aliam ostendit Deus, vt conseruaretur in venturi Messiæ fide populus. Adde, quando iam aliquot centenis annis in Aegypto fuerant, multam variámque idololatriam conspexerant: insuper in aliam regionem ingressuri, vbi idolorum cultus omnis, ínque idololatrarum habitaturi medio, vt ab hoc etiam conseruarentur: ideò leges fert, qua ratione inter Gentes viuerent, præscribens cultum diuinũ, quomodò ministrarent sibi, victimarum signans genera, ea numerositate augens, quo minor desciscendi superesset occasio. Si quando sacerdotes consecrandi, peculiaria ordinata erant sacrificia: si quis peccator reconciliandus: si qua mulier post puerperium purificanda, suum cuique munus præscriptum erat. Leuitici duodecimo. Sed & si mundandus esset leprosus, suum quoque habebat munus. Tum certa sacrificia in festis, & nouilunijs incidentibus præmonstrata erant. Quòd si qs inopia nõ posset grandia ex præscripto legis offerre, potuit minora. Et super hæc omnia aliud erat iuge sacrificium, quotidianum quod mane & vespere peragebatur. Quæ omnia instituta erant, non quòd Deus eiusce modi rebus delectatus fuerit, sed vt populus in obedientia & ministerio conseruaretur, nec occasione otij data, peregrina requirerent sacrificia. Maximè verò vt futuri & magni sacrificij admonerentur, quod in & per Christum erat complendum. Ideóque pleráque omnia per sanguinem fiebant, vt hoc ipso sanguinolentum Christi inculcaretur sacrificium, in cruce perficiendum. Hoc ergo est, quod superiùs dicere instituí, Deum facta sua hoc modo, per figuras, sacrificia, & legem perfecisse, vt scirent omnes venturum eum, qui suo proprio sanguine reconciliaret omnia. Contrà verò non sibi deesse voluit Satan, in hoc incumbit totus, cœlum & terram commiscet, vt hanc ipsam fidem, quam Deus saluam & integram voluit, radicitus extirpet. Primò enim cùm iam Aegyptum reliquissent, Mose in monte cum Deo loquente, vt legem deferret, eò Satan suum apud Israëlem negotium permouit, vt ex auro conflatum vitulum, erectum adorarent, quemadmodùm in Aegypto vsu receptum viderant. Quanquàm autem illo tempore artes illæ Sataneæ dissiparentur, obstante Mose & aliis, eò tamen res deuenit, vt nunc in hanc, nunc in aliam atque aliam idololatriam incidérent: tandem etiam duos aureos vitulos erigentes, nouum cul-

Exod. 19.

Leuit. 4.

Exod. 19.

Exod. 32.

nouum cultum instituentes, à Dei templo deficerent. Id quod omne eò tendebat, vt populus veri atque vnici Christi sacrificij oblitus, in Sataneæ perseueraret & periret tyrannide. Sed quid tum posteà? An ideò ab instituto cessauit Deus, quia tanta pertinacia obstabat Satan? Minimè. Impleta est Dei promissio, confusus Satan. Ecce (hodie cecinimus.) *Dominus & Dominator ad templum sanctum suum venit.* Verum vnicum illud sacrificium in ara crucis immolatum, hodie in templo est oblatum. Id quod in matutinali sacrificio præfiguratũ est, quemadmodùm illud quod in cruce perfecit Christus, in vespertino significatum fuit. Vtrinque tamen impletum quod per Isaiam vaticinatũ est. Oblatus est, inquit ille, quia voluit. Quòd enim hodie in templo oblatus est, non ideò factum est, quòd oportuit pro necessitate, sed quia voluit, pro bona voluntate. Et quòd posteà cruci affigitur, non ideò factum est, quasi crucem fit meritus, aut vi Iudæorum superatus fit: sed quia voluit. Volens sacrificabo tibi, dicens Patrem alloquitur. Et iterum: Sacrificium & oblationem noluisti, tunc dixi: Ecce venio. In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam Deus meus, volui. Quando ergo hodie matutinum suum sacrificium perfecit Christus in templo suo, vti verus & vnicus sacerdos: benè institutum est à maioribus nostris, hodie cum Dauid canimus: Suscepimus Deus misericordiã tuam in medio templi tui. Nec inconueniens, cereos ardentes circumferre faculas, sed vtinam intus quoque in mente arderent, illíque nos totos committeremus, qui semetipsum volens pro nobis obtulit. Mortua erant quæ Iudæi offerebant sacrificia. Nondum enim Christus mortem subierat. Quia autem à morte resurrexit, viuens viuentia requirit sacrificia. Nolo, inquit, mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat. Quando ergo mortem nostram non appetit, cur illi vitam nostram offerre renuimus? Hic ergo verissimus huius festæ diei fructus erit. Transcendendum omnia ab alio in aliud, nec tantùm in Christi sacrificium respiciendum, sed in hoc incumbendum, vt & ipsi fiamus sacrificium. Melius & honorificentius profectò, vt nos Deo dedamus, quàm vt nos ipsis nos permittamus. Nam qui se Deo committit, non peribit. Qui verò sibiipsi relinquitur, non subsistet. Gratia Dei Optimi Maximi cum omnibus nobis, Amen.

Isa. 53.

Psal. 39.

Psal. 47.

Ezech. 18.

NONVS SERMO.

QVòd si præsentem festiuitatem, modò recitatum Euangelium, processionem siue supplicationem, cum reliquis cæremoniis omnibus, & gratiarum actionibus in vnum quasi fasciculum colligere, omniúmque causas & rationes ostendere debuero, quid his Ecclesia fidelium quæsierit: nihil profectò, mea quidem sententia, aliud sunt, quàm epilogus quidam Natalitij gaudij, quo omnibus in memoriam reuocetur, quod iam sex septimanis decantauimus: *Ecce Maria genuit nobis saluatorem, quem Ioannes videns exclamabat dicens: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, Alleluia.* Hæc, inquam, hodie rursus inculcãtur. Huc etiam omnia, festum, Euangelium, Epistola, processio, cæremoniæ, oratio & gratiarum actio tendunt. Læta festiuitas, plenum consolationis Euangelium, processio celebris, cæremoniæ, orationes, & gratiarum actiões deuotionis plenæ. Hoc solùm exigunt omnia, vt eò melius & rectius agnoscatur Christus Iesus ex Maria genitus, verus vniuscuiúsque saluator, qui non tantùm hic, verumetiam in perpetuum saluare potest: imò qui saluum facit populum suum à peccatis eorum: & vt ille ipse credatur, suscipiatur, enuntietur, confiteatur, seruetur & magnificetur. Hæc summa est omnium. Nec sine causa huius hodie denuò, & tanta cum diligentia admonemur. Quin vehemẽter necessarium etiam, si tamen idem gaudium, eadem deuotio, fides & confessio, iidem fructus & effectus in nobis erunt, vti modò in Simeone audiuimus. Sic omninò, fratres, natalis festiuitas cõcludenda est, vt in mente gaudium & deuotio, in ore fides & confessio, fructus & pietas cõspiciatur in opere. Vbi verò hæc desunt, ibi certè natalis Christi verè agnitus non est, ne quicquam inutiliter magísque Iudaicè quàm Christianè omnia peracta sunt. Magnum igitur aliquid esse, tibi persuadeas pie auditor, quod hodie in oblatione Christi in templo audis. Ecce Maria genuit nobis saluatorem, quem Ioannes videns exclamabat dicens: Agnus ecce Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Hoc enim modo Christus aspici debet in oblatione, hoc fundamentum huius festiuitatis sit, si modò inde fructus expectamus bonos. Hoc modo fecit Simeon. Vis autem scire vnde huic seni tantum venerit gaudium, ea deuotio, quorum neutrum inuenerunt alij: adeò, vt haud parum admirati sint de eo? Viderunt, inquit, oculi mei sa-

mei salutare tuum. Non hoc viderunt alij, propterea nec gaudium, nec deuotionem huiuscemodi inuenerunt, sit licèt viderint puerum Iesum corporeis oculis non minùs apertè quàm ipse Simeon. Alij ad Dei salutare videndum requiruntur oculi. Mei, inquit, oculi viderunt salutare tuum. Sed quomodò amplius quid Simeon quàm alij homines vidit? Audi Lucam: Responsum, inquit, accepit à Spiritu sancto. Sed & per eundem Spiritum venit in templum. Hic ergo purificat corda & largitur posse videre salutare Dei. Ille testimonium perhibet de Christo in mentibus hominum. Hoc ergo in Simeone initium omnis boni. Mox vt vidit in hoc puero salutare Dei, vero gaudio, vera intus imple tur pietate. Hinc ergo gratias agit & benedicit primò: deinde orat, tertiò nihil præterea appetit in terris: quartò sese in diuinam voluntatem committit. Postremò hoc ipsum quod cognouerat, aliis quoque hominibus annuntiat. Ecce omnes hi fructus inde sunt quod ait: Oculi mei viderunt salutare tuum. Quod si verè cogitare possemus quid sibi velit: Ecce Maria genuit nobis saluatorem, qui hodie vt verus Dei filius in templo, ac posteà vti Dei agnus in cruce oblatus, suo sanguine & sacrificio peccata sustulit mundi: si hæc inquam, verè cogitare & credere possemus, idipsum quod in Simeone videmus, in nobis quoque sequeretur. Mentes nostræ imbuerentur gaudio, os personaret laude & oratione, tæderet mundi & omnium quæ non sunt Deus, placeret nihil, præter vnum Deum & Christum. Peteremus nihil, quàm purificatis mẽtibus in cœleste templum susci pi. Hoc vnum ageremus, vt cum Simeone caneremus: Nunc dimittis Domine seruos tuos secundum verbum tuum in pace: quia viderunt oculi nostri salutare tuum. Hoc esset Christi natalitia concluisse, tum ardentes nostras faculas verè nulla hypocrisi possemus ferre. Totus mundus nostram in nobis fidem agnosceret viuere, & quòd Christum verè agnouerimus. Et quid deindè nobis fœlicius, si hæc Simeonis exempla, spiritus, fides, deuotio & pietas in nobis eodem modo conspicerentur? Et certè hoc ipsum præcipuum est, quod hodie cogitare cõuenit. Omnes Simeones simus necesse est, vt cũ ipso in pace æterna obdormiscere voluerimus. Et hæc quidem in genere de hodiernis festo & Euangelio dicta sint. Idipsum iam conferamus cũ oratione, quam tres pueri, Ananias, Azarias & Misaël socij Danielis in fornace habue-

Luc. 2.

Ioan. 16.

Dan.3. runt. Quòd maximè conquerebãtur erat. Et nunc Domine Deus in omni confusione & opprobrio hoc tempore nõ est Princeps, non est dux, non est Propheta, neq; holocaustum, neque sacrificium, neque oblatio, neque incensum, neque locus primitiarum coram te: vt possimus misericordiam tuam inuenire. Hoc vehementer vrgebat hos tres, hoc conquerebantur omnes. Verè enim nemo tam fortis, qui vel seipsum vel alios sua virtute è Satanæ captiuitate potuisset eripere.
1.Reg.17. Vni Dauid Christo hæc reseruata victoria erat. Non Saül cum omni exercitu suo, non Adam cũ omni posteritate sua effecissent aliquid. Id quod in historia Dauid & Goliath præsignificatum est. Secundò. Nemo qui verè consolaretur homines erat. Tentarunt quidẽ sæpè Prophetæ, prænuntiantes multa, sed expectãda adhuc. Certam etiã salutem, certam pacem promittebant, sed quã nemo videbat, ideóque à mul-
Isai.33. tis non habebatur fides dictis. Vnde pacis nuntij sancti Prophetæ amarè illachrymabãtur, suspirijs dolentes, quòd suis verbis fides denegaretur. Quare indicibili diligentia & deuotione vehementi supplicarunt Deo: vt promissionẽ suam
Exod.4. impleret, & plenam liberationẽ mitteret. Mitte, Domine,
Exod.33. inquit Moses, quem missurus es. Et, Si inueni gratiam apud
Isai.64. te, ostende mihi faciem tuam, id est, filium tuum. Et Isaias.
Psal.79. Vtinam cœlos dirumperes, & descenderes. Et Dauid. Ostende nobis faciem tuam & salui erimus. Tertiò nullum ipsis erat Deo placens sacrificiũ. Quæ enim illi delectatio in san-
Psal.49. guine vitulorum & taurorum? Non, inquit, accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircum, in Dauide loquens. Quarrò nec sacerdotem habebant, qui se cum Deo re-
Hebr.5. conciliare potuisset. Omnes enim ipsimet peccatores erant, necesse habentes non minus pro seipsis, quàm pro alijs orare. Sed quomodò leprosus immundam purificabit, aut quomodò inimicus inimicos reconciliabit? Ecce de his conquerebantur pro omni populo Danielis socij. At nos hodie lætis personamus vocibus. Ecce aduenit dominator Dominus ad templum sanctum suum. Lætare ergo & exulta filia Syõ,
Col.1. & vade in occursum illi. Hic verò dominator Dominus, Christus est, qui nos potestate sua diuina eripuit de potesta-
Ioan.16. te tenebrarum. Hic solus qui in verbo Euangelij sui con-
Matth.11. solatur nos. In me, inquit, pacem habetis. Et, Ego reficiam
Hebr.9. vos. Ille verus Pontifex noster, qui nos patri Deo reconci-
Ioan.17. liauit. Ille oblatio pro peccatis nostris. Pro his, inquit, sanctifi-

ctifico meipsum. Ipse etiam verum templum, in quo plenitudo habitauit deitatis, & in quo solo nostrã exaudiuit preces. Vide ergo, nûm hæc conueniens præsenti festiuitati esset meditatio, querelam sociorum Danielis cum hoc festo conferre. Nemo non profectò nostram lætitiam & laudes approbaret, nemo ardentes cereos, quibus fidem nostram declaramus, quòd Christum solum, lumen nostrum: vitam nostram, salutem nostram, Regem & Pontificem credamus & confiteamur nostrum: videret. Hoc ergo modo primò hæc festiuitas historiæ Danielis confertur. *Ioan. 15.*

Iam secundò etiam in eadem historia indicatur, quã humilitatem tres illi Danielis socij in sua oratione ostendant. Omnia, inquiunt, quæcúnque fecisti nobis Domine, in vero iudicio fecisti; quia peccauimus tibi. Sese etiam ijs annumerant, qui prævaricatione legis diuinæ, Dei iustam iram demeriti erant. Quamquàm ipsi veri & Deo dilecti ministri, & serui. Egregium profectò humilitatis exemplum. Sed maius aliud videmus, quòd Maria virgo purissima, se impuris annumerans mulieribus: vt alij legẽ de purificatione adimplet. Et cùm post etiam quàm peperisset, virgo esset immaculata, non de huiusmodi gloriatur gratia, nec in minimo suum ostentans priuilegium. Hoc ergo perfectum humilitatis exemplum. Si ergo admiratione dignum, Danielis socios in tantis gratiarum donis constitutos tam humiliter de se sentire, maior ecce hodie nobis admirationis offertur causa, quòd Maria, quam Deus super omnes creaturas quæ in cœlo, quæque in terra honorificauit, præ Angelis & hominibus selegit, ainjs sese æquiparat fœminis. *Dan. 3.*

Egregia hæc exempla, sed parum à nobis cogitantur, multò minus opere implentur. Contrarium vbique in nobis obuium est, qui præcedere alios ante omnes volumus, atque in minutis donis efferimur: imò qui cum peccatis enormibus, de quibus nostra nosmet conscientia accusat, coram hominibus probi & sancti videri volumus. Vide ergo, nûm & hæc pulchra & conueniens huic diei foret meditatio: vtrioque humilitatis exempla conferre. Necesse est enim hîc consideremus, quàm nos dedeceat tam incedere tumidos, tam egenos omnibus gratiæ diuinæ donis, contrà, in nobis circamferre, quæ merito nos humiliratis admoneant. Sit ergo hoc secundum, quo hodiernum festum Danielis comparatur historiæ. Tertiò hoc quoque in ea

historia signatum est, egregiam tres illos laudem Deo mutuis vocibus decantasse, propterea, quòd illæsos se seruatos in fornace conspicerent. Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum, & laudabilis & gloriosus in sæcula. Benedicant te omnes creaturæ tuæ. Cœlum, terra, mare, & omnia quæ in eis sunt. Ecce, quod gaudium in illis, etiam in medio fornacis & ignis constitutis, in quam laudem prorumpunt, & id quidem ob vnum gratiæ diuinæ beneficium, & temporaneum illud. In Euangelio Simeon quidem non tam multus est verbis, sed huiusmodi laudem adornat: vt non minus quotidiè in Ecclesia sua decantentur verba, quàm illa in Danielis historia. Et hic quidem veram operum Dei meditationem ostendit, cùm Angelos & cœlos aliáque omnia præterit, de hoc solo loquitur, qui cum Deo patre & spiritusancto creauerat omnia. Hunc salutare omnium populorum, lumen Gentium, & gloriam plebis Israël dicit. Eáque propter gratias agens Deo, nil, se omne id consecutum, dubitat, quicquid concupiuerit vnquàm. Tum nihil in mundo appetit, pertæsus vitæ, nec mortem timet, nec diabolum. Nunc, inquit, dimittis seruum tuum Domine, secúdum verbum tuum in pace. Vide ergo & hic tibi conuenientis meditationis materiam collatis vtrinque in vnum gratiarum actionibus. Nec mihi dubium fore, vt & nos recogitantes in nos distributa dona huius & futuræ vitæ, in eiusdem generis laudes prorumperemus. Hoc ergo secundum, in quo hodiernum Euangelium cum Danielis sociorum oratione conuenit. Restat ergo vt apertis oculis eiusmodi res cogitemus, imò & lingua & manu idem factitantes imitemur præeuntes maximè in Euangelio, & assumentes in manus ardentes cereos, Christo obuiam procedamus, eum lumen nostrum salutare, gloriam, imò & Pontificem nostrum, sacrificium nostrum & templum confiteabitur. Deinde etiam cum Simeone Deum ex mentium nostrarum intimis celebremus, qui id temporis vixisse tribuit, quo ea in Christo impleta cernimus, quæ quõdam præcinerunt Prophetæ futura. Sed & secundum hanc fidem, cum Maria in omni charitate & humilitate viuamus, non mundi vel honores vel gloriam appetentes, sed eo honore, eáque contenti laude, quæ nobis apud Deum manent in sempiternum. Hæc sunt exempla quæ præsens nobis proponit festiuitas & Euangelium. Ergo quæ hucúsque cogitauimus, nunc porro

Dan. 3.

sequa-

sequamur. Gratia Dei Optim. Maxim. cum omnibus nobis, Amen.

DECIMVS SERMO.

QVòd Euangelij simul & festi huius historia non nunc verbis solùm nudis: vt aliæ: verumetiam externis quibusdam factis & processione ceu coràm agerentur, nobis repræsentatur, sine magnis & peculiaribus rationibus non fit. Hoc agitur: vt facilius percipiant, & tenaciùs retineant simplices, quicquid in hoc Euangelio recitatum est, Rex profectò magni momenti, magna & multa denuntians. Iudæis quidē rarum nō erat: venire puerpuram iusto tempore expleto ad templum, offerre ibi. Nec verò & primogenitos offerre mirum. Quotidiè enim & iuxta præscriptum legis fiebat. Proindè Mariam quoque primogenitum suum Domino sistere, nihil illius gentis hominibus nouum erat. Nec etiam indè vel lætitia vel pietate afficiebantur. Ratio, quòd nec matrem agnouerunt nec primogenitum, nihil de ijs iudicantes, præterea quæ oculis videbantur. Verùm alijs Simeon omnia lustratur oculis, hic vidit, quod alijs inuisum erat. Accessit ergo otius, puerum in vlnas suscipit, Deum pro eo vsque prorogata vita benedicit, benedicens & matri, futura de paruulo omnibus prædicat, salutare Dei cunctis populis obuium, & lumen vocat Gentium. Hæc inquā: vidit Simeon, sed hoc ipsum non ex se, sed per spiritum sanctum. Fidei oculis hæc contuenda sunt, si qua non maior in nobis, quàm in Iudæis fructus hinc nascitur. Si verò cogitare libet, quis ille puer, quomodò conceptus, & natus, quid de eò, non solum hodie Simeon: verùm etiam omnes retrò Prophetæ maximè verò Aggæus & Malachias iam nunc futurum præcinerunt, in admirationem simul & animorum nostrorum rapiemur lætitiam. Homo hic paruulus est & Deus. Mater hunc virgo concepit & peperit. Tum hi duo Prophetæ venturum eum in templum, quòd post Babyloniçam captiuitatem extructum erat, prædixerant. Quæ omnia hodie primùm impleta sunt. Hodie Christus vt vnicus & verus ille inter Deum & nos mediator: vt vnicum & sufficiens pro totius mundi delictis expiandis sacrificium primùm in templo suo visus est. Vnde meritò cùm Dauid dicimus. Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui. Idipsum ergo hodie non modo verbis per-

Leui.12. *Exod.3.*

Agg.2. *Malach.3.*

Psal.47.

ſuadetur: verùm etiam externis quibuſdam ſignis inculeatur: vt nempè per hanc noſtram proceſsionem admoneremur illius itineris, quod hodie Maria virgo & mater beatiſsima confecit in Hieruſalem. Tum etiam per ardentes cereos ea nos credere omnia, quæcúnque duo illi Prophetæ ſimul & Simeon de puero prædicauerunt. Hæc, iterum dico, hodie nobis perſuadentur & inculcantur. Nec immeritò, neque enim huic ſimilis templum vnquàm intrauit puer pera. Nullum vnquam munus tale in templo oblatum eſt. Omnes profectò ſpectatum accurriſſent ciues, ſi hanc puerperam talem theſaurum offerre ſciuiſſent. Sed abſcondita hæc: vti & alia, ab oculis eorum erant. Nobis ergo diligentiùs hæc, & quaſi iam coràm fierent, meditanda ſunt. Admiranda virginis matris humilitas, quæ immaculata maculatarum ſe ſubdit legi. Lætari decet, quòd coràm in templo & ſacerdotem & ſacrificium videre liceat, cum Simeone credula mente confitẽdum eſt, Chriſtum verè eſſe, quem Deus nobis ſalutem & propitiatorem dedit: vlnis ergo fidei complectendus & conſeruandus, in eóque conſolationem noſtram quærere, per eum omnia læta ſperare, in ipſo etiam ſolo viuere & mori.

Hi ſunt quos hodie deferimus cerei, qui tunc verè deferuntur quando: vt dixi: verè in nobis hæc fides ardet & lucet. Fides enim in Chriſtum lumen eſt lucens in tenebris, lumen, quod errare nos non permittit, lumen, in quo æternum lumen videmus. Qui hoc lumen habet, non timet tenebras. Hoc in mente ardente, & in vita lucente, Deum poſſidemus & omnia, hoc vero deficiente pauperes, egeni, cæci
Apoc 3. & nudi relinquimur. Tantum ergo refert: vt ardentes cereos feramus, hoc eſt fidem conſtantia firmam, rectam, & puram, non ſolùm ab omni erroris admixtione: verùm etiam ab omni puſillanimitate, erga Deum, omni tempore, in omni perturbationis corporis & animæ periculo, in vita & in morte cõſeruemus. Id fiet ſi Deum Dñm noſtrum, nos vero ſeruos eius crediderimus, ſi Chriſtum ſalutare noſtrum ſuſceperimus, ac cum Simeone corde ſimul & ore dixerimus. Nũc dimittis ſeruum tuum Domine, ſecundũ verbum tuum in pace: quia viderũt oculi mei ſalutare tuũ. Hæc ergo & feſtum hoc & proceſsio & cerei poſtulãt. Non ergo luſus eſt, ſi rẽ penitiùs introſpiciamus. Hoc enim reſpicit in quo omnis noſtra ſalus ſita eſt, nempè fidem, ne illa erectè ſolùm

fer-

feratur,sed & diligenter conſeruetur & cuſtodiatur,ne vllo vento extinguatur. Quò enim maioris momenti res eſt fides,eò vehementiores flatus tentationũ ad eam extinguendam ſolicitat Satan. Huc ergo reliquum huius ſermonis referam,cùm vt doceam quomodò Satan fidem noſtrã impetat,tum quibus modis eam cuſtodiamus ne extinguat. Commodiſsimè autem vtrúnque & apertè ſignificabo ex ea hiſtoria,in qua Sennacherib impius Aſſyriorum Rex Ieruſalem obſidione vallans,iuſtũ Ezechiam iam per Legatos,iam per blaſphema ſcripta à fiducia ſua in Deum auertere, & in deſperationem conabatur impellere. Quicquid enim ibi Sennacherib contra Ezechiam tentabat,idem nunc contra nos machinatur diabolus. Quicquid ergo Ezechias ad conſeruandum fidei ſuæ lumen egit, hoc ipſum nobis faciendum erit. Hiſtoriam ipſam quære , & perlege quarti Regum nonum decimum,& ſecundi Paralipo.32.tum Iſai.36.& 37. capita,inuenies quàm multis modis Ezechias ſit impetitus pro ſua in Deum fide:ſed impetere non extinguere hoſtis potuit. Hiſtoria certè non inconueniens huic & feſto & Euangelio,& maximè ad ſignificandam noſtram proceſsionem. Primò enim vt erectè Simeon,ſic & Ezechias fidei ſuæ lumen portauit. Ille omnem fidem ſuam in Chriſtum,hic in Deum habebat. Hoc ſolùm differt,vehementiùs Ezechiæ fidem impetitam,Simeonis non item. Quanquam & Simeoni non leuis impetus ſuæ fidei,quòd tam pauperem & humilem videbat Chriſtum. A Spiritu ſancto reſponſum acceperat,non viſurum ſe mortem,niſi prius videret Chriſtũ Domini. Atque viſurum ſe eum in maieſtate quadam cogitare potuit:ſed veniens in templum, ecce vagientem videt infantulum,cum matre paupercula,ſine faſtu & pompa cũ ſumma humilitate. Alij fortè hæc videntes,deluſos ſe arbitrati fuiſſent,dixiſſéntque: An hic ille Meſsias,de quo tanta prædixerunt Prophetæ? An ea in paupertate Chriſtum Regem Iudæorum à Deo mitti conuenit? Sed fortè & Simeon non abſimiles tentationes ſenſit,quibus tantùm fides ſua probata fuit. Sed mens immota manet,plus tribuens dictatori Spiritui ſancto,quàm quod foris tantum conſpexit in infantulo. Quòd ſi ſecundũ aſpectum iudicaſſet,non hunc in ea humilitate Chriſtũ dixiſſet. Sed quia fidei ſequebatur iudiciũ, confidenter dicere potuit hunc vere eſſe Chriſtũ: vtut inops appareat & humilis. Et hoc quidem nõ fefellit iudiciũ. Fuit ergo

2. Paralipo. 23. Luc. 2.

ergo flatus, qui fidei fuæ lumen extinguere potuisset. Deinde & illud impetus esse potuisset, tam paucis hominibus hũc puerum tanquam Christũ fuisse agnitum, quin soli tantùm viduæ. Hac ratione possem fortè & alia ostendere, quibus Deus fidem Simeonis tentauit & probauit. Omnia in Ezechiæ vehementiora. Simeonem enim tentauit, Deus intentator malorum. At Ezechiæ ipse Satan sese oppositum, & quidem vi, ventorúmque impetus concitans, ea de causa, vt lumen eius extingueret, à fide in desperationem auerteret, & tandem in perditionem præcipitem daret. Multos varióq; impetus experiebatur Ezechias. Principiò nõ leuis, qui adoriebatur, hostis erat, Rex Assyriorũ, illo tempore omnium Regũ facilè princeps. Deinde copiosum secũ habebat exercitum, quem Isaias apum examinibus & motis aquarũ comparat fluctibus, ac virgam diuinæ iræ vocat. Quæ omnia ad indicandam potentiam huius hostis valent. Tertiò, hic ipse minis seuerus, superbus ac pertinax, nẽpe dulci sua patrúmq; suorum fortuna ebrius. Pater decem tribus Israël sibi subegerat. Sennacherib prouincias multas, innumerabilésq; populos debellauerat, omnia refugia omnes munitiones Iuda occuparat, iam Hierusalẽ oppugnaturus. Hîc ergo multorũ fides vacillauit, secũ cogitantiũ: An nõ hæc iræ Dei, nostræque perditionis signa? Vtiq; si benignus nobis esset, hanc à nobis perditionem auerteret, non tantum sæuissimis impij Tyrãni conatibus tribueret. Quin easdem & Ezechiæ subingessit cogitationes. Quid ergo solus tu? Ante solũ maiori curæ Deo putas? Annon alij cõplures in decẽ tribubus Israël iustos fuisse arbitraris? Nec tamen eos vel fides, vel probitas ab Assyrijs custodiuit. Vt ergo illos abiecit Deus, sic te quoque omni auxilio desertum liquet, frustra in eo confidis, ne quicquam speras. Has inquam cogitationũ procellas haud dubiè Ezechias persensit, his Satan extinctã fidem mergere, imò omnes promissiones Dei extirpare radicitus voluit, ne quid speraret, ne quid fideret, ne quid peteret. Fidem contra nos quoque pestifer vtitur machinis. Arma nostra in omni tentatione optima, sunt fides in Deum, & ex fide procedens oratio. De fide enim Ioannes clarè, hoc ipsum esse, quo vincimus mundum. tum de oratione Iosaphat dicit, quãdo quid facere debeamus ignoramus, hoc solũ restat, vt in humilitate mentium nostrarum preces nostras Deo dicamus. His ergo fide & oratione absentibus, actũ est nobiscum. In hoc igitur primum in-

Iacob. 1.

Isai. 7.

Isa. 8.

1. Ioan. 5.

2. Parali. 20.

primum incumbit hostis noster, vt fidem aut imbellē faciat & eneruet, aut penitus tollat. At pereunte fide, perit & oratio. Quomodò enim inuocabunt, in quem non crediderunt? Roma. 10. Hanc verò Satanæ esse cupiditatem, porrò in historia hac Ezechiæ & Sennacherib elucet. Atq; hic demum veri impetunt fluctus, veri insurgūt impetus, adeò vt admirari liceat, quomodò Ezechias lumen suum fidem suam conseruauerit. Nihil enim Sennacherib prætermisit, quod optimū Regem lumine extincto, à fide in Deum auersum in desperationis barathrum præcipitare posset. Id quod primū per legatos, deinde etiam scriptis molitur. Rabsaces impius homo: Hoc ipso Sennacherib aduersum Ezechiam vsus est, qui ea nō solùm quæ mandauerat Rex, verùm etiā ab ipso diabolo subinspirata viget. In quibus Ezechias sperabat & cōsolabatur, ille cōfundebat omnia: nec verbum vllū loquitur, quo non pius Rex veluti malleo tunditur in fide. Primò enim Rabsaces se videndum præbet insolens in eo loco, vbi ab omnibus videri potuit, vt eò magis Ezechiam & suos in terrorē rapere t. Deinde tanto apparatu orationem instituit, vt nō ab homine, sed ab ipso Deo missus credi potuerit. Hæc dicit magnus Assyriorum Rex: Regem nō simpliciter, sed magnum ostentans, ídque ea propter etiam vt in timorem Ezechiam duceret. Tertiò nō iam vi & potentia, verùm etiam dolis vtitur: consulens Ezechiæ ne in se confidat. Et quidē amicè & benevolè loqui eū dixisses. Quæ tua spes? An nescis, inquit, quid sis, si conferaris cum Rege meo Sennacherib? Præsta quod potes, nihil tamen contra Regem meum effeceris. At quidem per se malum non erat, quod admonebat, ne in sua virtute confideret. Minimè enim hoc faciendum vlli hominum. Sed nō hoc agebat legatus: in desperationem inducere Ezechiam volebat. Quartò, omnem illi spem, quam fortè de hominibus suscipere potuit, aufert. Ad hæc etiam fiduciam in Deum surripere conatur, peccatorem & Dei inimicum constituens: & quod in omni vita fecerat optimū, impietatē interpretatur. Postremò se Dei mandato hoc inire certamen asserit. Et vt summatim dicam: Ezechię persuadere laborat, quòd nec ipse sibi auxilio esset, & quòd frustra aliorum speraret auxilia, tum etiam vanè expectaret à Deo præsidia. At quis his verbis nō inducerētur in desperationem? Quid nisi impetus sunt validissimi? Quàm ergo fortem cōstantia esse decet, qui contra hæc omnia niti vult: Sed ad nostram hæc admoni-

admonitionem ſcripta ſunt. Quemadmodum enim Sennacherib, per Rabſacen legatũ ſuum non vi tantùm, ſed & dolis vtitur: ita erga nos quoque Satan. Vnde ſi cui ignotæ artes Sataneæ, ex hac ipſa hiſtoria licebit addiſcere. Leo eſt, & ſerpens. Vi ſimul & dolis vtitur. Fortis eſt, & aſpectu terribilis, ſed nihil niſi quod à Deo ſibi conceſſum eſt, poteſt. Deinde miniſtros ſuos habet, malos homines, malósque ſpiritus, quorum opera pios præcipitare nititur. Tertiò hoc maximè hominibus perſuadere laborat, quòd inimicũ habeas Deum. Et hæc maxima circa fidem tentatio. Hoc enim perſuaſus homo, nihil boni à Deo ſperare audet: nulla recreatur conſolatione, vbique deſperatio. Hoc quærit & cupit Satan, ſiue ad hæc vi, ſiue dolis, ſiue vtatur vtróque. Hoc modo nobis lumen noſtræ extinguit fidei. Solicitè ergo magis laborandum, vt hoc lumen cuſtodiamus & ſeruemus. Ac contra huiuſmodi Sataneæ tela, hoc optimum, vt cum Ezechia obturemus aures noſtras, nec illius ſuggeſtionibus locum demus: ſed ad Deum feſtinemus, huic noſtra negotia committamus, vt idem Ezechias. Ante omnia autem, vt cum Simeone Chriſtum apprehendamus. Huic adhærentes, nihil in nobis poteſtatis habebit malignus ſpiritus, tentet, licèt, omnémq; moueat lapidem, ac ipſa etiam peccata noſtra repetens, Dei iram inculcet. Ille enim abſtulit peccata noſtra, nóſque reconciliauit Deo. Meritò ergo cum Simeone lætamur & exultamus, hunc non ſuperſtites vidiſſe diem, in quo Deus Pater talem demiſit Saluatorem. Præſtet igitur in nobis diuina gratia, vt hoc Saluatore piè vtentes cum Simeone æternam percipiamus ſalutem, Amen.

DE SANCTO MATTHIA APOSTOLO, EVANGELIVM MATTH. XI.

IN illo tẽpore reſpõdens Ieſus, dixit: Cõfiteor tibi pater Domine cœli & terræ, quia abſcõdiſti hæc à ſapiẽtibus & prudẽtibus, & reuelaſti ea paruulis. Ita Pater, quoniã ſic placitũ fuit ante te. Oía mihi tradita ſunt à Patre meo. Et nemo nouit Filiũ, niſi Pater: neque Patrẽ nouit qs niſi

Filius, &

Filius, & cui voluerit Filius reuelare. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis: & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, & discite à me quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiē animabus vestris. Iugū enim meum suaue est, & onus meum leue.

EODEM FESTO EPISTOLA
ACTO. I.

IN diebus illis exurgens Petrus in medio fratrum dixit: (erat autem turba hominum simul ferè centum viginti) Viri fratres, oportet impleri Scripturā quā prædixit Spiritus sanctus per os Dauid, de Iuda, qui dux fuit eorū, qui cōprehenderunt Iesum, qui connumeratus erat in nobis: & sortitus erat sortē ministerij huius. Et hic quidem possedit agrū de mercede iniquitatis, & suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera eius. Et notum factum est omnibus habitantibus Hierosolymis, vt appellaretur ager ille, lingua eorum, Haceldema, hoc est ager sanguinis. Scriptū est enim in libro Psalmorū: Fiat cōmoratio eorū deserta, & non sit qui inhabitet in ea. Et Episcopatū eius accipiat alter. Oportet ergo ex his qui nobiscum sunt, cōgregati in omni tēpore, quo intrauit & exiuit inter nos Dominus Iesus, incipiēs à baptismate Ioannis vsq; ad diem, qua assumptus est à nobis, testem resurrectionis eius nobiscū fieri vnū ex istis. Et statuerunt duos, Ioseph qui vocatur Barsabas, qui cognominatus est Iustus, & Matthiam. Et orantes dixerūt: Tu Domine qui corda nosti omniū, ostēde quem elegeris ex his duobus vnum, accipere locum ministerij huius & Apostolatus, de quo præuaricatus est Iudas, vt abiret in locum suum. Et dederunt sortes eis, & cecidit sors super Matthiam, & annumeratus est cum vndecim Apostolis.

De Sancto Matthia Primus sermo. Habet collationem Euangelij & Epistolæ, deinde annexam sancti Matthiæ Historiam.

NON incongruè factum reor: vt hoc festo in Ecclesiā de electione Matthiæ historia huiuscemodi consequatur Euangelium. In ea enim historia, quam Epistolæ vice legimus, Matthias nobis exhibetur Apostolus. Primùm tan-

tanquàm discipulus Christi, deindè etiam vt Apostolus eiusdem. Tum etiam, quod reliquum est de vitæ illius historia, ostendit martyrem seu testem fuisse Christi: talis omninò testis, qui pro Christi testimonio sanguinem suum non dubitauerit effundere. In quibus tribus nostra omnis constat perfectio. Altius enim, quamdiu hîc repetamus, non datur ascendere. Beatum planè, discipulum Christi esse: beatius, discipulum & Apostolum: beatissimum verò, & discipulum & Apostolum & martyrem esse. Talis ergo Matthias erat: in his tribus ille nobis proponitur hodie, eáque omnia de eo ostendi & testificari possunt. Quod enim ab exordio discipulus fuerit, Petrus ostendit, cùm ait Iudam ab Apostolatu præuaricatum fuisse, ideóque alium eligẽdum, sed ex ijs viris, qui cum Christo fuissent à baptismate Ioannis: vsque dum assumptus esset in cœlum. Hæc ergo clarissimè testantur, Matthiam ab initio fuisse *discipulum* Christi, eiuscemodi enim non alium Petrus in Iudæ locum subrogari voluit. Nec immeritò. Quia enim Apostoli constituti erant: vt testificarentur de omnibus quæ Christus in terris loquutus esset, feciséque. (Et vos testes mei eritis in Iudæa, & in Hierusalem: vsque ad vltimum terræ.) Ideò necessum erat ab initio illi adfuissent. Necesse enim est, testis certò sciat ea quæ testatur, talísque omninò sit, qui minimè possit reijci, qui iustus & æqui boníque amicus sit. Quæ omnia indicãt, iam non nouum Matthiã Christi fuisse discipulum, sed iam tum ab initio cum alijs Domini discipulis & Apostolis conuersatum. Quòd verò Apostolus, ipsa ostẽdit electio, magna deuotione per Apostolos cæterósque discipulos facta. Tum vitæ suæ historia testatur fuisse & martyrem, eiusmodi qui non verbis solùm verùmetiam sanguine suo Christo testimonium perhibuerit. Tria quibus vtiliter quilibet Christianus occupari possit hodie. Danda profectò opera, vt vel infimum gradum tantùm, si nõ datur vltrà, attingamus: & si nõ Apostolus, si nõ martyr, genuinus tamen Christi Domini sit discipulus. In hoc, inquam, quisque fidelis incumbat quàm poterit diligentissimè vt is sit verè, qui dicitur, verus discipulus Christi. Quòd si necdum es, fac sis. Non enim hæc vita nostra perfecta iustitia est, sed magis quotidiana iustificatio & ad veram iustitiam conatus quidam. Non ipsa perfectio, sed perfectionis labor & studium. Id quod Paulus de seipso testa-

tur

tur: Nondum, inquit, fratres, me assequutũ arbitror. Vnum autem illud ago, ea quæ à tergo sunt, obliuiscens: ad ea verò, quæ à fronte sunt, extendens. Hæc ergo diligentia, hic conatus in omnibus nobis conspicuus considerari debet: ridiculum aliàs Christianum dici, & vel Christi doctrinam nescire, aut illi ipsi doctrinæ vita repugnare. Nemo enim est, quem non puderet vel Platonis, vel Mosi dicier discipulum, & ea ignorare quæ vel Plato vel Moses scripserint, multóque minus iis reluctari vita. Si ergo tanto nisu mundi huius filij perquirunt Sapientum illius gentis scripta & paradoxa, quæ sæpenumero stultitia sunt coram Deo: si tanta pertinacia Iudæi Mosi legi inhærent, quæ tamen vmbra tantùm futurorum erat: quid nobis faciendum, qui in luce & veritate ipsa sumus? Sed tria sunt quæ rectè discipulum Christi deceant: Christum nosse, huius mandata implere, eáque ipsa alios docere. Quæ tria etiam in Dauid videmus, cùm dicit: Occulta & abscondita Sapientiæ tuæ manifestasti mihi. Deindè: Domine doce me facere voluntatem tuam. Et iterum: Viam mandatorum tuorum cucurri. Tertiò: Domine labia mea aperies, & os meum annũciabit laudem tuam. Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur. Primùm dixi, Christianum decere agnitionem Dei & Christi Iesu: & hæc quidem agnitio non solùm initium, verumetiam finis est, & perfectio nostræ Religionis, ipso Christo attestante: Hæc est vita æterna, vt agnoscant te solum, & quem misisti Iesum Christum. Sic enim in Hieremia etiam loquitur Deus: Non glorietur sapiens in sapientia sua, & non glorietur fortis in fortitudine sua, & non glorietur dives in diuitiis suis: sed in hoc glorietur qui gloriatur, scire & nosse me, quia ego Dominus, qui facio misericordiam & iudicium & iustitiam in terra. Iam verò Deum nemo nisi in & per Filium agnouerit. Quemadmodùm ipse Christus ait: Nemo nouit Patrem nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare. Et: Pater, manifestaui nomen tuum hominibus. Et iterum: Qui videt me, videt & Patrem meum: quia ego in Patre, & Pater in me est. Nemo Deum vidit vnquàm: Vnigenitus nobis manifestauit. Hinc ergo Christus facies Dei dicitur Vt Dauid: Ostende nobis faciem tuam, id est, Christum promissum, & salui erimus. Hac ipsa ratione & Paulus Christum splendorem gloriæ, & expressam imaginem

Philip.3.
Hebr.10.
Psal.50.
Psal.42.
Psal.118.
Psal.50.
Ioan.17.
Hier.5.
Matth.11.
Ioan.7.
Ioan.14.
Ioan.1.
Psal.79.
Hebr.1.

substantiæ Dei nominat. Qui ergo Deum videre & agnoscere vult, ad Christum properet. At nostris temporibus non nisi per verbum suum agnoscitur Christus: nec verbum intelligimus nisi per Spiritumsanctum. Ideóque
Ioan.16. discipulis suis dicit: Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò: Paraclêtus autem Spiritussanctus quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit
Zech.36. omnia. Et hoc quidem Deus in veteri Testamento pro-
Hier.31. miserat, quod constituto tempore Spiritum suum velit effundere super omnem carnem, vt se agnoscerent à minimo vsque ad maximum, & omnes essent à Deo docti. Hæc ergo agnitio fides nostra est, qua dicimus, Credo in Deum patrem, & in Iesum Christum, & in Spiritumsanctum. Hæc fides nostra fundamentum salutis nostrę est. Quomodò enim inuocabimus Deum, in quem non credimus? Et
Rom.10. hoc quidem primum, quod discipulum Christi deceat. Secundum, Christi mandata implere seu obseruare. Sic enim
1.Ioan.1. Ioannes ait: Si dixerimus quòd societatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur, & veritatem non facimus. Quòd si in luce ambulamus, sicut ipse in luce
1.Ioan.2. est, societatem habemus. Et per hoc scimus quòd cognouimus Deum, si mandata eius obseruamus. Et mox: Qui
1.Ioan.3. dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. Et iterum: Omnis qui peccat (puta pertinaciter) non vidit eum, nec cognouit eum. Et Christus ipse:
Ioan.15. Luc.6. Vos amici mei eritis, si feceritis quæ præcipio vobis. Et rursus ad quosdam: Quid me dicitis Domine Domine, & non facitis ea quæ dico vobis? Vides ergo his similibúsque dictis, quòd non sufficiat in Christi discipulo, Christum agnoscat, verumetiam vt illius obseruet iussa. Et hoc quidem secundum. Tertium quod Domini Iesu discipulum decet, est, vt alios etiam doceat, ad Christum pertrahat, si
Eccle.17. non verbis, tamen factis, vitæque piæ exemplo. Nam Deus de proximi cura præcepit, tum ipse Christus tanta hominibus contulit suæ gratiæ dona, vt nos ea faciamus proximis simul & nobis salutaria, communicemus inter fratres, quoadusque succrescamus omnes in virum perfectum in Chri
2.Cor.12. sto. Horum ergo in Matthia exemplum habemus propositum. Hic eiusmodi Christi fuit discipulus: agnouit Chri-
Ephes.4. stum, sequutus est Christum, alios etiam verbo, exemplo, doctrina & vita ad Christum pertraxit. Sed Matthias non

solùm dici-

solùm discipulus, verumetiam Apostolus Christi fuit. At hîc rursus duo consideranda nobis sunt. Primò, quòd non ab homine, sed à Deo in Apostolatum vocatus & selectus est. Petrus quidem curat negotium sedulò, conuocat credentium multitudinem, admonet Iudæ prævaricationis misertimæ, quòd desciscens ab Apostolis, cum Christi hostibus fœdus inierit, factus dux eorum qui comprehenderunt Iesum, at demùm infœliciſsima morte perierit: sed tamen addit hæc omnia olim per Prophetam Dauid vaticinata esse: nec id solùm, sed etiam quòd alius proditoris locum & Apostolatũ accepturus esset. Hortatur ergo omnes, vt aliquos ex omnibus, quos dignos huic muneri, de quo prævaricator exciderat, arbitrarentur, in medium statuerent. Sed eiusmodi volebat Petrus, vti suprà etiam me dixisse memini, qui ab initio cum Christo ad finẽ vsque perseueraſſet, vt eò melius & rectiùs de Christo testificari posſit. Tantũ ergo Petrus in hoc confecit negotio: non pro suo capru, quem eligere volebat, tum nec alij id audebant: duos quidem quos omnium iudicia ad hoc idoneos iudicarãt, in medium adducunt & statuunt: sed neutrum edicebant Apostolum, soli Deo relinquentes iudicium. Tu Domine, inquit os eorum, qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus vnum accipere locum ministerij huius & Apostolatus, de quo prævaricatus est Iudas, vt abiret in locum suum. Hac præmiſſa oratione miserunt sortes super eos, certi hunc velit Deus, quem sors missa tangeret: & cecidit sors super Matthiam, qui ab illa hora vndecim annumerabatur, vt quem Deus certò in Apostolatum elegisset. Vnde etiam hic ipse Matthias verè dicere potuit cum Paulo Apostolum se Iesu Christi, non per hominem neque ab homine, sed per Iesum Christum Deum & patrem huc vocatum. Hoc ergo primum quod in Matthia considerandum venit. Secundum, quòd non solùm ab omni hac multitudine credentium dignus Apostolatui iudicatur, verumetiam quòd Ioseph illi præfertur, qui ab omnibus dicebatur Iustus. Id quod peculiaris laus in Matthia est, quòd non tantùm omnibus, sed etiam præcipuo nomine & re iusto præferebatur. Quanquàm & aliud quid significatum esse posit per hoc ipsum. Non enim Deus secundum exteriorem hominẽ iudicat, vt solent homines. Non sunt illius cogitationes, hominum opiniones, sed quod mundus quasi igno-

Act. 1. *Psal. 117.* *Act. 1.* *Galat. 1.* *Act. 1.* *Ioan. 8.* *Isai. 55.*

2.Cor.2. bile arbitratur, Deus eligit, & confundit quæ coram illo fortia sunt. Ad hæc vtriusque nomen suam propriam habet significationem. Matthias enim quasi donum Dei est: hic ergo meritò præfertur illi, qui ab hominibus reputatur iustus. Qui enim Dei gratiam & dona agnoscit & confitetur, Apostolica functione dignus. Neque tamen Matthias de hoc superbiebat, quòd præferebatur Iusto. Tum nec indignatur iustus, quòd electus non sit. Vtérque enim Dei voluntatem nouerat. Quę omnia in admirationem inducent nos, deindè etiam ad Dei laudem accendent, Matth.11. vt simul dicamus ex Euangelio hodierno cum Christo: Confiteor tibi Pater, Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus & reuelasti ea paruulis. Ita pater, quoniam sic placitum fuit ante te. Secundò, etiam ad peculiarem amorem & affectum incitabimur erga Matthiam, si in eum oculos & cogitationem, non vt in discipulum solùm, sed vt in Apostolum etiam direxerimus. Id quod multò magis est, quàm solùm discipulum esse Christi. Fuerunt quidem Apostoli Domini homines, non ex omni parte beati, quemadmodùm in Euan-
Matth.8. & 20. gelijs videre est, sed priusquàm in Apostolico munere essent confirmati. Sed posteà etiam plus quàm homines, cum potentibus auderent dicere: Oportet Deo magis obedi-
Act.5. re quàm hominibus: & cùm gauderent quòd digni habiti essent, pro nomine Iesu Christi contumelia affici: hoc enim præstare humanas vires excellit. Sunt ergo quantùm ad seipsos, homines, quantùm ad Dei dona, plus quàm homines. Et hoc quidem vtrúnque in illis cogitãdum est. Eo modo enim perspicuum fiet, quid nos erga eos deceat. Paulus
Rom.13. enim dicit: Cui honorem, honorem. Sunt igitur gratiæ agendæ Deo, quòd sese tam mirabilem in suis exhibeat: deindè Apostoli etiam honore digni sunt, vt Dei amici, quod sese tam citò, tam perseueranter Deo submiserunt, ac permanserunt. Nihilominùs tamen semper cum Dauide dicen-
Psal.88. dum est: Quis in nubibus æquabitur Domino? Magni quidem Apostoli sunt, sed ineffabiliter maior est qui hos sanctificauit, & fecit Apostolos. Non ergo minus gratum est quod Deus per sanctos suos nobis largitur, quàm quod per seipsum donat: ita tamen vt illi omnis tribuatur honos. Vide indignum est, prescribere Deo metam, & quodammodò cogere illum, vt omnia per semetipsum largiatur sine vllo

medio.

medio. Hac indignitate & insolentia inuenias nonnullos, qui Dei voluntatem ex Dei verbo, vel Christi Euangelio nolint addiscere: quasi necessariò Deus per nouas significationes & apparitiones doceat. Eadem contumacia quidam etiam Sacramenta respuunt, rati cogi Deum, suam gratiam cuilibet nullo medio elargiatur. Sic, inquam, inuenias qui nolint per sanctos à Deo porrecta suscipere, daturus nimirum Deus quasi coactus, per se sit omnia: cùm certum sit, quòd multa iam indè ab origine per sanctos suos, non modò hîc viuos, verumetiam terra defunctos & dederit & fecerit. Quemadmodùm in Helisæo videre est, non modò per viuum adhuc illum mirabilis, verumetiam per iam defuncti corpus, emortuum hominem resuscitans. Quicquid autem illo tempore potuit Deus, idipsum poterit & nostro. Contumacia ergo est Deo præscribere leges suorum operum, quibus modis largiri & facere debeat omnia. Nobis nullius medij tenendi cura est: aut enim nimium in idololatriam, aut ad indignam declinamus insolentiam. Hoc dignum nobis medium, Deum reuereri vt Deum, Apostolos verò aliósque sanctos vt seruos, amicos & filios Dei. Et hæc de Apostolica functione Matthiæ dicta sint. Sed quid hinc colligendum sit, quòd non solùm discipulus & Apostolus, verumetiam martyr Christi fuerit, ob Christi nomen mortem passus sit, breuiter Paulus docet: Cùm tanta septi simus nube testium, qui per fidem operati sunt magna, magna per fidem perpessi sunt: ideò per tolerantiam curramus in proposito nobis certamine, ne fatigemini, animis defecti. Nondùm enim vsque ad sanguinem restitistis. Hoc ergo ex tertia hac parte discendum est, nempè tollerantiam in persequutione, cruce, & aduersitate præstare, recogitantes non solùm Sanctos Dei, sed & Christum ipsum multa magnáque perpessum, & quòd Scriptura tantùm vbíque cõsolationis porrigat, tum etiam ipsam vitam æternam promittat. Quemadmodùm ipse Saluator ait: Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati & vos, cùm maledixerint vobis homines propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Hæc igitur hodie cogitemus sedulò, sic non inutiliter hæc festa dies transacta fuerit. Deus Optimus Maximus suam nobis elargiatur gratiam, Amen.

4. Reg. 2. 3. 4. 5. & 6. 4. Reg. 13. Hebr. 12. Matth. 5.

SECVNDVS SERMO docet Euangelij in hanc festam diē vsum.

Eccles.1. SAlomon ille sapiens de seipso loquens testatur, seipsum Regem in Hierusalem aliquando in animo suo proposuisse, sapienter quærere & inuestigare de omnibus quæ sub sole fiunt, si fortè boni & stabili quid posset inuenire, sed fatetur nihil esse sub sole firmum, sed vniuersa esse vanitatem, ideóque in ijs minimè confidendum esse. Neque etiam propterea creaturas factas à Deo: vt in eas spem suam poneret homo, maiora his promittit, nempè, quòd seipsum nobis daturꝰ sit, qui est summum bonum. Et hinc minimè miramur Apostolos nostros tam innumeros alios tam promptè reliquisse & neglexisse omnia, omnem fiduciam & spem in vnum posuisse Christum. In quorum numero non infimus Matthias noster, cui hanc diem festam peragimus. De quo præcedenti sermone dixi, quo modo in Ecclesia nobis proponatur, nempè discipulus, Apostolus, & martyr Christi, nec subticui, qua via huiusmodi exemplum nostræ vtilitati possit inseruire. Id iam rursus hodiernum Euangelium nos docet, nempè vt primū omnium patrem Deū cū Christo cōfiteamur, qui abscōdit hæc à sapiētibus, & reuelauit ea paruulis. Posteà perscrutemur qua via ad nos etiam hanc gratiam inferre possimus. De primo dictū est, nunc, quod reliquum est audiamus. Hodiernum Euangelium demōstrabit viam, ipsísque adeò postremis illius verbis: vbi Christus ait. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, ego reficiam vos. His verbis vult: vt se accedamus Christus, iugum suum in nos suscipiamus, & à se discamus, ídque facientibus promittit requiem animarū, imò ex seipso refectionem. Et hæc quidem verissima media, quibus consequetur gratia. Ea ergo ex ordine audiamus. Et primò quidem, quando certissimus mentis index sermo cuiúsque est, quilibet ex primo dicto facilè intelliget, quæ fuerit in Christo de nostra miseria & ægestate condolescentia siue commiseratio, quæ satis declarauit in his verbis, laboratis, & onerati estis, ita vt ad laborem quæ extrinsecus, ad onus quæ intrinsecus in conscientia nos premunt, referantur. Laborare enim in sacris scripturis sæpenumerò anxium & solicitudine pressum, mœrore affectū esse significat, sicut in Isaia de Christo legimꝰ, laborauit, id est, tristitia, anxietate pressus est, iutellige in passiōe sua,

cùm sit

cùm ait. Tristis est anima mea vsque ad mortem. Id quod sa- *Matth.26.*
tis in sanguineo sudore, tum etiam in valido illo clamore de *Luc.22.*
monstratum est. Hîc ergo labor, de quo Isaias loquebatur. Sic & Dauid de seipso, laboraui clamans, id est, anxius fui.

Sic ergo per laborem, quicquid extrinsecus premit & grauat, intellige, siue illud paupertas, infirmitas, siue senectus, siue inimicitia, siue persecutio, & mundi dolus, siue etiã ira, inuidia, anaritia, siue inordinatus amor: vel vlciscendi libido. In summa, quicquid huiusce modi est, hominem extrinsecus grauans, sub hoc laboris vocabulo comprehẽditur. At per onus, quicquid conscientiam deprimit, intelligimus. Et hîc quidem primùm lex intelligitur, quę hominum animos grauat, maledicto, in non obseruantes legem, edicto. Secun- *Deut.27.*
dò etiam hîc peccata intelliguntur, de quibus Dauid, quòd *Psal.37.*
sicut graue onus super se grauatæ sint, conqueritur. Vtróque nos liberare potest Christus & labore & onere, quicquid interuè externè grauat. Ideò etiam omnes ad se vocat, excipit neminem, respuit neminem, nulla differẽtia vel viri vel fœminæ, iuuenis senis, diuitis pauperis, &c. Non est enim accep- *Act.10.*
tatio personarum apud Deũ: venite omnes quotquot qua. lésne estis, quicquid vos vel in anima vel in corpore grauat. Si sanitatem petitis, ad me medicum properate. Atque hoc dicto omnem à nobis pusillanimitatem adimit. Quia enim *Matth.11.*
paulò antè dixerat. Omnia mihi tradita sunt à patre meo, timere sibi quis à tanta maiestate potuisset, & humanũ quid cogitare, fore eum mundi huius potestatibus similẽ, quæ potentia turgidæ, neminem deterioris sortis agnoscunt. Non ea mihi mens est, inquit Christus: Omnes ad me venite, quã acceptam à patre potestatem possideo, commodis non incommodis vestris seruiet. Quò enim maiora à patre accepi, eò plus prodesse vobis potis sum.

Deindè etiã ideò omnes ad se vocat, quòd nemo mortalium quin aliquo prematur grauamine. Homo enim, in- *Iob 14.*
quit Iob, natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miserijs. Pressi ergo omnes & egentes, auxilium desiderator ab omnibus, ergo igitur Christus dicit. Venite ad me omnes. Sit igitur hoc primum, quod ex Christi verbis colligimus. Non tamen hoc satis, nec in hoc sistit pedem Christus, addit insuper. Tollite iugum meum super vos, per iugum quo boues colligantur, seruitutem scriptura intelligit. Sic enim ad Israẽlem Moses. Si non feceris quæ scri- *Deut.28.*

pta sunt in lege hac, imponet tibi Dominus iugum ferreū. Aperit deinde quale iugum intellexerit. Inimicis tuis, inquiens, seruies. Sic etiam decem tribus Israël ad Roboam.
2. Reg. 12. Pater tuus graui nos iugo onerauit, hoc est graui seruitute
Hier. 27. subegit nos. Sic & Hieremias fore testatur: vt omne regnū collum suum sub iugum Regis Babylon incuruet.

Eo modo & Christus hîc loquitur. Tollite iugum meum super vos seruite mihi, in meam vos seruitutem subdite. Me Dominum agnoscite vestrum, suscipite doctrinam meam, facite, quod mando. Et hoc secūdum est, quod à nobis Christus exigit. Non enim satis est in afflictione eum quærere,
Matth. 11. nisi etiam sub iugum illius submittamus nos, si modo requiem animabus nostris perimus. Sed ne quis à nomine illo, iugo, abhorreat, mox addit, iugum meum suaue est, & onus meum leue. Quasi diceret. Grauis quidem omnis seruitus est, nec minus homini contraria, quàm bobus suum iugum est, sed non huiusmodi meum iugum, quòd omninò leue est. Non est ergo, quòd ab illo abhorreatis. Et quidem dictis his adest veritas. Cuicúnque enim creaturæ te seruum dedas, laboris vbique inuenies plurimum, consolationis & vtilitatis parum. Id ergo non difficilè exemplis comprobatur. Primùm. Quantùm laboris, solicitudinis, nonnunquàm etiam periculi postuletur, si hominibus inseruias, nulli, opinor, incognitum erit, aliquando frustrà, ne dicam, indignationem mereri quicquid impendas hominibus.

Communi etenim Prouerbio dicitur. Heroēs magna polliceri, in paucis stare promissis, quod agas, si seruias, habe-
Isai. 30. bis plurimum, mercedis propè nihil. Tum etiam sacra scriptura dicit, Aegyptus homo, non Deus est, hoc est, potestas mundi vana, incerta & mendax est. Proprereà & Dauid mo-
Psal. 145. net. Nolite cōfidere in Principibus, in filijs hominum. Non hîc dicam homines, nōnunquàm etiam Principes, malè pro benefactis respondere, id quod plurimis exemplis ex scripturæ & mundi historijs ostendi posset. Sed sit, homines agnoscant officia tua, magna dictis factis præstent, quid,
Isai. 30. si cuncta elargiantur, tribuunt? Equi eorum, inquit, Isaias, caro sunt, non spiritus, hoc est, auxilia, mercésque eorum parua aut nulla sunt. Quòd si tantum laboris postulatur vt homini in externis famuleris, quantum putas requiri, si homini contra tuam ipsius conscientiam, hoc est, in huiusmodi rebus obsequaris, quibus Deum offendas, & conscientiam tuam

etiam tuam lædas? Quin nec in externis homines sæpè nos possunt adiutare: velint licèt maximè. Quid ergo in ijs quæ spiritus sunt, adiutare, & largiri possunt? Agè ergo, non sine causa Christus clamat. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis. Non meum laboriosum iugum est, sed nihil eò minus summum fructum adfert, inuenietis requiem animabus vestris, inquit. Ille enim verè tutus & quietus viuit, qui se Domino tradidit, quemadmodùm id Dauid nonagesimo Psalmo latiùs refert. Sed Christus Rex est Dei regni. Quoniam illi Deus omne iudicium dedit, & potestatem omnis carnis: vt in Ioanne, imò etiam omnem potestatem in cœlo & in terrâ. Hinc ergo est, quòd Prophetæ tam multa, tam præclara de magna pace, securitate, & lætitia eorum qui Christi regni consortes futuri essent, prædixerunt. De quo lege Itai. 32. Hiere. 33. Mich. 4. Et hæc dicta sint de hominum principúmque seruitute. Aliud nunc affe ramus exemplum, de peccati seruitute. Nunquid non grauissimum, & propè importabile iugum, auaritiæ seruire? Illa eiuscemodi tyrannis est: vt nunquàm sibi subactos permittat quiescere, semper alia alijs grauiora imponat. Et quis fructus, si diu auaritiæ famuleris? Nullus omninò. Nam vt dicimus. Non minor est virtus, quàm quærere, parta tueri, sic etiam dicere ausim. Non minor est labor, quàm quærere, parta tueri. Taceo interim, quòd crescat amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit. Non pax, nec requies rebus confertur opimis. Contrà autem Christus promittit suum iugum suscipientes, inuenturos requiem animabus nostris. Deo enim seruiens, & hunc sibi vicinum habens, diues satis est, abundat omnibus, etiamsi nihil externum possideat. Inquirentes Dominum, inquit Dauid, non deficient omni bono. Id confirmans Paulus, de se aliisque credentibus dicit. Tanquàm nihil habentes, & omnia possidentes: quasi pauperes, multos tamen ditantes, putà se sequentes & credentes. Quòd autem de auaris & Mammonæ seruientibus dixi, de ijs intelligi etiam volo, qui vel superbiæ: vel voluptati seruiunt. Pluribus & maioribus occupantur oneribus, quàm si in Dei perstiterent seruitute, nec quicquàm mercedis, nonnunquàm & æternam hinc reportant ignominiam. Aliud adhuc exemplum videamus, de lege, quę ipsa etiam grauissimum iugũ, & eiusmodi planè: vt ipse Petrus ad fidei consortes diceret, nec se, nec patres suos le-

Matth. 11.

Ioan. 5.

Ioan. 17.

Matth. 28.

Psal. 33.

2. Cor. 6.

Act. 15.

gis iugum potuisse portare. Et cùm graue onus lex esset, parum commodi contulit sibi subiectis. At studio dico, sibi subiectis. Nam alioqui seruantibus mandata Dei vitam pol
Matth.19. licetur Christus. Magna differentia est, seruare legem, & legi subiectum esse. Seruat legem qui sponte & spiritu legem implet, subiectus legi est, qui tædio & nausea, imò solo timore pœnæ, aut spe mercedis vel facit: vel omittit edicta legis. Eiusmodi verò qui seruus tantùm est, non venit in con
Ioan.8. sortium hæreditatis cum liberis. Id quod ipse Christus ait. Seruus non manet in domo in æternum, filius autem manet. Hinc ergo: vt arbitror, quilibet videre potest, omnem seruitutem laboriosam esse, non autem fructiferam, sola Christi seruitute excepta. Propterea dicit. Venite ad me omnes, &, Meum iugum super vos tollite, ibi inuenietis requiem animabus vestris. Meum enim iugum suaue est, & onus meum leue. Sed vide quid addat. Discite à me: quia mitis sum & humilis corde. Hoc Christi exemplum ante omnia suscipiendum est ad robur fidei nostræ. Quia enim mitis & humilis corde est, audentiùs timore sepulto acce-
Zach.9. demus eum. Vnde & Zacharias in magnum consolationis argumentum: venturum dicit mansuetum, pauperem, & humilem. Deindè etiam hoc Christi exemplum sequemur ad imitationem. Mansuetudo enim & humilitas, plurimum ad pacem & quietem faciunt: vnde etiam Christus mox addit: quasi vbi hæc à se didicerimus, inuenturos requiem animabus nostris. Mitis enim mens omnis tranquillitatis fons est, sicut contrà animus contumax & sæuiens fons est omnis perturbationis. Non ergo Christus immeritò dicit. Discite à me quia mitis sum & humilis corde: quasi dicat. Ecce ego Dei soboles indubitata: vt ex me facta testantur miracula: vnde meus omnis honos, nec tamen vel honorem: vel rerum copias quæro, persisto mansuetus, neminem contemno: vtut ille humilis & abiectus sit. Adde, licèt plurimam ignominiam & iniquas contumelias ab hominibus perferam, non tamen malum malo rependo, non talionem reddo, sed omnia iusto committo iudici, qui
1.Petr.2. bonis bona, iniquis reddet pro meritis mala. Huic omnia dedo, hoc solùm ago: vt omnibus benefaciam, neminem lædam. Hæc si vos ex me didiceritis, si in hoc meum exẽplum sequuti fueritis, requiem comparabitis animabus vestris. Hæc Christus his verbis exigit, nempè Deo omnia commitra-

mittamus,omnem curam noſtram in illum reiiciamus, & cum Paulo per arma iuſtitiæ à dextra & à ſiniſtra,per honores & opprobria pergamus,ad ea quæ ante nos ſunt tantùm cogitantes.Hæc facientes requiem animarum noſtrarũ adipiſcuros.Summa:Si nos Chriſto in ſuam ſeruitutem ſubmiſerimus, requiem inuenietis conſcientiarũ,eius exemplum in manſuetudine & mentis humilitate ſequentes, externa etiam magis gaudemus pace. Hic cardo rei vertitur,vt ad exemplum Matthiæ ad Chriſtum properemus, eius in nos ſuſcipientes iugum,ipſum ſequamur.Id ergo in nobis præſtet Deus Opt.Max.Amen. 2.Cor.6. Philip.3.

IN DIE ANNVNTIATIONIS MARIAE EVANGELIVM.

LVCAE 1.

IN mẽſe autem ſexto miſſus Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galileæ,cui nomen Nazaret,ad virginem deſponſatam viro cui nomẽ Ioſeph,de domo Dauid,& nomen virginis Maria. Et ingreſſus angelus ad eã,dixit: Aue gratia plena, Dominus tecũ.benedicta tu inter mulieres. Quæ cùm audiſſet,turbata eſt in ſermone angeli,& cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio. Et ait angelus ei:Ne timeas Maria,inueniſti enim gratiam apud Deum.Ecce concipies in vtero,& paries filium,& vocabis nomen eius Ieſum:hic erit magnus,& filius Altiſsimi vocabitur.Et dabit illi Dominus Deus ſedem patris eius Dauid,& regnabit in æternum,& regni eius nõ erit finis. Dixit autem Maria ad angelum Quomodo fiet iſtud:quoniam virum non cognoſco?Et reſpondens angelus dixit:Spiritusſanctus ſuperueniet in te,& virtus Altiſsimi obumbrabit tibi,ideóque quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei.Et ecce Elizabet cognata tua,& ipſa

cõcepit filiũ in ſenectute ſua,& hic mẽſis,ſextus eſt illi,quæ vocatur ſterilis,quia non erit impoſſibile apud Deum omne verbum. Dixit autẽ Maria: Ecce ancilla Domini,fiat mihi ſecundũ verbum tuum,& diſceſsit ab ea angelus.

EODEM FESTO EPISTOLA, ISAIAE VII.

ET *adiecit* Dominus *loqui ad* Achaz *dicens*: Pete *tibi ſignum à* Domino Deo *tuo in profundũ inferni,ſine in excelſum ſupra*. Et *dixit* Achaz: Non *petam, & non tentabo* Dominum. Et *dixit*: Audite *ergo domus* Dauid: Nunquid *parum vobis eſt moleſtos eſſe hominibus:quia moleſti eſtis & Deo meo? Propter hoc dabit* Dominus *vobis ſignum*: Ecce *virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius* Emanuel. Butyrum *& mel comedet:vt ſciat reprobare malum & eligere bonum.*

PRIMVS SERMO.

4.Reg.7. HAEC dies boni nuntij eſt,ſi tacuerimus & noluerimus nũtiare,ſceleris arguemur. Non incommodè his verbis hodie ínque hoc Euãgeliũ vtemur. Verè enim hodie illa dies eſt, qua nobis omnium lætiſsimum annuntiatum eſt gaudium. Primò quidem Mariæ virgini beatiſsimæ, poſt etiam nobis,omnibúsque mortalibus. Et quod magis,eiuſmodi nuntium è cœlis per angelum Gabrielem nobis allatum eſt. Sic S. Lucas refert: Miſſus eſt angelus Gabriel à Deo in ciuitatẽ Galileæ,cui nomen Nazaret,ad virginẽ deſponſatam viro cui nomen Ioſeph,de domo Dauid,& nomẽ virginis Maria. Ingreſſus autem ad eam angelus dixit: Aue gratia plena,Dominus tecum,benedicta tu in mulieribus. Ecce qualis iſthęc ſalutatio ſit,cui ſimilis nullis vnquã audita fuit ſæculis. De nobis Scriptura dicit: Eramus omnes filij iræ. Nunc autem ad Mariam angelus,quòd gratiam inuenerit apud Deum teſtatur,quèd ſit gratia plena;Deóque omnium gratiſsima. De nobis dictum eſt: Peccata veſtra diuiſerũt inter vos & Deum. hîc autem ad virginem dicitur, Dominus tecum. De nobis dicitur: Maledictus omnis qui non permanet in omnibus mandatis huius legis. Hîc autẽ ad virginem dicitur,

Luc.1.

Ephe.2.

Iſai.59.

dicitur,quod inter omnes sit benedicta mulieres. Ante hæc tempora dicebatur ad Dominũ: Terribilis es,& quis resistet tibi? Propterea nõ solùm Adam præuaricator timuit cũ dixit: Domine audiui auditũ tuũ & timui: sed etiam pij quique sibi à Deo timuerunt, vt Iob ait: Aufer Domine manum brachij tui à me,& ne timor tuus terreat me. Et Dauid: Domine,ne in furore tuo arguas me,neq; in ira tua corripias me. Hodie autem virgini dicitur: Ne timeas. Annon hoc gaudij plenum nuntium? Quid fœlix illa virgo optare potuisset votis melius,quid petere beatius? Sed dicis: Audio quidem,hãc mirabilẽ & intellectum excellẽtem humanũ fuisse salutationem,atq; huiusmodi personam,cui hæc cœlitus venit salutatio,meritò laudãdam & ab omnibus beatã prædicandam iudico. Sed qua in re me eadem consolatur,aut quid cõmodi mihi affert? Perge ergo,in Christo frater,& lege consequentia: inuenies haud dubiè tuas etiam res agi,nec solùm tuas, verùm etiam mortalium omnium. Quæris qui sic? Ecce,inquit,concipies in vtero & paries filium,& vocabis nomen eius Iesus. Hic erit magnus,& filius Altissimi vocabitur,& dabit illi Dominus Deus sedem patris eius Dauid,& regnabit in domo Iacob in æternũ,& regni eius nõ erit finis. Hæc est illa nuntiatio,quæ nos etiam tangit. Non hic Iesus Christus,vnicus ille hominum saluator promittitur tantùm,sed & datur. Iam,inquit nuntius,concipietur,& nascetur. Quicquid in veteri Testamento figuris & Propheticis dictis de Messia prædictum est,iam implebitur: iam quod olim expectabatur,coràm videbitur. Cessabunt figuræ,succedit rebus aperta veritas. Quid lætius nobis annuntiari potuisset? Vidit Iacob scalam,cuius summa cœlum,ima tangebãt terram: vidit non solùm angelos per eam ascendentes descendentes,verùm etiam ipsum Deum innixum scalę. Hæc scala humanitatem præfigurauit Christi. Per hanc & nos in cœlum imus,& angeli ad nos in terram redeunt. Per hanc nos Deus videt. Christus enim est qui sua humana natura, & quicquid in ea gessit & passus est,conciliauit omnia ea,quæ in cœlis & in terra sunt,hoc est,Deum & hominem,angelicam humanámque creaturam. Et hæc quidem hodie primùm erecta scala est. Eodem modo aliæ nonnullæ figuræ in Christi incarnatione impletæ sunt. Hodie Patriarcha Deus,filio suo Ioseph,hoc est, Christo per Ioseph figurato polimitam vestem,humana carne scilicet, induit, mittens

Iob 13. Psal. 6.

eum

eum visitare fratres suos. Hodie verus Moses, & Israëlitic populi Dux in Aegyptum introiit, veros Israëlitas liberare-
Exod.41. Hodie verus de mõte ad nos descẽdit Moses, vt Dei iussa doceret. Eiusmodi plures aliæ figuræ in incarnatione Christi completæ sunt hodie. Id quod etiam angeli verba innuunt: Ecce concipies & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum. Vide autem quàm pulchrè hîc describat Christum. Primò, quod nomen eius Iesus sit, id quod saluatorem significat. Quo ostendit hũc esse eum, quem Dauid olim pronun-
Psal.11. tiauit, dicens: Propter miseriam inopum & gemitum pauperum, nunc exurgam dicit Dominus, ponam salutare, fiducialiter agam in eo. Deinde etiam Dei filium dicit, innuens Deum ab illo tempore nobiscum recõciliatum, quòd filium suum nobis in reconciliationis signum donauerit. Dederat
Gen.9. quidem olim etiam Noë reconciliationis seu fœderis signũ, quòd non esset deinde vnquam terram diluuio dissipaturus. Huius ergo pacti signum arcus erat. Nobis verò multò perfectius signum diuinæ promissionis in Christo datum est.
Roma.8. Qui enim proprium filium in nostram naturam dedit, quomodo non etiam cum illo dabit omnia? quomodò negabit minora qui dedit maiora? Quomodò potest non diligere nos? Quomodò abiiciet nos? Verissimè non abdicat nos, nisi
Ioan.8. nos illum deseruerimus. Ideò ipse Christus ait: Si filius vos
Roma.8. liberat, verè liberi eritis. Nam quis nos condemnet, quos
1.Ioan.2. Christus iustificat? Quinetiam si peccauerimus, aduocatum habemus apud Deum, iustum Iesum Christum, qui & ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Et quid nõ filius, & quidem talis, apud talem patrem non obtinebit? Ecce hoc primum est inter ea quæ hodie proponuntur nobis. Tertiò angelus Christum regem vocat, nec simpliciter regem, sed eiusmodi qui super solium Dauid sedeat. Quo significare
1.Reg.17. voluit modum & regendi & redimendi populum Israël, nempe quo & Dauid olim populum suum à Philistæorum turmis, & à manu Goliath redemit, qui toti Israëli maledicebat: prouocabat omnes in arenam, sed nemo qui congredi auderet reperiebatur, quousque Dauid non in hoc à patre inermis missus, Gigantem illum lapide prosterneret, quem in funda habebat. Hoc ergo in Christo implendum erat. Israël credẽtem populum signat, Goliath Satanam. Philistæi regni diabolici imaginem gerunt. Gloriatur Satan de suo robore, calumniatur Dei populum, quasi nemo sibi conferri

possit.

posit. At verè nemo cum illo audebat congredi. Nemo enim sine peccato: tum Satan captiuos tenebat omnes: neque etiamnum est, qui proprio Marte secum audeat contendere ferro, ne dicam vincere. Si enim id possemus, sine causa Christus fuisset mortuus. Hæc summa est: fortis erat Goliath, nec quisquam erat qui huic comparari æquè posset. contra hunc fortem Gigantem credentium populus in castris erat. Propheræ bella ciebant, ad certamen & conflictum verbo Dei adhortabantur populum, sed operiri aduentum Dauid, hoc est, Christi necesse habebat, sine hoc incassum laborabant. Neminem horum formidabat Goliath, soli Christo oppugnandus & prosternendus erat. Et hic quidem primùm in castra nostra venit hodie, hodie loricam indutus, in qua cum hoste congredi voluit, quæ est sancta illius humanitas. Hodie arma & scutum in manus sumpsit, quibus debellare hostem debuit: sed non externa illa arma, spiritualia omnia, humilitatem, paupertatem, patientiam. Iob. 42.

His armis prosterni & succumbere hostis debuit, præcipuè autem gladio verbi Dei. Eo modo Christus hostem adortus est, vicit & prostrauit, non sibi sed nobis. Vnde angelus addit, Et regnabit in domo Iacob in æternum, Hæc domus rursus credentem nobis insinuat populum, ad quem Deus: Noli timere serue meus Iacob, quia elegi te, nec repellam te. Tecum ero Dominus Deus tuus, adiutor tuus fortis, dextera iusti mei suscipiet te. Confundentur omnes qui pugnant contra te. Ex his patet, omnes in Iacob numerari, quos dextera iusti, hoc est, Christus suscipit. Ideò nobis mortem, peccatum & diabolum, à quibus semper nobis timuimus, deuicit: vt nunc liberati, alacri mente Deo gratias agere, alter alterius curas leuare ac possemus dicere: Ne timeas Christi redempte sanguine, nemo est qui nunc denique possit nos expugnare: peccatum ablatum est remissúmque, mors deuicta iacet, ira omnis & indignatio sepositа, gratia & pax parata est. Satan occubuit, huius funditus euersum regnum est. Christus Dei filius Altissimi, Rex & Dominus est, indutus & decôrem & fortitudinem, de quo omnis terra & insulæ lætantur. In hanc sententiam etiam Paulus scribit: O mors ero mors tua. Vbi est mors victoria tua: vbi mors stimulus tuus? Stimulus autem mortis, peccatum est. Certum enim est, vbi peccatum non est, nullam morti in Isai. 48. Psal. 92. Psal. 96. 1. Cor. 15.

homi-

hominem potestatem nullúmque ius esse: quin nec stimulus illi est, quo hominem adoriatur. Christus enim confregit eum. Propterea etiam Paulus ad agendas gratias Deo hortatur: Deo, inquam, qui dedit nobis victoriam per Dominum Iesum Christum. Id ipsum etiam angelus vult cùm ait: Et dabit illi Deus sedem patris eius: quasi dicat. Quemadmodùm Dauid olim, licèt minor natu inter fratres, fortem deiecit Goliath, suúmque hoc facto populum liberauit, ita etiam hic Iesus solus ille futurus est, qui Satanam esset deiecturus. Hunc Dauidem denuntiat angelus, iam in propinquo esse intimat, foréque vt hominem indutus cum hoste pugnaturus in arenam descendat. Optima profectò nuntiatio. Cur enim nunc porrò nobis à gigante illo Goliath, à maligno spiritu timebimus, Christũ verum Dauid nobiscum & à nostra parte habentes? Timeant illi, quibus Iesus præsto non est. Huic enim nihil potest resiste. re: confidite, inquit, ego vici mundum. Hæc ergo nobis hodie cogitanda sunt, his occupari, de his loqui & conferre, pro his gratias Deo agere debemus semper. Si enim de hac gratia tacuerimus, sceleris arguemur. Propterea enim venit Christus, in hoc vocati sumus: vt ipsi Deum magnificantes, alijs, etiam eius manifestemus magnalia: vt Dauid quõdam ait: Dominus de cœlo in terram aspexit: vt audiret gemitus compeditorum, & solueret filios interemptorum. Et iterum: Vt annuntient in Sion nomen eius, & laudem eius in Hierusalem. Sic & Petrus, in hoc nos vocatos dicit, vt virtutes illius prædicemus, qui è tenebris vocauit nos in admirabile lumen. Sic etiam Isaias prædixit fore: vt credentes Noui Testamenti, cùm Christus venerit, lætentur exulténtque sicut qui lætantur in messe, sicut lætantur & exultant victores capta præda, quando diuidunt spolia. Et sine dubio omnes lætantur, quibus Christus nascitur. Sed & certissimum verè credentis signum est, in huiusmodi rebus exultare. Mundi enim filij de alijs gaudent, sæpissimè friuolis & vanis. Hîc verò vera ratio est plenæ & perfectæ lætitiæ in Deo. Adde, quòd piè Christianus ex Euangelio & festo hoc petendi & orandi occasionem sumet: vt sibi peculiari quodam modo in salutem & consolationem venit, sibíque saluator maneat in perpetuum. Deus. Opt. Max. suam nobis largiatur gratiam, Amen.

Ibid.

Luc. 1.

4. Reg. 7.

Psal. 101.

1. Petr. 2.

Isai. 9.

SE-

SECVNDVS SERMO.

SI quem latet, cur noui Testamẽti doctrina, dicatur Euangelium, hoc est, lætum nuntium, ex hac festiuitate facilè addiscet. Prima enim verba, quibus annuntiatus est Christus, fuit Euangelium, quod Christus incarnatione, vita, morte, & resurrectiõe, tum verbo suo & miraculis ita auxit, & per Apostolorum suorum prædicationes in totum orbem diuisit, vt meritò hæc, quam dixi, noui testamenti doctrina vocetur Euangelium. Habet quidem & mandata sua, nonnunquàm etiam interminationes, Christi doctrina, sed plerunque & plurimùm læta & voluptatis plena est: bonum enim, & quod voluptatem aliquam habet nuntium, vincit & penetrat, vt mentes nostræ magis alicui rei afficiantur. id quod pulchrè in hoc Euangelio videre est, quod est initium omnis Christianæ doctrinæ. Nihil enim hîc vel de Deo, vel angelo, vel de hominibus annuntiatur, præter bonum. Omnia læta & grata. Sed non ea in omnibus locis ratio est. De Deo quidem Dauid grata loquitur, cùm dicit: Benedicite Domino, quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius. *Psal.117.* Sed nihilominùs interdum eiusmodi de eodem etiam leguntur, quæ formidabilia, vt idem Prophe ta exclamat: Terribilis es, & quis stabit cõtra te quando irasceris? *Psal.75.* Sic Dauid etiam testatur, quòd certò Deus mandauerit de nobis angelis, vt custodiant nos in omnibus viis nostris, ne fortè offendamus ad lapidem pedem nostrum. *Psal.90.* Interim tamen de iisdem legimus, quàm sint seueri & vrgentes diuinæ iustitiæ contra homines executores. Sic duo eorum euertentes Sodomã, omnes inhabitatores eius perdiderũt. *Gen.19.* Sic vnus ex illis percussit primogenita Ægypti omnia, alius quoque in castris Assyriorum centum octoginta quinque virorum millia deleuit. *Gen.12.* *4.Reg.19.* Sic sex illis in Ezechiele præceptum erat, vt omnes iuuenes & senes, virgines, pueros, & mulieres, qui non haberent signum Thau in frontibus suis, occiderent. *Ezech.9.* Simile in Apocalyp. Ioannis legimus quatuor angelos stantes super quatuor angulos terræ: tenentes ventos, ne flaret ventus super terram, neque super mare, neque in vllam arborem: vt nocerent terræ & mari. Ad quos quintus alius magna voce clamabat dicens: Nolite nocere terræ, neque mari, neque arboribus, quoadusque signemus seruos Dei nostri in frontibus suis. *Apoc.7.* Eadem ratione nonnunquàm de hominibus bona & pia legimus, sed de paucis plerúnque

tamen de omnibus ferè nihil præter malum & impium: vt ipse Deus testatur: Non permanebit spiritus meus in homi-
Gen.6. ne in æternum, quia caro est. Et Dauid Propheta: Omnes
Psal.13. declinauerunt, & inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. Et Vani sunt filij hominum,
Psal.61. mendaces filij hominum in stateris, vt decipiant ipsi de vani
Psal.115. tate ipsorũ. Et iterum: Omnis homo mendax. Et Isaias: Im
Isa.64. mũdi oẽs, & oẽs iustitiæ nostræ tanquã pannus mẽstruatæ.

Patet ergo, sæpe in Scripturis terribilia & tristia, cùm de Deo & angelis, tum de hominibus inueniri: at hodiernum Euãgelium omnia habet læta, omnia iucunda. In hoc enim Deus nouum Testamentũ à veteri discernere voluit, vt verè
2.Cor.5. dici posset: Vetera trãsierunt, & ecce noua facta sunt omnia, vt omnia eò essent iucundiora, quò præterita fuerũt magis lugubria. Et quidẽ ita factũ est: & quia ita factũ esse indubiè credimus, ideò lætamur & exultamus, tã enim beneuolũ se Deus hodie exhibuit, quàm se olim ostẽdit seuerum. Si enim
Isa.54. in Isaia ex Spiritu sancto dictũ est: Ad punctum in momẽto dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te. Et
Zacha.1. in Zacharia: Zelatus sum Hierusalẽ & Sion zelo magno, sed reuertar ad Hierusalem in misericordijs. Similis angelorum & omniũ creaturarum ratio est, quibus Deus, vt olim seuerè ad correptionẽ & euersionem hominum, ita nunc beneficè
Ioan.1. vtitur ad defensionẽ & tutelã earundem. Amen amen dico vobis, inquit Iesus ad Nathanaẽlem, amodò videbitis cælos
Luc.15. apertos, & angelos Dei descendentes super filium hominis. Et alio loco: gaudium erit angelis Dei, super vno peccatore pœnitentiã agẽte. Huc pertinet, quod quõdam per Prophe-
Isa.11.32. tã Isaiã de pace & quiete in Christum credẽtium, prædixit.
Osee 2. Hinc in Osee dicit: In illa die percutiã eis fœdus cum bestia agri, & cũ volucre cœli, &c. Et: Exaudiã cœlos, & illi exaudient terrã, hoc est, erũt omnia pacata quæ in cœlo, & quæ in terra. Quò autẽ pauperior & carnalior per primi parẽtis peccatũ homo factus erat, eò cumulatiùs & superabundantiùs suum Deus Spiritũ super eum effudit, quemadmodùm
Ioel.2. id se facturum promiserat: Effundam de Spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri & filiæ vestræ, senes vestri somnia somniabunt, & iuuenes vestri visiones
Isa.35. videbunt. Et in Isaia. Lætabitur deserta & inuia, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium. Et quidem hæc omnia Da-
Psal.76. uid in spiritu præuidebat, cũ ait: Nunquid in æternũ proijciet Deus,

ciet Deus,& non apponet vt complacitior sit amplius:aut in finem misericordiam suã abscindet,cessauit verbũ eius à generatione in generationẽ? Aut obliuiscetur misereri Deus, aut cõtinebit in ira misericordias suas?Sélah. Quasi diceret: Minimè illa rerũ conditio,meliora & iucundiora speranda sunt.Hæc ergo dies initiũ lętitiæ est.Neq; enim ab exordio mũdi vnquã se Deus tam amicũ homini exhibuit. Tum nec angeli vnquã ea reuerentia, eáue beneuolentia erga hominem vsi sunt,qua se hodie ostendunt.Nemo hominũ à cõdito mundo tantæ gratiæ mensura perfusus est,quanta Maria virgo beata.Si nosce cupis quã bonus,quàm pius Deus pater hodie nobis factus sit, audi Euangelistã dicentẽ: Missus est angelus Gabriel à Deo in ciuitatẽ Galilææ, cui nomen Nazaret,ad virginẽ desponsatã viro,cui nomen Ioseph, de domo Dauid,& nomen virginis,Maria, &c. At quis hunc misit?Ipse Dominus Deus.Quò? In hũc terrarũ orbẽ, pręcipuè tamen in Israẽl.Ad quẽ?Ad virginẽ.Cur? Ad annunciandũ Christi Dei vnigeniti aduentũ. Is verò quomodò venire voluit?Incarnari,hoc est,carnẽ in se assumere volun,eáq; ex virgine.Ad qd ipsum?Vt totũ humanũ genus àpeccatis,à proditiõe,à morte redimeret,& redemptos in regnũ Dei perduceret.Ecce,quæ & quanta hodiè de Deo Lucas nobis Euangelizat,quæ si comparaueris aliâs de Deo manifestis,multis parasangis præcellere videbis. Magna quidem & præclara sunt,quæ Deus quondam Scriptura testante,Noe, Abrahæ, Mosi,Dauid,& Israẽlitis in genere exhibuit, sed ea vni tantùm populo,priuatis quibusdam personis exhibita. Verùm quæ hodie à Deo perfecta sunt,omnes in vniuersum homines tangunt,nõ vnum solùm. Nemo hîc secluditur, omnibus sese patrẽ Deus exhibet.Sed nónne hoc vnũ ingentis fidei,spei,deuotionisq; omnibus credentibus causa est?Sed & sequẽtia videamus. Nónne angelorũ erga homines reuerentiam vis?Audi quid Lucas dicat: Ingressus ad eam angelus dixit:Aue gratia plena,Dominus tecum,benedicta tu inter mulieres.Et mox:Ne timeas Maria,inuenisti enim gratiam apud Deũ.Vbi eiuscemodi præcedẽtibus sæculis facta legis? Et quidẽ ab origine rerũ multa hominibus pręstiterunt angeli,sæpè periculis eximerũt,sæpiùs verbis cõsolati sunt:sed nihil ad hęc nostra.Maioris ponderis hæc,omnia summa & excellentia.Iam tempus erat, quo pace coniungerentur quę in cœlis,& quę in terris,inter angelos simul & homines.Sed

qua fronte angeli ſeueritatem aliquam erga nos præ ſe ferrent, cùm ipſe Deus faciem ſuam in nos direxit? Vide ergo num hinc etiam & fides & deuotio noſtra incremẽtum ſumat? Vis diuitias effuſæ gratiæ Dei in noui Teſtamenti homines agnoſcere? Qua ratione, quibus verbis hanc primã nouę legis perſonam Lucas depinxerit, videas. Quæ cũ audiſſet ſalutantẽ angelum, turbata eſt, inquit, in ſermone angelio, & cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio. Querit dein,: Quomodo fiet iſtud? Tertiò, ſeſe liberè ac beneuolè Dei Opt. Max. volũtati contradidit, dicẽs: Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundũ verbũ tuũ. Denique magna voce clamat: Magnificat anima mea Dominum, & exultauit ſpiritus meus in Deo ſaluta ri meo. Ecce quàm pulchrè, quàm commodè iſthæc virgo Dei gratiæ reſpondeat. Quò abundatiorẽ gratiã audit, hòc magis magiſque ſeſe humiliat. Humiliter eã angelus viſitat, at illa verò eius turbatur aſpectu. Laudatur ab angelo, ſed illa reſpexit, inquit, humilitatẽ ancillæ ſuæ. Angelus loquitur, Dominus tecũ: illa, Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundũ verbũ tuũ. Angelus rurſus: Benedicta tu inter mulieres, at illa: Magnificat anima mea Dominũ. ſanctũ eius nomẽ eſt: quia fecit mihi magna qui potẽs eſt. Angelus: Inueniſti gratiã apud Deũ: at illa: Suſcepit Iſrael puerũ ſuũ, recordatus miſericordiæ ſuę. Nõ mihi tãtùm nec meo merito hoc factum eſt, ſed ob omnium ſalutẽ, & ex gratia & virtute Dei. Vide qualẽ ſe erga Dei dona exhibuit. Et quomodò Deus ꝓ tam profunda humilitate, quæ in illa erat, ſuã gratiã porrò non auxiſſet? Quomodò huic cohabitare ipſos etiã angelos non reficeret? Sed hîc quæritur. Vnde hæc beneficentia nobis obtigerit, quod Deus ſe magis propitiũ, angeli magis amicos, & denique Dei gratia abundãtiùs in oẽs nõ hoc tẽpore, quàm vnquã antè, manifeſtet & offerat. Verũ id nemo pręter Chriſtum Ieſum Dei filiũ, qui hodie homo factus eſt, & quarta in hac Euangelica lectione perſona inducitur, confecit. Hunc enim habentes, & patrẽ, & angelos, & reliquas omnes creaturas habemus. Ecce hæc ſunt, quæ præſens denuntiat feſtiuitas, atq; inde iã robur ſumat fides noſtra, quæ eiuſcemodi nobis donanda à Deo & angelis promittit. Si enim Deus olim hominibus benefecit propter filiũ adhuc tunc naſcendum, quid denegabit modò eiuſdem filij iam natj, & fratris noſtri facti reſpectu? Si tãta cum maieſtate Dauid homines ante natum filiũ cõſolabatur, haud dubiè idipſum nũc fieri

poteſt meritò. Sed quid Dauid addit: Qui habitat in adiutorio Altiſsimi, in protectione Dei cæli commorabitur. dicet Domino: Suſceptor meus es tu, & refugium meum Deus meus ſperabo in eum. *Pſal. 90.*

TERTIVS SERMO, VSVM HAbet & feſti & Euangelij huius diei.

SI ſuccinctè vnóque verbo dicendum mihi eſſet, quid mater noſtra ſancta Eccleſia hac feſta die, hac Euangelica lectione velit, quid nobis inculcare ſtudeat: non video quò id agam commodiùs, quàm quod magnus ille Nabuchodonoſor olim, iuſto Dei iudicio aliquo tempore regno pulſus, tandem reuocatus, in omnes terras perſonabat ſcribens: Signa, inquit, & mirabilia fecit apud me Deus excelſus: placuit ergo mihi prædicare eius ſigna, quia magna ſunt, & mirabilia eius & fortia, & regnum eius regnum ſempiternum, & poteſtas eius in generatione & generationem. Hæc ille. Sed quis tam ignarus rerum, qui non etiam Eccleſiam videat hodie ſimile quid facere? Dei ſigna & mirabilia cogitat, prædicat & laudat. Quid enim iſthæc feſtiuitas eſt aliud niſi læta quædã mirabiliũ Dei meditatio? Quid hodiernum Euangelium, niſi aperta miraculorũ Dei denuntiatio. Quid hodiernæ Eccleſiæ cantiones, quàm meræ pro mirabilibus Dei gratiarum actiones? Quòd ſi vnquam aliquis hominũ, taceo interim de Ethnico Rege verè dicere potuit, Quia ſigna & mirabilia apud me fecit Deus excelſus: certè nos qui Chriſto nomina dedimus, idem hodie dicere poterimus. Moſes quidem multis enumerat magnalia Dei populo Iſraëli exhibita, cùm per deſertum ad terram promiſſam eos duceret. *Dan. 3.* *Dan. 4.* *Deut. 4.* Concludit tandem his verbis: Non eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt nobis. *Pſal. 77.* Dauid omnem mouet lapidem, vt pro dignitate exornet miraculum, quo Deus olim Iſraëlem in deſerto pane cæleſti cibauit. Nubibus, inquit, mandauit deſuper, & ianuas cæli aperuit, & pluit illis manna ad manducandum, & panem cæli dedit eis. Panem angelorum manducauit homo, cibaria eis miſit in abundantia. *Dan. 4.* Quæ Deus oſtenderat. Nabuchodonoſor laudat & prædicat magnalia & ſigna: etenim erant mirabilia. Verùm etſi cõiungas omnia quæ Moſes de peregrinãtibus per deſerta Iſraëlitis facta eſſe teſtatur, quæ Dauid de manna

loquitur,quæque Nabuchodonosor de sui deiectione, & restitutione prædicat,parua & propè nulla sunt collatione eorum, quæ hodierna nobis festiuitas mirabilia ostēdit & denuntiat. Illa enim externa tantùm & corporea dona erant & Dei opera,hæc verò omninò cælestia, diuina, spiritalia. Illa tantum figura & vmbra huius excellentioris erant, hæc veritas & plenitudo est.Si magnum arbitramur, quòd Deus quondam miseriā Israēlis conspexit, & misertus est,misitque Mosen eos indè redimeret:multò præstantius est,Deum mera misericordia motum, hodie in mundū misisse filium vnigenitum, per hunc visitasse plebem suam, erectóque salutis cornu,ex peccato,morte,inferno,damnatione, & æterna maledictione eripuisse. Si magnū est,quòd cœlum, imò nec cœlum,sed nubes aperuit Deus, & pluit mannā, quòd insufficiens erat conseruare vitam hominis perpetuò, quin magis ipsum putrefactum nauseam prębuit,in mane seruatum,excepto sabbato:maius profectò est, quòd hodie non nubes solū,sed ipsum cœlū verè aperuit, indéq; aperuit, indéque demisit verū & vnicum panem: verum suum & viuificum verbū, quod per se nunquā putrefit, sed in æternum manet, & participantes in sempiternū viuos cōseruat. Tertiò,tandem si magnum ingentis gratiæ argumentum est, quòd Deus Ethnicum Regem, quem nuper iusto iudicio, horrendo impetu humiliauerat:vt omni honore, autoritate,opibus,imò etiam ratione ipsa priuatus, non iam homini,sed irrationali creaturæ similis esset,tanta pietate clemēter erigit,in integrum restituit, excellentioris benignitatis certissimum iudicium fuit, omniq; laude & prædicatione dignum,q; Deus totū genus humanū,q; per originale peccatum omnia in creatione accepta bona perdiderat,insuper omni malo obnoxiū,in exilio positum,demū lumen diuinę agnitionis ipsámq; veritatē amiserat, eáq; propter comparabatur iumentis insipientibus: vt Dauid testatur, tam piè & paternè per Christum ex omni malo ereptum, eximijs donis & gratijs decorat,nec solùm in hominem rursus commutat:verùm etiam sanctis angelis cœlestibúsque ciuibus æquiparat. Hæc verò omnia hodie facta sunt: hodie Deus è cœlo in terram despexit: vt audiret gemitus compeditorum,& solueret vincula interēptorum. Hodie fœlix terra, beata virgo cœli panem concepit,quo postea totus mūdus cibatur,atque etiamnū sustentatur. Hodie Deus lapsum hominem sum-

Lu.1. Psal.77. Ioan.6. Exod.16. Isai.40. Ioan.6. Psal.48. Psal.101.

minem ſumma gloria & honore coronauit, dũ ipſe in filio vnigenito, humanam aſſumit naturam factus homo.

Magna, fratres, hodie ſigna & mirabilia facta ſunt, quæ ſolus Deus fecit, & ille quidem, cuius regnum ſempiternum eſt, cuius poteſtas in generatione & generationem, apud nos fecit, apud nullam enim aliam gentem ſimilia fecit. Sed & nobis datum eſt, noſſe myſteria regni cœleſtis. Nobis manifeſtauit Deus per ſpiritum ſuum, ſæculi huius ſapientibus incognita. Quid ergo reſtat, niſi vt cum Nabuchodonoſor eiuſmodi Dei ſigna & mirabilia cogitemus ſedulò, eáq; alijs prædicemus, imò exordium noſtræ redemptionis cum deuotione: vt Eccleſia canit, & gratiarũ actione recolamus, dicentes. *Gloria tibi Domine.* Hoc ergo Eccleſia non hodie tantùm agit, ſed aliâs etiam ſemper, quotieſcúnque ſanctam Chriſti incarnationem recolere contingit, ſummum illud & pretioſum nomẽ repetit. Et homo factus eſt. Hoc, inquam, nomen Eccleſia pretioſum æſtimat, in cuius meditatione pius quiſque principiò inæſtimabilem deitatis in nos charitatem, qua mota filium demiſit, cogitat. Deindè etiam paratam filij obedientiam, qui cùm eſſet in forma Dei, formam ſerui induit. Nec pudet Eccleſiam in genere vel etiam pium quemlibet humi proſterni in eius honorem, qui non dubitauit de cœlis in terras deſcendere, & à gloria Dei in profundiſsimum exilium humanæ maſſæ ſeſe exinanire.

Pſal. 147. *Luc.* 8. 1. *Cor.* 2. *Rom.* 3. *Phil.* 2.

Hac ratione catholica Eccleſia præſentem feſtiuitaté celebrat, hoc modo incarnationẽ Chriſti Ieſu veneratur toto anni circulo. Et quid decentius? Quis non hæc gratiæ mirabilia adorat? Pſeudochriſtiani & impij homines ſint neceſſum eſt, hæc negligentia prætereuntes. Si enim afficerentur, & gratũ eſſet, filium Dei Deum noſtri cauſa hominem factum, procul dubiò flexis in terram genibus, in cœlum manibus oculiſque ſublatis, Chriſto pro incarnatione ſua grates perſoluerent. Agite ô fratres, ſi non præter æquitatem, ſi non indignum, diuinam maieſtatem carnis infirmitate & humana natura commutari, imò permittere crucifigi, amaros mortis dolores perpeti: vt nos ab æterno cruciatu liberaret, & in ſempiterna gaudia exaltaret, cur ergo nobis indignũ videtur eius rei gratia flectere genua? Ergo igitur exordia noſtræ redemptionis cum deuotione recolamus: vnáq; cum Eccleſia cantemus. *Gloria tibi Domine Ieſu Chriſte.* Et hæc quidem in genere de hac feſta die dicta ſint.

Nunc porrò historiam huius Euangelij aliquantò fusiùs tractare licet: quia & ipsa profundioris meditationis occasio erit. Multæ enim in ea introducuntur personæ, quæque etiam earũ singulare quid significat. Prima igitur ipse Deus
Iacob.1. est, qui meritò primũ tenet locum. Ab ipso enim omne de-
Psal.64. scendit bonum datum, & perfectum donum. Ille visit ter-
Psal.127. ram & inebriat eam, multúmque ditat eam. Ille nisi ædificauerit domum, in vanum laborant qui ædificant eam, & vt summatim perstringã omnia, ex ipso, per ipsum, & in ipso
Rom.11. sunt omnia, ipsi honor & gloria in sæcula sæculorum. Hîc ergo est, qui Gabrielem misit Angelum, hic beatam elegit: virginem sanctificauit, fœcundauit. Hîc etiam vnigenitum suum in mundum in humanam naturam demisit. Et quis adeò cæcus est, quin videat hîc multa pio meditanda relinqui? Magnum profectò aliquid est, quod Deus in nostrum
Hebr.1. ministerũ Angelos demittit: vt Paulus testatur, quinetiam demandans illis: vt custodiant nos in omnibus vijs nostris.
Psal.90. Iam verò D. Paulus, quàm laborat in benedicendo Deum, quòd omnes nos in genere elegit, quantò ergo virginis ma-
Ephes.1. tris electio maior est? Tertium Christus ipse prædicat.
Ioan.3. Sic, inquit, Deus dilexit mundum vt filium suum daret vni-
1.Ioan.4. genitum. Et Ioannes. In hoc, inquit, apparuit charitas Dei, quòd filium suum vnigenitum misit in hunc mundum vt per eum viuamus. In hoc consistit charitas Dei, inquit, non quòd nos dilexerimus Deum, sed ipse prior dilexit nos, & dedit filium suum in reconciliationem pro peccatis nostris. At hæc quidem piè Christianus in prima illa persona, quæ Deus est, cogitare potest.

Luc.2. Secunda persona, Angelus Gabriel est. Hic mittenti Deo obedit. Honestè & reuerenter salutat virginẽ, fideliter iussa voluntatémque Dei exequitur, piè, turbatam consolatur, diligenter in fide sterilis Elizabet exemplo confirmat. Et tantum hodiernum Euangelium de Angelo cogitanda offert: omnia eiuscemodi, quæ ad multa eáque bona nos adhortari possent. Si enim Angeli non solùm eam obedientiam præstant Deo: verumetiam nobis mortalibus gnauiter ministrant, quam labem nobis ipsi inurimus, si vermes nos mortísque mancipia nec Deo debitam obedientiam præstamus, nec alter alteri inuicem dilectionem exhibemus?

Tertia persona, ipse Christus est, quem vt æquum est, Lucas summa cum diligentia, omnibus enumeratis conditionibus, descri-

nibus, describit. Quarum quidem ex hac ipsa lectione plurimæ sumi possunt, primùm, quòd Mariæ sit filius: vnde verum hominem esse sequitur. Secundùm, quòd filius solius virginis, quando Angelus testatur. Altissimum & spiritum eius solum in hac conceptione operari. Vnde sequitur, Christum sine originali peccato natum, omni delicto liberum. Atque hinc certiores reddimur, pro nostris tantùm peccatis laborauisse & passum esse, cùm proprium non haberet, quod expiaret delictum.

Tertiò, quòd Iesus dicatur, id est, saluator, eò, quòd, quēadmodùm & Angelus in Matthæo dicit, populū sit saluum facturus à peccatis eorum. *Matth.1.* Quartò, quòd Rex dicitur, id quod sine populi alicuius proprietate non potest intelligi. Neque enim sine regno Rex erit. Quintò, quòd in perpetuum rerū sit summa potiturus. Id quod ostendit, nō de hoc *Ioan.8.* mundo eius regnū esse, sed spirituale & cœleste planè. *Dan.7.* Nulla enim in terris est potentia perpetua, nullum hîc regnum sempiternum. Solum Dei regnum, cui Christus præsidet, æternum est. Sextò, quòd non solùm sanctus, verùm etiam ipsum sanctum vocatur, id quod certò ostendit, se nos quoque posse sanctificare. Postremò, quòd etiam filius altissimi, imò Dei filius vocatur: vnde spes nobis venit, fore vt nos etiam bonorum Dei quorum ipse naturalis hæres est, participes efficiat. Ecce, omnia ista Euangelium de Christo proponit meditanda. Vbi etiam quilibet videre potest, quis sit Christus, & quæ nobis de ipso spes, quæ debeat esse expectatio. Quarta persona, cuius hîc fit mentio, beata virgo est, de qua multa prædicātur. Primùm enim ipsa corpore & mente virgo fuit, quemadmodùm illud ex proprijs ipsius verbis colligere licet. Secundò, quòd ab hominibus separata fuerit, iuxta Hieremiæ doctrinam, qui bonum esse testatur, cum silētio præstolari salutare Dei. *Threu.3.* Tertiò, quo maiora ex Angelo audit, eò magis sese deprimit. Quartò, cum diligentia annuntiationi Angelicæ intendit. Quintò, summa cum constantia modum rei perquirit. Postremò, se totam diuinæ voluntati subdit. Ecce, inquit, ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Quo dicto Christū concepit, quem posteà totius mundi gaudio & consolatione peperit. Hæc ergo sunt, quæ meditanda hodie hæc Euangelij proponit historia. Iam quēadmodùm hæ quatuor personæ in incarnatione Christi conuenêre, ita etiā adhuc simul cō-

uentiane: vbi Christus spiritaliter in homine nasci debet, ne-
Ioan.15. cessum est. Principium Deus largitur, nihil enim ex nobis
Phil.1. ipsis possumus. Ipse bonam voluntatē indit, & largitur per-
Ioan.6. ficere. Tum nemo ad filium venit nisi pater traxerit eum. Sed quomodò Deus saluat nos? per Christum. Ecce secunda persona. Sed vbi inuenitur Christus? In verbo Angeli, intelige, prædicantis. Hæc tertia, quæ ad iustificationem perti-
Rom 10. net, persona est. Fides enim ex auditu verbi Dei est. Sed nemo audit sine prædicante. Quarta persona, quisque Christianus est, huic Mariæ sequendum est exemplum. Segregari à mundo, humilitatem cum obediētia præstare, audire, fidem dictis habere, credere, sequi. Sic futurum est: vt per spiritum Christus conceptus, tandem per omnis generis bona opera exterius nascatur in lucem. Deus Opt. Max. hæc & sentire & perficere sua gratia largiatur, Amen.

QVARTVS SERMO comparationem habet incarnationis & conceptionis cum templi ædificatione.

2.Par.2. MAgna erit, quam ædificabo, domus, magnus enim Dominus Deus noster præ omnibus dijs, dixit quondam templum ædificaturus Salomon. Verba, quæ non parum huic festo cōueniunt, id quod breuibus indicabo: vobis altioris meditationis occasionem ministrans. Primū quidem, in mūdi negotijs videmus pulchrum & egregium opus multa requirere. Nempè. Principiò artifex industrius, materia pretiosa sit necesse est, tum etiā instrumenta requiruntur com-
Luc.14. moda. Denique illū insipidum Christus dicit, quem rideant omnes, qui ædificaturus egregium quid, non prius secū com-
2.Par.29. putat, si sumptus perficiendi suppetat. Salomon ergo prudenter: vti Regem decet, iussus à patre, Deo templum extruere, cùm multa quæ ad eam rem pertinere videbantur, aurum, argentum, ferrum, metalla, & alia id genus, ad manum essent, nō tamē hoc opus auspicatur, nisi omnibus abundanter paratis. Et quidem multa de lōginquis terris aduexerat.
2.Par.1. Id quod scriptura testatur, cū refert, misisse Salomonem in Tyrū ad Regem Hiram indicauisse, quomodò in animū induxerit suum, ædificare templum, illúdque magnificum: vt Deo Opt. Maxi. dignū est, rogasse igitur vt prudentem magnæq; industriæ virū, qui nosset auro, argento, metallis, ferro atq; alijs cælata opera exculpere, tum etiam ligna cedri,

aliásque ar-

aliásque arbores de Libano mitteret, &c. Quæ omnia Salomon magno sumptu per mare versus Ioppē aduexit, vt postea ijs vteretur in ædificando templo. Atque hæc quidem nuda historia, huic festo non parum inseruiens. Templum igitur quod ædificauit Salomon, in quo prece inuocari & hostijs honorari Deus voluit, figura est sanctissimi corporis humanitatis Christi, in quo Deitatis plenitudo habitauit. Et hoc quidem ipse Christus insinuat, cùm corpus suum templum quoddam dicit: Destruite templum hoc, inquit, & in tribus diebus erigam illud. Hoc autem de templo corporis sui dixit, Ioannes addit. Quin idem ipse Ioannes in Apocalypsi de mystico templo Hierusalē loquēs dicit. Et templū in ea non vidi. Dominus enim Deus omnipotens templū illius est, & agnus. Hoc ergo verum Dei templum est: in quo solo, Deo Patri grata est nostra oratio, & oblatio. Per Christum enim accessum habemus ad Patrem, & in huius nomine exaudit nos, cùm quid postulauerimus à se. Imò etiā propitiatio pro peccatis nostris ipse est. Ea propter multa requirebantur præparatoria, priusquam ista hæc domus ædificaretur. Quid enim aliud in veteri Instrumento egit Deus, quàm vt omnia ad hāc rem necessaria præpararet? Ecce prima etiam creaturarū creatio quid, nisi quædam præparatio huius structuræ fuit, de quibus Paulus certè apertè pronuntiat, omnia propter Christum facta esse, omnia decori huius structuræ inseruire. Ipse enim Deus Pater cùm hunc vnigenitum suum in pectoris sui arcano habebat, manifestaturus eum certo tempore, iam tum thesauros illi congregat auri, argēti, margaritarum, & omnis generis vtensilū, palatium quoq; illo dignū ædificare cogitat, tum quicquid ad instructionē & cōseruationē Regiæ aulæ & Maiestatis pertinere videri possit, vt aulicos plurimos, populi numerosam multitudinem, huicq; præfectos, duces, antesignanos, & alios præparat & curat. Qui omnes diuersimodè ornati in cōspectu Regis supra solium suū sedentis apparerent. In hunc ergo finē Deus omnia creauit: Cœlū ministratorijs spiritibus impleuit, terrā tam multis tāmq; varijs creaturis, vt eo modo vnicum suū natum opulentissimo honorificentissimóq; regno præficeret, & in eam habitationē introduceret, quæ nullo careret. Sic ergo prima rerum creatio nihil aliud fuit, quàm ad humanitatem Christi quidam apparatus. Eadem etiam ratione hominem ab initio Deus benedixit, imò ad suā ipsius imagi-

Coloss.2.

Ioan.2.

Apocal.21.

Ioan.16.

1.Ioan.2.

Gen.1.

Gen.3. imaginem & similitudinem formauit. Eadem post lapsum
Gen.7. ipsi benedictum semen promisit. Eadem non omnem car-
Gen.12. nem diluuij aquis deleuit. Eadem Abraham eiúsque posteritatem elegit, & huius populi causa tanta & tam multa fecit, magnis Regibus horum causa profligatis & deletis: Ea-
Psal.104. dem, inquam causa promissum mulieris semen toties in Prophetis renouat. Et quid illa omnia nisi præparatoria quædam illius domus, quam filio suo Deus ædificaturus erat: ipsius, inquã, incarnationis Christi? Si enim quæsieris, cur ea omnia Deus fecit, respondebit tibi: Magna erit, quam ædificabo, domus. Cùm ergo templum illud Salomonis figura corporis Christi est, illúdque idem corpus hac die per Spiritum sanctum, in castæ virginis formatum est aluo, penitius aliquantò circunspiciamus hoc templum Salomonis, atque inde nostri templi, hoc est, sanctissimi corporis Christi discamus dignitatem. Et primo quidem, fuerit licèt magnum & honorificum Salomonis templum, nullus
3.Reg.6. tamen (testãte Scriptura) in eius ædificatione vel mallei vel ferri sonitus auditus est. Id ergo in incarnatione Christi im-
Luc.1. pletum est, & satis quidem apertè Euangelista indicat: Missus est angelus Gabriel à Deo ad virginem, cui nomen Maria. Ecce tibi officinam, in qua corpus Christi formatum est. Quæ extrinsecus quidem nihil admirandum, nihil habet excellens: intrinsecus verò ornata decentissimè omnis generis gratijs. Sic nec malleus vllus in formatione Christi auditus est, nullum humanum accessit opus, sed, vt angelus ipse ait, Spiritus sanctus desuper cœlitus venit, & sola Altissimi virtus operata est. Vt ergo insolens quidam præ se ferre videtur, quod meritò quis miretur, Salomonem suum templum sine malleis ædificasse, ita etiamnum mirantur increduli, quomodò virgo inuiolata virginitate potuerit concipere & parere filium. Quibus solum hoc responsi damus:
Luc.1. Quia apud Deum non est impossibile omne verbum. Et hæc quidem prima huius domus dignitas est. Sanctum Iesu Christi corpus, domus est, in qua ipse Deus essentialiter habitare voluit, vnde necesse fuit, eiuscemodi corpus differentia quadam discerni ab alijs corporibus. Nostra corpora naturali quodam modo formantur, eóque mortalia, imò & impura, & ad peccata prona. Christi autem corpus non ita, sed per Spiritum sanctum formatum, eóque persistens & mundum. Atque ita fieri nobis necesse erat. Quomodò

enim

enim immundus mundum faciet immundum? quomodò peccatorem iustificabit peccator ipse? quomodò ditabit alios ipse pauper? qua ratione viuificabit alios ipse mortuus? qua via saluabit alios qui ipse salutis expers? Ideóque Paulus, Talis decebat vt nobis esset Pontifex, pius, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & sublimior cœlis factus, cui non sit quotidie necesse, quemadmodum illis Pontificibus, prius pro proprijs peccatis victimas offerre, deinde pro peccatis populi. In hoc primùm Salomonis templum figura Christi fuit. Secundò, idem templum orationi & religioni dedicatum fuit, habebátque promissiones suas, quòd Deus exaudire preces & sacrificia suscipere velit in eo, qua totus vbique mundus promissione carebat. Hinc Daniel in seruitute Babylonis, quotidie versus Hierusalem apertis fenestris orabat. Sed melius hæc omnia & perfectius in Christo impleta sunt. Principio hoc sanctissimi illius corporis templum propriè orationi dedicatum est. Est enim oratio mentis in Deum ascensio. Quis verò hominum ad Deum ascendere, aut coram Dei maiestate sine mediatore apparere audebit? At Christus verò mediator noster apud Deum est. Qui si igitur cum fructu orare, si ad Deum ascendere, corámque illo apparere vis, accede Christum. Deinde, in hoc templo, in Christo, inquam, certam promissionem habemus, quòd in illo, & per illum nos exaudire velit Deus. Ipse Pater amat vos, inquit, quòd vos me amastis. Et: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Sic & Paulus Christum, cùm pro nobis precationes & supplicationes offerret, exauditum pro sua reuerentia testatur. Est enim ipse Filius ille dilectus, in quo sibi bene complacuit. Atque ea propter ipse Christus dicit: Pater, gratias ago tibi, quoniam exaudisti me. Ego autem sciebam quòd semper me audis. In nullo igitur tam certas promissiones comperies, ideóque sancta Christianorum Ecclesia preces suas omnes nulla alia via Deo offert, nisi per Iesum Christum Dominum nostrum. Et hoc secundum, quo Salomonis templum præfigurauit Christum. Tertiò in hunc etiam finem illud templum ædificabatur, vt in eo sacrificaretur. Neque enim sine expresso Dei mandato alibi sacrificari licuit. Vnde in Babylone conqueruntur, quòd exusto templo, omnis sacrificandi sublata videretur occasio. Quin si quando alibi, vt in montibus, sacrificare nitebantur, abominatio co-

Hebr. 7.

2. Paral. 7.

Dan. 6.

Oratio quid.

2. Ioan. 2.

Ioan. 16.

Hebr. 5.

Matth. 17.

Ioan. 11.

2. Paralip. 2.

Dan. 3.

ram

ram Deo erat. Et id quoque in Christo nostro templo perfectum est. Ille locus sacrificij nostri est, in illo inuenies quæ ad sacrificandum requiruntur omnia, veros sacerdotes, altaria, & victimas. Sine illo inualida & imperfecta
Isai.64. sunt nostra sacrificia, & quemadmodum Isaias ait, præter illum omnes iustitiæ nostræ sunt sicut pannus menstruatæ.
Rom.12. Paulus quidem docet, vt nos totos offeramus Deo, sed licèt id faciamus, insufficiens tamen est. Si ergo vis Deo acceptum fit sacrificium tuum, in hoc templum adfer, huic altari impone, huic sacerdoti trade, Christi meritis & victimæ iunge, & certò acceptum id ferre Deum videbis. Non alibi sacrificabis, in nemine fiduciam tuam pones, præter Christum, eiúsque merita. Quicquid enim Christi meritis inclusum non est, Deo acceptum non est. Id quod in Iudæorum Phariſæis videre licet, qui cùm multa & magna factitarent, frustra sudabant, non agnito & apprehenso filio: arbitrantes præter Christum suo proprio facto posse
Ioan.8. placere Deo. Sed quid ad eos Christus? Nisi credideritis
Ioan.3. quòd ego sum, moriemini in peccatis vestris. Qui enim non crediderit in Filium, nec per eum gratiam consequitur,
Ioan.14. iam iudicatus est. Et nemo ad Deum venire potest, nisi per Christum. Qua in re etiamnum multi sese ipsos decipiunt & seducunt, seduli ipsi quidem in operando, sed in seipsos & in sua propria opera spem ponunt, vt olim fecerunt Iudæi. Atque ideò cùm omnia rectè peracta arbitrantur, audiunt: Quis hæc de manibus vestris requisiuit? Ecce igi-
Isai.1. tur nobis domum, quam Deus Optimus Maximus in incarnati Verbi mysterio ædificauit. Vnde cuilibet apertum est, quanta nobis gratiarum agendarum Deo, sit occasio. Omnis ergo hodie piè Christianus cum Dauide dicat ad Dominum: Introibo in domum tuam adorabo in templo sancto
Psal.5. tuo in timore tuo. Et iterum: Introibo ad altare Dei, ad
Psal.42. Deum qui lætificat iuuentutem meam. Et: Emitte lucem tuam & veritatem tuam Domine: ipsa enim deducunt me ad montem tabernaculi tui. Hac via intrantes templum hoc nostrum, omnia inueniemus spiritaliter, quæ dies illud templum Salomonis habuit olim corporaliter. Et primò in ingressu obuia statim habebit varia auri & argenti vtensilia, videbit varia gratiarum dona. Plenus enim Chri-
Ioan.1. stus gratia & veritate, ita planè, vt de eius plenitudine accipiamus omnes. Tum etiam in illo vno omnes thesauri

diui-

diuinæ sapientiæ & scientiæ sunt absconditi, teste Paulo. Colos.2.
Pergis porrò: Et ecce tibi mare æneum, viuúmque, de quo
Zacharias loquitur, fontem. Sed & magnum illud diuinæ Zach.13.
gratiæ flumen, cuius Ezechiel meminit, inuenies. Hinc Ezech.47.
transiens, duo tibi coram sunt Cherubim, id est, duo testi
monia: Legis, inquam, & Prophetarum, veteris & noui Te-
stamenti, quæ omnia in Christo conueniunt. Postremò o-
mnium, si perrexeris, ipsum quoque Sanctum Sanctorum
videbis, quod Christus summus sacerdos primùm ingressus,
nobis mansionem parat, vt nos accipiat ad se, vt & nos si Ioan.14.
mus vbi ipse est. Et quid pio homini vel iucundius, vel vti-
lius spectaculum esse possit. Hæc igitur quisque sibi dicta ho
die cogitet. Gratia Domini nobiscum, Amen.

QVINTVS SERMO, CVR hoc festum plerúnque martij & ieiunij tempore celebretur.

QVòd in Ecclesia hanc festam diem, hoc est, ipsam su
pernaturalem & sanctissimam conceptionem, incar-
nationémque quoquo anno hoc ipso tempore celebramus,
principiò, naturali sua ratione quadam non caret. Habet
enim illud tempus, quod est fine Martij vsque ad finem De-
cembris, menses nouem: quod tempus conceptionem & na-
tiuitatem natura hominum diuidit. Cùm igitur natiui-
tatem Christi Decembris fine celebramus, naturalis tempo-
ris decursus postulat, in Martio conceptum esse. Habet
tamen & alias rationes, cur semper in Martio & ieiunij
tempore celebretur. Primò enim, quemadmodum Mar-
tius primus mensis est, in quo veluti reuiuiscunt quæ bru-
mali tempore quasi demortua videbantur: ita Christi no-
bis incarnatio initium fuit salutaris æstatis, grati solis, &
veris. Antè enim nil nisi bruma fuit, quod sanctus ille
Dauid Psalmo centesimo quadragesimoseptimo conqueri-
tur, vbi temporis sui meminit. Qui, inquit, dat niuem sicut
lanam, pruinam sicut cinerem spargit. Mittit gelu suum si-
cut buccellas: ante faciem frigoris eius quis sustinebit? Is an-
te incarnatum Verbum rerum status, & ea temporis facies.
Nec vlla spes erat, nisi quod sequitur, sperabãt omnes: Emit-

tet ver-

tet verbũ ſuum,& liquefaciet ea,flabit ſpiritus eius,& fluent aquæ. Et id quidem verè factum eſt ab illo tempore quo Chriſtus caro factus,natus eſt in mundum. Ab illo tempore dicere licuit: Hyems tranſiit, æſtas aduenit, flores apparuerunt in terra noſtra. Et cũ Paulo: Nox præceſsit, dies autem appropinquauit. Eius ergo admonemur, cùm hanc feſtiuitatem in Martio celebramus. Quod autem & in ieiunij tempore: ideò fit, vt qui relicta Aegypto deſerta ingreſsi ſunt, conſolentur magis. Idem enim rerè nobiſcum agitur quod
Numer.1. Iſraëli contigit. Exierunt Aegypto eius gentis viri ſexies centena millia: ſed ex omnibus ne vnus quidem mare ru-
Exod.14. brum tranſire auſus fuiſſet, niſi Moſes tanta vehementia verbo Dei inſtitiſſet. Sed & nemo ſe Iordani commiſiſſet, niſi ſacerdotes Arcam deferentes præceſsiſſent. Ita etiam nemo noſtrũm facilè contra Satanam in arenam deſcenderet: ſed & ſi fortè quis id auderet, citò pedem retraheret, niſi aſsiduè Chriſtus eiúsque promiſsiones inculcarentur. Vide ergo, hac ratione pœnitentiam bono hæc feſtiuitas hoc ipſo ieiunij celebratur tempore. Quanquam eò res deuenit: vt pauci admodum, quæ nobis ex huiuſmodi feſtiuitatibus conſolationes veniant, cogitent: ne dicam quid de ijs qui omnia rideant ac temnunt. Vnde eſt, quòd tam pauci ſeſe in deſertum, id eſt pœnitentiæ dedant, qui malunt cum Aegyptijs temporaneis perire, luxu & gaudijs, quàm exigui temporis moleſtias, in cœleſtis patriæ via ſufferre. Verumtamen vt meum perſequar inſtitutum: quando præſens feſtiuitas initium noſtræ ſalutis eſt, ad hæc etiam ſummam pœnitentibus conſolationem adfert, meritò. vbíque & ab omnibus Chriſtianis prædicatur & recolitur. Sed nec vllus ad dignè de his prædicandum ſufficiat, imò vnicum hac die verbulum in Eccleſia auditum eſt, quod nec Tullius, nec Demoſthenes in omni ſua dicendi facultate & eloquentia, qua ante alios celebres fuêre, pro dignitate eloqui poſſunt. Quale verò? Hodie, inquam, Deus homo factus eſt. Quid ſublimius Deo? Quid abiectius homine? In vna tamen hæc duo conuenêre perſona. Vide ergo, quàm dicendi fuſius hæc miniſtrare poſſent materiam. Sed nos in præſentiarum nuda Euangelij perſequamur verba. Et ipſum quidem eiuſmodi habet hiſtoriam, in qua enarranda mirabiliter ſeſe patres noſtri Eccleſiæ proceres

exer-

exercuerunt olim. Vnde non obscurè colligitur, eos magna in hanc rem religione ductos fuisse, & peculiari quadam suauitate & consolatione refectos. Neque enim fallit verbum quod dicitur: Vbi thesaurus tuus, ibi est & cor tuum, imò & oculus tuus & manus. Nec vlla alia causa, nos minus erga hoc & festum & Euangelium afficimur, quàm quòd absconditam consolationem & suauitatem in ea ignoramus. Præcipua igitur capita rerum vobis placuit breuiter proponere. Primò igitur hęc lectio nos in Deum dirigit, vt eius meditemur ineffabilem miserationem, vnde hoc totum opus emanauit & defluxit. Et quidem in multis Deus charitatem suam nobis ostendit alias: vt quod ea nos nobilitate creauit homines, quòd omnes creaturas nobis subiecerit: maximè tamen in hoc non totos post lapsum nos damnauit, sed tanto tempore iniquitatem nostram & impietatem sustinuerit. Sed vnum est, quòd omnia illius dilectionis signa excedit, quòd vnicum vnicè sibi dilectum filium suum non miserit solùm, verumetiam quantus, quantus est donauerit: nec id simpliciter, sed in ignominiosissimam & acerbissimam mortem tradidit. Et quæ causa? quid eum mouit? Nostra merita? Minimè. Nullius enim hoc Euangelium meminit meriti. Tum apertè Ioannes, Deus ait, prior dilexit nos, non nos ipsum. Et Paulus, dilexisse nos Deum in tantum, vt cùm adhuc inimici eius essemus, filium suum miserit. Ad hæc nullibi hîc inuenies debitorem nobis fuisse Deum, vt filium mitteret, nisi quòd sese pro suę miserationis pietate promissionibus nobis quasi debitorem exhibuit. Quia igitur neque meritum neque debitum est, sequitur, meram esse charitatem & misericordiam. Id quod apertè Christus insinuat, cùm ait: Sic Deus dilexit mundum vt filium suum daret vnigenitum, vt omnis qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Et quis non videt quæ nobis ex hoc vno consolationis offeratur copia? Semel tantùm, idque in somnis, Iacob Deum vidit sibi amicè colloquentem, suámque sibi operam promittentem, &c. sed ita hac visione consolationibus afficitur, vt euigilans à somno, voto se obstringeret, per omnẽ vitam suam Deo seruire, eúmq; solum Deum habere. Vnde postea semper vbi quid aduersi accidisset, in hac somnij sui visione auxilium quærebat & consolationem. Sic cùm à fratre persequeretur, in hoc solo refugiũ quærit: Domine

Matth. 6.

Ioan. 3.

1 Ioan. 4.

Rom. 5.

Ioan. 3.

Gen. 28.

Deus, inquit, minor sum cunctis miserationibus, & veritate tua, quam expleuisti seruo tuo. Quia autem loquutus es, q̃ benefaceres mihi: erue me de manu fratris mei Esau,
Gen.32. quia valde eum timeo. Sic iustus ille Iacob afficitur, quòd semel per somnum Deum vidisset, in omni vita sua hęc meditatur & cogitat. Nos verò multò maiora & vidimus & audiuimus, nec hoc in somniis, sed ipso facto, & aperta veritate: neque tamen nos Deo committimus vel quicquam consolationis inde haurimus. O infœlices nos & modicę
Rom.8. fidei homines. Si enim Deus vnigenito filio suo non peper cit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodò non
Ibid. omnia simul cum illo donauit? audi, precor, quam diuus Paulus ex hoc facto consolationem hausit: Si Deus, inquit, pro nobis, quis contra nos? Deus est qui iustificat nos, quis nos condemnet? Christus est qui mortuus est, imò qui & resurrexit, qui & est ad dexteram Dei, qui & intercedit pro nobis. Quis nos accusabit? quis nos separabit à charitate Dei? Certus ego, quòd neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque potestates, neque instantia, neque futura, neque altitudo, neque vlla creatura alia poterit nos separare à dilectione Dei, quæ est in Christo Iesu domino nostro. Ecce hanc tantam spem Paulus concepit, quòd Deus hominum causa filium suum demiserit in mundum. Et hoc principiò cogitari potest ex hac Euangelica lectione. Secundò, in nos ipsos etiam oculos conuertere præsens lectio docet, vt cogitemus miseriam & pericula, quibus subiecti eramus aliquando. Certum enim ingés malum fuisse, quod sanare nemo, nisi ipse Deus potuit Vrgens necessitas horrẽdus lapsus fuerit oportet, qui Dei filium è cælo è paterno sinu in hanc terram detraxit. Fuit autem peccatum illud, & insequens maledictio, & damnatio. Certè maxima & horroris plenissima, quæ vnquam hominibus contingere possunt: vtut pauci admodum ea modò
Luc.23. sentiant, experturi aliquando ea cum anxietate: vt optent montibus & colibus decidentibus sese à iudicio
Ephes.2. Dei irati obtegi. Et hæc omnia Diuus Paulus multis locis indicat: vt cùm ait: Eramus omnes natura filij iræ, mortui in peccatis, sed viuificauit nos Deus per filium suum, & transtulit nos de potestate tenebrarum in regnum
Colloss.1. filij sui dilecti, in quo & redemptionem & remissionem habemus.

Tertiò

Tertiò hoc ipsum Euangelium ostendit, quòd Deus Optimus Maximus creaturas suas homines simul & angelos gloria & honore coronet. Non enim satis fuit summæ illi maiestati, creauisse homines & angelos, sed ducit etiam in dies magis magísque ad honores & prouehit. At summus honor est rationali creaturæ, in vsum ad diuinitatis opera adhiberi. Potuisset enim opus suum sine creaturis explere: sed placuit ipsi, eo modo creaturas suas honore afficere. Quemadmodùm incarnationem filij sui sine angelorum ministerio explere potuit, veruntamen eos in hoc adhibuit. Quin & ex nihilo corpus sibi humanum formare potuit, nostrámque naturam induere: vt nullus Virginis huius fuisset vsus: sed etiam hanc adhibuit, ad sempiternum & summum illius decus. Id ipsum etiam diuus Paulus refert, in magna domo non tantùm sunt vasa aurea & argentea, verumetiam lignea ac testacea: & alia quidem ad honorem, alia verò in contumeliam. Ita etiam Deus in sua domo vasa habet alia misericordiæ suæ, alia iræ. In primis gratiam suam ostendit, ad honorem suum, qui & ipsorum honos est, vtitur: in aliis verò iram suam exequitur & iustitiam. Si ergo vel vnica Christiani sanguinis guttula in nobis esset, quæ cogitare velit possítque, ad quæ opera Deus hac virgine matre vsus est, non etiam à lachrymis cohiberetur noster affectus. Si rursus cogitaremus, antehac nihil nos præter iræ fuisse vasa, quibus Deus in indignis vsus sit, haud dubiè ad orationem conuerteremur, petentes & orantes vt aliquis etiam nostri vsus fiat ad honorem. At Deus quidem sua non desistit in nobis perficere opera. Semel nos per baptismum mundauit & sanctificauit, vt essemus vasa ipsius misericordiæ, quibus vteretur ad honorem. Sed & necdum cessat purificare nos per pœnitentiæ remedium, aliáque id genus sacramenta, nihil non facit, quo nobis ad suum nostrúmque honorem vtatur: sed nolumus, refugimus. Nostra ilthæc culpa est. Propterea & Paulus sermonẽ continuans, dicit: Si quis igitur expurgarit seipsum ab his (puta malis) erit vas in honorem sanctificatum, accommodum vsibus Domini, ad omne opus bonum præparatum.

2. Timot. 2.

Rom. 9.

2. Timot. 2.

Quartò & maximè hîc summum honorẽ eximium decus huius videmus virginis: id quod summa cum diligentia animaduertendum est, præcipuè hac tempestate, qua non contenti sumus contra mortales impiè: verumetiam con-

tra Sanctos Dei abominabiliter pergimus agere : quasi Euangelicum sit, Sanctos Dei ridere, cùm per omnia Euangelio sit contrarium. Quos ipse etiam Christus ho-
Ioan.15. norificè appellat, dicens: Non iam seruos vos meos, sed ami-
Ioan.20. cos dixi. Et: Vade ad fratres meos & dic eis: Ascendo ad Patrem meum & patrem vestrum, Deum meum & Deum
Rom.12. vestrum. Tum etiam quoslibet credentes Paulus sanctos dicit in hoc mundo, propter sanguinem sanctum,
Philip.2. quo loti & tincti sunt. Insuper nos docet, vt alter alterum præueniamus honoribus, & vt per humilitatẽ alius alium se præstantiorem existimet. Si ergo Christiano cuilibet, qui in mundo viuens, peccator est, honorem exhibere teneor, ore, habitu externo, & subministratione: nemo non videre potest, quàm agant dignè nostra fide & religione, qui etiam blasphemiis & contumeliis Sanctos iam cœli incolas insequuntur. Inspiciamus vel hoc saltem Euangelium, & videamus angelum tam nobilem támque sublimem creaturam, tanta humanitate (si modò id dicere de angelica natura licet) tantáque reuerentia, non sine admiratione, hanc tam vilem & pauperculam virgunculam alloqui, & tu iniquissimè hominum rides ac ludis eam?
Luc.2. Aue, inquit, gratia plena, Dominus tecum, Benedicta tu inter mulieres. Quæ quidem omnia cum admiratione quadam fatur. Et certè eiusmodi verba sunt, quæ hodie etiam quémque rectè ea intuentem, ad admirationem, ad laudem Dei inducere, & ad honorandum hanc beatam virginem incitare possent. Quintò, hîc videmus, quæ vera bona Dei ornent filios: nempè, gratia & pietas seu fauor Dei, præsentia & benedictio Dei. Et verè hæc, optima quæ in mundo haberi possunt, bona. Quid enim deerit illi, quem diligit & amplectitur Deus? Quis maledicet benedictum Deo? Et ea quidem omnia Virgo hæc summè obtinuit. Nemo illa sublimiori modo omnis generis gratiarum donis imbuta fuit: nemo viciniorem sibi Deum habuit: neminem tam copiosa abundantia benedictionis suæ Deus perfudit, atq; hanc ipsam virginem. Quam ergo ipse Deus hoc modo honore affecit, minimè temni ac sperni vult ab aliis, sed honore præueniri magis. Quem Deus honorat, vtique omni honore dignus est. Vide ergo quid agas. Væ illusori,
Isai.33. inquit Isaias, quoniam illudetur & ipse. Tum ipse Deus de
Zach.2. electis suis dicit: Qui vos tãgit, oculi mei pupillam tetigit.

Sextò

Sextò atque postremò, in quo summa rei vertitur, videmus hîc veram Domini nostri Iesu Christi proprietatem, q; Iesus dicitur, & magnus, imò filius Altissimi, Dominus & Rex omniũ credentium, in domo Iacob & Dauid, id est, in catholica Christianorũ Ecclesia, cuius regni non erit finis. Hæ inquam, Christi proprietates veræ, quibus summa spes nostra nititur. Quemadmodùm hac de re aliâs dixisse me memini. Quę aliáq; omnia vt possimus cũ diligẽtia meditari, Deus suam omnibus nobis largiatur gratiam, Amen.

SEXTVS SERMO QVOmodò hæc festa dies pœnitentiæ nos admoneat.

NOn abs re in hac festa die Dauidicum illum Psalmum, quem ipse olim cùm ab inimicis & hostibus, maximè, de manu Saül liberauisset eum Deus, fecit & cecinit, dicens: Diligam te Domine fortitudo mea: Dominus rupes mea & refugium meum, & liberator meus, cum diligentia cogitaremus. Quemadmodùm enim eo Psalmo Dauid, in qua fuerit anxietate, in quo positus periculo nuper, recolligit, eóque Deo gratias agit, qui inde eripuit: ita omnes in vniuersum nos hodie communem ab origine vniuersæ humanæ naturæ miseriam in memoriam reuocamus, gratias agentes Deo, qui inde nos Vnigeniti sui incarnatione liberauit & vindicauit. Quòd si quis probè animaduertere voluerit, inueniet verba ferè omnia quæ Dauid in illo Psalmo posuit, huic conuenire diei, eáque (si modò ritè hanc diem festam esse voluerimus) omninò cogitanda esse. Tria autem in hoc Psalmo Dauid agit: enumerat principiò pericula, quibus septus fuerat: gratiam & virtutem Dei prædicat, qui liberasset, vtróque se alióque ad gratias agendas Deo incitat. Et hæc quidem huic optimè festæ diei conueniunt. Quis vnquàm rectiùs & veriùs dicere potuit: Circundederũt me dolores mortis, & inferni, prẽter Adam cum omni sua posteritate, ab illo, quo è paradiso repulsam passus est tempore? Quando vnquã ardentiùs Deo Opt. Max. supplicatum est, quàm in illa ipsa calamitate? Quando vnquàm Deus apertiùs suam ostendit gratiam, quàm vbi gemitus audiuit compeditorum, & misso saluatore liberauit à peccatis, morte, & inferno? Quid ergo decentiùs nisi vt omnes, quísque apud se dicat: Diligã te Domine, fortitudo

2. Reg. 22.

Psal. 17.

Psal. 101.

mea? Hoc, inquam, præsens exigit festiuitas, maximè à no-
Psal.117. bis. Hæc enim illa dies, in qua primùm læta nobis obuenit nuntiatio. Hæc illa dies, quam singulari modo fecit Dominus. Hodie nostram aspexit Dominus miseriam, & liberatorem misit in nos. Eia igitur si verè Christiani, si mente id volumus, quod profitemur ore, exordia hodie nostræ redemptionis recolamus, nec quid minus exhibeamus in generali omnium redemptiõe, quàm Dauid olim in priuata suijpsius ostendit. Maximè cùm Dauid non modò exemplo suo id faciamus hortatur: verùm etiam verborum seriẽ mõstrat, quibus vtamur, in quibus etiam (vti modo audiuimus) totam hanc festiuitatem inclusam nouimus. Habemus quidem præter ea aliàs quoque in hanc festiuitatem dignè celebrandam scripturarum alia dicta. Commodà profectò quæ hodie ex Propheta legitur historia, qua fusè Propheta hanc solennitatem descripsit, dicens. Ecce: virgo concipiet & pariet fi-
Heb. immanuel. lium, & vocabitur nomen eius Emanuẽl, hoc est nobiscum Deus. Sed & hodierni lectione Euangelij clarè quid hac festa die meditandum sit, proponitur. Sed & Ecclesia sua non deest exhortatione, ita planè vt nemo pius se exhortationis ad pietatem inedia laborare, possit conqueri, id quod alijs præcedentibus satis supérque ostensum est. Hunc verò sermonem exhortationis Christianæ vices subire volo, quando hoc ieiunij tempus multis ad pœnitentiam exhortationibus eget, & hæc festiuitas omninò adhortationibus pijs seruit, ita planè: vt si quem præsens solẽnitas ad pietatẽ non commouet, si quem præsens Euangeliũ nõ excitat, si quem tot támque consolatoria verba non inflammant & recreãt, si quẽ tam ineffabilis diuinæ pietatis charitas ad meliorem vitam non trahit, hunc certè nemo innouauerit. Propterea
Cant.2. hunc: vt dixi, sermonem exhortationis vice proponam. Atq; hûc facient, quæ Christus in Canticis ad dilectionis suæ loquitur animã. Surge amica mea, formosa mea, & veni. Ecce enim hyés transijt, imber abijt & recessit, flores apparuerũt in terra nostra. Turtur audita est in terra nostra, ficus protulit grossos suos: vineæ florentes odorem dederunt, tempus putationis aduenit. Surge igitur & propera amica mea. His omnibus Christus quemlibet hodie affatur Christianum. Et quidem omnia hodie impleta sunt. Exhortatur ergo nos Christus: vt à peccatis excitemur, ad se verò veniamus, multas insuper addit rationes quibus possemus ad hoc incitari. Et

ri. Et primò quidem noſtras animas, ſuas dicit amicas, quas pro merito potuit vocare adulteras, auerſatrices, contaminatas: vt in Hieremia fecit. At quis tam ſtipes, qui tanta blandiloquentia non moueretur? Hoc enim vno verbo, ſe ſemper nos amare indicat, etiamſi nos auerſemur ſe, nec recordemur ſui. Tum etiam certiſsimum ſuæ in nos miſeri cordiæ indicium, quod ad pœnitentiam, & per hanc ad ſuæ gratię dona vocat, quos iuſto iudicio condēnare poſſet. Sed ad quid vocat? Vt ſurgamus & ad ſe veniamus. Vnde ſurgendum? A peccatis. Quomodò id conſiet? Per pœnitentiam. Hæc nobis primā confert reſurrectionem: vt de hac Ioānes loquitur, ipſam peccatorum remiſsionem. Sed quomodò ad Chriſtum veniemus? Per fidem, & quæ illam ſequitur Chriſtianam piámque vitam. Ecce adhæc nos Chriſtus vocat. Sed qua de re adhæc commonemur? Primò omnium, quòd iam; iniuriæ plena hyems tranſierit. Eſt enim bruma graue triſtéque tempus, lucis parum, pluuiæ, tempeſtatis, frigoríſque plurimum habens. An non talis hyēs ante aduentum Chriſti in mundo fuiſſe tibi videtur? Quàm exigua lux erat in mundo, quādo domus Iſraël ſola agnoſcebat Deum? Vbi vero lux nō eſt, ibi tenebræ, peccatum, error, infidelitas, occæcatio, omníſq; impietas ſequatur neceſſum eſt. Qui enim in nocte ambulat, offendit facillimè, quòd mundi huius lumen non videat. Adhæc multę tēpeſtates per totum orbem nōdum nato Chriſto. Inuadebat enim nunc alius atq; alius homines flagellæ Dei turbo, ídque præter expectationem omnem, & horridiſsimè. Sic Nadab & Abiu ꝓpter vnicam illam tranſgreſsionem, quòd peregrinum ignem in thuribula poſuiſſent, illo ipſo igne comſumpti ſunt ſtatim. Maria Moſi ſoror, quòd ſemel tantùm murmuraſſet, lepra ſtatim percutitur. Dathan & Abyron pro vnica inobedientiæ culpa, terra dehiſcente conglutiūtur. Oſa ſubitanea perit morte, tantùm, q; manu tetigerat Domini arcam. Taceo interim de ea tempeſtate quæ per diluniū, tum in Sodoma & Aegypto, totúmque mundum inuaſit. Et vt ſummatim perſtringam omnia, plena tempeſtatibus hyems illa Veteris Teſtamenti fuit, prius quā aduenirет Chriſtus. At nunc tranſijt hyems. Cuius illud euidens teſtimonium eſt, quòd Chriſtus verus ille ſol iuſtitiæ ad terram acceſsit propius, séque ad nos inclinauit, quemadmodùm aliàs quoque naturali ductu, cùm ſol propius nos accedit, ſcimus æſtatem inſtare.

Hier. 3.

Pſal. 75.

Num. 12.

Num. 16.

2. Reg. 16.

Mala. 2.

Et hæc prima causa qua moueri debemus citissimè surgere, & ad Christum accurrere, quòd scilicet, diuinæ indignationis & iræ hyems transierit. Quandoquidẽ nemo tam socors, qui certò aduentantem hyemem sciens, in æstate non laboret & colligat, ne fame brumali tempore laboret & periclitetur. Ita quidem & nos æternam hyemem expectamus, nisi gratiæ tempore laborauerimus, si obuiam gra-
Psal.67. tiã neglexerimus. Hac ergo causa à peccatis surgentes, ad Christum accurimus. Alia causa: quòd imber abierit. Duplicem autem in sacris Scripturis inuenimus pluuiam,
Matth.16. Primò salutarem, serenã, & voluntariã, quá pro sua Deus liberalitate & munificentia elargitur. Hæc nunquam cessauit, sed enim in nouo Testamento initium sumpsit, & creuit
Ioel.2. magis magisq;, quando Christus missis Apostolis suis suum omni creaturæ Euangeliũ prædicari demandauit, suúmque
Dan.9. Spiritum super omnem carnem effundit. Secũdò est, & alia pluuia diuinæ iræ & maledictionis, de qua Daniel loquitur:
Gen.3.et 4. Stillauit super nos, & inundauit maledictio. Hæc pluuia in-
Deut.27. cepit, cum Deus in Paradiso Adam, deindè extra Paradisum Cain, postea etiam per Mosen omnes Legi suæ inobedientes maledixit, Cessauit modò, Quando enim benedictio venit per Christum, nulla ijs esse poterit maledictio, qui sese Christo dediderunt. Et hæc alia quædam causa, qua nos moti, per pœnitentiam ad Christum Properabimus.
Gen.3. Tertia causa est, quòd flores apparuerunt in terra nostra. Primæ maledictioni additum fuit. Terra tibi tribulos & spinas germinabit. Id quod non extrinsecus solùm, sed & in nobis ipsis compertum fuit, germinante nimirum nostra
Psal.84. natura fructus deprauatos, fructus malos, fructus amaros.
Isai.11. At nunc terra Maria, quæ nostra est natura, bonũ fructum, nobilem florem protulit, in quo & super quem Spiritus almus, cum plenitudine gratiarum requieuit. Christus flos ille est, nec vnicus solũ, sed plurimus propter nos, qui illi fidẽ habemus, illi adhęremus, illi insiti sumus, mẽbra illius facti & rami, & pro fertilitate, quam ex ipso cõcipimus, ipsi quoque fructiferi. Et hoc iam rursus nos ad pœnitentiam mouere posset, cùm intelligimus, nihil nobis deesse in gratiarum donis: vt operemur bonum. Quarta quæ ad pœnitentiam nos ducet, causa est. Vox turturis audita in terra nostra. In Veteri enim Testamento, nihil præter legem audiuimus: vocem Leonis, at nunc quando Christus venit, turturis au-

turis audimus vocem: vocem Euangelij, quod consolatur, non terrefacit. Et eam quidem in terra nostra. Trans mare currere non habemus necesse. Cur ergo non ocyus ad Christum properamus? Quinta causa est, quòd ficus protulit grossos suos. Ficus præfertur omnibus arboribus pro fructus sui suauitate, eóque non incongruè virginem nobis significat Mariam. Perscrutare enim totius humani generis syluam, ipsum etiam Paradisum Dei, hoc est, Christianorum Ecclesiam, nullam inuenies arborem, nullum hominem, quæ talem nobis producat fructum qualẽ edidit Maria. Vis, quàm isthęc fructifera arbor, cognoscere? audi Angelum. Aue gratia plena, Dominus tecũ, benedicta tu inter mulieres. Et iterum: Ne timeas Maria: Inuenisti enim gratiã apud Deum. Vis fructum quem edidit cõtemplari? vide & reliqua. Ecce, inquit Angelus, concipies & paries filium, & vocabis nomẽ eius Iesum, hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur.

Et quis istiusmodi non trahitur? imò quem non puderet suorum pessimorum fructuum? quis sibi non timeret pro sua bonorum sterilitate fructuum, si hæc quis diligentiùs cogitare cœperit? Sextum, quod non vrget est, quòd Scriptura perhibet. Vineæ florentes odorem dederunt. Nihil *Matth.20.* vineis hyeme iniucundius, nihil illis, æstate amœnius. Vinea Dei Christianorum Ecclesia est, hæc quidem olim inculta & deserta fuit, in incredulitate parentibus nostris perseuerantibus. At post incarnatum Verbum multis illa floribus claruit, multis sanctis hominibus in bonis operibus viguit. Quorum omnium exempla non immeritò ad melioris vitæ rationem ineundam nos adhortarentur. Aliàs enim eò damnatio nostra maior, quò piè viuentium exẽplis abundamus magis, quæ huc pertinent: vt in impietatibus viuentes ad pietatem attrahant.

Septimũ, quod nos ducet est: quia tẽpus putationis aduenit. Idque verũ cõperimus, quocũque modo intelligere voluerimus. Et primò nunc tẽpus gratiæ, vt congregemus nobis thesauros, in vitam sempiternam. Tum etiam extremi iudici appropinquat tempus. Nemo scit quando paterfami- *Apoc.14.* liãs seruo suo dicturus est. Mitte falcem tuam, & mete messem terræ. Si enim peccata nostra respexerimus, inuenie- *Matth.23.* mus iam olim mensuram Patrum nostrorum impletã fuisse. Messis venit: vuæ maturuerunt, impleta est omnis ini- *Gen.19.* quitas, ascenderunt vsque ad summum. Quòd si ergo signa

quæ extremum præcessura sunt iudicium aspicere libet, ecce
Luc.12. aduenisse tempus putationis comperimus. Et quid Christus ait? Surge amica mea, propera, nescis enim qua hora filius hominis veniet. Veni per fidē, sonet vox tua per delicti confessionem in auribus meis, audiam laudem oris tui. Ostende mihi faciem tuam, non enim sufficit mihi, & intrinsecus te peccatis exoneraueris, nisi & externè piè vixeris. Ecce hæc omnia hodie nobis cogitanda veniunt, & hac ratione, hæc festiuitas ad pœnitentiā ineundā commodaret. Et quid melius, quid vtilius, quid decentius agere possemus, quā omnibus viribus, quę nobis bona per Christum obrigerint, cogitare, & ipsam incarnationem quasi ducē ad omne bonum sequi? Id ipsum ergo nobis largiatur, & altis mentibus inuesti gandum inserat qui viuit & regnat per omne æuum, Amen.

SEPTIMVS SERMO DOCET quid nobis piè cogitandum hac festa die sit.

MAgna huius diei festiuitas est, digna profectò vt in eam cogitationes nostras conuertamus omnes. Et quidem præcipua illius intentio est, cui innititur, quòd hodie nuntiū, non solùm bonū: verū etiā omniū lætissimum allatum est, & omninò eiuscemodi, quæ silentio à nobis, nisi in Deum ingrati, inuidi in homines, tum etiam coram Deo & mundo reprehēsibiles esse voluerimus, præteriri non debet. Hæc (vt breuibus dicā) totius huius festiuitatis intentio est. Primò apertum est, cœlitus mundo hodie per omnia lætissimum aduectum esse nuntiū. Tum etiā proculdubiò omnes in vniuersum homines concernit. Vnde supprimi debet nullo modo, sed palam prædicari omnibus hominibus, ad Dei Opt. Max. laudem, & consolationem electorum omnium.

Luc.1. Quòd si igitur intentioni huius diei respondere vis, primùm quid factum sit hodie, & quid contrà præstandum sit, pia mente recogita. Hodie Deus homo factus est, canit Ecclesia. Ecce quam annuntiationem Gabriel Angelus hodie de cœlo attulit, & virgini sanctæ, quam diligentissimè expo suit. Et quis vel cogitare sufficit, facti huius magnitudinē, quòd Deus humanam in se naturam assumpsit? Quis vel Ciceronis eloquentia, Demosthenisue facundia clarus ad dignè enarrandum, quod bonum indè defluxerit: valet? Quis satis admirari beneficentiam simul & sapientiam Dei, qua hoc factum est: vt tanti hominem redimeret, potest? Nam

test? Nam firmiter fide tenemus, Deum posse omnia, eiúsq; omnipotentem virtutem in nullo etiamnum debilitatam vel mutatam. Tum & Scripturæ testantur, quòd omnia Deus in sapientia, & in potẽtia pro omnibus omnium commodis faciat & instituat. Nec secus res se habet: vti sua Deus potentia in traductorẽ illum humani generis, & perditam, imò furto prædáq; abreptam ouiculam è faucibus infernalis illius lupi eripere potuit. Sed humilitate & cum amicitia quadam hoc opus perficere voluit. Et quare illud? vt nempè significaret, non solùm quid contra Satanam posset potentia, sed etiam quid erga homines velit beneficentia. Hominum causa, beneuolentia, non potentia vti voluit sua. Neque enim maligno illi spiritui tantum tribuisset vnquam. Vt ergo sanaret nos infirmos, non acerbo aliquo vsus est antidoto, sed leniter: vti naturæ nostræ conuenire cõsiderabat, nobiscum egit, nostri enim causa infirmus factus est: vt suo nos sanaret liuore. Quomodò & naturam nostram in se assumpsit: vt per suam mortem mortalitate nostra deuicta, nos ad immortalitatem suam perduceret. Quanquam enim ad nostram se naturam demisit, suæ tamen deitati nihil detrimenti attulit. Quemadmodum sol ille nihil de virtute sui caloris deperdit: etsi quotidie humores à terra sibi attrahat, & sicut ignis omnia in se mutat, ipse tamen non immutatur à virtute sua. Meritò igitur hodie & admiramur & lætamur. Nam quemadmodum medicos non vno modo omnes morbos tollere, sed nunc per contraria pharmaca, nunc simile simili, vt venenum veneno, vt theriaca quæ venenum habet, temperatum tamen, omnis generis venena pelluntur, videmus: ita & Christus medicus noster fecit, cum sua egestate ditauit nos, sua humilitate euexit nos, suis vulneribus sanauit nos, sua morte viuificauit nos. Hoc est contraria curare contrarijs. Tum denique sua morte mortem nostram tanquam veneno venenum depulit. Verè enim mors nostra, infernalis illius serpentis venenosus erat sibilus. Fuit quidem Christi mors quantum in se non venenum, sed potius balsamum pretiosissimum: sed veneni tantum speciem habuit, quod morti nostræ extrinsecus non absimilis. Hoc ergo Christus modo venenum veneno, mortem morte, sed tamẽ demeritam peccati mortem, sua innocenti morte sustulit. Ecce omnia hæc in illo comprehensa sunt, quod canimus, Hodie Deus homo factus. Horum omnium hodierna dies

Isai.59.

Isai.53.

1.Corint.8.

Sap.2.

est ini-

est initium. Et quid mirum, si hæc scientes Christiani, præcipua tamen die aliqua ista hæc cogitamus? Atque vtinam ea deuotione, ea fide, eo desiderio, quo beata virgo, cui hæc primùm facta est nũtiatio, hæc audiuit & cogitauit, audiremus ipsi & cogitaremus omnes. Certò enim sequeretur Magnificat illud, hoc est, gaudium mentis, laus Dei nostri oris. Imò & impræg̃naremur, & concipientes salutis spiritum, posteà etiam fructum pareremus pietatis omnis. Et his quidem omnibus hodie cõspicui esse deberemus, hoc etiam Christo Dei filio obuiam procedere est, eiúsque sanctam humanitatem honorare est. Sic nec vnquam deficeremus diuinis gratijs & cœlestibus consolationibus. Sed necesse est fundamentum cogitemus ardentiùs, si eos fructus desideramus. Propterea vnum adhuc verbum in medium hodie proponam, quod omnia in incarnatione Christi cogitando vobis in memoriam reuocabit quàm compendiosissimè. Id quidem in Canticis Salomonis scriptum legimus hoc modo: Dilectus meus descendit in hortum suum, ad areolam aromatum, vt pascatur in hortis, & lilia colligat. His paucis in verbis quicquid hac festiuitate pius quisque cogitare possit, commodè comprehensum est, quin vnumquodque verbum singulare quid in se complectitur. Primùm ineffabilis deitatis est dilectio in nos, qua sola factum est, vt filium suum mitteret vnigenitum, ipso restante Christo. Et Paulus: Apparuit, inquit, nobis benignitas & humanitas Dei nostri, non ex operibus iustitię quæ fecimus nos, sed secũdum misericordiam suam magnam saluos nos fecit. Et iterum: Deus qui diues est in misericordia, cùm essemus mortui per delicta, conuiuificauit nos vnà cũ Christo. Gratia, inquit, seruati estis per fidem, non ex operibus, ne quis glorietur. Et hæc dilectio nobis insinuatur primo etiam verbo, quo dilectione ardens anima dicit: Dilectus meus. Meritò hoc nomen apud omnes Deo tribuitur. Ille noster dilectus fuit, éstque etiamnum, & meritò noster dilectus. Charissimi, inquit Ioannes, diligamus Deum, quoniam ipse dilexit nos. Secundum, quod hodie cogitandum venit, est Christi in incarnatione obedientia humilis: Dilectus meus descendit. Cùm enim in forma Dei esset, vt Paulus inquit, non rapinam arbitratus esse se æqualem Deo, sed exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens, factus est nobis similis. Sed & humiliauit semetipsum obediens Deo factus vsque ad mortem, mortem autem

Isai.26. *Cant.6.* *Ioan.3.* *Tit.3.* *Ephe.2.* *1.Ioan.4.* *Philip.2.*

autem crucis. Hæc illius fuit descensio. Id quod nobis consolationi est. Dei filium sese huc inclinasse, ita plane, vt etiam nostram naturam assumpserit, homo & frater noster factus. Ideò ergo nobis confidenter dicere licebit in omni etiam perturbatione, Deus pro nobis, imò & nobiscum, quis cõtra nos? Christus mediator noster ante Dei Patris faciem, quis nos accusabit? Deinde etiam & nos discamus humilitatem. Discite, Christus ait, à me, quia mitis ego sum & humilis corde. Sed & seruus non est supra dominum suum: Si ego dominus & magister vestros laui pedes, & vos alter alterius lauate pedes. Quicúnque enim se exaltauerit humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur. Tertium est, clemens illa & pia visitatio, qua nos Christus visitauit. Dilectus meus, inquit fidelis anima, descendit in hortum suum. Hic autẽ hortus solùm Ecclesia Christianorum, congregatio, inquam, fidelium est, quã ipse Deus iam inde ab initio sæpe muniuit. Quemadmodum ipse ait: Ero eis murus ignis in circuitu. Et in Isaia: Super muros tuos Ierusalem constitui custodes, tota die & nocte non tacebunt. Custodes verò hi, sancti angeli sunt. Et quomodò Deus hunc hortum suum melius custodire potuisset, quàm per semetipsum & angelos suos sanctos? Hunc etiam hortum nullo non tempore suo labore coluit, semine pretiosissimo seminauit, rore gratiæ suæ, ac imbre saluifici verbi sui irrigauit, sed & torrente consolationis suæ perfudit. Hunc ab origine rerum plantatum, sed deinde pro peccato feris deuastatum hortum hodie visitauit Christus, vt reficeret. Quẽadmodũ Dauid olim precabatur dicens: Deus exercituum conuertere, respice de cœlo & vide, & visita vineam istam quam plantauit dextera tua, & perfice eam, inceusam igni & excisam. Hoc ergo opus hodie aggreditur Dei filius. Hodie per viscera misericordiæ suæ visitauit nos Oriẽs ex alto, illuminare his qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. Discamus ergo hinc gratias agere Deo. Deinde & vigilemus, ne nostra incuria dissipetur, quam Christus tanto sudore erexit. Quartum est ipsa persona, in qua Christus humanam assumpsit naturam, ipsa nempe Virgo beata: Dilectus meus, inquit sponsa, descẽdit in hortum suum ad areolam aromatũ. Id quod propriè hanc beatam Virginem tangit. Ipsa enim aromatum areola. Licet enim totum Ecclesiæ fidelium visitauerit hortum Christus, plantauerítque eam, fructi-

Roma. 8.

Matth. 11.

Ioan. 13.

Luc. 14.

Zacha. 2.

Isai. 61.

Psal. 35.

Luc. 1.

Cant. 6.

fructibus gratísque floribus, imò omnigenis Spiritus donis ornauerit, in ſpecie tamen ac præcipuo quodam modo hanc virginem miſericorditer reſpexit: viſitauit, ac beauit. Tum etiam præ alijs omnibus non ſolùm odorifera, ſed & fructifera, nempe fructum illum ventris ſui mundi protulit ſaluatorem. Hanc aromatum areolam hodie irradiauit ſol ille iuſtitiæ, Dei filius. Propterea & angelus ad eam. Ne timeas Maria, inueniſti enim gratiam apud Deum. Ecce concipies & paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum, &c. Quintum eſt ipſa cauſa, quapropter Dei filius factus homo eſt. Et harum quidem duas dilecta ſponſa indicat. Dilectus, inquit, meus deſcendit in hortum ſuum, ad areolam aromatum: vt paſcatur in hortis, & colligat lilia. Prima, quæ traxit: vt paſcatur, quia deliciæ illi eſſe cum filijs hominum. Secunda: vt colligat lilia. Hoc eſt: vt nos olim ſpinis ſimiles ſpecioſos & fructuoſos reddat. Creſcunt quidem & terra naſcuntur lilia, ſed colore ſimul & odore flores excedunt omnes. Eam ex ſeſe Chriſtianus edat naturam, vt ſit boni odoris, & fructus edat bonos. Hæc lilia, has Chriſtus quærit colligere roſas. Propterea etiam in hunc deuenit mundum. Hæc eſt, inquit, Paulus: voluntas Dei, ſanctificatio veſtra. Non enim ad immunditiam vocauit nos, ſed ad ſanctificationem. Ecce hæc omnia nobis hodie cogitanda proponuntur. In his ſe quiſque exerceat, & maximè hodie. Si enim hanc diem nobis attuliſſe ſalutem credimus, agamus hodie gratias, hanc ipſam quæramus ſalutem. Si non neſcimus hanc diem nobis, frigoris niuiſque plenam, imò & tempeſtam hyemen diuinæ iræ abſtuliſſe, lætam amœnámque diuinæ benignitatis attuliſſe æſtatem: illud expleamus, quod Chriſtus à ſua ſponſa expetit: Surge, inquit, amica mea, propera & veni. Surgamus à peccatis, properemus ne prætereat inconſiderantibus nobis tempus. Accedamus Chriſtum vera fide & ſpe. Væ enim nobis ſi & hac æſtate hoc gratiæ tempore ſtertimus, noſtram ipſi ſilentio prætereuntes & negligẽtes ſalutem. Gratia Dei cum omnibus nobis, Amen.

Luc. 1.

Cant. 6.

1. Theſ. 4.

OCTAVVS SERMO, QVANDO hoc feſtum poſt Iudica venit, fit huius feſti & Paſsionis Chriſti collatio.

NOn benè in externis conueniunt lætitia & triſtitia: vnde natum Prouerbium. Muſica in luctu. Propterea etiam

etiam videri posset, hanc festam diem, quæ per se plena gaudij, imò fons & origo omnis gaudij est, melius tempori illi, quod est post Phase, quàm huic ieiunij & maximè passionis Christi, conuenire potius, quando quadragesima per se tristis, ac passionis tempore redditur tristior. Animaduertimus enim, toto hoc tempore quadragesimali, Ecclesiã suorum filiorum nullo tempore non lugere mortem spiritus, sed & proximè prætérita die Dominica Christi Domini nostri sanctam passionem & mortem lugere incepit: vtrúnque meritò, nec sine iustis causis. Neq; enim satis lugere possumus vel nostra delicta, vel Christi passionẽ. De primo enim Hieremias ait: Quis dabit capiti meo aquã & in oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo die ac nocte filiæ populi mei interfectos? De secundo Zacharias ait: Et aspicient ad me, quem confixerunt, & plangent eum planctu quasi super vnigenitum, & dolebunt super eum, sicut doleri solet super mortem vnigeniti. Quando ergo duplici hoc lamentationis genere his diebus simul occupatur: videtur nulli lætitiæ vacare locus. Equidem si de mundi huius gaudio dixerimus, nullo modo conuenient huic tempori, imò procul id genus abest lætitiæ: vbi vel nostra deflemus peccata: vel Christi passionem plangimus. Sed spiritualis lætitiæ multò alia ratio est, quæ necessariò adest, vbi spiritaliter lamentatur: sine hac enim certa subsequitur lamentatio. Id quod in Iuda videre est, qui contristatus, miserè peccatum suum deplorat: sed quia nullo spiritali reficitur gaudio, in desperationem deiicitur. Sic & lamentabãtur in passione Domini, maximè cùm educeretur è ciuitate, mulieres: sed quia ignorabãt, qui fructus, quæ lætitia esset ex passione eadem ventura, ideò ad eas qui educebatur dixit. Nolite flere super me, sed super vos ipsas. Vt enim summatim perstringam: vbi pœnitentiam consolatio conscientiarum nulla ex Euangelio accedit: vbi passioni nullum gaudium iungitur ex eiusdem passionis fructibus, tota perit tristitia. Seruit ergo per omnia quadragesimæ huic hæc præsens festiuitas, nec solùm quadragesimæ: verùm etiam passionis recordationi multum cõmodat. Abundanter enim & cumulatim spiritalis lætitiæ copiã ministrat, cùm nobis Deũ hominẽ factũ hodie denuntiat. O admirabile, omnísq; laudis dignissimũ factũ. O lætã annunciationẽ. O festã nimcóq; signãdã lapillo diẽ. Magnis olim triumphis Iudæi Phase diẽ solennẽ agebãt, q̃ eo die ab

Hiere. 69.

Zach. 12.

Matth. 27.

Luc. 23.

Aegy-

2.Reg.23. Aegyptiis liberati essent. Et amplius lætabantur in Iubileo,
Leuit.25. quòd manumittebantur, qui vel serui vel alieno ære obærati essent. Sed quantulum illud omne erga hæc illa, quę hodie toti mundo, omni carni humanæ cõtigerunt? Quid verò de Iudæorum festis & Iubilæo dico? Ab origine creati mundi nunquàm vno modo tantum gratiæ exhibuit, atque modó. Nam ptimò, quando auditum est, siue mundi huius, siue diuinarum rerum inspicias historias, eiusmodi legationem cœlitus factam ad homines? Et quidem non ita rarum in ve
Genes.18. teri testamento, angelos à Deo missos ad homines. Vt tres ad Abraham venêre, annuntiantes filij in sua ipsius senecta
Gen.19. donum. Duo qui Loth cum sua familia ab incendio liberarent: venerunt Sodomam. Alter Iacob patriarchę apparuit,
Gen.31. ex Mesopotamia patrios lares reuisere iubens, & in itinere à fraterna Esaũ iniuria eum vindicans. Alter Mosen & Israëlitas in deserto præcedebat: viam die ac nocte in colum
Exod.14 na nubis & ignis ostendens. Has aliásque Angelorum apparitiones in illo Testamento legimus. Sed plerũque omnes externæ Dei beneficentiæ signa erant, & in specie quosdam tantùm homines concernebant, nunquã autẽ istiusmodi à Deo facta est legatio, quæ sempiternã salutẽ & spiritalia dona omnibus hominibus ita annuntiauit apertè: vti hodie. Et hoc primum. Deindè, nulli: vnquã virgini talis in toto orbe facta est salutatio, qualis hodie beatæ Virgini. Salutantur
Iudicum.6. quidem in scripturis sacris alij, idque honorificè: vt ad Gedeon Angelus. Salue fortissime virũm. Ad Iudith etiã Oziæ
Iudith 13. sacerdos Benedicta tu, inquit, à Deo, qui hostes nostros per
Ioan.20. te redegit in nihilũ. Ad Apostolos Christus ipse. Pax vobis, ait. Tum per omnes Epistolas suas Paulus fideles quosq; his
Rom.1. verbis salutat: Gratia & pax à Deo cũ omnibus vobis. Sunt quidem hæ omnes salutationes & imprecationes magnificæ, sed nulla comparẽdæ ratione huic Angelicæ salutationi. Quicquid enim illis, quos exempli vice enumeraui, partim imprecatũ est, id totum vna vice à Gabriele Virgini nostræ denuntiatũ est. Quòd enim dicit. Aue gratia plena, illi quod in Epistolis Paulus habet, comparatur. Quòd secundò ait, Dominus te cum, salutationi factæ Gedeoni comparatur.
Leuit.1. Quòd tertiò deinde, Benedicta tu inter mulieres, salutationis ad Iudith formam habet. Postremo quòd dicit, Ne timeas Maria, illi comparatur quod Christus precatur Apostolis. Ecce ergo hoc modo hac angelica comprehensum est salu-

est salutatione quicquid vnquàm piis credentibúsue optatum est. Tertiò nunquàm aliâs se Deus hominibus tam amicè conspicuum reddidit, quàm hodie. Mosi enim in rubo ardentis ignis apparuit, id quod timorè pariter illi incutiebat & admirationē. Israëlitis in nebula, igne, fumo, coruscationibus & tonitru apparebat. Isaiæ quidem in maiestatis suæ sede, ita vt non solùm ipse Deus ab angelis circunseptus, verumetiam tota domus ipsa impleta maiestate esset. Danieli porrò in forma decrepiti, omnem sub se creaturam habentis. At hodie in similitudine vt homo, imò in forma serui apparuit. Ecce, inquit angelus, concipies in vtero & paries filium. Et quis huius facti vel magnitudinem non miratur, vel beneficentiam non extollit? In hoc, inquit Ioannes, apparuit charitas Dei, quòd filium suum misit vnigenitum vt viuamus per eum. Postremò nunquàm ea, atque hac die, magnificentia potentiam suam ostendit. Sunt quidem magna opera & indubitata diuinæ omnipotentiæ indicia, quod omnia solo verbo creauit ex nihilo, quòd suæ potentiæ verbo conseruat & regit vniuersa, quòd tanta virtute ab Aegyptiorum tyrannide vindicauit Israëlem, sed longè latéque excedit, quòd ipse carnem humanam assumpsit. Si igitur vel munificentiam, vel potentiam Dei intueri libet, ad hanc præsentem festiuitatem oculos conuerte, & quòd animum tuum lætitia expleat, inuenies. Prima omnium beata id experta est virgo. O quāto affectu eius spiritus in Deo exultauit? Quàm ardenter Deum magnificauit? Quibus suspiriis eum adorauit, illíque supplicauit? Sine dubio hodie & anima & spiritus eius maiori exultatione affectus est, quàm antè vnquàm per omnem vitam. Quomodò enim non afficeretur vehementiori quadam lætitia, quæ & foris angelum videbat & audiebat, intus verò Dei præsentiam sentiebat? vnde quàm sibi propitium haberet Deum agnoscebat.

Exod.3. *Exod.19.* *Isai.6.* *Dan.7.* *Philip.2.* *1.Ioan.4.* *Gen.1.* *Hebr.1.* *Exod.14.*

Vtinam vel vnicam tantæ lætitiæ guttulam in nobis confideraremus. Qua mentis exultatione Deum Dominum nostrum confiteremur? Hoc ipsum autem Ecclesia Christianorum præsenti festiuitate quærit. Proindè si verum Christi membrū, si ingenuus Ecclesiæ Christi filius, admonitionē ne temne matris. Rideant, dumlibet alij, dúmque permittitur à Deo subsannétur: tu pierari stude nunquàm pœnitendæ, & ad dignè præsentem festiuitatē celebrandam, hoc ipsum Euangeliū ad manus accipe. Ac primò mentis sursum attol

le cogitationes, ad cogitandam diuinæ gratiæ & misericordiæ, hodie nobis exhibitæ, magnitudinem, & quam eius indiguerimus meditare. Neque id sine causa loquor: Nemo enim nescit Deum hominẽ factum: sed nõ omnibus notum est, aut certè non omnes cogitant cur necesse fuerit, vt Deus
Psal.84. homo nasceretur. Optimè Dauid hæc omnia considerabat cũ ait: Vt inhabitet gloria in terra nostra: misericordia & ve
Bernard. ritas obuiauerũt sibi: iustitia & pax osculatæ sunt. Certũ est autẽ his quatuor virtutibus hominẽ in prima sui origine ornatũ fuisse, quibus etiã defensus fuit: vt idẽ Dauid testatur:
Psal.58. Deus, inquiens, meus, misericordia eius præueniet me. Et ali
Psal.25. bi: Misericordia tua ante oculos meos est. Et: Misericordia
Psal.22. tua subsequetur me, omnibus diebus vitæ meæ. Et quomodò non persisteret securus, quẽ Dei misericordia firmat & munit? Deindè: Quia insciã homo creatura erat, pædagogũ illi Deus addidit, nec hũc imbellẽ: sed eũ qui tandẽ ad supremæ veritatis fastigiũ duceretur, ipsam veritatẽ nempe & scientiam. Tertiò, ne misericordiam acceptã perderet, siue amitteret, nec scientia ad peccatũ vteretur, si boni nihil operaretur: suscepit qua regeretur iustitiam. Postremò, ne in vllo deficeret, & pacem accepit, qua recrearetur: pacem, inquam, triplicem, pacem ad Deum, ad seipsum, & ad omnes creaturas. Vide in quo honore creatus sit homo, & quid desiderare potuisset, si ita perstitisset? Fuisset enim illi misericordia murus igneus, ne quo læderetur: veritas, lux ne erraret: iustitia, per quam ad salutem perrexisset, via: pax in assidua seruasset tutela. Sed homo cùm in eo honore esset, non intellexit,
Psal.48. comparatus est iumentis insipientibus. Ab Ierusalem descẽ-
Luc.10. dit in Hierico, & incidit inter latrones, qui eum his bonis spoliauerunt. Imò etiam ipse à se proiecit veritatem, cùm Satanæ plus haberet fidei quàm ipsi Deo. Iustitiam à se profligauit, cùm Dei præcepta transcendit. Tum etiam pacem
Isa.48. seruare non potuit. Non enim impijs est pax, inquit in Isaia. Sic ergo demum à misericordia Dei excluditur. Quid autem sub sole isto infœlicius homine misericordia, veritate iustitia & pace vacuo, ideoque omnibus carente bonis? Vbi enim nulla veritas, nulla iustitia, nullaque pax est, ibi profectò merũ mendacium, peccatũ & inquietudo sempiterna, timor, terror & tremor. Vbi autẽ & misericordia hominem destituit, eum certa expectat damnatio. In hac ergo miseria positus erat homo, nec potuit erigi rursus, nisi misericordia & ve-

ſitas obuiaſſent ipſi, Iuſtitia & pax ſe oſculatæ fuiſſent. At verò id impoſsibile videbatur. Compatiebatur quidem homini miſericordia, dicens: Nunquid in æternum proiiciet Deus, aut non apponet vt complacitior ſit amplius? Aut obliuiſcetur miſereri Deus? Aut continebit in ira ſua miſericordiam ſuam? At contra pugnabat veritas, quæ hominem damnabat. Nec inueniri aut cogitari potuit modus, vt integra manente diuina veritate & iuſtitia, miſericordia porrigeretur homini. Et vt ſummatim dicam omnia, eò res deuenerat, vt aut homo in æternum periret, aut pro illo quis ſubiret mortem, qui tamen à morte non abſorberetur, & cuius obedientia Deo magis placeret, quàm prima hominis præuaricatio & inobedientia offendiſſet. Verùm nemo in omnibus, qui non mortis tenebatur reus, homo. Tum nec angelus aliquis ita acceptus Deo, cuius obedientia plus gratiæ apud Deum obtineret, quàm prima hominis præuaricatio promerita erat indignationis. Solus ergo hoc potuit vnigenitus Dei filius. Hic morti nihil debebat, & Deo patri acceptiſsimus erat. Quòd ſi ergo hîc hominem adiutare renuiſſet, ſi mortem ſubire recuſaſſet, in perditis & deſperatis homo poſitus fuiſſet. Vides ergo quantis periculis res noſtræ ſubactæ fuerint. At gratia Deo Optimo Maximo ſolus ille Dei vnigenit⁹ noſtri miſertus, ſeſe pro nobis in mortem tradidit, quò diuinæ veritati & iuſtitiæ ſatisfieret, nobis verò miſericordia & pax obtingeret. Hoc igitur modo miſericordia & veritas obuiaueruut ſibi, iuſtitia & pax oſculatæ ſunt, in incarnatione Verbi. Huc igitur hodiernum facit Euangelium, in quo hoc negotium apparatur & per angelum annuntiatur. Primò igitur illa cogitemus neceſſe eſt. Quandiu enim, quàm deſperatæ res noſtræ fuerint, ignoramus, verè gratias agere Deo non poſſumus. Verùm dextrè ea perpendens, haud dubiè cùm Dauid dicit, O Domine quid eſt homo, quòd memor es eius: aut filius hominis, quòd viſitas eum? Et iterum: O Domine, quis ego ſum, vt hucuſque me perduceres? Cùm ergo temet homo ſatis in his exercueris, cùm Dei gratiam, miſericordiam, & dilectionem ſatis admiratus fueris, illíque propterea dignas grates perſolueris, tum denique etiam ſecundum recollige: eximiam virginis matris prærogatiuam, imò magnam ipſi à Deo factam gratiam meditare, tum vti te quoque in ſempiternum benignè reſpiciat, ora. Tertiò ad Chriſtum eiúsque

Pſal. 76.

Luc. 1.

Pſal. 8.

2. Reg. 7.

ſanctam incarnationem conuerte oculos, hunc cupida mente ſuſcipe, dic cum palmifera plebe: Oſianna fili Dauid, Benedictus tu qui veniſti in nomine Domini. Quartò in teipſum deſcende, ingratitudinem in hæc tam ingentia facta incuſa, ac pectus tuum percutiens, dicito: Deus propitius eſto mihi peccatori. In his quatuor hodie te exerceas, & Deo Chriſto & Mariæ acceptum, tibique vtiliſsimum opus peregeris. Deus Optimus Maximus ſuam nobis largiatur gratiam omnibus, Amen.

Matth. 21.

Luc. 18.

NONVS SERMO QVANDO hoc feſtum in Vigilias Palmarũ occurrit, ambo eius diei Euangelia confert.

HOdie (vti hoc anno conuenit) vna vice & initium & finis noſtræ ſalutis nobis proponuntur. Initium eius, id eſt, Chriſti incarnatio, hac Euangelica lectione per familiare illud Angeli & Mariæ colloquium nobis propoſita eſt, finis verò, id eſt, Chriſti paſsio, vnà cum fructibus inde proficiſcentibus, in Euangelio hodierni ſabbati per vehemẽtem illam orationem, quam Chriſtus poſt Cœnã habuit, innuitur. Ideóq; cùm mecũ, quid in vtroque Euãgelio doceamur, recogito: placet iiſdem vos affari verbis, quibus olim Iſaias populum Iſraẽlem alloquutus eſt: Conſolamini, cõſolamini (ille inquit) populo meus, dicit Deus veſter: cõpleta eſt malitia eius, dimiſſa eſt iniquitas illius. Suſcepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis ſuis. Id ergo hodie comperimus verum eſſe in nobis. Duplicem conſolationem, duplicia bona, duplicem hodie de remiſsione peccatorum promiſsionẽ, & duplicia ſigna diuini fauoris conſpicimus. Primum ſignum eſt ſancta Chriſti incarnatio: ſecundum, oratio, quã ante paſsionẽ ſuã ad Patrẽ orauit. Cũ ergo & mihi bis dicere licebit, Conſolamini conſolamini populo meus? Vtrobíq; enim immenſa conſolatio eſt. Et quia feſti huius Euangelium audiuimus, etiã ſabbati diei lectionẽ accipiamus. Vtrobíq; enim ſalus noſtra recogitatur, vtrobíq; noſtræ vtilitati conſulitur. Neutrũ ergo ſilentio præteribo. Neque enim malè Angeli annũciatio & Chriſti oratio cõuenient.

Luc. 1.

Ioan. 17.

Iſai. 40.

Quæris ergo quid orauerit Chriſtus? Audi Euãgeliſtam dicentem: Sublatis Ieſus oculis in cœlum, dixit: Pater, venit hora clarifica filium tuum, vt & filius tuus clarificet te, & quę ſequuntur per reliquum capitulũ illius. Hęc ergo oratio

Ioan. 17.

Chriſti,

Christi,quam post nouissimam cœnam orauit,quam si hodiernæ festiuitati & angelicæ ad Mariam nuntiationi conferas,videbis vtrobique nostram salutē recogitari.Si enim nescis quàm Deus in nos sit benevolus,hāc festā diem, vnáque eius Euangelium contuere. Si deindè ignoras, qua fide negotium salutis executus sit,in hanc orationem aspice.Sic Deus dilexit mundum,inquit Ioannes,vt filium suum daret vnigenitum. *Ioan.3.* Christus dilexit nos,inquit Paulus, & tradidit semetipsum pro nobis. *Galat.2.* Vtrobiq; lætari, vtrobiq; agere gratias decet.Loquitur quidem in illa lectione ad solam Virginem illam angelus,q; sola in matrem vnigeniti Dei esset electa,videturque quasi solam virginē respicere illius annuntiatio. sed à fine clarissimè colligitur omnium nostrū rem agi,quando puer,de quo fit sermo, nomine Iesus appellandus est,sessurus super sedem Dauid patris eius, & regnaturus in domo Dei in sempiternū.Ex his (inquam) colligi licet,hanc omnes nos respicere legationē. Nos enim domus Dauid & Iacob,nos Seruatoris egemus,qui nos à peccatis liberet:desideramus Regem, qui ab iniqui Spiritus tyrannide liberet:optamus Dominum,qui nos regat, cuius regnū sempiternum sit.Hunc igitur in præsenti lectione Euangelicā nobis annunciat angelus,hunc cælitus mittit Deus, concipit pariq; virgo. Quid ergo decentiùs à nobis fieri potest, nisi vt cum magna mentium nostrarū exultatione prorumpamus iis vocibus,quib⁹ olim quatuor illi leprosi sunt: Hęc dies bonæ nuntiationis,siue boni nuntij est.Venite eamus & nuntiemus in aula Regis. Si enim tacuerimus & noluerimus nūtiare sceleris arguemur.Sic & nos loquamur ad inuicem.Si enim obsidione angustatis Israëlitis lætum admodùm nuntium fuit,fugā hostium audire, si fame periclitantibus gaudium fuit,castra hostium plena diuitiis, inuadere: quantò magis nos lætari & exultare decet,quibus cœlitus à Deo demissus Angelus eum præsentē annuntiat,qui internam & spiritualem famē nostram tollat, & ab animarū hostibus liberet,nec hoc solùm,verumetiam æterna securitate beet,&omnibus omniū diuitiarū copiis ditet?Si leprosis scelus visum est,tacere,tantúmq; gaudiū apud se cōtinere,non etiā aliis annuntiare,maius profectò scelus est,& tantū non parricidiū quoddā tacere, & tantæ gratiæ nobis à Deo per Christum,eiúsq; sanctam incarnationem exhibitæ magnitudinem non annuntiare omnibus. *2.Reg.7.* Quid enim mundo iu-

cundius accidit vnquã? Hodie Deus adimplere incipit quic
Exod.32. quid vnquã de hominũ ſalute hominibus ꝓmiſerat. Hodie verus nobis non de monte, ſed è cœlo deſcendit Moſes, qui & ſcriptam, non iam in lapideis tabulis, ſed in ſuo ipſius, quod de nobis in ſe aſſumpſerat corpore, Dei voluntatẽ attu
Ioan.6. lit. Hæc eſt, inquit: voluntas qui miſit me, patris: vt omnis
Iudith 14. qui videt filium & credit in eum, habeat vitã æternam. Hodie verus ille Samſon, Chriſtus, in Philiſtbæorum terrã, hoc eſt, in hũc mundũ, in quo regnabat Satan: venit, ſibíq; indè ſponſam accipere. Hodie verus Dauid præ fratribus ſuis om nibus oleo vnctus eſt lætitiæ, hoc eſt, ſpiritu ſancto in Re-
1. Reg. 16. gem credentis populi à Deo cõſtitutus eſt. Hodie idem ille
Pſal. 44. Dauid Chriſtus noſter lorica ſe induit, hoc eſt, humanã naturam aſſumpſit, in qua contra Goliath, ipſum Satanam pu
1. Reg. 17. gnaret. Eia ergo exordium noſtræ redemptionis deuotè no biſcum recolamus, & apud omnes enuntiemus. Hoc igitur huius feſtiuitatis propriũ eſt. Væ nobis, ſi tantis gratiarũ do nis ingrati fuerimus inuenti, ſi tam lętam annuntiationem ſilentio præterierimus. Sit exemplo beata virgo, qua mentis gratitudine hæ gratiæ ſuſcipiẽdæ ſint. Miratur illa primum ab inſueta & noua ſalutatione Angeli, indignam ſe tantæ gratiæ reputans. Poſt verò, quàm benignitatem diuinæ voluntatis erga ſe vniuerſámque hominum naturam intelligit, admirationi ſuccedit gaudium, quòd poſtea in pleni laudis prorumpit canticum. Magnificat anima mea Dominum, & exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. Quia fecit mihi magna qui potens eſt, & ſanctũ nomen eius. Nec tantùm reſpexit meã ancillæ ſuæ humilitatẽ: verũ etiã Iſraẽlẽ puerum ſuũ ſuſcepit, recordatus miſericordiæ ſuæ, ſicut loquutus eſt ad patres noſtros Abrahã & ſemini eius in ſæcula. Ecce ergo, ꝙ licèt ſolam virginẽ alloquitur Angelus, ipſum tamẽ, quod loquitur, omnes etiam nos tangit. Eandem rationem aliud quoq; Euangeliũ habet. Licèt enim ab initio eius orationis pro ſua clarificatiõe oret, tamẽ mox addit orationem pro ſuis Apoſtolis & diſcipulis, imò etiam pro omnibus credentibus: vſque ad conſummationẽ mũdi, quibus nos etiam annumeramur. Primũ nos in manus Dei patris ſui commẽ-
Ioan.17. dans, ꝙ dicit. Pro eis rogo. Et hoc verbo ſeſe mediatorẽ inter Deũ & hominẽ conſtituit. Pro eis rogo: quaſi dicat. Hactenus multis quidẽ ruã pater, opẽ implorarunt, ſed fruſtrà. Neque enim vllius hominis oratio te placare potuit. Ora-

uerunt &

nerunt & Iudæorum Pontifices pro ſuo populo, ſed quia & ipſi peccatores erãt, iram & indignationẽ tuam perfectè auertere non poterant. At ego, qui in innocentia & ſanctitate in cõſpectu tuo appareo, ipſe filius, quẽ nihil negans ſemper exaudis, rogo te, atq; vt id facerẽ cõmodi⁹, formã in me ſerui ſuſcepi, in ſimilitudinem factus: vt homo. Quia igitur ego à parte eorũ ſto, mea cauſa impetrent, quod propria dignitate nõ meruerant. Nõ pro mũdo rogo (addit) ſed pro eis, quos dediſti mihi de mundo. Tui enim ſunt. Ac his quidem verbis clarè indicat, non omnibus ſine delectu hominibus ſuam orationẽ ſuámque paſsionem cõmodare, quéad modùm olim quoq; agni ſanguis nemini præterquã Iſraëli profuit. Deindè etiã, qui ſint innuit, qui tanto bono priuentur, imò qui ſeipſos illo ſpoliant, nempè mundi huius amatores. Quamquàm illud bonum à mundi amore debuit abripere. Tertio, ſignificat ijſdem verbis non paucos fore numero, quibus oratio & paſsio Chriſti nihil profutura ſit, quãdo eos mũdum vocat. Poſtremò ijs profutura dicit, quos pater ab æterno prædeſtinauerit & elegerit, ipſe verò vocauerit & iuſtificauerit, imò qui ad ſe conuerſi, ipſi adhærent, qui & vita & moribus mundo eſſe diſsimiles ſtudent. Nõ pro mundo rogo, ait, ſed pro ijs quos de mũdo dediſti mihi. Tui eñ ſunt, intelligẽ, nõ ſolum creatione: verùm etiam, q̃ te agnoſcunt, te quærunt, te honorificant. Nã creatione totus etiam mundus Dei eſt, ſed non agnoſcit eum, hos autem Chriſtus de mundo non eſſe affirmans, tui ſunt, inquit. Tu eos pater creaſti, elegiſti, mihiq; commendatos voluiſti, & verbũ tuum audiuerunt & iuſceperunt. Tui ſunt. Quo etiam verbo nos, quàm maximè Deo patri commendauit. Nec quicquàm ita Deum ad commiſerationem mouet, quàm quòd ipſius ſumus peculium. Vnde & ſapiens dicit. Si peccauerimus, tui ſumus, & ſi non peccauerimus, ſcimus, quoniam apud te ſumus computati. Ecce igitur, pro quibus Chriſtus orauit & paſſus eſt.

Hebr.5. *Phil.2.* *Exod.12.* *Rom.8.* *Ioan.1.* *Sap.15.*

Nunc porrò quid orauerit videamus. Inuenio autem quatuor pro quibus orauit, quæ etiam noſtro bono impetrauit. Exaudirus enim eſt pro ſua reũerentia apud Deũ. Primũ eſt, quod dicit. Sanẽte pater, cõſerua eos in nomine tuo. Eſt autẽ nomẽ Dei, verbũ eius, poteſtas & miſericordia eius. Quẽadmodũ enim quæq; res per propriũ ſibi inditũ nomẽ agnoſcitur, ita etiam Deus per verbũ ſuum, per potẽtiam & miſeri-

Hebr.5.

cordiam ſuam agnoſcitur. Orat ergo Chriſtus: vt Deus pater in nomine ſuo, id eſt, per verbum ſuum per potentiam & miſericordiam ſuam nos conſeruet, non, ne quid externæ
Gen. 5. aduerſitatis aduerſum nos inſurgat. Nõ oro: vt eos de mun-
4. Reg. 2. do tollas, quemadmodùm Enoch & Heliam. Sunt enim adhuc mundo neceſſarij, ſed & munus eorum poſtulat: vt in toto mundo Euangelium meum prædicent. Tunc etiam non oro: vt omnis iam ab eis auferatur tentatio, perſecutio, languor, mors, etſi quid eius generis aduerſitatis eſt, ſunt enim illa magni boni materia, & probationi & humilitati ſeruiunt. Sed hoc oro: Cõſerua eos à malo, hoc eſt, à peccato, ab infidelitate, à defectione, conſerua eos in bono, ne reſiliant, conſerua eos à malo, ne in aduerſis ſuccumbant, ne in tentationẽ incidant, ne dominetur eis peccatum. Conſerua eos iam lapſos etiam, ne deſperent, ſuppone illis manum
Pſal. 36. tuam (vt Dauid ait) ne collidantur, ſed ſurgant citiùs.

Hoc ergo primũ, quod Chriſtus noſtri cauſa orat. Deindè addit. Sanctifica eos in veritate. Sanctificare nõ vno mo-
Exod. 19. do ſignificat in ſcripturis. Eſt aliquando purificare: vt ad Moſen Deus ait. Sanctifica populũ, id eſt, purifica. Eſt etiam ſegregare, aut diuinis miniſterijs mancipare: vt ſanctifica mihi primogenitos fructus hominum & iumentorũ, id eſt,
Exod. 13. ſegrega mihi. Aliquando etiam ſanctitatem tribuere, ſan-
Exod. 31. ctum facere. Sic Deus ad Iſraẽlẽ. Ego Deus ſanctificans vos, hoc eſt, qui vos ſanctos, probos, & iuſtos efficio, atque ſecundum hæc Chriſtus hîc orat: vt Deus nos etiam atque etiam purificet à peccati in nobis inhærentibus maculis, imò ab ipſo peccato, quod quotidiè perpetramus. Secundò: vt nos à mundo ſegreget: vt ſimus maneamúsq; vaſa in honorem.
2. Tim. 2. Tertiò: vt per ſuum ſpiritum ſanctitatem corporis & animę, hoc eſt, interne, externè coram Deo & mundo nobis largiatur & infundat. Propterea enim addit. In veritate. Aliàs enim falſa & conficta ſanctitas eſt, quæ in facie coram hominibus pietatis formam habet, longè à corde poſita.

Tertiò, pro omnibus hominibus orat: vt ſint vnum. Primò, ne qua deinceps ſit diuerſitas inter Iudæum & Græcũ, ſed ex duobus populis: vnus fiat. Secundò: vt ſimus vnanimes, in doctrina, in fide in ſpiritu, & pietate omnimoda. Tertiò: vt vnum ſimus in charitate & vnanimitate, quæ ſo-
Prou. 18. la fortes facit & inuincibiles: vt Salomon ait. Frater qui adiuuatur à fratre, eſt quaſi ciuitas firma. Quartò: vt vnũ corpus ſimus,

pus simus,& quam quisque habet gratiam,in commune vtatur commodum,quemadmodùm in naturalis corporis mẽbris videmus fieri. Postremò orat:vt cum ipso simus in æternum. Pater,inquit:volo:vt ibi ego sum,illic sint & ipsi,quos mihi dedisti:vt videant claritatem meam,quã habui apud te priusquàm mũdus fieret. Hoc ergo maximũ est,quod Christus apud se in patria, in regno suo, in consolatione, lætitia, maiestate suos vult habere, quos secum constantes habuit in via,in exilio,in miseria,tribulatione, contumelijs & ignominia. Ecce hæc sunt, quæ Christus in sabbati huius Euangelio pro omnibus nobis orauit patrem, & exauditus est:vt Paulus ait. Et quis hac oratione non afficitur? Aut quid ipse Christus illa persona à Deo non obtineret? Agè ergo in Christo fratre,si Christus eo modo orauit patrem pro nobis,quid ab indignatione Dei timemus? Si nos in ipsius Dei patris manus tradidit, si ipsius tutelæ commendauit, quæ nobis hostilitas nocebit? Si nos lætitiæ consortes vult esse in regno suo,quis impedire poterit? Ecce igitur tantorum bonorum & gaudiorum materiam ex vtróque huius diei Euangelio haurire licebit. Quisq; ergo piè Christianus hæc sibi dicta arbitretur,& in his sese exerceat. Gratia Dei Opt.Max.cum omnibus nobis,Amen.

Ioan.17.

Luc.22.

Hebr.5.

DECIMVS SERMO DICIT de cantionibus huius festi,deindè habet introductiunculam ad passionem Christi.

FAcile est cuilibet, in hanc Euangelicam lectionem attendenti,quid sibi præsens velit festiuitas cognoscere,id quod omnes cũ diligentia cogitare æquũ est. Neq; enim vana res est, cogitare,quomodò nobis Adæ posteritati,adhuc in extrema miseria positæ, primum vita salúsque apparuerit & obtigerit. Res planè eiuscemodi,quæ pro sua dignitate omnium mentibus infixa hæreat, pro qua etiam meritas laudes Deo dicimus. Multa autẽ ad cogitandum nostræ salutis exordium scripturæ nos adhortantur dicta. Primum est Prophetica Isaiæ lectio, in quã Propheta exordium nostræ salutis annuntiat clarissimé. Ecce,inquit:virgo concipiet & pariet filium,& vocabit nomen eius Emanuël. Secũdum est iam iam prælecta Euangelij lectio, in qua veluti ante oculos initium nostræ redemptionis depingitur. Tertium est

Isai.9.

Luc.1.

antiphona hodie in Ecclesia decantata. Hæc est dies, quam fecit Dominus. Hodie tribulationẽ nostram aspexit Dominus, & redemptionem misit. Hodie mortem fugauit fœmina, quam intulit fœmina. Hodie Deus homo factus, & quod erat, permansit, & quod non erat, assumpsit. Ergo exordium nostræ redemptionis cum deuotione recolentes dicamus. Gloria tibi Domine, laus & honor in sæcula. In hac ergo antiphona quatuor Ecclesia exclamationibus vtitur, isque ex sacris scripturis sumptis: vnde meritò nos adhortantur.

Psal.117. Prima ex Psalmista desumpta est. Hæc est dies, quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea. His verbis Ecclesia nos in Psalmum ducit, insinuans quicquid ibi positum est, hodie sumpsisse initium. Est autem Psalmus ille vnus ex præcipuis illis, qui de regno Christi loquuntur. Vnde & Dauid ipse post longam diuinæ miserationis commendationem ad ipsum Christum conuertitur, dicens. O Domine saluum me fac. O Domine benè prosperare. Benedictus qui venit in nomine Domini. Deus meus es tu, & cõfitebor tibi. Deus meus es tu, & exaltabo te. Secunda exclamatio de-

Exod.3. sumpta est ex secundo Pẽtateuchi. Hodie, inquit Deus: vidi afflictionem populi mei in Aegypto. Quibus profectò admonemur, non minorem fuisse afflictionem humani generis, priusquàm veniret Christus in mundum, quàm illa, qua afflicti erant Israëlitæ in Aegypto. Subditi enim erant Tyranno immanissimo, quo sine omni misericordia vexabantur & persequebantur. Talem nos quoque sustinuimus, imò & iniquiorem. Ille enim corpus tantũ vexabat & torquebat, noster verò animam simul & corpus nostrum perdere studebat. Quemadmodùm ergo illis fœlix erat dies, in qua ad liberandum eos ex Aegypto Mosen misit, ita nobis etiam sperata dies fuit, qua nostras miserias Deus respiciẽs, filium demisit vnigenitum. Hoc ergo inculcatur hodie: vt gratiores simus. Nam si quis præterita mala suaue: vt carceres, infirmitates, egestatem & alia memoria recollegerit, multò se gratiorem erga redemptorem suum exhibebit.

Tertia exclamatio ex primo Pentateuchi desumpta est.

Gen.3. Hodie mortem fugauit fœmina, quam intulit fœmina. Quò lapsus primorum parentum admonemur. Et hoc partim eò: vt videamus non esse Deum peccati nostri causam. Fœmina, inquit, mortem intulit, & homo suæ ipse damnationis causa & origo fuit. Tentare enim Satan potuit,

coge-

cogere non potuit. Tentauit & Deus hominem, non vt caderet, sed vt probaretur. Vnde ipsum illud mandatum latum fuit, cum denuntiatione periculi. Quin ita eum suæ gratiæ donis munijt, vt facilè quibuslibet tentationibus potuisset resistere. Et in quem homo culpam reijcere potuit, præter in se vnum? Huc ergo pertinet quod Paulus ait: Adam non fuit seductus, sed mulier seducta erat in præuaricatione. Quasi diceret: Adam non ignoranter, sed volens peccauit, à nemine in hoc impulsus, sed propria peruersitate motus, vt verũ sit propheticum illud dictum: Perditio tua ex te Israël, salus autem tua ego sum. Deinde etiam hæc festiuitas nostri nos lapsus admonet, vt consideremus quid nobis præ omnibus alijs creaturis fecerit: nempè quod hominem etiam post lapsum & execrandam inobedientiam non penitus à se abiecit, sed piè quod fractum erat, instaurauit, imò statim post lapsum diuini sui auxilij opem promisit: quã nulli præterea creaturæ exhibuit. Fuit quidem Lucifer nobilissima Dei creatura, sed quia semel à Deo auersus, irreuocabili sententia in æternam damnationem præcipitatus, sine vlla spe recuperandæ salutis. Hinc ergo videmus, quantum Deo & patri nostro debeamus, qui miseris nobis terræ vermiculis ea exhibuit, quæ nec supremæ creaturæ ostẽdit, imò & recusauit. Quid verò exhibuisse olim dico? etiamnum exhibet hodie. Quoties enim Deum offendamus nouimus omnes, nihilominus tamen nos ad se vocat, dicens: Cõuertere ad me, & suscipiam te. Et iterum: Si peccata vestra fuerint rubicunda, erunt vt nix alba: & si erunt rubra, quasi vermiculus, velut lana alba erunt. Huius ergo lapsus admonemur, per primi parentis lapsum. Quare autem festos dies non celebrabimus? cur Deo gratias non agemus, qui tantum benignitatis suæ copiam in nos effudit? Postremò etiam ideò huius lapsus admonemur, vt agnoscamus quomodò Deus nõ modò gratia sua, verùm etiam sapientia in instaurando homine vsus sit. Quemadmodum serpens ille etiam non solùm malitia & odio, verùm etiam dolo, vt hominem falleret, vsus est. 1. Timot. 2. Osee. 13. Hiere. 33. Isa. 1.

Fuit tamen Dei bonos palàm, declarans se non minus sua sapientia posse quod lapsum erigere, quàm diabolum suis artibus quod integrum erat posse infringere. Iisdem igitur Deus vsus est medijs in recuperando homine, quibus ante diabolus in illo vsus erat fallendo. Inuenerat diabolus angelum nequam, qui suam ad hominem legationem expediret.

Gen.3 ret. Inuenerat serpentem, qui seruiebat, inuenerat mulierem quæ fidem habebat dicenti. Contrà, Deus bonũ Angelum inueniebat, qui sanctum Spiritum mediatorem annuntiabat. Inueniebat virginem Mariam, quæ in suam voluntatem consentiebat. Iam verò si Gabrielem diabolo, sanctum Spiritum serpenti, Mariam Euæ contuleris: videbis non minus Deum vsum fuisse sapientia, quàm diabolum vsum fraude. Horum ergo omnium nos tertia hæc admonet exclamatio: Hodie mortem fugauit fœmina, quam intulit fœmina. Quarta & præcipua exclamatio est: Hodie Deus homo factus. Hæc ex hodiernæ diei desumpta est Euangelio, in quo dicitur: Ecce concipies & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum. Vides ergo quæ hodie facta sint magnalia. Quid ergo restat nisi vt redemptionis nostræ exordium deuotè recolamus, erumpamus & exclamemus, Gloria tibi Domine.

Ecce hoc modo ista hæc antiphona docet, quid præsens à nobis exigat solennitas, ita planè, vt non sit necesse aliunde quid addere. Quod si cui placet suam exercere deuotionem, sumat sibi hoc Euangelium, singula verba examinet, & miram haud dubiè percipiet in eis dulcedinem. Atque vtinam tempus sineret, quasi superfluum etiam de Euangelio aliquid dicere: Sed cogor ad alia me conuertere. Adest in propinquo passionis redemptoris nostri Christi tempus, quod silentio transgredi nec possum, nec debeo. Vtenim de hoc
Psal.119. festo verè dicere possum: Hæc est dies quam fecit Dominus,
2.Cor.6. ita etiam de sequenti hebdomada dicere licebit: Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.

Deus Optimus Maximus sua gratia donet
ita hanc festiuitatem cæteróque dies
passionis Christi peragamus, vt
ad Dei laudem, nostram
conducat laudem,
Amen.

SEQVI-

SEQVITVR IN PASSIONEM DOMINI

PRAEFATIO.

HVCVSQVE per totius Quadrageſimæ tẽpus ad pœnitentiam qua potui diligentia vos adhortatus ſum his verbis, quibus ipſe Chriſtus in prædicationis ſuæ vſus fuit exordio: Pœnitentiam agite, & credite Euangelio. *Mar. 1.* Nunc porrò ita temporis poſtulante decurſu hoc etiam admoneo, vt paſsionem Domini & ſeruatoris noſtri Ieſu Chriſti cogitemus ſedulò, & noſmet ad ſacroſanctι Sacramenti corporis & ſanguinis eiuſdem Chriſti communionem præparemus. Verumque autem iiſdem verbis, quibus hucuſque vſus ſum, faciendum puto. Neque enim vel ad cogitandam paſsionem Domini, vel ad ſumendum ſacramentum illud minus conueniunt, quàm ad pœnitentiam ſuſcipiendam commodarunt. Quemadmodum enim nemo peccatorum remiſsionem ſine pœnitentia cõſequitur & fide: ita nec paſsionem Domini verè cogitare poterimus, nec Sacramentum corporis & ſanguinis Domini dignè ſumere: niſi pœnitentiam ſimul & fidem eò adferamus, id quod initio paſsionis Chriſti placet oſtendere. Sit ergo initium: Pœnitentiam agite, & credite Euangelio. Si cum vtilitate paſsionem placet audire Domini: hæc duo pœnitentiam, inquam, & fidem habeatis neceſſe eſt. Hoc eſt: vt vtróque oculo aperto in paſsionem Domini reſpiciatis neceſſe eſt, haud ſecus id, quàm in ſpeculum & noſtræ nimium, hei, nimium diræ miſeriæ, & diuinæ pietatis miſericordiæ. Ita planè vt vno oculo nos reſpiciamus ipſos, & ex paſsione Domini diſcamus quæ noſtra natura fuerit, & quid meriti. Altero verò in Deum & Chriſtum reſpiciamus, & ex eadem paſsione diſcamus quid confidenter à Deo ſperare debeamus. His oculis ſi quis rectè vſus fuerit, magnam vtilitatem ex paſsione Chriſti reportauerit. *Hebr. 13.* Verùm huc præcipuè fides requiritur. Accedentem enim ad Deum oportet credere. Imò qui ad paſsionem Domini accedit, neceſſe eſt credat non ſolùm nudam hiſtoriam, verùm etiam totum illud quod de ea paſsione Scriptura teſtatur. Sed de nulla alia re tanta & tam ſublimia Scriptura, atq; de paſsione Chriſti loquitur. Quid hoc ſit quæris? Primò, clariſsimè confirmant & teſtantur quatuor Euangelιſtæ,

liſtæ, imò & Paulus & Iſaias, Chriſtum paſſum eſſe. Secundò, palam Scriptura teſtatur, quòd noſtri cauſa paſſus ſit.
Rom.4. Chriſtus, inquit Paulus, pro nobis in morte eſt traditus. Et:
Gal.1. Tradidit ſemetipſum pro peccatis noſtris. Et iterum: Deus
2.Cor.5. eum qui non nouerat peccatum, pro nobis fecit peccatum, vt nos efficeremur iuſtitia Dei in illo. Et ipſe Chriſtus in
Iſai.43. Propheta: Seruire me feciſti (ad populũ loquitur omnem) in peccatis tuis præbuiſti mihi laborẽ in iniquitatibus tuis.
Pſal.68. Et in Pſalmis: Quæ non rapui, exolui. Tertiò, teſtatur Scri-
Luc.24. ptura, quòd oportuerit Chriſtum pati, quòd nemo alius auxilio nobis eſſe potuit, non angelus, non homo, non creatura, nulla lex, nulla victima. Huc ergo pertinet, quod in
Iſai.51. Iſaia de Hieruſalem ſcriptũ eſt, Bibiſti de manu Domini calicem iræ eius. Non eſt qui ſuſtentet eam ex omnibus filijs eius, quos genuit, & non eſt qui apprehendat manu eius ex
1.Reg.17. omnibus filijs quos enutriuit. Huc etiam figura Gigantis illius, quem nemo niſi Dauid proſtrare potuit. Huc Propheti
Iſai.42. cus Iſaiæ ſermo. Hæc dicit Dominus, redemptor tuus. Ego
Iſai.43. ego ſum, qui deleo iniquitates tuas propter me, & vſque in
Iſai.45. ſempiternum non recordabor iniuſtitiæ tuæ. Et iterũ: Ego Dominus, & non eſt alius præter me. Id quod non ignora-
Hiere.17. bat Hieremias, ideóque exclamat, O Domine ſana me, & ſanabor: adiuua me, & ſaluus ero, quoniam laus mea & gloria
Ioan.8. mea tu es. Vnde & ipſe Chriſtus ait, Si filius vos liberat, verè liberi eritis. Quartò etiam Scripturæ teſtimonio, ipſe
Ioan.3. Deus filium ſuum in mundum tradidiſſe perhibetur. Sic Deus dilexit mundum, vt filiũ daret vnigenitum, vt omnis qui credit in illum non pereat, ſed habeat vitam æternam.
Ioan.14. Qui proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus
Roma.8. tradidit illum. Et Chriſtus ipſe: Iam non multa loquar vobiſcum. Venit enim princeps huius mundi, & in me non habet quicquam: ſed vt cognoſcat mundus, quia ego diligo Pa-
Ioan.18. trem, & ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio. Et: An
Ioan.19. non bibam calicem, quem dedit mihi Pater? Et iterum Non haberes in me poteſtatem vllam, niſi datum eſſet tibi de-
Epheſ.1. per. Quintò, Scriptura atteſtatur, quòd ſalus noſtra ex ipſa Chriſti paſſione prouenerit. Per ipſum habemus, inquit Paulus redemptionem, per ſanguinem ipſius, remiſsionẽ peccа-
Hebr.9. torum, ſecundũ diuitias gratiæ ſuæ. Et iterũ: Sanguis Chriſti emundat cõſcientias noſtras ab operibus mortuis, ad ſer-
Apoc.1. uiendũ Deo viuenti. Et: Chriſtus lauit nos à peccatis noſtris

in ſan-

in sanguine suo, & fecit nos Reges, & Sacerdotes Deo & Patri suo. Sextò, Petrus testatur quòd passio Christi nobis in exemplum sit facta. Christus, inquit, passus est pro nobis vobis relinquens exemplũ, vt sequamini vestigia eius, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius: Et iterũ: Quando igitur Christus passus est in carne pro nobis, vos quoque iuxta eandem cogitationem armemini. Et Paulus: Per patientiam curramus ad propositũ nobis certamen, respicientes ad fidei ducem & cõsummatorem Iesum, qui pro proposito sibi gaudio pertulit crucem, ignominiã contempta, & ad dexteram throni Dei consedit. Et ipse Christus: Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur. Hæc ergo hísque similia Scriptura de passione Domini testatur. Vnde quid de eadem credendum, & quòd passionem Domini cogitanti fides necessario sit, facilè videmus: Quare pœnitentiam agite, & credite Euangelio. Credite quòd Christus verè passus sit, hoc enim admirationem simul & intentionem admodum necessariam pariet. Non enim negligenter & interna sine deuotione quadam passio Christi audienda est. Secundò, sine vlla hæsitatione credẽdum, nostri causa Christum passum. Hinc ineffabilem ipsius charitatem in nos considerabimus, & quid cõtrà præstandum intelligemus. Postea verò quàm execranda res sit peccatum, vt quæ Dei filium cruci affixerit, agnoscemus. Tertiò, credendum est necesse fuisse, vt Christus pateretur, & quòd oportuerit ita fieri. Hinc magnitudinem & grauitatem peccati nostri considerabimus: hinc timor, contritio, lachrymæ, & maior prouidentia aduersus ingruens peccatum nascetur. Quartò, Christum pro voluntate Dei passum, credendum est. Et hinc quoque immensam Dei erga nos misericordiam videbimus. Quintò credendum est, quòd Christi passione salus, ipsáque vita æterna data sit. Atq; hinc cõscientiæ nostræ aduersum desperationem confirmabuntur. Ipse enim Christus in sua passione omnibus loquitur: Venite ad me, omnes qui laboratis, & onerati estis, ego reficiam vos. Et iterum: Ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me, & vsq; in sempiternũ nõ recordabor iniustitiæ tuæ. Ac sextò quidem & postremò, quòd Christus nobis in exemplũ passus sit, credendum est. Discamus ergo ex his Deo primùm quid sit præstandum, deinde etiam quomodo pati & sustinere debeamus. In summa ex passione Christi discamus hu-

1. Pet. 2.

1. Pet. 4.

Hebr. 12.

Matth. 16.

Matth. 11.

Isa. 43.

milita-

militatem, obediẽtiam & charitatem. Diſcamus cum tolerantia ſufferre pericula & aduerſitates, tum etiam antidotũ ſume tibi & cõſolationes cõtra ingruẽtes tribulationes. Credite ergo Euangelio, & cũ fructu paſsionẽ audietis Chriſti.

IN DIE SANCTORVM PHILIPPI ET IACOBI APOSTOLORVM EVANG. IOAN. XIIII.

ET ait diſcipulis ſuis: Nõ turbetur cor veſtrũ Creditis in Deum & in me credite. In domo Patris mei, manſiones multæ ſunt. Si quo minus, dixiſſem vobis: quia vado parare vobis locũ, & ſi abiero & præparauero vobis locũ, iterũ venio, & accipiam vos ad meipſum: vt vbi ſum ego, & vos ſitis, & quò ego vado, ſcitis, & viã ſcitis. Dicit ei Thomas. Dñe, neſcimus quò vadis, & quo modò poſſumus viam ſcire? Dixit ei Ieſus. Ego ſum via: veritas, & vita. Nemo venit ad patrẽ niſi per me. Si cognouiſſetis me, & patrẽ meum vtiq; cognouiſſetis. Et amodo cognoſcetis eũ, & vidiſtis eũ. Dixit ei Philippus. Dñe, oſtẽde nobis patrẽ, & ſufficit nobis. Dixit ei Ieſus. Tãto tẽpore vobiſcũ ſum, & nõ cognouiſtis me? Philippe, qui videt me, videt & Patrẽ. Quomodo tu dicis, oſtẽde nobis Patrem? Non credis quia ego in Patre, & Pater in me eſt? Verba quæ ego loquor vobis à meipſo nõ loquor. Pater autem in me manens, ipſe facit opera. Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt? Alioquin propter opera ipſa credite. Amen amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet. Quia ego ad Patrem vado, & quodcũque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam.

EO-

EODEM FESTO EPISTOLA

SAPIEN. V. CAP.

STabunt iusti in magna constantia aduersus eos qui se angustiauerunt, & qui abstulerunt labores eorum, videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, gementes præ angustia spiritus, dicẽtes intra se, pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus, gementes: Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinẽ improperij. Nos insensati vitam illorũ æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Ecce quomodò computati sunt in filios Dei, & inter sanctos sors illorum est.

SERMO PRIMVS.

SI quis ignoraret quę Apostolorũ apud Deum æstimatio sit, q̃d nos de ipsis credere æquum sit, tum quæ eorundem dignitas, quę maiestas quæ beatitudo: hoc vnum si legeret Euangelium, facilè cõsideraret. In eo enim tanta dicendi suauitate, tam blandis verbis loquitur Christus, vt mirum sit, si non omnes cũ Regina Saba non iam ad Salomonem, sed ad ipsum Regum Principem Christum cum admiratione dixerimus: Beati viri tui, & beati serui tui, ij, qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam. Si, inquam, cum diligentia hanc Euangelij lectionem cogitauerimus, verè dixisse Ieremiam Prophetam inueniemus. Bonus est Dominus, inquit ille, omnibus sperantibus in eum, animæ quærenti eum. Vis autem quæ Apostolorum sit dignitas scire? Cuius ipsi sint Apostoli cogita. Vis quę ipsorũ priuilegia sint discere? Quid præsenti illis lectione tribuatur, animaduerte, ipsa nimirum Domini verba perpende. Non turbetur cor vestrũ neq; formidet. Creditis in Deum? & in me credite. Et: quò vado, scitis, & viam scitis. Sic porrò maiestatem ipsorum ex eiusdem Domini verbis colligere licet. Qui in me credit, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet. Et quicquid petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam. Sed & beatitudinem eorum cognoscimus, quod ait: Accipiam vos ad meipsum, vt vbi ego sum & vos sitis. Et quomodò conuenientiùs eorum vel dignitas, vel maiestas, vel beatitudo quàm hoc Euangelio, ostenditur? Ea ergo propter in Apostolorum festis illo vtimur in Ecclesia, vt si cui minus satisfecerint vitæ eorum hi-

Thren. 3.

Quæ Apostolorum dignitas sit.

Quæ ipsorũ Maiestas.

Quæ beatitudo.

storiæ, hinc hauriat, quod piè, dignóque cum fructu secum cogitet. Quanquàm & priuatæ Apostolorum historiæ minimè sint respuendæ, vt quæ multa & egregia de ipsis, planéq; eiusmodi testãtur, quibus nõ immeritò ad amandũ & suspiciendum eos, tanquàm summi Dei eximios amicos, commoueremur. Nec hoc solùm, verumetiam vt sermones prædicationésq; ipsorum diligentiùs audiamus: vt à Deo Legatos eos studiosiùs sequamur, vt datos nobis duces ad præcedendum in via salutis. Et denique, vt beatitudinẽ ipsorum, quos toties Dominus beatos pronuntiauit, Appetamus. His meditationibus præsens occasionem ministrat lectio: imò verò dextrè, vt æquum est, examinata ostendit, vnde tam illuminatũ diuinarũ rerum intellectũ, tantã in omni pietate sedulitatẽ, támque admirandam in persecutionibus patientiam conceperint Apostoli: in quibus omnibus cùm excellentes tum etiam laudatissimi fuerunt. nec mirum, quando doctori tam fido tam cupidas ac diligentes aures præbuêre, cáque vt verba vitæ æternæ animis reposuêre. Facilè autem

2. Cor. 5. Luca 6. & 10.

Ioan. 6.

Doctrina Christi perfecta.

consideraue licet, nihil in hoc Euangelio à Christo prætermissum esse, quod fidum doctorem deceat, maximè earum rerum quæ Christianismus noster exigit, vt doctrinæ puritatem, vitæ pietatem, & in persecutione constantem patientiam. Hęc enim omnia Christus quàm perfectissimè tradit.

Ioan. 14.

Principiò enim ipsam Christianæ Philosophiæ summã vno verbo complectitur, cùm ait: Ego sum via, veritas, & vita. Nemo venit ad Patrem nisi per me. Quo verbo, inquã, ipsa Christianæ ac Euangelicę doctrinæ summa cõprehensa est. Ipsum enim se atque adeò solùm nostræ salutis principium, medium finémq; apertè pronuntiat. Id quod ita esse, multa demonstratione non eget. Est enim salutis nostræ principium, à peccato ad iustitiã, ex ira Dei in ipsius transire gratiam: medium, veritatem agnoscere: finis, vitam æternã apprehendere. Quæ quidem omnia per vnum Christũ consequimur, qui vnum & essentiale verbũ Dei, apprehensus ad Deum ipsum, hoc est, à peccato ad iustitiam, à mendacio & errore ad veritatẽ, à morte tandem ad vitã, à damnatione ad salutẽ ducit. Præter Christum, quicquid vsquã est, peccatum est, error est, mors & perditio est. Propriè ergo ipse dixit: Ego sum via, veritas, & vita. Via incipientiũ, veritas proficientium, vita sum ego perfectorum. Sum via quæ ducit, veritas quæ lucet, vita quæ nutrit. Via ego sum vitæ, veritas doctri-

næ: vitã-

næ:vitáque ſalutis æternæ. Via ego ſum exẽplo:veritas promiſsione:vita remuneratione. Via ſum ego, quæ nõ ſeducit: veritas,quæ nõ fallit,finem nõ habens vita. Ego via,quę credentem duco:ego veritas,quę confidentem me veracẽ facio: vita ego,quæ credentem & confitentem me ſaluo. Et quid multa? Nemo venit ad patrẽ niſi per me. Hæc ſumma Chriſtianæ philoſophiæ eſt. Chriſtus enim fundamẽtum eſt, in quo ſuperædificandum eſt. Chriſtus lapis angularis eſt, qui nos in ſpirituali ſtructura cõſeruat. Et quidem in nullo alio ſalus,nec vllum aliud nomen datũ ſub cœlo hominibus, in quo ſaluari poſſumus. Hic eſt, inquit Pater, filius meus dilectus,in quo mihi bene cõplacuit:ipſum audite: An non hoc eſt totã Chriſtianæ doctrinæ ſummã breuibus cõprehendere? Simili cõpendio hîc Chriſtianæ vitæ ſummã perſtringit, dicens: Quò ego vado ſcitis, & viã ſcitis: ac ſi dicat, Quòd ad Patrẽ ego vadã,& ad regnũ ſempiternũ properẽ, ſcitis. Vidiſtis exemplũ meũ:q; ſi ſalutẽ vultis,ſequimini. Qui enim me ſequitur,in tenebris nõ ambulat. Hoc verò dicere, ſummam Chriſtianæ vitæ cõplecti eſt:vt nõ quæ ſuper terram, ſed quæ ſurſum in cœlo ſunt,quæramus, vbi Chriſtus eſt in dextra Dei ſedens. Tum vt eadẽ via, qua Chriſtus præceſsit, nos ſequamur. In his em̃ duobus vniuerſa Chriſtianorũ vita cõſiſtit. Hoc ergo ſecũdum,quod Chriſtus hîc docet. Iam tertiò tollerantiã in aduerſis ſuadet. Et hac parte pluribus vtitur, quandoquidem carni nihil inſuauius,imò nec difficiliùs quicquam videtur,quàm patienter aduerſa perferre,diuerſis igitur conſolationibus hîc nos erigit. Primùm cùm ait: Creditis in Deum? & in me credite. Vt enim nulla Deum poteſtas aut vis deiicit,ita nec me nec meos in me credẽtes vlla franget aduerſitas. Non ergo cruce aut tentatione inuadente deſeri vos à Deo arbitremini: ecce enim ipſe ego crucem baiulo, filius ille dilectus Dei nihilominùs permanens. Hoc ſolùm cauete,ne quis veſtrum tanquàm homicida aut maleficij conuictus patiatur. Si verò præter meritum veſtrum quid,aut propter iuſtitiam patimini, beati eſtis. In Deum ergo creditis? & in me credite. Deum munificũ & benuolum patrem habetis, talem me quoque habebitis, ne quid addubitetis. Agitè ergo cum Paulo gloriantes dicamus: Si Deus pro nobis,quis contra nos? Deus eſt qui iuſtificat, qui eſt quis condemnet? Chriſtus eſt qui etiam interpellat pro nobis, quis accuſabit aduerſus nos? Secundum, quo

Ioan.14. *Matth.21.* *Act.4.* *Matth.17.* *Ioan.8.* *Col.3.* *1.Petr.4.* *Rom.8.*

non consolatur, est quod ait: In domo patris mei, man-
Luc. 11. siones multæ sunt: ac si diceret, Ne persecutionem formi-
Rom. 8. detis pro vita æterna certamen subitis. Complacuit patri
2. Cor. 4. vestro, dare vobis regnum suum. Et non sunt condignæ pas-
siones huius vitæ, si conferantur ad illius regni gloriam.
Tum & momentanea huius temporis est tribulatio: parat
sempiternam & omni comparatione maiorem gloriam.
Non est ergo quod desperetis. In domo Patris mei man-
siones multæ sunt, vbi abundè omnia vobis refundentur,
Matth. 15. vobis, inquam, quibus regnum illud paternum iam inde ab
Ephes. 1. origine mundi præparatum est, quique ad illud ab æterno
prædestinati estis. Nihil igitur vobis timendum est. Nemo
Ioan. 10. enim vos de manu Patris mei potest rapere. Iam verò quo
tertiò nos consolatur, est: Iterum autem veniam ad vos, &
accipiam vos ad meipsum, vt vbi ego sum, & vos sitis. An
non ingens hæc consolatio est? Cui non absimile est quod
Isai. 54. in Isaia Dominus loquitur: Ad punctum, & in momento
dereliqui te, & in magnis miserationibus congregabo te.
In momento indignationis abscondi faciem meam à te, &
in misericordia sempiterna misertus sum tui. Hoc modo &
hîc loquitur: Accipiam vos ad meipsum: hîc in gratiam &
tutelam meam, illîc in æternam gloriam. Ita planè vt con-
fidenter cum Paulo liceat dicere: Siue viuimus, siue mori-
mur, Domini sumus. Quòd si cum Christo sumus, quod nos
malum solicitabit? quod bonum desiderabimus? imò quid
boni sine Christo, aut quid omninò mali cum Christo erit?
Quartò quo nos afflictos consolatur est: Qui credit in me,
opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum fa-
ciet. Quibus sanè verbis ineffabilis virtus ac maiestas fidei
describitur: fidei, nimirum, quæ omnibus fortior, mundo,
morte, ipsóque adeò diabolo deuicto, se ex omni perscu-
1. Ioan. 5. tionum genere eripit, Christo attestante, cùm ait, omnia
Marc 17. possibilia esse credenti. Sicut & alibi discipulis loquitur,
Matth. 21. Si habueritis fidem, dicetis huic monti, tollere & mittere
in mare, & fiet. Vnde & Paulus constantissimè loquitur:
Omnia possum in eo qui me confortat. Et: In his omnibus
Philip. 4. superamus propter eum qui dilexit nos. Et quid mirum,
Rom. 8. si tam multa ac tanta credenti in Christum possibilia sint?
Per fidem enim Christo vnimur & incorporamur. Vnitus Christo Spiritum ipsius concipit, qui omnipotens est ipse, & hominem, in quo est, fortem ac potentem facit. Id quod

cit. Id, quod clarè in Apostolis videre est, quos idem ille Spiritus tam fortes atque magnanimos effecit, vt gaudentes à Iudæorum concilio discederent, ac pro voluptate ducerent, pro nomine Iesu contumeliam pati. Eadem fortitudine & Martyres fuêre induti, qui in maximis etiam ac vehementissimis cruciatibus, præter laudem & gratiarum actiones vix quicquam sonabant. Nimirùm hoc illud est, quod Dauid cecinit: Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, Domine, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam. Cùm ergo tantùm fortitudinis robur in sè credentibus promittit Deus, nemo fidelis à persecutionis facie timeat. Postremò & quintam consolationem addit, dicens: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam. Et quæ homini in angustiis posito validior esse queat consolatio? Scire preces suas exaudiri, nec vlla se omninò petitione frustrarier? Ex quibus omnibus considerare licet, quanta cum diligentia Christus docuerit, quàm nihil quod ad spiritualem & æternam salutem nostram facit, prætermiserit. Vnde non immeritò in Ioële iustitiæ doctor dicitur. Pari ergo diligentia ipsum Apostoli audiuêre, ab eius ore, tanquàm à Deo dati doctoris, pendentes, sicubi minùs dicta perciperent, interrogauêre. Vt hîc in Thoma primùm, deindè etiam in Philippo videre est. Et quid miramur eos in omni spirituali sapientia, scientia & cognitione tantùm profeciſſe? Ecce quomodò planum fit, par illud Apostolorum Philippum & Iacobum edoctos fuisse tribus iis partibus, quarum memini: nec nouisse solùm quid credendum, quomodò viuendum, quo affectu in persecutionibus perstandum sit, verumetiam eadem alios docuisse. Iacobus quidem id præstitit Hierosolymis, vbi primus Episcoparum tenebat: Philippus verò in Syriæ & Asiæ partibus. Vtérque piè vixit, hic inter Gentes, ille in Iudæis: vtérque fortissimè succubuit, cùm hic præcipitatur à templo, ille crucis ignominiam sustinet. Et hæc illa sunt, quæ credentes hodie admiramur atque prædicamus: laudanda profectò, & pro meritis extollenda. Verùm quò excellentior eorum laus est, eò pudor noster maior est, qui eodem licèt, quo ipsi docemur magistro, nihil tamen proficimus. Inuenias enim, qui ne norint quidem ad religionem pertinentia: & si qui norunt, quod norũt, faciunt minimè. Norunt alij (concedam)

Psal. 93.

Ioel. 2.

& faciunt, quod æquum & iustũ iudicant, sed hi tum in persecutione infirmi tolerantiæ atque fortitudinis laborant penuria. Minima pars restat, quæ quid credere, quomodò viuere, qua æquanimitate aduersa perferre deceat, norint. Eò igitur diligentiùs hoc Euangelium cogitemus, eò etiam studiosiùs horum duorum exempla imitemur. Nã si porrò in ignorantia perrexerimus, à Deo ipsi ignorabimur. Et qui voluntatem Domini sui nouit, non autem fecerit: vapulabit plagis multis. Gratia Dei nobiscum, Amen.

1. Cor. 14.
Luc. 12.

SECVNDVS SERMO.

EVangelium hoc non solùm duorum Apostolorum, Philippi, inquam, & Iacobi festiuitati: verùm etiam hisce nostris Paschæ solennijs conuenit. Primùm enim nouissimi illius sermonis Christi quo ad Apostolos vsus est, nõ infima pars est. Deindè à capite vsque ad calcem lætis personat vocibus, quibus libenter, nec incongruè ijs solennijs vti consuenimus. Postremò peculiaris in eo quædam Philippi Apostoli fit mentio. Vnde singulari quædam prudentia antiquitus in hanc illud festiuitatem ordinatum esse intelligimus. Simul enim hæc tria proponuntur. Si quem ergo vel de Apostolorum dignitate in genere: vel de Philippo priuatim: vel denique lætum & magnæ illi solẽnitati dignum sermonem audire iuuat, hoc ipsum in manus sumat Euangelium, & triplici dignam desiderio delectationem sentiet. De Apostolorum dignitate alibi dixi, quando eorum in Ecclesia frequens habetur memoria. Scriptura enim vbique eorum honorificam mentionem facit. Apostolos siue Dei legatos vocat, & pastores, & patres, & principes, & iudices, & dispensatores mysteriorum Dei. Et hæ quidem egregiæ atque honorificæ appellationes sunt. Est tamen vnicum quid in hoc Euangelio, quod omnia cætera excellit, nempè, quòd amici Christi intimi fuerint ac sint modò, & tales, quibus cùm arcana sua omnia manifestauit, tum seipsum etiam impertijt. Et hęc maxima hominis dignitas, excellens omnia alia. Fallere enim possunt reliqua nomina, cũ impijs etiam sunt obuia. Vt in proditore Iuda, in Caipha, Pilato & alijs videre est. Iudas enim Apostolus, Caiphas pastor, Pilatus iudex erant, nihilominùs tamen Dei hostes, atque maledictionis mancipia fuerunt. Dei autem amicitia nõ fallit, neque enim in impium aliquem potest cadere. In Apostolos igitur vt

Matth. 10. 19.
Psal. 44.
1. Cor. 4.

Amicitia Christi, dignitas Apostolorũ maxima.

ami-

amicos Dei hodie respice, quæ dignitas quisque honos sit, Dei amicum esse, cogita. Vide vt tanquam Dei amicos existimes, ac reuerere eos, atque imprimis hoc age: vt ipse quoque amicus Christus sis atque permaneas. Id, quod fiet si ipsi arctissimè per fidem cõiunctus, strenuè sequaris. Et hoc iam primò circa Apostolos cogitãdum venit in genere. De Philippo priuatim innuitur, quòd subitò præter omnium expectationem dicit. Domine, ostende nobis patrem & sufficit nobis. Magni hæc ponderis quæstio. At nunc dicere, quo animo hæc Philippus quæsierit, supersedeo, eò, quòd in Ioannem abundè satis hac de re conscripserim. Nunc verò id dico, nullam in hoc orbe meliorẽ esse orationem, quàm qua Christum precamur: vt patrem nobis ostẽdat. Et tamen nihil rarius hac petitione auditur. Multi quidam vt pacem: vt sanitatem: vt diuitias largiatur orant, sed vt patrem nobis ostendat, perpauci. Ita peruersè omnia agimus, & quod postremò debuimus, primo loco dignamur, quod primum merebatur, totum obliuioni tradimus. At Philippus ordine procedit digno, qui cum temporaneum quid potuisset petere, æternum & spirituale cogitat. Domine, inquit, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis. Hunc tu quoque precandi modum imitare, & in nullo deficies. Fons enim omnis boni Deus est, quem qui videt & agnoscit, quicquid vsquam boni est, possidet. Per ipsum enim, & in ipso sunt omnia. Hoc iam secundum est huius Euangelij membrum. Deindè, quòd ad Paschæ solennitatem attinet, peculiare quid considerãdum hoc Euangelium effert cùm effectus illos lætæ resurrectionis Christi indicat. In his autẽ primus est, pax & gaudium. Propterea credentibus suis ait. Non turbetur cor vestrum, neque formidet. Creditis in Deum? & in me credite. Secundus est, futuræ salutis spes. Propterea ait. Quò ego vado scitis, & viam scitis. Quartus est, cœlestis auxilij præsentia. Propterea ait. Ego sum via: veritas, & vita. Quintus, amicitia cũ Deo est. Propterea ait. Qui videt me: videt & patrem meum. Sextus est: virtus in afflictione & cruce. Propterea ait. Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet. Sextus est, exauditio precum. Propterea ait. Quodcũq; petieritis patrẽ in nomine meo, hoc faciam. Hos omnes fructus sua Christus passione nobis meruit, suáq; resurrectione cõtulit, cur ergo miramur omnium credentium in his diebus gaudium? Vtinam autem hæc di-

Ioan.16.

Ioan.14.

Rom.11.

Resurrectionis fructus.

Ioan.14.

gnè cogitaremus profectò & alacriores in labore, & æqua-
Act.5. nimiores perſisteremus in afflictione. Id quod cùm in his duobus, tum etiam in omnibus Apoſtolis videmus, qui ideò gaudentes exultarunt, quòd pro nomine Chriſti contumeliam pati, eſſent digni habiti. Et hæc in genere de hac feſtiuitate atque hoc ipſo Euangelio dixiſſe ſufficiat. Illud nunc porrò, quod ſermonis huius exordio dictum eſt, altiùs

Diuerſitas morborũ, diuerſitatem medelæ exigit.

inueſtigemus. Permultum enim commodi adferet. Principiò, cùm non eadem morborum cauſa eſt, nõ vna eadémq; medicina medetur omnibus, ipſa experientia docente. Sua quiſque medicamenta requirit morbus. Idem autẽ de ægrotationibus animorum dicere licet, in quibus inordinatum gaudium & lætitia annumeratur, cõfidentia, inquam, & puſillanimitas, Aegrotationes nimirum planè contrariæ, eáque propter vna aliqua medela curari nequeunt. Diſſolutis enim & inſolentibus amara & triſtia propinanda ſunt: vt eſt humana imbecillitas, & peccatum, & mors, & Dei iudiciũ. Deiectis verò & humilibus mitiora & ſuauia porrigenda ſunt, quibus erigantur, ne in deſperationum barathrum in-
Prou.31. cidant. Idipſum enim & Salomon monens, date, inquit, ſiceram mœrentibus, & vinum his qui amaro ſunt animo. Bibant & obliuiſcantur egeſtatis ſuæ, & doloris ſui non re-
Matth.21. cordentur amplius. Quomodò ipſe etiam Chriſtus: verus animarum medicus, Iudæis quidem nimium ſibi confidentibus & tumidis, triſtia denuntiauit, quòd excæcati, à Deo
Luc.19. derelicti, à regno Dei excluſi, adhuc etiam in mundi partes diſperdendi forent, diſcipulis verò & electis ſuis vt humilibus ac puſillanimibus, læta atque Euangelica prædicauit. Id quod cùm alibi, tum hîc etiam conſiderare licet, maximè, quod ait, in domo patris mei manſiones multæ ſunt. Tria nimirùm innuens cognitu perneceſſaria. Primò, quæ huius vitæ ſit miſeria, deindè, quò anhelandũ, ac tertiò, qua via pergẽdum ſit. Et hæc ipſa pleniſsimè in his duobus Philippo atque Iacobo Apoſtolis videmus. Primò igitur miſeriam huius vitæ inſinuat, cùm ait, in patris ſui domo man-
Hebr.13. ſiones plures eſſe. Nempè hoc vult dicere. In terreno hoc incolatu firma ſedes nulla eſt, non manens locus, nihil certum, aut ſtabile. An autem nõ eſt miſera, ſine vlla ſtabilitate vita? Nulla id eget demonſtratione, quando ipſi videmus, ac quotidiè, quæ ſit omnium rerum, etiã quæ ſit ſpiritualiũ hîc viciſsitudo, experimur. Quis enim tã ſanctus aut perfectus

eſt, qui

est,qui certò sciat,se non aliquando casurum? Et quid nobis tribuimus? Quid in operibus quæ fecimus nos confidimus? Infirmum fundamentum est,ruinosa commoratio est, cum Pharisæo illo dicere,non esse nos,sicut cæteri sunt,sanctiores puriorésque omnibus alijs velle videri,diuites nulliúsq; egentes,cum re vera miseri simus. Nam quod in nobis est bonum,admodùm vile, perexiguúmq; est,& (is nisi conseruet in nobis,qui dedit) citò perditur. Ne igitur securum te dixeris, quando non in mansione, sed in tugurio moraris, magis verò qui fide stas, Paulo monitore, ne fortè cadas,time, & illi soli innitere, qui solus refugium nostrum & susceptor est omnium. Ille conseruare stantes,ille potest erigere lapsos. Si quando igitur tentationum procellas imminentes præuideris,hûc accurrere,huius refugij auxilia quæsito,sin verò illa iam obruit te, si deiecit, si labi fecit; idem facito,hûc suppetias petitum aduola. Hoc ipso enim pij ab impijs differunt. Vtérque iustus & iniquus labitur,prostratur,cadit,hic surgere non curat. Aut enim peccato excusationem prætendit,aut pertinax frontẽ perfricat,nec Deum veritus nec hominem. Ille verò etsi ceciderit,non tamẽ collidetur:quia Dominus supponit manum suam:vt etiam ipsa peccata ipséque lapsus illi cooperentur in bonum. Humiliatur enim lapsus,ac magis timet. Sic Dauid de seipso loquens ait. Impulsus euersus sum vt caderem,inquit,& Dominus suscepit me. Ex his ergo omnibus manifestũ fit,nihil in terris firmum esse,nihil stabile. Verùm enimuerò in domo patris mei, inquit Christus, mansiones multæ sunt. Hûc ergo tandem aliquando conuertamur: vbi vera atque tuta nobis est habitatio. Et benè mansiones,hoc est domus manentes dicũtur, illîc enim verè liberéque ab hostium incursibus cum securitate viuemus, illîc tentoria & vmbracula ad auertendum turbines & æstum tentationũ. Vbi autem securitas, illîc gaudium. Sapiens ille noster expectationem iustorũ lætitiã esse asserit. At quæ lætitia quódue gaudium erit:vbi fruemur tandem,quod hîc expectamus? Non oculus vidit, non auris audiuit, quæ præparauit Deus electis suis, teste Isaia. Illîc ergo in domo patris nostri,sempiterna vita erit. Quam enim modo viuimus vitam,conuenientiùs mortem dixerimus, quàm vitam, quòd quotidiè magis magísq; iam indè ab incunabulis in mortem inclinamur. Adde,hos dies & breues & malos esse,illîc contra in domo pa-

Luc.18. Luc.3. Rom.11. Psal.90. Psal.36. Rom.8. Psal.117. Isai.64.

tris noſtri æternos atque bonos. Et hoc ipſo adhuc Dei boni tatem conſideramus apertiùs, qui illîc breuem vitã eſſe voPſal.54. luit: vbi dies mali ſunt. In illã ergo domum Dauid Propheta Pſal.26. aſpirabat, cùm diceret. Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo & requieſcam? Et, Vnam petij à Domino, hãc Iob 14. requiram: vt inhabitẽ in domo tua Domine. Et Iob. Omnibus diebus vitæ meæ expectabo, inquit, donec veniat immutatio mea. Illûc verò non niſi per medios hoſtes tranſire licet. Hoc ergo tertio ex Chriſti verbis conſiderare licet: via qua pergẽdum eſt. Hæc via ſemita crucis eſt, tentationũ obiAct.14. cibus ſtructa eſt. Per multas enim tribulationes, Paulo teſte, Luc.24. oportet nos intrare in regnũ Dei. Per paſsionẽ Chriſti hinc in ſuã tranſijt gloriã, per medios hoſtes nobis etiam ſequendus eſt. A leua enim dextráque denſiſsimas conſpicimus hoſtium turmas, eiuſmodi nimirũ, qui vndique nos & animã atq; corpore infeſtãt. Impij enim homines corpus, nequam verò ſpiritus animam conantur occidere. Et quid hîc facto opus eſt? Qui in mundo militiã exercẽt, ſcuta ſiniſtra geſtãt, & hunc morẽ plurima Chriſtianorũ turba imitatur, cũ, qua ratione corpus & quæ corporis ſunt, nulla dextræ, hoc eſt, 2.Tim.2. animæ, cura tacti, tueri poſsint cogitant. At longè diuerſa Paulus nos monet. Nemo militans Deo implicat ſe negotijs 1.Cor.6. ſæcularibus. Idémque alibi iuſtitiæ armatura, per gloriam & ignobilitatẽ, per infamiã & bonã famã, p mortẽ & vitã, per diuitias & egeſtatem iubet perrũpere. Sed vtráque parte conuenientibus armis inſtructis opus eſt. Quòd ſi corporis vita in periculũ adducitur: vtẽdum eſt patientia, nõ malum pro malo repẽdendũ eſt. Aſt à dextris noſtris cõtra animam ſi inſurrexerit hoſtis, hic armis opus eſt, repugnãdum atque certandum eſt. In primis verò ſerpentina vtamur prudẽtia, ſummam rei, ipſum caput, mentem, inquam, atque fidem Pſal.15. galea ſalutis muniamus, Dauid ſequentes, qui ait. Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi ne commouear. Quæ autem & quid tandem à ſiniſtris, in ſæcularibus, nocebit aduerſitas, ſi Dominus ipſe à dextris vitam animæ contegens, conſeruet? Via igitur ad paternam ſedem, crucis & afflictionum eſt ſemita. Hoc eſt, quod dicit. In domo patris mei, manſiones multæ ſunt, ac ſi diceret. In tribulationibus afflictionibúsque fluctuantes, ſpei veſtræ anchoram in cœleſtis patriæ littus proijcite. Turnidum hoc mundi mare ſeuiat licèt, ſpes

tamen ſu-

tamen futuræ gloriæ omnia mitigabit aduersa: sedatisque fluctibus cuncta tranquilla videbitis. Qua certè Domini sui promissione Paulus Apostolus ita recreatus fuit, vt gloriari etiam in ipsis tribulationibus, issque vehementissimus, potuerit. Nõ ergo quæ ante oculos modò sunt, sed futura prospiciamus. Id quod idem Paulus vult, cùm vt Deum glorificemus, cúmq, corpore atque adeò in hac mortali carne portemus, monet: non irrationabilium animantium in morem, quasi impositum cõtra voluntatẽ nostrã portemus iugum, sed spontaneè, Dei nostri in ipsa tribulatione agnoscẽtes voluntatem, illi obsequamur. Hac voluntate Philippus ait: Domine ostende nobis Patrem & sufficit nobis. Sic Iacobus Apostolus suadet, Omne, inquit, gaudiũ existimate fratres, cùm in varias tentationes incideritis, scientes quod probatio fidei vestræ patientiam operetur.

1. Cor. 6. Matth. 27. Ioan. 14. Iacob. 1.

IN DIE SANCTAE CRVCIS EVANGELIVM

IOAN. III.

ERat homo ex Pharisæis Nicodemus nomine, princeps Iudæorum. Hic venit ad Iesum nocte, & dixit ei: Rabbi, scimus quia à Deo venisti magister. Nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. Respondit Iesus, & dixit ei: Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei. Dicit ad eũ Nicodemus: Quomodò põtest homo nasci, cùm sit senex? Nũquid potest in ventrẽ matris suæ iteratò introire, & renasci? Respõdit Iesus: Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnũ Dei. Quod natũ est ex carne, caro est: & qđ natũ est ex Spiritu, spiritus est. Non mireris quia dixi tibi, oportet vos nasci denuo. Spiritus vbi vult spirat, & vocẽ eius audis, sed nescis vnde veniat, aut quò vadat. Sic est omnis q̃ natus est ex Spiritu. Respõdit Nicode-

mus, &

mus, & dixit ei: Quomodò possunt hæc fieri? Respõdit Iesus, & dixit ei. Tu es magister in Israël, & hæc ignoras? Amẽ amen dico tibi, quia quod scimus, loquimur, & quod vidimus testamur, & testimoniũ nostrũ nõ accipitis. Si terrena dixi vobis, & nõ creditis: quomodò si dixero vobis cœlestia, credetis? Et nemo ascẽdit in cœlũ, nisi qui descẽdit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo. Et sicut Moses exaltauit serpentẽ in deserto, ita exaltari oportet Filiũ hominis, vt omnis qui credit in ipso, non pereat, sed habeat vitã æternam.

EODEM FESTO EPISTOLA
PHILIP. II.

HOc enim sentite in vobis, quod & in Christo Iesu: qui cũ in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formã serui accipiẽs, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo: humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortẽ, mortem autẽ crucis. Propter quod & Deus exaltauit illũ & donauit illi nomẽ, quod est sũper omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria Dei est Patris.

PRIMVS SERMO.

I. Cor. I. IVDAEI signa petunt, Gentes sapientiam quærunt: nos autem prædicamus Christũ crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam: ipsis autem vocatis Iudæis atque Græcis, Christum, Dei virtutem & Dei sapientiam. Testantur Acta Apostolorum, quòd Paulo aliquando fidei suæ ac doctrinæ rationem coram Agrippa Rege reddenti, magnáque spiritus vehementiã de Christo Iesu differenti, Portius quidam Festus Syriæ procurator incontinens suorum affectuum, coram omni multitudine ac Rege magna voce insaniam obiecerit. Insanis ô Paule, multæ te literæ ad insaniam conuertunt. Eam Paulus à mundi amatoribus laudem consecutus est, vt insaniæ argueretur. Idem nobis etiam vsu venit. Neq; enim aliud Iudæi, Gentes, Turcæque si,

Act. 26.

æque si, (quod hodie fit) nos Crucis festa celebrare, Crucis laudes personare, Crucem visitare ac sequi conspicerent, de nobis iudicarent, quàm quod de Paulo clamauit Festus: dementiæ nos omnes arguerent, qui in re cõtẽptibili, omnibúsque formidabili triũphamus. Nec id mirum, si ita de hoc festo increduli iudicant, quando, vt nunc sunt tempora, & in nobis inuenias non paucos, qui hæc subsannent, ac rideant. *Ibidem.* Sed quam Paulus defensionem adfert? Non, inquit, insanio, optime Feste, sed veritatis atq; sobrietatis verba loquor. Et mox ad Agrippam conuerso sermone: Opto, inquit, apud Deum, non tantùm te, sed omnes etiam qui audiunt hodie, fieri tales, qualis ego sum, exceptis his vinculis meis. Iisdem verbis hunc Crucis triumphum ridentibus respondeo: Non hæc insania est, quod gerimus. Crucis virtutẽ nouimus. Sit licèt Iudæis scandalum, Gentibus autẽ stultitia: nos tamen crucem Christi Iesu erubescimus minime. Nec vlla id ratione possumus. Verùm enimuero constanter atque intrepidè, Christũ crucifixum prædicamus, & gloriamur in cruce Domini nostri Iesu Christi: vtique electis hoc Dei virtutem atque sapiẽtiam esse didicimus. Atque ô vtinam omnibus hominibus ea crucis esset cognitio. Summa enim atque extrema hæc cæcitas nostra est, tam citò crucem Christi obliuioni tradere. Neque verò tot erroribus fides Christianorum, nec tot detestandis criminibus vita nostra fuisset labefactata, si non à Christi cruce auertissemus oculos. Hæc vt cauerent Apostoli, quacúnque potuerunt ratione, Christi crucis mysteria nobis inculcarunt. Monstrant id omnes eorũ Epistolæ, sermones, actus. Quid enim Petrus duobus prioribus aliud laborat sermonibus, quàm vt crucẽ hanc doceat? Apertè Paulus præter Christum, eúmque crucifixum nihil se scire iudicat. Idem etiam pseudoprophetis omni virtute resistit, ne crux Christi euacuetur. Alibi etiam quosdam crucis huius inimicos defleuit. Nec vult, nisi in Christi Iesu cruce gloriari. Quæ certè omnia magnum aliquod in hac cruce mysterium latere cõuincunt. Id quod non ignorantes ij qui ante nos fuêre Patres nostri, tot signa vbique erexere, tot festos dies memoriásque instituerunt, ac celebrauerunt. Certè quod ad externos ritus, etiamnum videas obseruari. Cæterùm, fides, deuotio, pietas, dignáque memoria maxima ex parte à multis euanuerunt. Proinde amplius mihi nunc quid de cruce dicendum est. Nulla huius festiuitatis vtilitas præter em-

1. Cor. 2. Gal. 6.

Act. 2. & 3.

1. Cor. 2.

1. Cor. 1. Phil 3.

ter emendationem noſtram eſt. Tria autem, ne vos longiore mora teneam, indicabo tantùm. Primò, quid ſit ipſa crux, quam tanta gloria Chriſtianus orbis celebrat. Secundò, qua ratione poſsit fide apprehendi ac teneri. Poſtremò, quomodò ea ad vitæ emendationem vti conueniat: quæ tria neceſſariò cognoſcimus, ſi tamẽ hoc crucis feſtũ dignè celebrare volumus. Principiò inquam, quid ſit illa crux (neque enim id pauci ignorant) quæramus. Vulgus quidem hominum, cùm Crucis appellationẽ audit, ſolùm illud lignum, in quo Dominus ſuſpenſus eſt, aut (ſi quid præterea) alia quædã ſigna, quæ forma illa Crucis repræſentantur, cogitat. At longè diuerſa Pauli eſt ſententia. Nam vbique crucis mentionem faciens, non lignum illud, ſed eum qui pependit in ligno, imò totam illam actionem crucis intelligit. Et ita quidem nos de ea & cogitare & dicere conuenit. Quando ergo crucis imaginem vides, aut crucis eulogia audis, Chriſtum cruci affixum cogita, ſítque is tibi tanquam ob oculos poſitus crucifixus. Hoc faciens, ſanctam crucem in qua Chriſtiani gloriamur & triumphamus, certiſsimè tenes. Sed hîc dupliciter laboramus. Primò, quò externarum in Eccleſia cæremoniarum inſtitutum pertineat, cogitandum erat: & ecce in his externis inhæremus tantùm. Deindè etiam qui hos ritus circa externũ ſignum crucis ſimpliciter idololatriam dicant, inuenies. Vtrobique error. Procul dubiò enim quicquid hodie circa hanc crucem fit in Eccleſia, quaſi digito in Chriſtum in ea paſſum & mortuum commonſtrat. Et hoc ipſum intelligere licet ex prima ſtatim acclamatione: Nos
Gal. 6. autẽ gloriari oportet in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, in quo eſt ſalus, vita, & reſurrectio noſtra, per quem ſaluati & liberati ſumus. Attendite quid verba velint. Non dicimus, in qua, vel per quam: ſed in quo, & per quem, ſcilicet Chriſtum. Ecce quomodò credentes non crucis lignum, ſed crucifixum Ieſum veneramur ac colimus. Et rectè id quidem. Neque enim lignum viuificare, aut ſaluare poteſt. Poteſt autem Chriſtus Ieſus: eóque merito illi ſalus noſtra attribuitur. Nullus igitur hac parte idolorum cultus in Eccleſia cernitur. Nemo igitur quod non intelligit, iudicet: aut tanquam reprehenſione dignum condemnet. Sumus enim, neſcio quo fato, hoc ſæculo ad iudicandũ damnandúmque propenſiores. Vnde fit, vt nonnulla quæ antè noſtra ſententia damnauimus, poſtea pœnitentia ducti reuocemus: quod

eiuſmo-

eiuſmodi res ad virtutẽ & eruditionem hominum neceſſaria eſſe ſerò agnoſcamus. De qua re alibi ſæpè multa. Hoc nunc ago, vt credentes circa crucem hanc nihil præter Chriſtum eiúsq; paſsionem cogitemus. Sítq; hoc primum & fundamentum negotij Nunc porrò quid de eádem S. Cruce ſentiendum, hoc eſt, quid de crucifixo Ieſu credendũ ſit. Et primò quidem ipſa fide apprehendenda eſt. Neq; enim, ſi in pariete depingas, aut collo appenſum circunferas: niſi etiam fide apprehenderis & pectori tuo incluſum ſerues, imò ipſi tota mẽte adhæſeris, ſatis eſt. In cruce enim ac paſsione Chriſti, ſalus noſtra & vita eſt: imò crux & paſsio Chriſti, Dei virtus & ſapientia nobis eſt. Id quod in veteri etiam Teſtamento figuris multis adumbratum fuit. Eſt enim crux ac Chriſti paſsio, ipſum vitæ lignum, quod Deus in medio orbis Chriſtiani, tanquam in Paradiſo plantauit. Et in ipſo præſentiſsima nobis vita eſt. Tantùm ne vitæ lignum aſpernati, ad boni malíque ſcientiæ arborem infauſto nimium pede curramus, vt Adam: hoc eſt, ne neceſſarium negligamus, ac ſciolos ſequamur. Deinde & arca Noẽ ipſa eſt, in qua ſola turbidum huius mundi Oceanum tranare, cui etiam nos, noſtrásque animas rectè ac tuto credere poſſumus. Iudæi propriæ iuſtitiæ trabe tranare volebant. Græci ſapientiæ & ſcientiæ remigio vti volebant: ſed vterque populus ſubmerſus eſt. At in cruce ac Chriſti paſsione liberè, ſepoſito omni metu, omnia pericula poſſumus euadere. Eſt tertiò crux noſtra, ſcala Iacob, per quam angelos aſcendere atque deſcendere, imò cuius ſummitati ipſum Deum innixum in ſomnis ſanctus Patriarcha vidit. Per crucem enim ac Chriſti paſsionem, cœlum nobis reſeratũ eſt, Deus ipſe reconciliatus eſt, angeli confœderati ſunt. Eſt quartò & baculus ille, in quo idẽ ille Iacob Iordanẽ tranſijt. Chriſti enim paſsio hîc in itinere cõfirmat nos, ne defatigemur: reficit nos, ne ſuccũbamus. Eſt quintò Moſi virga, miraculorũ, inquã, inſtrumentũ eſt, & cauſa. Eſt deniq; baculus, ſiue funda Dauid & gladius, quo Philiſtæũ percuſsit. Vnde Chriſtus paſsionis ſuæ tẽpore ait: Nunc iudicium mundi huius incipit: nũc princeps huius mundi eijcietur foras. Et, Conſummatum eſt. Eſt ſextò lignũ: quo Moſes amaras aquas dulces fecit. Paſsionis enim Chriſti dextra meditatio, omnem cuiuſcúnque perſecutionis amaritudinem ſuauem ac leuem reddit. Simili ratione Chriſti hanc crucem ligna dicimus, quæ vidua in Sareptha, vt ignem cõſtrueret, colle-

1. Cor. 5.

Figuræ ſanctæ Crucis.

Geneſ. 2. & 3.

Gen. 7.

Gen. 28.

Gen. 22.

Exod. 7.

1. Reg 17.

Ioan. 12.

Ioan. 19.

Exo. 15.

3. Reg 17.

collegit. Per iugẽ enim passionis Christi meditationẽ diui-
Numer.21. ni in nobis amoris ignẽ accendimus. Ad hæc eadẽ & æneus
Ioan.3. ille serpens est, quem Moses in deserto erexit: vel ipso Chri-
sto testante, qui ait: Sicut Moses exaltauit serpentem in de-
serto, ita exaltari oportet filium hominis: vt omnis qui cre-
dit in eum, nõ pereat, sed habeat vitã æternam. Facit enim
sedula Christi crucifixi cõsideratio: vt omne in nobis pecca-
Ezech.9. ti venenũ pellatur. Postremò crux Christi signum illud est,
Apoc.7. quod scriptum in frontibus hominum, à perditione conser-
uat. Et quid multa? crux Christi tegmen est, sub quod omnes
Psal.35. verè credentes confugiunt: vt Dauid ait: Filij hominum sub
tegmine alarum tuarum sperabunt. Et: Custodi me Domine
Psal.16. sub vmbra alarum tuarum. Quisquis enim sub his alis con-
sederit, ab impetu Satanæ securus habitabit. Et vt in summa
dicam, est crux sancta signum, quo reuocantur errantes, re-
conciliantur peccatores, docentur ignorãtes, custodiuntur
1.Cor.1. morientes. Videte ergo, quàm conueniẽter Paulus Dei eam
nobis virtutem atque sapientiam esse dixerit. Hanc igitur
fide & spirituali animositate apprehẽdamus, & sic fortiores
nos omnibus hostibus nostris, sapientiores toto hoc mundo
Isai.11. intelligemus. Hoc Isaias volebat dicens. Leuabit Dominus
signum in nationes, & congregabit profugos Israël. In die
illa erit radix Iessæ, qui stat in signũ populorũ, ipsum Gen-
Isai.66. tes deprecabuntur. Et iterum. Venient Gentes & videbunt
gloriam meam, & ponam in eis signum, & mittam ex eis,
qui saluati fuerint ad Gentes. Et hîc quidem sanctæ crucis
primus vsus est: vt eam fide apprehẽdamus. Sed minus suffi
ciẽs, nisi & in humeros nostros susceperimus. Hinc est, quod
Matth.10. Christus ait: Qui non accipit crucem suam, & sequitur me,
Matth.16. nõ est me dignus. Et iterũ: Qui vult me sequi, tollat crucem
1.Pet.2. suã & sequatur me. Et Petrus Christus passus est pro nobis,
nobis relinquẽs exẽplum vt sequamur vestigia eius. Et Pau-
lus: Si Christo cõpatimur, & cõregnabimus. Nec hîc necesse
2.Tim.2. est longè quæsitã crucẽ tibi cõpares. Apud temetipsum, ac
intra domus tuæ parietes abundè satis erit. Quis enim sine
cruce erit, aut quis diuersitatis eius numerandæ sufficit? Pri-
uata crux menti cuique est: habet & suam corpus quodlibet:
latent & in externis sæpè rebus, quarũ quæ cuique nostrũ
Matth.6. portanda porrigitur, cum æquanimitate ferenda est. Dicen-
Iob 2. dum est: Domine, fiat voluntas tua. Et cum Iob: Si bona
suscepimus de manu Domini, mala autem quare non susti-

nea-

neamus? Et cum Michæa: Iram Domini portabo, quoniam peccaui ei. Et cũ Machabæis: E cœlo ista possideo: sed propter leges Dei, nunc hæc ipsa despicio. Et mox: Et si nobis propter increpationem & correptionem Dominus Deus non modicum iratus est, sed iterum reconciliabitur seruis suis. Et denique cum Dauid: Ecce ego: quod bonum videtur Domino, faciat. Paratũ cor meum Deus, paratũ cor meum. Hoc esset crucem post Christum portare. Quanquam nec hoc satis est: laborandum est adhuc, vt vetus ille homo in nobis crucifigatur, vt non nos, sed Christus viuat in nobis. Quemadmodùm de seipso Paulus testatur: Ego, inquit, cum Christo crucifixus sum, propterea viuo iam non ego, sed in me Christus. Ita ergo peccata cæteráq; vitia in nobis mortificabimus, si eas per cõtrarias ipsis virtutes diluerimus. Hoc est, dexteram tuam clauo iustitiæ cruci affigas, ne quid iniquè agas, sed vnicuique quod suum est reddas. Sinistrã verò eidem cruci clauo temperantię annectas, vt à carnalibus vitiis abstractus, sobrietatem modestiámq; apprehendas. Dextrum pedem clauo prudentiæ cruci affigas, vt futura porrò præuideas atque cogites. Sinistrũ verò cruci configas clauo fortitudinis, quo in finem vsque perseueres. Hoc si feceris, tum demũ dicere licebit: Viuo iam non ego, sed in me, Christus. Hic ergo conuenientissimus sanctæ crucis vsus esset, eam cordi penitus infigere, patientérque ferre, atque peccatum in nobis ipsis crucifigere ac cõficere, sicque crucifixum Christum spe gloriæ futuræ à tergo sequi.

Mich. 7.
2. Mach. 7.
2. Reg. 17.
Psal. 107.
Gal. 2.

SERMO SECVNDVS.

TAntã dicendi vbertatem hodiernum mihi cùm Euangelium tum festum ministrant, vt vnde exordiri hunc debeam sermonem, vix sciam. Neutrum enim volens prætermittere, vtrúnque (vt video) vna vice non possum expedire. Euangelium per se excellens est, præcipuum doctrinæ nostræ continens articulum: sed breui aliqua enarratione elucidari non potest. Festum etiam ipsum, quod tot tantísque acclamationibus nobis loquitur, nullo modo credentibus nobis prætermittendum est. Vbíque enim hortamur Pauli verbis: Gloriari oportet in cruce Domini nostri Iesu Christi, in quo est salus, vita & resurrectio nostra, per quem saluati & liberati sumus. Sed ad hęc quis idoneus, inquit Paulus, qui pro dignitate propositi loqui aliquid sufficit? Imò

Galat. 6.
2. Cor. 2.

verò quis est, qui de his dicentem patienter audire non grauatur? Hæc enim illa tempora sunt, in quibus pro multorum impietate ita Dei diuinarúmque simul rerum refriguit ardor, vt nullius nos penè rei præter Euangelij sermonem tædeat. Quicquid aliàs agimus, tempus deficit, in solis animæ negotiis nos tempori deficimus. Et quidem de Iudæis, quos tamen Scriptura ab initio malos duræque ceruicis fuisse testatur, legimus, quòd ipsi, mulieres atque liberi ipsorum vnà dimidiatos dies Esdram audierint, Legis, inquam, alioqui per se plurimis in locis inamœnæ, interpretem immitem. Licèt enim huius vitæ promissionē habeat, maxima tamen ex parte grauia mandata, bísque additas cōminationes continet. Audierunt tamen, & longo tempore. Verùm longè melior nobis conditio est, quorum Euangelium, paucis mandatis, maximis verò cùm huius, tùm futuræ vitæ promissionibus grauidum est. At quî fit, vt ille spiritus ardor, quem Esdras in suo populo vidit, in nobis conflagrari non possit? Sed hæc volens transeo. Neq; enim hîc lōgo sermone vestras grauare aures animus est, qui hoc summis votis oro, vt vel breuissimum sermonem memoriæ possimus commendare: hoc Deum Opt. Max. precor, vt vel ex quoquo aliquid possimus discere, & in dies magis magisque infantium more proficere in iis, quæ ad Religionis nostræ negotium pertinent. Profectò id si vno tantū anno assueseremus, haud contemnendum thesaurum coaceruaremus, quò in multos annos deindè possemus vti. Breuibus igitur de vtroque, primò de Euangelio, deindè etiam de festo conferentes sermonem concludamus. Non me nunc Euangelium hoc diu remorabitur, quando nuper quinto ab hinc aut certè sexto Dominico die in omnibus parrochiis illud personuit. Summatim verò quædam perstringamus tantùm. Quod reliquum suo quísq; tempore perficiet. Pulcherrimus autem, nec parum prolixus in eo Christi & Nicodemi Iudæorum principis habetur dialogus, qui ea in re versatur, in qua minimè Iudæis cū Christianis cōuenit. Est enim de iustificatione hominis articulus. Et Iudæi quidem certissimè sibi persuadent, sufficere legē ad iustificationē, vt præterea nullius indigeant rei. Nec quicquā à Messia præter corporalem redemptionē expectāt, vt restituti in Palestinā dominētur populis. Nullū præter hunc Messiæ vsum norunt: iustitiā & cœli beatas sedes pro sua opinione legis obserua-

Exod. 32.

Nehem. 8.

tionis ar-

tioni tribuentes. Hęc illorũ hac in re fides est: hæc firma stat mẽti sententia. Qua quidẽ opiniõe & Nicodemus hic noster ductus est. Sed ex deprauato legis atq; Scripturę intellectu, hic error ortus est, vt alibi solidis argumentis ostensum est. Propterea Christus in hoc dialogo, illi opinioni cõtrarium defendit summo studio, nactus nimirũ illius rei defensorẽ, Scribã & Pharisęum. Est autẽ verborũ Christi hęc summa: Turbari te ô Nicodeme, meis sermonibus nunc nõ obscurè in obscuro licèt veneris, intelligo: cupidũ te veritatis almæ, qua tandẽ ratione iustificetur homo, cõfidero: hactenùs hęc firma tibi stetit sententia mẽtis, idémq; tuos edocuisti discipulos, circuncisionẽ ac legẽ iustos ac beatos Deóq; adeò gratos facere. Huius ex me cõtrariũ audiuisti, ac defendo etiãnum. Ratio est: quia omnes vos ex carne estis, hoc est, ex peccatore dãnationiq; obnoxio Adam procreati, natura est caro, hoc est, dãnationis & maledictionis rea creatura. Et quę Deo vel in vobis ipsis, vel in operibus vestris voluntas erit? Nullo igitur modo Deo placere aut iustitiã consequi poteris, nisi denuò nouus homo renascaris. Quodcúnq; enim ex Adam est, Deus propter peccatũ dãnationi subiecit. Deindè nouus homo esse nequis, nisi denuò renatus fueris. Postremò renascentia illa nõ carnis aut sanguinis est (nihil enim à priore diuersa esset) sed aquæ & spiritus. Iam verò nec Spiritum sanctũ suscipies, nisi Deo donante. Sed nulli eum largitur ille, nisi mea prius morte impetrauero. Secus ergo atque vos Pharisæi, de hominis iustificatione loquor. Nec cõcedo per legẽ vos, ac opera propria iustificari, qui ecce ipse venio, vt adiutẽ vos ad verã iustificationẽ consequendam, hęc mei vel maxima causa aduẽtus. Sicut Moses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in illum, nõ pereat, sed habeat vitã æternam. Imò sic Deus dilexit mundũ, vt filiũ suũ daret vnigenitũ, vt mũdus saluetur per ipsum. Hîc tibi iustificatio quærenda est. In me vnigenitũ Dei, qui pro te omníq; populo mori paratus adsum, credas. Per ipsam emi fidẽ, Spiritum sanctũ cõcipies, qui te in baptismi lauacro in nouũ hominẽ transformet, & qđ ex Adã mali est abluet, & deniq; omniũ meritorũ meorum participẽ faciet. Sic Deo & notus, & gratus & iustificatus, legẽ cõmodiùs adimplebis. Et hęc plura atq; vera de hominis iustificatione doctrina est. Vnica hæc ad salutẽ via est. Ecce hic Christi verborũ in hoc Euãgelio sensus est. Quod reli-

Numer. 21.

Ioan. 3.

quum est, nunc prætermitto. Quisquis enim quæ modò dicta sunt didicerit, summã huius negotij tenebit. Quod verò ad festiuitatem hanc, quã vnanimi consensu frequentamus attinet, licèt crucis nomen gerat, quod Iudæis scandalum, Gentibus autem stultitia est: vnicus tamẽ ille Paulus noster satis magnã eius occasionẽ offert suis verbis, quibus hodie
Galat.6. (quanquã muratis nõnullis) in introitu Missę vti sumus. Sic enim ait: Mihi autẽ absit gloriari, nisi in cruce domini nostri Iesu Christi, per quẽ mihi mundus crucifixus est, & ego mũdo. Hoc modo Paulus pro semetipso de cruce domini loquitur: & certè vix integro sermone Pauli in his verbis sensum explicare possem. Ecclesia verò succinctiùs aliquantò atq; apertiùs, cũ omnes in vniuersum credentes affatur. Nos, inquit, gloriari oportet in cruce Domini nostri Iesu Christi, in quo est salus, vita & resurrectio nostra, per quem saluati & liberati sumus. His verbis summã festiuitatis huius comprehensam vides: nempe quid sit, quid illa velit, & quis eius fructus sit. Principiò quidem hæc solennitas Crucis nomine designatur, sed tamen nõ cuiuslibet crucis, sed sanctæ, imò Christi crucis. Isthęc enim crux sola est sancta. Relinquę cruces omnes maledictæ sunt, quæ nõ per Christi crucẽ sanctificantur. Ait enim lex, Maledictus omnis qui pẽdet in ligno. Hoc iudiciũ est mũdi huius Crucis ignominia affectũ,
Deut.21. *Iob 2.* aduersitatib⁹ pressum, iniquũ & à Deo spretũ putamus. Exẽplum eius Iob est, cui vxor ait: Maledic Deo & morere. ac si diceret: Nil tibi iustitiæ proderunt tuæ, nescit te, qui tamen hæc mala mittit in te. Est & Christus exemplo, quẽ cruce suspensum à Deo percussum & maledictũ clamabãt dicentes:
Matth.27. Confidit in Deo, liberet eum nunc si vult. ac si dicerent: Dei filio non cõuenit suspensum esse patibulo. Quin & in afflictionibus positos, quibus idẽ videatur inuenias, qui se cùm patiũtur à Deo derelictos ac dãnatos clamitẽt. Hæc est nimirum
Exod.15. aqua illa amara, in deserto à filiis Israël inuẽta, quæ tamen misso in eam per Mosen ligno, qđ Deus mõstrauerat, amaritudinẽ suã linquit, redditúrq; suauior. Et hęc differentia est Christi crucis atq; nostrę. Amara aqua, & natura promouens nauseam, nulliq; potabilis crux nostra est. Vnde ad
Ioan.3. Petrum Christus loquitur: Nõ potes me modò sequi. At vbi Christi lignũ in nostrã aquã mittitur, fit suauior: ita vt cum
2.Cor.1. Paulo dicere libeat: Sicut abundãt passiões Christi in nobis
2.Cor.4. ita etiã p Christũ abũdat cõsolatio nostra. Et iterũ: Tribulationem

lationem, inq̃t, patimur, sed nõ angustamur: aporiamur, sed nõ destituimur: p̃secutionẽ patimur, sed nõ derelinquimur: deiicimur, sed nõ perimus. Semper mortificationẽ Iesu in corpore nostro circũferẽtes, & vt vita Iesu manifestetur in corporibus nostris. Et iterũ. Tota die mortificamur propter te, æstimati sumus sicut oues occisionis: sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Et iterum: Aestimati sumus vt seductores, & veraces, sicut qui incogniti, & cogniti. Quasi morientes, & ecce viuimus: vt castigati, & non mortificati: quasi tristes, semper autẽ gaudẽtes: sicut egẽtes, multos autẽ locupletãtes: tanquã nihil habẽtes, & cõia possidentes. Et iterũ: Gloriamur in tribulatiõibus, scientes q̃ tribulatio patientiã operatur, patiẽtia autẽ probationẽ, probatio verò spem, spes autẽ nõ cõfundit. Ecce quomodò Christi crux, nostrę aquę & crucis amaritudinẽ vertat in suauitatẽ. Cũ autem crucẽ nomino, nõ lignũ illud in quo Christus est passus, intelligo. Neq; etiã Paulus illud vult. Est em̃ externũ quid, vita, sensúq; carens: eóq; ex se nec vitã nec salutẽ dare potest: & hac sola ratione nobis honori est, q̃ Christi sanctissimo corpore attactũ, illiúsque S. sanguine cõsperſum fuit. Illa verò crux, in qua nimirũ & Paulus & Ecclesia triũphamus, tota Christi dñi passio est, hęc salutẽ nobis, vitã atq; resurrectionẽ cõtulit, hac redempti atq; saluati sumus. In hanc ergo cõmodè respiciendum est. Nos autẽ, inquit Ecclesia, gloriari oportet in cruce domini nostri Iesu Christi. Et hoc quidem principiò docemur, ne quem crucis Christi pudeat. Sit licèt Iudæis scandalum, atque stultitia Græcis: nobis tamen, & virtus & sapientia Dei manet. Et cur nos eius pudeat, maximè quia non pro se, sed pro nobis in ea passus est dominus? Quòd si culpa sua tantam sustinuisset pœnam, nec ipsi nec nobis vlla hinc venisset honos. Quia autem innocens ipse passus est, profectò est cur non pudeat eius. Imò quia tantus pro nostris delictis tantas exoluit pœnas, nemo quid magnum suæ crucis ignominia effecerit, dubitare potest. Quod cùm ita sit, indubitatò creditur. Ex virtute enim passionis Christi redempti ac saluati sumus, non vnus aliquis nostrũm, sed omnes: non ab vno aliquo delicto, sed ab omnibus in vniuersum. Ex virtute passionis Christi per baptismum ab originali peccato mundamur, ab actuali etiam per pœnitentiam manumittimur, ita planè sanguis Christi emundat nos à peccatis nostris, vt ipso testãte, omne pec-

Rom. 8.

2. Cor. 6.

Rom. 5.

1. Cor. 1.

Ioan. 1.

Matth. 12.

catum dimittatur, etiam in ipsam Christi personã factum, sicut ipse quoq; pro persecutoribus suis atque crucifixoribus
Luc.23. orauit, solo in spiritumsanctum excepto delicto, & nec hîc nec in futuro sæculo demittitur, quod fit, quando agnita veritas blasphematur, à misericordia Dei desperatur, & in peccatis impœnitente atque obdurato corde pertinaciter perseueratur. Hæc enim sunt in spiritumsanctum irremissibilia peccata, non, quòd insufficiens sit Christi sanguis ea delere, sed quòd talia rarò agnoscuntur, imò etiã, quòd iusto Dei iudicio ne possint agnoscere homines, excæcantur. Quòd si agnoscerentur, certè Christi sanguis ad delẽda ea sufficeret. Ecce hæc nobis ex Christi cruce consolatio manat, hęc hodierni instituti causa est, propterea ergo ad nos isthæc ecclesiastica pertinet, nos autẽ gloriari oportet in cruce Domini
Gal.6. nostri Iesu Christi. Hûc crucis processiones, eúsq; in omni loco, maximè verò in templis obuia imago pertinet, nempè
Rom.8. vnica hæc nostra fiducia est, cum Paulo dicere. Deus proprio filio suo nõ pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Quomodò nõ etiã cum illo omnia nobis donauit? Si Christus pro nobis mortuus est, & interpellat pro nobis, quis est qui nos condemnet? Hæc summa est, nulla tam grauis tentatio est, quin cruci huic cedat, quandoquidem hic per crucem suam mundum cum suo principe deuicit. Cõfidite, inquit, ego vici mundũ. Nec vlla tam dura egestas est, quę ex huius crucis thesauro diuite non soluatur, quandoquidẽ per illam Christus omne bonum impetrauit. Agitè ergo in omni tentatiõe nostra, in omni miseria atq; tristitia ad ipsum Deum precemur dicentes. O Domine Deus. O pater misericordiarum, respice in nos filios tuos familiámque tuam, pro qua Dominus noster Iesus Christus filius tuus non dubitauit manibus tradi nocentum, & crucis subire tormentũ. Hoc vnum si didicerimus precari, piè sanè ac vtilissimè hanc festam diem peregimus. Gratia Domini nobiscum, Amen.

TERTIVS SERMO.

1.Cor.1. VErbum crucis pereuntibus quidem stultitia, ijs autem qui salui facti sunt, id est, nobis Dei virtus & sapientia est. Quód hodiernum & pręclarum Euangelium his explicare supersedeo, ideò fit, quod nõ nunc tantũ in Ecclesia legitur, & quod alibi ipsum verbo tenus explicui, maxime
Ioan.3. verò ea Christi verba, quæ huius festiuitatis instituto seruiunt. Sicut

uiunt. Sicut Moſes exaltauit ſerpentẽ in deſerto, ita exaltari oportet filiũ hominis: vt omnis qui credit in illũ nõ pereat, ſed habeat vitam æternam. Hoc ſolum verbum cauſa fuit: vt hodiè totus iſte Dialogus legeretur. Seruit enim huic feſto quàm maximè, admonens nos crucis Chriſti, & quid ſit illa, quiſq; eius vſus oſtẽdit. Quæ res Chriſtianis ſcitu ſunt perneceſſariæ. Cũ enim omnis noſtra ſalus: vita reſurrectio in Chriſti cruce eſt poſita: vtiq; ſemper eam ob oculos verſari, ínque memoria habere neceſſe eſt. At cùm hodie eius peculiaris quædã habetur per oẽs Eccleſias mentio: vulgus verò hominũ, cũ crucis vocabulũ audiunt, præter lignum, in quo exaltatus fuit Dominus, nihil cogitant, neceſſariò quid ipſa ſit nunc oſtẽditur. Et quãdo toties per anni circulum S. crucis recordamur, pauci verò admodũ conuenientẽ eius vſum norunt, id quoque docebitur neceſſariò, quod ad vſum eius pertinet. Hæc ergo hodierni inſtituti cauſa eſt. Ideóque hûc conuenimus. Hûc Chriſti verba de exaltato ſerpente æneo pertinent. Quã hiſtoriã cũ alibi latiùs explicauimus, nũc circa Pauli verba, huius ſermonis exordio poſita explicemus. Verbũ crucis, inquit ille, pereũtibus quidem ſtultitia, nobis autem, imò credentibus omnibus Dei virtus & ſapientia eſt. De his, inquam: verbis paucula dicam. Ac principiò quidẽ, (quod nemo rectè ignorat.) Paulus hîc nõ de eo, in quo Chriſtus pependit, ligno loquitur. Quãquàm & illud ſanctum lignum, arbórque ſancta dicitur, Chriſti nimirùm ſancti ſanctorum attactum corpore, & conſperſum cruore, meritóq; ac reſpectu huius à nobis veneratur, nõ tamen illa crux eſt, quæ Dei nobis virtus & ſapiẽtia eſt. Deindè nec de illa Apoſtolus loquitur, quæ in templis poſita videtur, aut alibi ſequentes antefertur, multóque minus, quas collo aut precarijs nodis penſiles ornatus cauſa circunferimus. Signa hæc ſunt illius S. crucis. quòd crucifixũ Chriſtum repræſentent nobis, eiúsque paſſionis admoneant, non res ipſæ, nec in ijs aut ſpes, aut ſalus noſtra conſtitit. Verùm enimuerò Paulus atque alij verè credentes, & quando crucis mentioné faciũt, paſſionem, mortem adeóque crucifixum Ieſum intelligunt. In hoc enim verè eſt, quòd Paulus ait. Verbũ crucis pereuntibus quidẽ eſſe ſtultitiã, electis verò, Dei virtutem ac ſapientiam. Id iam demõſtraretur, maximè, quod poſtremò dixit. Nã, quod prius poſuit, demonſtratione nõ eget, eò, quod experientia doceat, Iudæis, ſimul & Græcis hanc eſſe ſtultitiã, 1. Cor. 1.

quum in cruce Christi gloriantes nos insipiẽtiæ arguunt, q̃ crucifixum diuino honore dignamur. Conniuendũ hoc illis est. Quid enim nobis illorũ illusio incõmodat? tãtum vt per se infallibili veritate Christi crux: virtus & sapientia Dei est, ita nobis virtutẽ & sapientiã conferat, studeamus. Quòd em̃ esse possit, clarissimè comprobatur. Sed quod huius rei argumentum adferã, quæris? Hoc igitur paucis indicemus, eóq; libẽtiùs, quod his infaustis nimiũ tẽporib⁹ nõ minima hinc proficiscitur fiducia, sepositáq; impatientia & desperatione cõfidentiùs ad Deũ properemus. Principiò igitur certũ est, põs homines siue bonos siue malos, in Christi cruce habere posse, quod suæ cuíq; saluti seruiat. Boni, consolationẽ inueniunt, mali: (vt mereãtur) terrorẽ, nescij: eruditionem, infirmi; virtutẽ. Viuus enim liber, Christi crux est, in quo non solùm legitur: verũ etiã tanquã in tabula depictũ videtur, quæ mundi sæuientis contra iustitiã: veritatẽ, & innocentiam pugna sit. Tum quid Satã moliatur, quídue quærat, in Christi cruce ostenditur, nẽpè, quãtũ in ipso est, Dei, & quicquid diuinũ est, semel vnóq; moneto extirpare. Ac tertiò quidem, quid sit peccatũ in eadẽ cognoscimus, res nimirum tam gra-
Rom. 8. uis, adeóq; inuisa Deo: vt ne vnigenito quidem vnicè sibi dilecto filio manumisisset peccatores, nisi ipse nostras vices pœnásque subiẽs, immanissima turpissimæ mortis tormenta solus pro omnibus sustinuisset. Quartò deniq; quid nos simus, & quid, sine cruce hac Christi, in æternũ mansuri eramus, nimirũ, inopes, maledicti, à Deo omnibúsq; creaturis derelicti, haud secus atque Christus in passione sua omnium
Matth. 27. erat ludibrio expositus. Sed in primis cõsiderare licet in passione Christi philãtropiam, & pietate propensissimum Dei
Ioan. 3. in nos homunculos affectũ. Sic enim Deus dilexit mũdum:
Rom. 8. vt filiũ suũ daret vnigenitum. Et quomodò nõ omnia simul cũ ipso donauit? Qui quod clarissimũ habuit, dedit, quomodò, quæ viliora sunt, negabit? Hoc ergo primũ & præcipuũ, quòd in cruce Christi discendũ est, atq; idẽ illud pernecessarium, præsertim hac tempestate. Cùm enim in toto mundi huius theatro nihil præter miserias exitiúque ærumnas, atque extremam perditionem videmus, nullum verò consilium, nullum auxilium, consolationem nullam, ab vllo homine aut creatura speramus, nihílque randẽ supereat, quàm
2. Par. 20. oculos nostros cum Iosaphat ad vnũ Deũ attollam⁹, quid audaciæ faciemus, aut qua fiducia ad eũ accedemus, nisi antę

reconciliatum illum nobis certò sciuerimus? Quòd verò firmius reconciliati nobis Dei argumentum est, ipsa passione Christi? Huius ergo ô homo crucẽ, huius passionẽ respice, nec vnquam de Dei patris in te charitate dubitabis. Vade, in quit ipse Christus, & dic fratribus meis, ascendo ad patrem meũ, & patrẽ vestrũ, Deũ meũ & Deũ vestrũ. Ac si diceret. Vade annuntia illis, ne posthac vnquã de charitate Dei dubitent, quòd pro ipsis mortẽ subierim, filius ecce ego vnicus patris Dei, argumentũ sit, eũ qui hactenùs mihi soli pater & Deus fuit, ídque natura, etiã ipsorũ iam patrẽ & Deũ esse, & id gratia. Et quid hinc expectandũ erit, nempè cũ Dauid deinceps in omnibus tentationibus gloriari ac dicere. Dominus refugiũ nostrũ & virtus in omni aduersitate, propterea non timebimus dũ turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris. Et iterum. Nõ recedimus à te: viuificabis nos, & nomẽ tuum inuocabimus. Ecce hæc omnia licet ex Christi passione addiscere. An verò non magnũ quid esset, tantũ cõsolationis, tantũ fidei, fiduciæque hinc domũ referre? Quod periculum, quæ aduersitas solicitare nos posset, si ist hæc Dauidis verba, Dauidica fiducia loqui hinc didicissem? Eadem fiducia Paulus dicit. Deus pro nobis, quis contra nos? Aut, Quis separabit nos à charitate Dei? Certus sum, quòd neque mors, neq; vita, neq; Angeli, neq; principatus, neq; præsentia, neq; futura, neq; altitudo, neq; profundũ, neq; creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Sed vnde hæc Paulo confidentia: vnde hæc illi certitudo, quòd ita seposita omni trepidatione, Deũ secum esse, eúmque sibi nullius posse creaturæ vim surripere? Illinc nimirùm, quod paulò ante dixerat. Iesum Christũ pro nobis mortuum, pro nobis eundẽ apud patrẽ interpellare. Intelligitis, opinor: vnde hanc Paulus fiduciã conceperit, nimirùm ex cruce, passione, ac morte Christi, eiusdémq; resurrectione hæc omnia defluxerũt. Quòd si nos quoq; eo modo Christi hanc crucẽ cõtueri possemus, profectò non solùm cũ Paulo; verũ etiã cũ Dauid gloriaremur dicẽtes, Deus refugium nostrũ & virtus, propterea non timebimus dũ turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris. Et quid nobis beatius? Intendat animũ quicũq; pius, oro, quid ist hæc verba velint examinet, haud dubiè mecum confirmabit, his temporibus maiorem certioremque spem dari nobis non posse. Et id quidẽ ita esse, fusiore tractatione declarabimus.

Ioan. 20.

Psal. 45.

Psal. 79.

Rom. 8.

Ac principiò quidē inconsideranter prætereundum nō est, quod Dei nomen exordio Psalmi posuerit. Nō leuitatis hoc Psalmistę indiciū est: vt sæculi huius solēt filij, qui nihil ferè dicūt sine nominis diuini attestatione, omnia sine causa, cōtemptus ratiōe, & frustrà. Dauid verò sicubi nominis huius appellatione vtitur (vtitur autē sæpissimè) fidem, dilectio-
Psal.66. nem, pietatémq; suā ostendit. Memor, inquit, fui Dei, & delectatus sum. Et iterum.
Psal.72. Quid mihi est à te, aut quid volui super terrā? Deus pars mea inæternū. Certè pijs omnibus singularis quædā dulcedo in hoc nomine propinatur. Nostra, id est, Germanica lingua, Deus à bono nomē habet: quia ipse solus bonus, ac fons omni scatēs bonitate. An verò nō ingēs gaudiū parit summi boni cogitatio? maximè verò quando ipsum bonum corā videtur, imò possidetur? Et quæ ergastas erit illi, qui ipsum videt ac possidet? Vis hominis Deū habētis videre diuitias? Deus nostrū refugiū & virtus. Nos ita legimus. Deus noster refugiū, & vera virtus est. Id qđ maiorem habet emphasin. Solēt enim & Gētes in idolis suis cōfidere,
4.Reg.1. eosdémq; virtutis ac refugij dignari appellatiōibus, Quēad modùm ī Ochosia Rege videre est, cui Beelzebub refugium
3.Reg.3.11. erat. Sic Hieroboam vituli aurei, sic Moabitis Moloch, sic
4.Reg.23. Ammonitis Chamos, sic Philisthæis Dagon. 1. Reg. 5. Sic Achab Regi Baal, sic Sodonijs Assertes. 3. Reg. 11. Sic Babylonijs Bel. Sic porrò cuique gēti suū refugium & virtus, idolon erat. Omnes dicere poterant. Ille atq; ille, refugium nostrum, Deus est, sed nulla gēs dicere potuit. Hic aut ille Deus vera virtus, refugiū nostrum certum est. Ita enim illa dictio (noster) intelligēda est, ū spem & fiduciam adferet. Nam & homo hominē virtutē & refugium suum aliās dicere potest. At, hic mihi certa virtus: verúmque refugium est, nō potest.
Psal.107. Fallit enim sæpè humana virtus, & vt Dauid ait: vana salus
Psal.145. hominis. Nolite confidere in principibus, in filijs hominū, in quibus non est salus. Quale enim refugium homo erit alteri, qui sibijpsi non constat, auxilióue esse poterit? Aegyptus homo, non Deus est, & equi eius caro sunt, non spiri-
Isai.31. tus: vt Isaias testatur. Et maledictus homo qui confidit in
Hier.17. homine. At beatus homo ille, cuius Deus est Dominus eius, spes eius in Domino Deo ipsius. In hunc enim solū omnis
Psal.145. fiducia humana reponēda est. Fidelis est cm in veritate sua, & veritas eius inæternum manet, adiutor eorū qui oppressi fuerunt fortis, dat escam esurientibus, solvit vinctos, illuminat

cæcos, erī-

cæcos,erigit ab elisos,diligit iustos,custodit aduenas,pupillum & viduã suscipit.Hoc ergo Dauid vult cùm dicit:Deus noster refugium,& virtus vera est.Sed hîc considerandũ est, quòd tria epitheta Dauid Deo attribuat, eósq; honorificos Deo,pijs verò omnibus plena cõsolationum.Refugium nostrum,virtutem nostram,& adiutorem nostrũ dicit.Et quidem talis omninò nobis necessarius erat Deus.Væ autem omnibus est,qui eiuscemodi Deũ vel nõ habent,vel nõ norunt.Semper enim diabolus nos insequitur,vt aut planè deuincat,aut fatiget,aut labefactet.Aduersarius noster (ait Petrus) tanquam Leo rugiens circuit,quærens quem deuoret. 1.Pet.5.
Qua in re multis vtitur artibus.Potest quidem per se, tum etiam per impios homines tentat.Sic Israëlem persequebatur per manum Pharaonis in Aegypto,vt destituti æquitate in terris,cogerentur Deo supplicare in cœlis,eóq; res deduxerat,vt Domino tardante,Mosen conuenientes dicerent: Videat Dominus & iudicet,quoniam fœtere fecisti odorem nostrum coram Pharaone.Eadem vi Dauid inuasit Prophetam,vt loquente sibi Ionatha,dicere cogeretur:Viuit Dominus,& viuit anima mea,quia vno tantùm (vt ita dicam) gradu,ego & mors diuidimur.Sic & Eliam Prophetam per Iezabel angustauit,vt tandem precaretur Dominum auferre animam suam,eò quòd melior patribus suis non esset. Sic Iob persecutus est,eóque modo tractauit,iam per amicos, iam per propriam etiam coniugem,vt tandem vitæ pertæsus diceret: Tædet animam meam vitæ meæ. Similiter & Hieremiam Prophetam solicitauit, vt tandem natiuitatis suæ maledicens diei,in hæc verba prorumperet: Væ mihi mater mea,vt quid me peperisti.Plena est sacra Scriptura huiusmodi exemplis,sunt vbique obuia. Quæ igitur pijs mentibus spes reliqua est,quando hostis ille tot támque diuersis machinis contra eos insurgit, mentem atque corpus impugnat:Illa nempe,quæ Dauid dicenti:Deus noster refugium & virtus,adiutor in tribulationibus,quæ inuenerunt nos nimis.Id quod non in hoc solùm Psalmo,verùm etiam multis alijs cecinit.Exéplo sunt 17.30.35.& 90.Psalmi,quibus magna fiducia Deum suum refugium atq; virtutem dicit.Hæc igitur pijs mentibus consolatio restat, scire quòd tale ipsis superst refugium,vtut solicitentur & coanguãtur.Ab autem non est consolationis plenum verbum,quod nihil nos vanè laborasse ostendit,qui illi Deo ac virtuti, refugióque Exo.2. Exo.5. 1.Reg.10. 3.Reg.19. Iob 10. Hiere.15.

no-

noſtro toties ſupplicauimus? Annō incitamēto erit deſidioſis, vt ea apud Deum iam nunc iterum quærant, quæ prius neglexerunt? Sed nemo nouit, quanta ſit conſolatio habere refugium, niſi qui aliquando multo diſcrimine coanguſtatus & exercitatus fuit. Nouerunt Dauid, Moſes, Elias, Paulus, & alij quidam, quod ſit ſolatium afflictæ menti vbique & ſemper ad Deum recurrere, apud ipſum certum aſylum inuenire, refugio tuto atque virtute inuicta frui, in illius fortitudine ac adiutorio quieſcere. Hos enim titulos idem Dauid Deo tribuit, vt ſit fortitudo aque adiutorium noſtrum, non in vna aliqua tribulatione, ſed in omnibus, quæ inuenerunt nos nimis: cùm hîc corporis, illic vitæ, liberorum, facultatísque periculis ſolicitamur, omnibus malis expoſiti ingemiſcimus: quibus internæ illæ ſæpenumerò accedunt pericli tationes, quibus anima & cōſcientia coanguſtantur, illis certè multò grauiores. Tamen in his omnibus certiſsimum nobis reſtat refugium, ſolus nimirū omnipotēs. Noſter Deus, inquit Dauid, certiſsima virtus eſt, firmum refugium, & adiutor omnipotens. Quid ergo timebimus, etiamſi turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris? Et horum quidem omnium Chriſti paſsio ac crux certiſsimum argumentum & pignus eſt. hoc ipſo enim quòd Filium dedit Pater, etiam ſolatium, ſpem, adiutorium & tutelam promiſit. Crucifixum ergo Ieſum tenentes, íq; eum intuētes, de Dei in nos amore, vt dubitare nec poſſumus, ita nec debemus. Conuenienter ergo Paulus Chriſti crucem credentibus nobis Dei eſſe virtutem & ſapientiam ſcripſit. Rectè etiam atque oportunè Eccleſia, vt in ſola cruce Chriſti gloriemur monet. Hoc reſtat vt verum ipſius vſum teneamus. Gratia Dei nobiſcum, Amen.

IN DIE ASCENSIONIS CHRISTI EVANGELIVM

MARC. XV.

NOuiſsimè autē recūbentibus illis vndecim apparuit: & exprobrauit incredulitatē eorū & duritiam cordis, quia ijs qui viderant eū reſurrexiſſe, nō crediderunt. Et dixit eis: Euntes in mūdum vniuerſum, prædicate Euāgeliū omni creaturæ. Qui

turæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui verò nõ crediderit, condẽnabitur. Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent. Et si mortiferũ quid biberint, nõ eis nocebit. Super ægros manus imponent & benè habebũt. Et Dominus quidẽ Iesus postquam locutus est eis, assumptus est in cœlũ, & sedet à dextris Dei. Illi autem profecti prædicauerunt vbique, Domino cooperãte, & sermonem confirmante, sequentibus signis.

EODEM FESTO EPISTOLA ACTORVM 1.

PRimum quidem sermonem feci de omnibus ô Theophile, quæ cœpit Iesus facere & docere, vsque in diem qua præcipiẽs Apostolis, per Spiritũ sanctum quos elegit, assumptus est. Quibus & præbuit seipsum viuũ post passionẽ suã in multis argumẽtis, per dies quadraginta apparẽs eis, & loquẽs de regno Dei. Et conuescẽs, præcepit eis ab Hierosolymis ne discederẽt, sed expectarẽt promissionem Patris, quã audistis, inquit, per os meũ: quia Ioãnes quidem baptizauit aqua, vos autẽ baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies. Igitur qui conuenerant, interrogabant eum dicentes: Domine *si in tempore hoc restitues regnum Israẽl? Dixit autem eis? Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate: sed accipietis virtutem superueniẽtis Spiritus sancti in vos, & eritis mihi testes in Hierusalem, & in omni Iudæa, & in omni Samaria, & vsque ad vltimum terræ. Et cùm hæc dixisset, videntibus illis eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum. Cúmque intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo viri astiterũt iuxta illos in vestibus albis: qui & dixerunt:* Viri Galilæi, *quid statis aspiciẽtes in cœlum? Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.*

PRIMVS SERMO.

ADEST rursus dierum magnæ solẽnitatis præteritæ vltimus, hodie enim quadraginta illi dies, quibus manifestus post passionem suam discipulos suos consolatus est, cõsummantur. Faxit Deus

Opt-

Opt. Max. vt quemadmodum temporis & cauſæ commoditas data fuit: ita cum fructu tranſegiſſe id tẽpus exultemus, Apoſtolorum ſuorum infirmitati neceſſariò conſuluit Chriſtus, quòd viuum ſe & manifeſtum, poſtquam reſurrexiſſet à morte, ipſis aliquot diebus exhibuit: nempe vt quos præcedens paſsio ac crux penè in deſperationem adegerat, corporea præſentia erigeret denuo ac cõfirmaret. Quæ vna aſcenſionis Domini in quadrageſimum vſque diem dilatæ cauſa eſt. Interea verò toties tótque modis apparuit, quo omnem dubitationem penitus è ſuorum mentibus eximeret. Et certè conatui reſpondit effectus. Ita enim multiplici apparitione animis confirmati ſunt, vt planè prioris, quod ex cruce hauſerant, ſcandali obliti, indubitatò Chriſtum reſurrexiſſe, verúmque ipſum Dei filium eſſe crederent. Vnde aſcendente eo, nullo (vt antea) timore perterriti, flexis genibus, vt Lucas habet, adorauerunt eum: reuerſíque in Hieruſalem
Act. 1. gaudentes, & aſsidui mox in templo Deum laudauerunt. Illud nimirum Apoſtoli per quadraginta hos dies didicerant: quo certè factum eſt etiam, vt aſcenſionem Domini maiori pietate & feruentiores celebrarent. Iam verò & nos quadraginta numero dies à reſurrectione hucuſque tranſegimus, vnáque cũ Apoſtolis eaſdem de reſurrectione Domini conſolationes audiuimus, cùm præterea ferè nihil aliud Eccleſia nobis illo tempore propoſuerit. Quòd ſi eadem ratione iſthæc omnia exemplo Apoſtolorum mentibus noſtris inhærent, nulla nunc demum admonitione opus erit: ſed quod in ipſis videmus, idem nos, pro ſe quiſque aſcendente Domino factitabit: hoc eſt, genibus flexis, oculis manibúsque in cœlum ſublatis in Chriſti aſcendentis gloria exultabimus, præuolantémque ſeruuli Dominum, vnanimi voce ſequemur: O Rex gloriæ, Domine virtutum, qui triumphator hodie ſuper omnes cœlos aſcendiſti, ne derelinquas nos orphanos: ſed mitte promiſſum Patris in nos Spiritum veritatis, Halleluiah. Hoc modo Apoſtoli aſcenſionem Domini celebrarunt, eodem etiam, qui eos ſecuti ſunt Chriſtiani, vti in eorum monumentis & hiſtorijs traditum legimus. Idem & hodie Chriſtiana facit Eccleſia: & quid in his terris degens homo fructuoſius ageret? Quantum verò temporis poſtulatur, ſi omnia quæ in hac aſcenſionis feſtiuitate contigerunt, rimari voluerimus, quo honore regnum ſuum Chriſtus ingreſſus eſt, quanto triumpho à cœli ciuibus exceptus, qua

glo-

gloria cœlum omne fulserit? Non hæc humana ratione intelligi, nedum nostro sermone dici possunt. Neque enim vllus ea perscribere Euangelista ausus fuit. Intuebantur quidem cœlum Apostoli, & Christum ascendentẽ oculis secuti sunt: nec dubium, finem tanti videre spectaculi desiderasse omnes: sed nubes eum ab oculis ipsorum suscepit, ac duo angelici ordinis viri iuxta stantes responderunt: Viri, inquiũt, Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? ac si dicerent: Vidistis in cœlum ascendentem, quid porrò desideratis? quid vultis? Quod vidistis, memoria tenete, hoc credite: cætera carnalibus non sunt obiecta obturibus, maximè hoc tempore. alia verò expectatur dies, quando immortalibus vobis hæc cuncta patebunt. Hic enim Iesus, qui nũc assumptus est à vobis, iterũ veniet ad vos, suscipiétq; vos in regnum suum, vt vidẽtes cognoscatis honorem quem ab initio habuit. Interea hac spe & fiducia viuite, vt veniens vos agnoscat suos. Ecce his duorũ verbis, quæ hîc credentes meditatio deceat, satis significatur apertè. Tenendũ est fide, Christum cœlos ascendisse, eundémque ad iudicium suum reuersurum esse. Agitè ergo in ipso capite nostro, quòd cœlos ascendit, exultemus, vt membra ipsius facti, capiti nostro inhæreamus, studiosè inuigilemus. Hæc enim duo præsens festiuitas postulat. Equidem non possum non fusius aliquid de hoc festo dicere. Licèt enim superioribus annis docuerim quid Christus de ascensione sua dixerit, quid Euangelistæ de ea cõscripserint, quid passim Apostoli de ipsa etiam docuerint: tam multi tamen, tamq; præclari Psalmi, qui Christi ascẽdentis gloriam ac honorem prædicant, hodie decantantur, vt grande existimem piaculum, si nihil inde de Christi glorificatione in medium adduxero. Et ne quis hoc quasi nouũ contẽnat, quomodò ipse Christus in Psalmis de se scriptum esse testetur, agnoscite. Nam & quosdam signatè dicit de se scriptos: vt, 8. 10. 109. aliósq; plures id genus Psalmos. Id quod & Paulus non vno in loco consueuit facere, vt in ea quam ad Romanos scripsit Epistola, cap. 15. ad Hebr. 1. 2. 3. 4. 5. cap. Denique. & in Actis idem 15. cap. Et quid multis? Nihil tam exiguum de Christo testantur Euangelistæ, quin idem in Psalmis longo tempore antè sit vaticinatum. Sed hæc nunc omittamus, quando in sola ascẽsione & glorificatione Christi occupari nos magis decet. Quòd si diligenter perscrutari Psalmos libet, inueniemus non vnum aliquem,

Ioan. 17.

Luc. 24. Matth. 21. & 22.

sed

sed multos Christi gloriam prædicare, idque tam manifestè: vt ne Apostolis quidem apertius facere licuerit facilè. Quòd si quis hæc in controuersiam vocare voluerit. 20.44.46.67.88.92.96.98.109.117.131. Psalmos legat: & Dauid Regem non tam Prophetam, quàm Euangelistam, fatebitur. Quanquàm autem omnes hi Psalmi ascendentis Christi gloriam & honorem personẽt: sunt tamen in eo acerno tres (meo iudicio) præcipui, qui manifestè quid potiùs hodiè meditandũ sit, proponunt. Sunt autẽ 92.96.& 98. quorum etiam exordium idẽ est, & quisque tamen peculiare aliquid in hac Domini solennitate pensandũ porrigit. Primus enim simpliciter gloriam & honorẽ Christi: vti per se est, enarrat. In secũdo verò, ad pios sermone conuerso, quis ascensionis vsus atque fructus sit ostendit. Tertius verò contra impios dirigitur, prænuntians, quæ mala ipsis Christi ascensio minitetur. Et hæc omnia digna consideratione pensanda sunt hodie. Propterea enim ter dicit Psalmista. Dominus regnauit, semper tamẽ noua additione. Primò enim cùm dixisset. Dominus regnauit, addit. Decorem indutus est. In secundo verò postquã posuisset. Dominus regnauit, subdit. Exultet terra lætentur insulæ multæ. Sed & in tertio, cùm dixisset. Dominus regnauit, subiungit. Irascãtur populi. De vnoquó que ergo sig illatim mihi nonnihil dicendum est. Principiò igitur considerandum est, quòd sæpius Psalmista posuit. Dominus regnauit. Longè enim diuersum est ab eo, quòd passim in Regum libris legimus, hic vel ille Rex tot annis præfuit regno, nimirùm potiti sunt illi rerum in præterito, regnúmque ipsorum finem habet, Christi verò imperium
Dan.7. manet in æternum. Potestas eius æterna, inquit Daniel, quæ non auferetur, & regnum eius, quod non corrumpetur. Et
Luc.1. Gabriel: Regnabit, ait, in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Quod enim hîc præteriti temporis positum est, Regnauit non ita intelligendum est, quasi iam præterierit Christi regnum: sed hoc potius intelligit Propheta: Dominus suscepit regnũ, incœpit regnare, aut designatus
Ioan.3. est Rex, hoc est regni gubernacula illi tradita sunt. Nam
Ioan.17. cùm cœlos, quos descenderat, ascenderet: morte, cui se vo-
Ephes.1. lens subiecerat, deuicta: maiestatem, qua antequam mun-
Philip.2. dus fieret, apud Patrem claruit, cùm omnis carnis potestatem accepit, vt credentibus omnibus vitam largiretur æternam. & excelsior factus super omnes principatus & potestates

ſtates à dextris conſidet. Omnia etiam ſubiecta ſunt ei, ſortitus nomen quod eſt ſuper omne nomen. Tandem etiam potestas illi in cœlo & in terra data eſt. Quæ omnia Propheta ſignificat, cũ ait: Dominus regnauit. Sed & eadẽ Marci verbis cõprehenduntur, dicẽtis, Et Dominus quidẽ Ieſus poſtquàm locutus eſt eis, aſſumptꝰ eſt in cœlũ, & ſedet à dextris Dei. Et hæc iã de gloria atq; honore Chriſti dicta ſunt. Suot autẽ & alia quędã à Prophetа expreſſa nominatim, quæ ad eandem gloriã & honorẽ Chriſti pertinent. Non enim nudè poſuit, Dominus regnauit, ſed addidit etiam dicens, Decorem indutus eſt. Quid hoc ſit, quęris? Iam antè pro nobis formã ſerui aſſumpſerat, in ſimilitudinẽ hominũ factus, vt homo, nobis fratribus ſuis per omnia aſsimilatus erat: Peccatum ſemper excipio. Iu tantum, inquam, ſe humiliauerat, vt inter diſcipulos, non vt Dominus, ſed vt ſeruus obambulans conuerſaretur, tandem etiam ludibrium hominũ factus, & deſpectio plebis, vt vermis nõ homo æſtimaretur. At nunc contra ſerui forma ſepoſita, decôrem, gloriam & honorem indutus eſt, & mortalitatis diſſluto ſacco, immortalitatis indumẽto amictus eſt. Quemadmodùm ergo aliorũ Regum veſtimentũ eſt aurum & purpura, ita etiam Rex noſter gloriam & honorẽ indutus eſt. Hunc verò decôrem non aſſumpſit tantùm, verumetiam indutus eſt: quo verbo Scriptura abundantiam quandam & ſuperfluitatem conſueuit innuere, vt Dauid ait cũ de impiis loquitur, Induantur qui detrahunt mihi, pudore: & induantur ſicut diploide confuſione ſua. Et, Induet quaſi veſtimentũ ſuum maledictionẽ. Et iterum, Induantur cõfuſione & reuerẽtia, qui maligna loquuntur ſuper me: hoc eſt, vbíq; & ſemper maximũ dedecus ſuſtineant. Cõtra verò de piis loquẽs ait: Sacerdotes tui induãtur iuſtitiã, & ſancti tui exultẽt. Et ad Apoſtolos Chriſtus, Vos autem, inquit, ſedete in ciuitate, quoaduſq; induamini virtute ex alto: hoc eſt, dum plenè & perfectiſsimè cælitus confirmamini. Hoc ſenſu igitur hîc de Chriſto, quòd decôrem indutus, hoc eſt, ſummè ac pleniſsimè omnibúsque modis decorus ac glorioſus honorandúsque factus eſt, dicitur. Hunc ergo qualem Regem habeamus, videre eſt. Sed & quod ſequitur accipe, Indutus eſt Dominus, inquit Pſalmiſta, fortitudinem. Cùm enim in forma Dei eſſet prius exinaniuit ſemetipſum, obediens factus Patri vſque ad mortẽ. Vt ouis ad victimam ductus erat, adeóque debilitatus, ac doloribus

Matth. 28.
Marc. 16.
Pſal. 92.
Philip. 2.
Hebr. 2.
& 4.
Luc. 22.
Pſal. 21.
Pſal. 92.
Pſal 108.
Pſal. 34.
Pſal. 131.
Luc. 24.
Pſal. 92.
Philip. 2.
Iſai. 32.

enervatus apparuit, vt cœlesti per angelum cõsolatione con-
Luc.22. fortatus sit: tandem etiam in crucem confixus, vt quid Patre
Matth.26. Deo derelictus sit, quęsierit. At nũc omnis ab eo recessit infirmitas: imò pro infirmitate fortitudinem indutus est, fortem se ac præpotentem in cœlis Deum ostendens, qui antea nostri causa debilis atque inops in terris visus fuerat. Vides ergo Regem nostrum nõ tolùm magnum ac decorum: verumetiam fortem, vndecúnque fortitudine amictũ, perindè atq; suprà de decõre eius dictum meminimus. Nec iam decõrem & fortitudinem tantùm indutus: quin etiam præcinxit se, hoc est, ad certamen & hostile cũ Satana duellum armauit se, ad liberãdum suos è diabolica potestate, & ad defensionem eorum quos liberauit, præparauit se. Solet enim
Psal.44. præliaturus miles gladio se succingere. Qua ratione alibi
Psal.66. etiam Dominum precatur Propheta: Accingere gladio tuo super femur tuum potẽtissime. Et alibi: O Deus meus intende in adiutorium meum, ad adiuuandum me festina Domi-
Act.7. ne. Id verò hîc iam completũ esse canit. Præcinxit, inquit, se, & stans armatus in auxilium nostrũ respicit. Eum & Stephanus miles ducem quẽdam vidit certaminis sui à dextris Dei stantem, tanquã ad suam aliorúmq; strenuè laborantium defensionem paratum. Aut sic: Præcinxit se, more eorum qui aliquid operis facturi sunt: hi enim succincti esse consueuerunt, vt expeditiùs opus suum faciant. Ita enim & Christus iam in regni sui exaltatus solium, egregium, sed præclarum opus aggressus est: nimirum Ecclesiam suam nouum quendam mundũ ædificaturus. Accinctus operi, imò iam dudùm ipsum opus aggressus est, primáq; fundamenta locauit. Et quemadmodũ in principio rerum orbẽ terrarum firmauit,
Matth.16. ne cõmoueretur: ita nunc Ecclesiam suam supra firmam petram ædificauit, ne quid vel ipsæ inferorum portæ aduersus eam prævaleant. Hoc ipsum ergo Christi glorię seruit, qđ non solùm honore & gloria indutus est, verumetiam in auxilium membrorũ suorum armatus astat. Et quid vltra quæris? Sed ipsam totius negotij summam accipe. Parata est, inquit Psalmista, sedes tua ex tunc, ô Deus, à sæculo tu es. Ex
Psal.92. illo tẽpore, dicit, quo regni tui fastigium, victo hoste, conscendisti: parata tibi honoris sedes est: sedes, inquam regia, sedes iudiciaria, & hæc tibi in humana carne de terra ad cœlos cum triumpho ascendenti ad dexteram Patris posita est, vt nunc porrò in æternum ei dexter assideas, cui per omnia

ab ini-

ab initio æqualis es. Ex tunc te filium ſuum Pater altiſſimus allocutus eſt, Sede à dextris meis. Ex tunc idem te Iudicem viuorum atq; mortuorum conſtituit, Gentésque in tuam ditionem tradidit. Nec mirùm eò te dignitatis euectum eſſe, quando in di uinitatis natura Patri coæqualis, & apud eundem ante omnes creaturas ab æterno extitiſti. Ecce Chriſtũ non iam Regem ſolùm, verumetiam Deum eſſe. Annon ergo apertè ſatis gloriam atque honorem Chriſti Prophetæ perſcripſit? Et mundus quidem hic impius cum ſuo Principe diabolo, omnibus ſæpè quibus licuit modis, hãc Chriſti gloriam impedire conati ſunt: ſed fruſtrà attentauêre impoſsibilia, quemadmodùm & Dauid id multis patheticos & cum exaggeratione enarratis teſtatur. Eleuauerunt, inquit, flumina Domine, eleuauerunt flumina vocem ſuam: Iudæorum nempè populus. In propria enim venit, & ſui eum non receperunt: imò non ſolùm non receperunt eum, verumetiam hoſtili acie perſecuti ſunt. Deindè, & flumina eleuauerunt vocem ſuam, id eſt, ſonitum, infando nimirum ore vociferantes Iudæi dixerunt: Regem non habemus niſi Cæſarem. Et nolumus hunc regnare ſuper nos. Et tandem etiam eleuauerunt flumina fluctus ſuos, cùm Iudæi oppreſſum Ieſum crucifigerent. Quam Iudęorum tempeſtatẽ multarum aquarum, id eſt, Gentium, voces ſecutæ ſunt: imò totum hoc mundi huius mare, contra vnum Ieſum admirabili planè ac inaudito modo exurgẽs intumuit. Nunquã enim in memoria omnium hominum vel viſum vel auditũ fuit, totum terrarum orbem contra vnum aliquẽ hominem inſurrexiſſe, eóque mirabiles dictę ſunt elatiões illę maris huius: atramen contrà mirabilior in altis Dominus. Ipſe enim Dominus rerum manet in æternum. Teſtimonia eius credibilia facta ſunt nimis. Miracula enim per ſe, pérque diſcipulos ſuos facta, in aſẽſione ſua glorioſa, abundè eum Regem ſempiternum deſignant. Ex his ergo quàm apertè Prophetæ hoc in Pſalmo Chriſti gloriam deſcripſerit, videmus. Sed nunquid hæc ſcire ſatis eſt? Minimè gentium. Quin qua ratione hæc Chriſti gloria commodare nobis poſsit, cogitandum eſt. Id fieri qua poſsit ratione quæris? Dauid Prophetam audi, paucis ille docebit. In alio enim Pſalmo ſic loquẽs audit: Dominus regnauit exultet terra, lætentur inſulæ multæ. Nec immeritò hoc. Oportuit enim præ gaudio in Chriſti gloria atque aſcenſione & terram exultare, & inſulas

Pſal.109. *Act.10.* *Pſal.2.* *Ioan.1.* *Ioan.19.* *Luc.19.* *Pſal.99.*

multas lætari: imò & Gentes, quemadmodùm in alio quodam Psalmo dicitur, manibus plaudétes, Deo in voce exultationis iubilare, quando Christi gloria cómunis est omnium vtilitas. Sed mundus ista contemnit ac negligit. Vnde Propheta noster in fine Psalmi ad pios conuertit sermonem, dicens: Lætamini in Domino & confitemini memoriæ sanctificationis eius. Addit enim in eodem Psalmo causam, cur sit lætandum iustis: Quoniam, inquit, tu Dominus altissimus super omnem terram, nimis exaltatus super omnes Deos. Et vt videamus, quàm nos meritò in Christi ascendentis gloria lætemur, quatuor enumerat inde defluentia commoda, quorum primum est, ꝙ in sublimi apud patrem cœlestem aduocatus noster assidet. Vnde & Paulus ait, Christũ ad cœlos ascendisse, vt apud patrem pro nobis appareret. Id quod Dauid expressit dicens: Custodit Dominus animas sanctorum suorum: puta, cùm illorum causam apud Patrẽ agit. Secũdus fructus verò est, quòd sua Dominus ascensione certissimã spem, perfectæq; ab omni malo libertatis, imò sempiternæ beatitudinis ac gloriæ cõtulit. Quò enim caput nostrum̃ peruenit, eò & iam nos membra pertinemus. Vbi em̃ cadauer, illic & Aquilæ congregantur. Pater, inquit Christus, volo vt vbi ego sum, illic & ipsi sint, quos dedisti mihi. Et iterũ: Vado parare vobis locum: iterum autẽ veniam ad vos, & accipiam vos ad meipsum, vt vbi ego sum, & vos sitis. Hoc illud nimirum est quod hîc Psalmista posuit: De manu peccatoris liberabit eos. Tertia porrò vtilitas est, ꝙ sua nos ascensione docuit, quò nobis aspirandum sit, quid quærendum, imò ad quid conditi & liberati sumus: nempè non ad terrenum, sed ad cœleste regnũ. Si cum Christo, inquit Paulus, consurrexistis, quæ sursum sunt quærite. Et iterum, Nostra conuersatio in cœlis est, vnde & expectamus saluatorem Dominum nostrum Iesum Christum. Et iterum, Colligite vobis thesauros, nõ hîc in terris, sed suprà in cœlis. Hęc nos Christus sua ascensione docet, vt mentes nostræ in cœlum sint erectæ. Vnde Propheta subdit: Lux orta est iustis, & rectis corde lætitia. Lux illa nempè, in qua videre dantur prioribus sæculis inaudita, huiúsque mũdi principibus incognita, quòd genus nostrum, & spem patriámq; nostrã in cœlis habeamus. Et quod lamen huic luci cõparari potest? Quartus fructus est, ꝙ Christus nos tantis promissis tam amicè consolatus est. Ascẽdo, inquit, ad Patrẽ meum, & Patrẽ vestrum Et

1. Ioan. 2. Hebr. 9. Matth. 24. Hierem. 17. Ioan. 14. Col. 3. Philip. 3. Matth. 6. Luc. 10. 1. Cor. 2. Ioan. 20.

strum. Et quid his verbis iucũdius cogitari potest? Christũs enim hic Deum, & patrem & Deum nostrũ vocat. At patris est liberorũ suorum curã affici, nutrire, cõseruare, tueri, exaudire, hæreditate ac possessiones reponere: Dei autem est fortiter suos ab omni periculo liberare. Si quando ergo dubi ratiuncula aliqua mentem tuam subintrauerit, an Deus adiuuare te, an conseruare, an liberare & tueri velit, patrem tuum cum si an possit, Deum tuum esse cogita. Et hac ratione non solùm lux iustis, verumetiam rectis corde lætitia, ex vna eadémque Christi ascensione ortã est. An nõ igitur nos meritò Propheta, vt ꝑ Christi gloria exultemus, hortatur? Verumenimuerò ne quis arbitretur tantarum rerum causa exultationem sufficere: consequenter Propheta quid sub tanti Regis signis faciendum sit nobis militibus, subdit, Qui diligitis Dominum, odite malum: honor enim Regis nostri (vt in alio quodam Psalmo scriptum est) iudiciũ diligit, cóq; iustitiam à filiis hominum exigit. Quemadmodum & in lege scriptum est: Sancti estote, sicut & ego sanctus sum Dominus Deus vester. Et in Euangelio: Estote perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est. Deindè idem Regis bonos postulat, vt ipsi secundum scientiam, cũ ratione & discretione seruiamus, non eo modo quo inferioribus his Dominis, inseruire consueuimus, sed cum timore ac tremore magno, cum exultatione, solicitudine ac honorificentia, tanquàm summo Regi, quo nemo maior est. Eodem sensu Paulus suadet, vt probati ac diiudicati, corpore Domini Participemus. Nõ autẽ sine ratione Dauid nos monet, vt cũ iudicio Regi nostro seruiamus. Inuenias enim non paucos, qui specie quidẽ bona, Deo seruire videantur, quorũ tamen ministeriũ iudicio caret. Non enim ea honorificentia, qua oportuit, nõ ea exultatione, aut cordis directione: nõ illa boni propositi perfectione: nõ deniq; illa bonę operationis solicitudine, vt æquum erat: sed cũ pigritia, cũ nausea, cũ hypocrisi, quasi carnali cuidã domino, exigui lucelli gratia seruiunt: imò nõ eam fidẽ in ministrãdo Deo, quam fortè hominibus exhibent, præstant. Ingenuos verò Dei seruos necesse est cũ magna cura munus cõcreditũ exequi, & postpositis omnibus aliis, secum quàm diligẽtissimè cogitare, quæ sit huius Domini maiestas ac celsitudo, ꝙ sublimior ipse cunctis terræ Regibus, quòd potentior cunctis Diis, & exaltatus vehementer, quòd sit inter potentes potentissimus

Psal.96. *Psal.98.* *Leuit.19.* *Matth.5.* *Psal.2.* *1.Cor.11.*

inter formidabiles terribilissimus, amabiliũ omnium amabilissimus. Eiuscemodi enim iudicium, eámque cõsideratio-
Deut.4. nem ante omnia honos & magnificẽtia Dei exigit. Quẽadmodũm & Moses populo Iudaico prædicans. Non est, inquit, alia natio tam grãdis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. Hæc Prophetæ Dauid ad nos de Christi ascẽsione prædicatio fuit, nẽpè ideò tot verbis vsus est: vt lætemur & exultemus, & in Christi regno iustè irreprehensibiles viuamus.
Psal.98. Vnum hoc superest: vt quid Dauid impijs timẽdum de hac ipsa Christi ascensione denuntiat, audiamus. Dominus regnauit, inquit, irascantur populi, ac si diceret. Dominus noster Iesus Christus regno præsidet, suámque potentiam exercet: vtut increduli atque impij irascantur, fremant, sæuiant, insaniant: velint nolint, potentiam maiestatémque eius sustinent, ac quantumuis repugnent, maximo suo damno pe-
Luc.19. dibus ipsius prostrati succumbent. Id, quod illa parabola significarum est, qua nolentibus hunc super se regnare, dicitur. Inimicos meos, illos qui noluerunt me regnare super se,
Psal.98. adducite hũc, & interficite ante me. Vnde, quod in Hebræo est, huius Psalmi initium quidam sic verterunt. Dominus regnauit, cõtremiscant populi. Ratio. Dominus in Syon magnus, & nomẽ eius cùm sanctum, tum etiã terribile est,
Ioan.5. sed & iudicium omne eius est. Pater enim omne iudicium dedit filio, nec quicquam nunc post ascensionem Christi su-
Act.1. perest præter iudicium. Id, quod Angelici illi duo viri etiam prædicarunt. Hic Iesus qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet quemadmodùm vidistis eum euntem in cœlum. Hæc ergo dicta sint impijs, qui si nolunt Christum gloriosum simul ac mansuetum Regem suum agnoscere: velint nolint, ipsum formidabilem Regem, iustúmque iudicem sentient. Hæc igitur cùm nouimus, Christi nos patienter submittamus signis, ac irreprehensibiles sub tanto duce ac Rege militemus. Sic fiet vt securi atque intrepidè venientem iudicem contemplemur.

SECVNDVS SERMO. ET DOminus quidem Iesus postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum, & sedet ad dextram Dei. Marc.16.

Breuis qui

BReuis quidem huius diei lectio est, si verba numeres, tamen multas diuersi temporis historias continet. Nam, quod initio eius est scriptum. Vndecim illis recumbentibus Dominum apparuisse, eorúmque & incredulitatem & cordis duritiam exprobrauisse, si ordinem historiæ, Euangelistarúmque consensum animaduertimus, non nunc in ascensione, sed ipsa resurrectionis die factum videtur, nimirùm cùm serò apparuit. Ex Luca enim illo ipso tempore discipulorum duritiam exprobrauisse intelligemus, his verbis. Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda vestra? Videte manus meas & pedes meos: quia ego ipse sum. Palpate & videte: quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Ex Ioanne verò, quòd eodem vespere Euangelij prædicationẽ discipulis cõmiserit, colligitur, cùm ait. Sicut me misit viuens pater, & ego mitto vos. Accipite spiritum sanctum, quorũ remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis peccata, retenta sunt. Initium ergo Euangelij huius, gesta Dominicę resurrectionis die recensere videtur. Nolo autẽ disceptare, cùm fieri potuit: vt no uissimo die símile quid & dixerit & fecerit, quo sensu veteris Ecclesiæ proceres hæc intellexerũt & interpretati sunt. Cæterùm, quòd Euangelista in fine addit profectos Apostolos: vbique prędicauisse, sine controuersia factũ non est hodie, sed postea quam spiritus sanctus missus fuisset. Nã cùm ascenderet Christus, discipulis ne ab Hierosolymis discederent, sed promissum patris expectarent, imò ne omninò Hierosolymis, nisi accepto spiritu sancto prædicarent, præcepit. Itaque initium & finis huius lectionis propriam suam quódq; narrat historiã. Nihilo tamen minus aliquid etiam, quod huic conueniat diei, refert: vt cùm ascendisse cœlos, atque ad dextrã patris Dei sedere cõmemorat. Nam ex Actis Apostolorũ manifestum fit, Christum quadraginta tantum diebus facta resurrectione in terris comparuisse. Et hæc quidem præsens dies à resurrectione quadragesima est: vnde hodie ascendisse conuincitur, ideóque mirum non est, nunc de nuò Ecclesiam, siue (vt cũ Dauid loquar.) Syõ filiam nouæ Regi suo proferre signa lætitię. Hodie enim tandem perfectè Christus clarificatus est, hodie, inquam, Deus exaltauit illum, & nomen ipsi dedit, quod est super omne nomẽ. Nã in eius nomine omne genu curuabitur siue in cœlo, siue in terra, siue in sempiternũ. Ascensione enim sua verus omnium

Luc.24.

Ioan.20.

Act.1.

Psal.149.

Phil.2.

Matth.14. Dominus declaratus est tandem. Adhuc cũ in terris videretur, miraculisque magna & multa fecit. Dominum se terræ atq; maris ostendit, quãdo mare pedum eius factũ semita, vo
Matth.8. luntatique ipsius obediẽs, planũ & tranquillum se præbuit,
Luc.9. & multã piscium copiã Apostolis porrexit, terra verò qua-
Ioan.11. triduo emortuũ Lazarũ reddidit, dominique & factoris sui
Matth.27. morte tremula defleuit. Ad hæc descensu suo, inferorũ quo
Luc.11. que ac subterraneorum se Dñm esse docuit, cùm fortẽ illius
Psal.106. regni armatúmq; custodem in atrio suo potenti manu deiecit, ligauit, inermẽ fecit, eripiens indè lõgis annis cõgestam prædam, portas æreas & vectes ferreos dissipans, ereptos in dè reduxit: vt tum etiã cum nedum ascendisset, terrena illi atque subterranea genua flecterẽtur. Sed cœli ipsum aëríq; Dñm esse tunc nondum erat apertum. Hoc ipsum ergo hodie demõstratum est, quãdo in cœlõs assumptꝰ est, imò ipsemet eleuatis in sublimè manibus propria virtute cœlos in-
Luc.24. gressus est: vt nunc porrò nemo dubitare possit; quia Dominus Iesus in gloria Dei patris est, imò etiã cum patre ac spiritu sancto Dominus est omnium. Hûc igitur hodierna festi uitas, hûc etiã lętus omnium cõcentus, hûc denique omnis generis preces plenæ pietatis in Deũ, quibus hodie in Ecclesia vtimur, pertinent. Hûc quoque plurimi Psalmi quos Dauid Rex & Propheta in hãc soleunitatẽ cecinit conscripsítque, tot meditationes sanctæ, quibus olim dum res Ecclesiæ staret, fidelis populus hunc diẽ sanctificauit, seruiũt. Vnde cum multa & magna sint, quæ vtili commoditate nunc dici possint, tẽporis tamen breuioris gratia, illud, quod exordio sermonis huius positum erat pro cõcione declarare atque discutere placuit, q̃ quid his commodè considerari ac meditari
Marc.16. possit, clarè indicet. Dominus Iesus assumptus est in cœlũ, ac sedet à dextris Dei. Hæc ipsa verba fundamentũ sunt, cui præsens festiuitas innititur, in quibus etiã, (quod maius est) religionis ac fidei nostræ articulus ille, quo Christũ assumptum à dextris Dei sedere confidenter cõfitemur, & indubiè credimus, insistit, hæc, inquã, corde credimus, & ore confitemur, multis scripturarũ testimonijs suffulta & confirmata
Luc.24. esse. Nã & Lucas assumptionis Dñi historiam duobus in lo-
Act.1. cis perscripsit, & in Ioãne ipse Christus affirmans ait. Ascen-
Ioan.20. do ad patrẽ meũ, & patrẽ vestrũ: Deũ meũ & Deũ vestrũ, &
Ephes.4. Paulus. Qui descẽdit, inquit, ipse est qui & ascendit super oẽs
Hebr.9. cœlos vt adimpleret omnia. Et iterum. In ipsum cœlum introiuit Ie-

troiuit Iesus: vt appareat nunc vultui Dei pro nobis. Et Da- *Psal.46.*
uid. Ascendit Deus in iubilo, & Dominus in voce tubæ. Et, *Psal.67.*
Ascendisti in altũ, cœpisti captiuitatẽ, accepisti dona in homi
nibus. Sed & Michæas Propheta de Christo loquens ait. *Mich.1.*
Ascendet iter pandens ante eos. His aliisque id genus mul-
tis testimonijs scriptura, quod hodie confitemur, cõfirmat:
vt nemo de Christi in cœlos ascẽsiõe dubitare possit. Quid
verò per hãc eius ascensionẽ, nisi plenã perfectámque ipsius
clarificationẽ cognoscimus? Licèt enim initium illa in resur
rectione sumpsit, quia apertè quis sit cognoscitur, eáque cla-
ritate apparuit: vt Thomas vnus è numero quos elegerat
duodecim, pro nimia admiratione Dominum eũ pariter at *Ioan.20.*
que Deum exclamaret, perfectior tamen & clarior reddita
est, & omninò hodierna ascẽsione completur: vt non iam de
diuinitate eius hæsitantes, sed gaudio perfusi spiritus, in Hie *Act.1.*
rosolymorum vrbem reuersi Apostoli, in tẽplo laudi diuinę *Luc.14.*
instarent, plenísq; pietate orationibus Christo à patris de-
xtra sedenti supplicarẽt. Quò enim certius eum in cœlis se-
dere nouerant, eò confidentius in ipsum preces suas dirige-
bant. Prædixerat quidem hanc suam ipse clarificationem au
dientibus turbis sæpè, sed verborum quibusdã inuolucris. Vt *Ioan.8.*
in Ioãne, Cùm exaltaueritis filium hominis, tunc cognosce
tis: quia ego sum, & à meipso facio nihil, sed sicut docuit me
pater, hæc loquor. Et, Ego cũ exaltatꝰ fuero, omnia traham *Ioan.12.*
ad meipsum. Apertè aurẽ eandẽ clarificationẽ suã, maximè
cùm iam tempus passionis instaret, discipulis suis prædixit.
Venit hora, inquit: vt clarificetur filius hominis. Et in cœ- *Ibid.*
na. Nũc clarificatus est filius hoĩs, & Deus clarificatus est in *Ioan.13.*
eo. Et peracta cœna. Pater, inqt, clarifica filiũ tuũ: vt filiꝰ tuꝰ *Ioan.17.*
clarificet te. Omniũ horũ initiũ quidẽ in resurrectione fuit,
sed hodie tãdẽ cõpleta sunt. Tria igitur hîc pijs cõsiderãda
sunt. Primò clarificatio siue glorificatio, quã hodie Christi
accepit humanitas. Secundò, quæ nobis spes indè veniat. Po
stremò, quis verus illius vsus sit. Quòd ad primum, Marcus
Euãgelista vno sanè verbo ascendentis Domini nostri Iesu
Christi gloriam cõplexus est, cũ ait. Assumptus est in cœlũ,
& sedet à dextris Dei. Breuis ille quidẽ verborũ contextus,
dictúq; nõ difficilis, sed mysterio grauis, eóq; considerationẽ
eget multa. Necesse ẽm egregium quid sit oportet, quod de
ipso solo dicitur. Sedet à dextris Dei. Licèt ẽm & Enoch iu-
stum à Deo in Paradisum translatũ, & Eliã currũ igneo atq;

Eccles.44. equis per turbinẽ in cœlum ascendisse legimus, nihil tamen
4.Reg.4. est si cũ Christi ascensione conferas, tum de neutro horum, quod à dextris Dei sedeat, scribitur. Solus Christ⁹ est, cui pro sua reuerentia hic honos debetur. Dixit Dominus Domino
Psal.109. meo. Ecce quid dicat. Dixit Dominus nõ cuiuis homini, nõ Eliæ, non Enoch, sed Dño meo. Quid verò? Sede à dextris
Matth.28. meis. Quintus verò ille honos sit, sedere à dextris Dei, ipse Christus ostendit, dicẽs. Data est mihi potestas omnis in cœ
Ephes.1. lo & in terra. Et Paulus ait. Deus suscitans Christum à mortuis, constituit ad dextrã suã in cœlestibus supra omnẽ principatum & potestatẽ, & virtutẽ, & dominationẽ & omne nomen, quod nominatur nõ solùm in hoc sæculo, sed etiã in fu
Act.10. turo. Et Petrus Apostolus de Christo loquẽs. Cõstitutus est,
Psal.8. inquit, à Deo iudex viuorum atq; mortuorum. Sic & Dauid Propheta regius de ipso loquens. Gloria, inquit, & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum, non aliquorum tantum, sed in vniuersum omniũ ope-
1.Cor.15. rum. Et, Omnia subiecisti sub pedibus eius. Cùm autẽ dicit. Omnia subiecta sunt ei, sine dubio nihil omniũ excepit, prẽter eum qui ei subiecit omnia. Sed & alibi idem Propheta de
Psal.20. hac gloria loquitur. Domine, inquit, in virtute tua lætabitur Rex, & super salutare tuum exultabit vehementer. Desiderium cordis eius dedisti ei, & volũtate labiorum eius non
Psal.44. fraudasti eum. Et sedes tua Deus in sæculum sæculi: virga directionis: virga regni tui. Et iterum. Locutus es in visione
Psal.88. sanctis tuis & dixisti. Posui adiutorium in potente, & exal-
Psal.92. taui electum de plebe mea, & quæ sequuntur. Et, Dominus regnauit decorem indutus est, indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se, firmauítque orbem terræ, & non cõ-
Psal.96. mouebitur. Et iterum. Dominus regnauit, exultet terra, lætentur insulæ multæ. Et mox. Confundãtur omnes, qui adorant sculptilia, & qui gloriãtur in simulachris suis. Adorate Dominum omnes Angeli eius. Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram, nimis exaltatus es super omnes Deos. Ecce qua maiestate tot locis scriptura Christi clarificationem prædicat, quæ omnia vno verbo comple-
Marc.16. xus est Marcus, cùm ait. Sedet à dextris Dei. Sed & nos eadem omnia complectimur, quando Apostolico symbolo confitemur. Ascendit ad cœlos, sedet à dextris Dei. Propterea nunc hoc porrò considerabimus, quantum Christus seruator noster alios Reges omnes honore, maiestate,

atque po-

atque potẽtia excellat. Reliquorum Regum omnium quæ- *Isai.40.*
cúnque potestas & maiestas, veluti flos fœni est, quæ facilè
decidit: imò inanis quædam vanitas est. Christi verò honos
sempiternus est. Ipsi (inquit Dauid) cœlũ nimirum & terra, *Psal.101.*
& omnia quæ in eis sunt transeunt: tu autem idem ipse es, &
anni tui nõ deficiẽt. Huic ergo Regi nostro Christo cõfidẽ-
ter adhæreamus, ipsiúsque potẽti manui nos submittamus.
Cæterùm nunc, quæ nobis ex hoc Christi honore spes atque
fiducia offeratur, perquiramus. Scriptura quidem vbique de
illo Christi honore quasi re omnium iucũdissima loquitur.
Nam Dauid non solùm ad exultationem mentis, verùm *Psal.46.*
etiam ad manuũ plausum, vbicúnque huius maiestatis men- *Psal.96.*
tionem facit, hortatur. Et alibi ad prædicationem eius insu-
las multas terrámq; lætitia exultare optat. Et Christus ipse
discipulos suos noua quadam euangelizatione recreaturus,
ait, Vade ad fratres meos, & dic eis, Ascendo ad Patrem meũ *Ioan.20.*
& Patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrũ. Sic alibi
eosdem ipse alloquitur. Si diligeretis me, inquit, gauderetis *Ioan.14.*
vtique, quia vado ad Patrem, quia Pater maior me est. Quæ
apertissimè conuincunt pijs omnibus ingentẽ spem & con-
solationem ex Christi ascensione ac maiestate defluere. Id
quod illa etiam oratione, qua Patri peracta cœna supplicat,
manifestum fit. Pater, inquit, venit hora, clarifica filium tuũ, *Ioan.17.*
vt filius tuus clarificet te: sicut dedisti ei potestatem omnis
carnis, vt det eis vitam æternam. Ecce igitur qua ratione
Christus in tantam gloriam & vsque ad dextram Patris
Dei subuectus sit, omniúmque dominus constitutus sit: non
vt excelsus ipse nos hîc ex alto disperdat: sed vt ab omni
malo tueatur, defendat, protegat, & denique saluos fa-
ciens ad se hinc extrahat. Cui sententiæ conuenit quod
subdit: Tui erant, & mihi eos dedisti. Et quod Ioannes sex-
to cap. alibi dicit: Hæc est voluntas Patris qui me misit: vt
omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem
illud in nouissimo die. Huc etiam pertinet quod alibi di-
cit. Ego cùm exaltatus fuero, non dicit, disperdam omnia: *Ioan.12.*
sed, traham omnia ad meipsum. Nihil ergo est quod à po-
tentia Christi timeamus, quod speremus, plurimum. Quid
enim times? Quod ipsius sis tu, atque ille Dominus tuus con
stitutus sit audis, nõ hoc vt te damno afficiat, sed vt salutem
tibi impertiat. Nec te pusillanimem reddat conditio tua hu
milior: nam, q̃ omnibus carnis data est potestas, audis. Nec

super

super magna illa & ingẽtia opera Dei tantùm, verùm etiam super inferiora omnis generis opera constitutus est Dominus. Quicquid enim creaturæ aut operis Dei nomen meretur, siue infirmum illud, egenum, contemptibile, siue potẽs, validum, honorificum: hunc Dominum habet. Nec denique secundum personarum respectũ iudicat Rex ille, sed quancúnq; Dei facturam sine vlla discretione suã agnoscit. Agè ergo quicúnq; Dei creatura es, maximè Christiano nomine insignitus, Lætare & exulta. Sed ideò hæc quoq; dicuntur, vt fidem & spem tuam augeas, quicúnque Christũ verè omniũ Dominum constitutum esse credis. Si enim hostes tui aduersum te conspirauerint, dic quæso, cui repugnant, tibi ne an Christo ipsi? Et quidẽ in ipsius manu etiam inimici tui sunt, perinde atq; tu, ne quid trepides: vtrobique enim præsto est, eorúmque aduersus te conatus ipse discernit, nec minori te ipso, erga te cura afficitur. An fortè possessio tua, ipsa sui maiorem te domino suo solicitudinem habet? Quæ auri tui in arca sui cura est? An non paterfamilias & dominus arcam simul atque æs custodis: singulisque momentis latronum furúmque clandestinis insidijs impigrè aduersaris? Cuius verò damno aufertur? Vtique non suo, sed tuo. Si auarus de pecunia furto ablata sibi dolet: quomodo Christus iniuria credẽtium suorum non afficietur? Annõ hic ille est, qui in Prophe
Zach. 2. ta loquitur, Qui vos tetigerit, oculi mei pupillã tangit? Et,
Matth. 25. Act. 9. Quicquid feciſtis vni dẽ his fratribus meis minimis, mihi feciſtis. Et iterum: Saule Saule, quid me persequeris? Væ ergo incredulitati nostræ, quæ sola facit, ne hãc tantam spem intelligamus. Non culpa in defensore aut possessore est, sed fides qua certificamur, quod ipsius nos possessio, deest. Sed ais, Vehementer mihi timeo, ne, quandoquidẽ peccator ego sum, cõdemnet me Dominus meus: nec vllũ in me meritum conspicio, quo tãtæ hæres fœlicitatis designari merear. Sed frustra ab illo perditionẽ times, cui temet tradideris, & quẽ dominum agnoscis. Illius enim cùm sancti tum peccatores peculiũ sunt, quẽadmodũ reliqua etiã manuũ Domini opera
Phil. 2. omnia. Omnis lingua cõfiteatur, inquit Paulus, quia Domi-
Roma. 10. nus Iesus in gloria Dei est Patris. Et iterum: Si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris, quòd Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris. Hos magis perdet, qui cùm ipsius sint, Dominũ tamẽ ipsum agnoscere re-
Luc. 19. cusant. Sic enim in Luca de quibusdam loquitur dicens. Ve-

runtã-

runtamen inimicos meos, illos qui noluerunt me regnare super se, adducite huc, & interficite ante me quandoquidem nolunt ipsi, etiam repugnante voluntate subiugandi sunt. Nobis verò Rex nõ seueri mandati exactor, sed redemptor atque saluator est. Propterea, si quando lapsus peccaueris, de Christo desperare noli: non enim à regno eius excides, nisi opus Dei esse desieris. Huc ergo Sapientis dictum pertinet: Etsi peccauerimus, tui sumus, scientes magnitudinem tuam. Et quod Paulus ait, Siue viuimus, siue morimur, Domini sumus. Et, vt summatim omnia perstringam, Christus te suam possessionem agnoscet, si modò tu Dominum illũ tuũ agnoueris. De hoc ipso enim maximè cõqueritur, quòd se Dominum nostrum agnoscere recusamus. Bos, inquit in Propheta, cognouit possessorẽ suum, & asinus præsepe Domini sui: Israël autem me non cognouit, & populus meus non intellexit. Huc etiã illa verba, quibus de seipso Patrem alloquitur dicẽs: Potestatem dedisti ei omnis carnis, vt omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam. Et quæ subdit, Tui erant, & mihi eos dedisti. Et mox, Pro ijs quos dedisti mihi, rogo, quia tui sunt. Et, Pater, quos dedisti mihi, volo vt vbi ego sum, & illi sint mecum, vt videant claritatem meam, quam dedisti mihi. Ecce Regis nostri magnificentiam, & quæ nobis ex clarificatione eius est, spem firmã. Agitè ergo, quod Dauidico Psalmo monemur, plaudentes in voce exultationis Deo iubilemus: psallamus Deo nostro, psallamus Regi. Hoc tamen non sine causa in fine monet, vt sapienter psallamus: hoc est, vt huius gratiæ, tantæque spei, ac læti nuntij verum vsum apprehendamus. Et hoc nunc tertiò cõsiderandũ est hodie, ne nostro magno malo improuidè persuadeamus nobis, quasi omnia consummatè expleuerit Christus, nõque inertiotio, aut etiam carnis desiderijs effrænes dimiserit, plurimorũ certè exemplo, qui audito Euangelij verbo, illud solùm colligunt, quod bonorũ operum contemptui, ac vitæ leuitati pro cuiusq; infausto desiderio fenestrã aperit. Non ita Patres nostri ascensione Christi vsi sunt, Dauid quidem Prophera Christi ascensionem multis antè sæculis præuiderat, prædixerat & considerauerat, indéque non paruam spem cõceperat. Sed nunquid ideò ad bene piéq; viuendum reditus est pigrior? Minimè. Magnificè quidẽ decantauit & depinxit hanc ascẽsionẽ, cũ ait, Tollite portas vestras principes, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ:

Sap.15.

Roma.14.

Isai.1.

Ioan.17.

Psal.46.

Psal.23.

non

non tamen, quæ cũ ipso introire volentium requiratur qualitas, tacuit: Quis, inquit, ascender in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius? Nunquid ij quorũ vita omni pietate vacua, omnibúsq; carnis desiderijs plena est? Non: sed innocentes manibus & mundo corde. Simile quid & in alio
Psal.14. Psalmo scriptum est: Domine, inquit Propheta, quis habitabit in tabernaculo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? An pigri, desidiosi, an bonorum operum contemptores? Minimè, sed, qui ingreditur sine macula & operatur iustitiam: qui loquitur veritatem in corde suo. Hoc etiam modo Apostoli sancti ex Domini ascensione non in falsam & inanem securitatem ducti, sed in omne opus bonum ardentiores effecti
Act.1. sunt. Omnes, Luca teste, vnanimiter perseuerãtes erant
Luc.24. in oratione. Et, Adorantes regressi sunt in Hierusalẽ cum gaudio magno, & erant semper in templo laudantes & benedicẽres Deo. Hoc modo & nos ascensione Domini vti cõuenientissimum & vtilissimum est: nempe, vt eò ardentiùs & perseuerantiùs precemur, magísque omni pietati operam demus, quò Christum à dextris Dei Patris sui sedere certiores sumus. Ita & Ecclesia hodie facere consueuit cùm precatur dicens. *Oramus Domine cõditor inclyte, deuotos famulos respice protegens, ne nos liuor edax dæmonis obruat, demergat vel in inferos.* Et: *O Rex gloriæ, Domine virtutũ, qui triũphator hodie super omnes cœlos ascendisti, ne derelinquas nos orphanos: sed mitte promissum Patris in nos Spiritum veritatis.* Iam nec sic precari satis est, nisi & bonis operibus, & pietati intẽti fueri-
Psal.96. mus. Vos, inquit Dauid, qui diligitis Dominũ, odite malum,
Psal.44. quia bonos Regis iudicium diligit: diligit, inquam iustitiã, & odit iniquitatem. Aliaenim ratione cum Christo ascendere non possumus, quando immundum nihil & cõtaminatum cœlos intrabit.
Apoc.21. Vnde Christus priusquam clarificationem à Patre postularet, dicit, Ego, Pater, te clarificaui super
Ioan.17. terrã, opus cõsummaui, quod dedisti mihi vt faciam. Quòd si ergo cum Christo clarificari appetis, hoc age, Deũ in terra clarifica, opus quod dedit tibi vt facias, perfice. Et vt summatim cum D. Bernardo concludam, Christus à dextris Dei sedens, dextra sua misericordiã, sinistra iustitiam tenet, imò misericordiæ permultũ, plurimũ iustitiæ, dextra sua aquam,
Psal.102. sinistra ignẽ continet. Et licèt secũdũ altitudinẽ cœli à terra corroboret misericordiã tuã super timentes se: terribilis tamen ipsius iustitia est super filios hominũ, vtrobiq; etiã sen-
Psal.65.

tentia æter-

rentia æternitatis tibi proposita est. Huc ergo annitere, vt dextrã Christi apprehẽdas, vt iudiciũ eius euadas. Nã idẽ ille districtus iudex reuerteretur omniũ, qui mitis modo trãsijt. *Act.1.*

SERMO TERTIVS.

QVòd Samuel olim Propheta Saul Regi verè rectéq; loquutus est, idipsum hodierna festiuitas reipsa comprobat: nempe, meliorem esse obediẽtiam victima, eò quòd veluti scelus idololatriæ sit, nolle acquiescere. Apertissimum autem id fiet, si Christi ascensionem cum reiectione Saul cõtulerimus. Quid enim Christum ad tantam gloriæ sublimitatem euexit, præter obedientiam? De humanitate Christi loquor. Factus enim, Paulo teste, obediens Patri vsq; ad mortem, nempe ad crucis ignominiosæ mortem. Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est *super* omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum. Contrà verò, quid Saul Regem regno, præter inobedientiam eiecit? Pro eo, inquit ad ipsum Samuël, quod abiecisti sermonem Domini, abiecit te Dominus, ne sis Rex. Verisimile est quidem, aliam quoq; Saül Regis fuisse iniquitatem: sed hoc vnum scelus, quasi solùm à Samuele ipsi obijcitur. Quare, inquit, non audisti vocem Domini? idque vt omnes, quàm Deo Opt. Max. displiceat, nolle obedire mandatis diuinis, intelligeremus. Contrà verò Christum plenum fuisse virtutibus, dubium nõ est: nihil tamen toties eáque maiestate de eo prædicatur, quam inaudita sæculis omnibus atque parata obedientia in Isaac olim atq; Ioseph adumbrata: quorum ille voluntariè semetipsum in victimam obtulit, hic verò fratribus suis germanis à quibus persecutus & venditus erat, obuiam processit. Vnde & Christus ipse ait: Meus cibus est, vt faciã volũtatẽ eius, qui misit me, Patris, vt perficiã opus eius. Et iterum, Ego descendi de cœlo, nõ vt faciã volũtatẽ meã, sed eius qui misit me, Patris. Et, Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Et, Nõ mea, sed tua volũtas fiat. Et, Calicem quẽ dedit mihi Pater, annõ bibam illũ? Et iterum, Opus consummaui, quod dedisti mihi, vt faciã illud. Quam sanè Christi obedientiam multis exaggerat Paulus dicẽs, Christus cùm esset in forma Dei, nõ rapinã arbitratus est, esse se æqualẽ Deo: sed exinaniuit semetipsum, obediẽs, formã serui accipiẽs, in similitudinẽ hominũ factus, & habitu inuẽtus vt homo, humiliauit semetipsum factus obediẽs vsq; ad mortẽ, mortem autem cru-

Phil.2. *Gen.22.* *Gene.37.* *Ioan.4.* *Ioan.14.* *Matth.26.* *Ioan.18.* *Ioan.17.* *Philip.2.*

cis.

Isa.53. cis. Et Isaias Propheta, Omnes nos, inquit, quasi oues aberrauimus, vnusquisque in viam suam declinauit, & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrûm. Oblatus est Psal.39. quia voluit, & non aperuit os suum. Hinc ipse in Psalmis loquitur, Sacrificium & oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi: holocaustum & pro peccato non postulasti. Tunc dixi, Ecce venio. In capite libri scriptũ est de me, vt facerem voluntatem tuam Deus meus, volui, & legem tuam in medio cordis mei. Hac ergo ratione Christi obedientiam Scriptura prædicat, vt intelligamus, nihil æquè placere Deo atq; promptam mandatorum suorum obedientiam. Quem admodùm ergo non immeritò eiectionis Saul exemplum formidamus, eiúsque inobedientiam, nostram dicimus præmonitione, ita optimè ex exaltatione Christi lætitiã concipimus: & obedientiam qua ad tãtum honoris fastigiũ peruenit, sempiternũ nobis & imitandũ proponimus exemplum. Vnde operepretium dignũque iudicaui, nunc porrò de præsenti festiuitate nonnihil differere: ita tamen, vt in duorum nempe, quid Christi Ascensio sit, & quid nos inde discere conueniat, limitibus decurrat oratio. Quæ duo si rectè considerauerimus, apertè nos vni huic diei satisfecisse, affirmabo. Quanquã autẽ in multis ascensionis Christi Scriptura meminit: facit tamen id obscurius alibi, alibi etiam apertiùs. Et Lucas quidẽ Euangelista breuissimè eam cõprehendens ait, Eduxit eos foras in Bethaniã, & eleuatis manibus suis benedixit eis. Et factũ est dum benediceret illis: recessit ab eis, & ferebatur in cœlum, & nubes suscepit eum ab oculis eorum. Hæc, inquam, de ascensione Domini Lucas conscripsit, tanti profectò Regis magnificentia minus, q̃ ad nubes solùm & cœlũ Christum perduxerit, nihil interea de sempiterno ipsius regno atque maiestate commemorans, nihilominus tamen pijs mentibus maxima quæq; ad cognoscenda de hac re suppeditãs, tria præcipuè docuit. Primò, quòd sine alieno Christus auxilio, propria potentiæ suæ virtute ascẽderit. Neq; enim in curru & equis igneis: vt Elias quõdam assumptus est, nec ab Angelis capitis sui capillis per aëra vectus est: vt Abacuc quõdã è Iudæa in Babylonia ad Leonũ cauea positus. 4.Reg.2. Nec sic, quẽadmodũ Enoch a Deo nũquã deinde conspiciendus raptus est. Dan.14. Tũ etiã nec vt Paulus, in tertium vsq; cœlum raptus est, sed recessit, inquit Euangelista, in cœlum Gen.5. 2.Cor.12. vt propriæ virtutis intelligeres facinus. Deinde obiectum

nubis,

nubis, quod ipsi tanquàm Domino exhibuit, Euangelistæ verbis innuitur. Postremò, quòd cœlum ipsum in aduẽtum eius se patefecerit, id quod nulli omnium antè contigit. Quæ omnia liquidò demõstrant, maius quid in Christo domino latuisse, quàm in cæteris omnibus hominibus: imò Christum cœli aërisq; Dominum esse manifestè conuincũt. Et hæc ergo apertè cùm ascendit, demõstrare voluit, vt tum discipuli, tum nos quoque credentes reliqui concepta inde sempiterna spe, nosmet in eis oblectaremur. Quòd enim terræ marisque sit dominus, antè cùm adhuc in terris inter homines conuersaretur, clarè demonstrauit, quemadmodùm infirmitatis omnis, mortis, ipsiúsq; adeò Diaboli potestatẽ sibi inesse declarauit: vt enim voce extenta clamauit, Lazare veni foras: mox terra defunctum quem acceperat, reddidit. Ioan. 11.
Mari dixit, Tace, obmutesce: & mox cessauit ventus, & facta est tranquillitas magna. Mortuo adolescenti mandans ait, Tibi dico, surge: & resedit qui erat mortuus. Sic alibi. Surde & mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo, & amplius ne introeas in eum: & exiit ab eo. Sic muto loquitur: Ephphata, quod est adaperire: & statim apertæ sunt aures eius, & loquebatur rectè. Quæ abundè declarant, quòd ipse Dominus sit, & potestatem habeat terræ, maris, infirmitatum omnium, mortis ipsiúsque Diaboli. Hoc solùm restabat, vt pari maiestate dominum se aëris atque cœli ostenderet, vt spes nostra plena sit, atque omnibus notum sit, quia ipse potestatem habeat omnem. Id ergo hodie effecit, & Lucas commemorat. Vnde & Ecclesia lætatur, & omnis ingenuè Christianus exultare potest. Certò enim persuasi, quia Christus dominus est omnium, in periculis, securiores, in infirmitatibus animosiores, in tentationibus confidentiores erimus. imò cur mortem ipsam timeamus, minus erit: q; Diabolũ formidemus, propè nihil erit: tandem etiam de obtinenda cœli hæreditate certiores erimus. Vbi enim caput est, illuc etiam cætera congregantur membra. Et quidem ex hoc fonte pij quique in omnibus aduersitatibus suis fortitudinẽ simul atq; fiduciam hauserunt. Quemadmodùm Apostoli etiam profecti vbíq; terrarum prędicauerunt Euangelium per ciuitates atque deserta, per amicos simul & inimicos, per ignem ferásque, imò per homines feris immaniores: inconcussi, intrepidi, semper atque securi. Et vnde tanta illis fortitudo? Vtique ex fide, qua Christum

Marc. 4.
Luc. 7.
Marc. 9.

totius orbis cognouerunt Dominum. Vnde cum Dauid di-
Psal.23. cere non horruerunt: Domini est terra, & plenitudo eius.
Act.7. Quemadmodùm Paulus etiam, certò sibi persuadens, Christum dominum maris habere potestatem, etiam in extremo vitæ suæ periculo confidebat, vt desperantibus omnibus, solus intrepidè atque constanter confirmabat cæteros.
Act.7. Sic & Stephanus Protomartyr certus Dominum vitæ pariter atque mortis habere imperium: nihil veritus, sed cum quadam etiam animi sui alacritate mortem subiit. Ecce, inquit, video cœlos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei. Quemadmodùm & alij Apostoli ex eo quod Chri-
Ioan.12. stus dixerat, Nunc iudicium mundi, nunc Princeps huius
Luc.10. mundi eicietur foras: &, Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit: tantam animorum firmitatem conceperunt, vt nihili omninò Diaboli facerent audaciam, aliósque etiam ad resistendum illi magna auctoritate adhortarentur. Vt Iacobus, Resistite, in-
Iacob.4. quit, Diabolo, & fugiet à vobis. Et Paulus, In omnibus
Ephes.6. sumentes scutum fidei, in quo positis omnia tela nequissimi ignea extinguere, & galeam salutis assumite, & gladium spiritus, quod est verbum Dei. Sic idem ille Apos-
2.Cor.5. tolus confidenter alibi: Scimus, inquit, quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quòd ædificationem ex Deo habeamus, domum non manu factam, sed
Ephes.2. æternam in cœlis. Et alibi rursus, Iam, inquit, non estis ho-
Philip.3. spites & aduenæ, sed estis ciues sanctorum & domestici Dei.
2.Timot.4. Et, Nostra conuersatio in cœlis est. Et, Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, iustus iudex. Et ita quidem etiamnum pij permultùm spei atque virtutis ex Christi ascensione colligere possunt, si modò diligenter & præsentibus animis magna illa & ingentia cogitare libuerit: nempè quòd vti Dominus cœli cœlum ascendit. Neque verò alicunde est, quòd tam desperatis atque deiectis animis in omni vel leuissima perturbatione hæsitamus, adeóque timidi mortem exhorrescimus, primóque hostis nostri insultus expauescimus, nisi quòd fidei scutum, Paulo hortante, non assumimus, maiestatem gratiámque Christi non cogitamus, quæ fortissimum alioqui contra omnes mundi huius Satanæque insultus esse debebant præsidium. Neque enim Ioannes,

fidem no-

fidem noſtram eſſe victoriam, quæ mundum vincit: & eum, qui Chriſtum Ieſum, filium illum Dei eſſe credit, viciſſe mundum, ſine ratione tam conſtanter affirmat. propterea & Chriſtus dicit: Confidite, ego vici mundum: in mundo licèt preſſuram habeatis, tamen in me pacem habebitis. Nullus ergo credenti deſperationis locus relictus eſt: fidelis eſt enim Deus, & ſeipſum negare non poteſt. ac Chriſtus quidem verè ouium paſtor bonus, tanta gregis ſui cura afficitur, vt nemo eas de manu ipſius rapiat. Vides quem ſpei ac virtutis cumulum Chriſti aſcenſionis conſideratio adferat. Et hæc ratio cur tantopere ac toties hic articulus ſacris Scripturæ diuinæ teſtimoniis approbetur. Lucas quidem Euangeliſta ſimpliciter, vt dictum eſt, de eo loquens: Receſsit, inquit, & aſſumptus eſt ab eis in cœlum. ſed Chriſtus ipſe in Ioanne apertiùs aliquanto de ſua ipſius aſcenſione loquitur, Vade, inquit, ad fratres meos & die eis, Aſcendo ad Patrem meum & Patrem veſtrũ, Deum meum & Deum veſtrum. Quid verò his verbis intelligi voluerit, alibi explicat adhuc clariùs: Non turbetur cor veſtrũ, neque formidet: creditis in Deum? & in me credite, In domo Patris mei manſiones multæ ſunt. Vado parare vobis locum: iterum autem veniam & aſſumam vos ad meipſum. Et alibi ait: Pater, volo vt vbi ego ſum, & illi ſint mecum quos dediſti mihi. Idem ergo illud innuere voluit, quod ait: Aſcendo ad Patrem meum & Patrem veſtrum. ac ſi diceret, Non mihi ſoli cœleſtes mãſiones quæro, nec vni mihi hîc aſcenſionis meæ apparatus manet. Vos ego præcedo, me vos ſequamini. Hinc illud Pauli eſt, Deus conuiuificauit nos Chriſto, & conſedere fecit in cœleſtibus. Iam verò, Marcus alia quædam addit, Et ſedet, inquit, à dextris Dei. Id quale ſit, Chriſtus ipſe in Matthæo explicat, dicens: Data eſt mihi poteſtas in cœlo & in terra. Et Paulus, Dedit illi Deus nomen quod eſt ſuper omne nomen. Et alibi. Conſtituit illum ad dextram ſuam in cœleſtibus ſupra omnem principatum & poteſtatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non ſolùm in hoc ſæculo ſed etiam in futuro. Clariſsimè verò ad Hebræos, Sedet ad dextram maieſtatis in excelſis, tantò melior angelis effectus, quantò differentiùs præ illis nomen hæreditauit. Cui enim dixit aliquando angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te? Vides ergo qua maieſtate, quo verbo-

1. Ioan. 5.
Ioan. 16.
2. Timot. 2.
Ioan. 10.
Luc. 24.
Ioan. 20.
Luc. 14.
Ioan. 17.
Epheſ. 2.
Marc. 16.
Matth. 28.
Phil. 2.
Epheſ. 1.

rum apparatu de Christi ascensione loquãtur Apostoli. Nec mirum, quando tot retro sæculis idem fecerunt Prophetæ. Maximè verò Dauid, qui non vno aliquo sed multis Psalmis hanc Christi gloriam & regnum summis laudibus prædicat. Et horum quidem aliquot superiore anno propositas declaraui, nempè, 92. 96. & 98. Quòd si illi adhuc minus perspicuè rem prædicare tibi videntur, quid idem Propheta alibi loquatur, accipe: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponã inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion: dominare in medio inimicorum tuorum. Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus ante Luciferum ex vtero genui te. Iurauit Dominus & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum, secũdum ordinem Melchisedec. Dominus à dextris confregit in die iræ suę Reges. Iudicabit in nationibus, implebit ruinas, conquassabit capita in terra multorum. De torrẽte in via bibet, propterea exaltabit caput. His verbis in ascensionis Christi prædicatione hoc in Psalmo Dauid vsus est. Et quis Euangelistarum ea de re apertiùs loqui potuisset? Principiò enim Dauid Christum dominum vocat, quem de suo semine nascendum expectabat. Deindè hunc eundem filium definito æternitatis diuinæ consilio à dextris Dei, hoc est æquali potentia atq; maiestate sessurum esse. Tertiò, q̃ nullo esset damno afficiendus, plurimis licèt sit circunseptus malis, vndique conclusus hostibus. Quartò, omnes etiam inimicos eius, veluti scabellum pedum eius subiugandos esse. Quintò, quòd virga regni ipsius comprehensura esset fines Sion, & totius orbis terrarum. Sextò, non eorum tantùm, qui suapte sponte eius imperio subiecti essent, dominum fore, verumetiam in medio inimicorum suorum dominaturum esse, velint nolint. Septimò, q̃ non nõ solùm vt Rex defensurus, sed & vti sacerdos apud Deum reconciliaturus eosdem, & q̃ hæc omnia iuramento apud semetipsum confirmauerit, nunquàm ob vllam quantumlibet grauem causam, quod semel statuisset, reuocaturus. Postremò, ipsum Deum cum omni omnipotentiæ suæ virtute huic Christo dextrum affuturum, ipsiúsque hostes confecturum esse. Ecce hæc omnia Dauid etiam de Christo domino nostro perscripsit, & illud mirum est, quod hodie laudamur & exultamus. Puráne hîc Apostolorum atq; Prophetarum cuneus frustrà tot verba de hoc articulo fecerit? Minimè. Quid

Psal. 109.

mè. Quid ergo? Ideò nempè id factũ est, vt nos per ea in fide firmiores, in spe cõfidentiores efficeremur, tenaciùs coniungi ei úsq; Christo adhæreremus: imò tandẽ ardentiùs ad cœlos, vbi Christus est in dextera Dei sedens, quo & nos aliquãdo perrecturi, & vsq; in æuum pmãsuri sumus, aspiraremus. Vnde Paulus admonet, ꝙ si cũ Christo consurreximus, quæ sursum sunt quæramus, vbi Christus est in dextra Dei sedẽs. *Col.3.* Necesse nimirũ, vt agnũ sequamur quocúnq; ierit. Necesse, inquam, est, vt cũ ipso moriamur peccatis, & conresurgamus, atq; in nouitate vitæ ambulemus: vt si nondũ licet corpore, mente tamen cum ipso ad cœlos ascẽdamus. Nam ꝙ otiosi starent Apostoli, increpantur, angelica dicente voce: Viri Galilæi, quid admiramini aspiciẽtes in cœlũ? ac si diceret cœlestes spiritus illi. Obliti ne estis vos Galilæos esse, hoc est peregrinãtes. An nescitis propterea vos præcessisse Christum, vt vobis sequentibus viam pararet? An ignoratis reuersurũ eum aliquando, vt vos ad seipsum suscipiat? Quid stat is? Quid morã trahitis? Quin properatis? Quin hoc iter aggredi, eáq; via incedere vosmet præparatis? Sequimini illum. Quid impedit? Hæc igitur nobis quoq, dicta existimemus, quando nõ sufficit quomodò Christus ascenderit, cogitare, nisi qua ratione nos etiã sequi possimus, nostra disposuerimus. At hic labor, hoc opus. Cũ enim quæ remorãtur impedimenta multa sunt, tum Adæ filij rarissimè recta via, vti debuimus, incedimus. Inuenias enim qui arduam cœli semitã vehemẽter abhorreant: & bi quidẽ exigui lucri causa nihil nõ faciunt. Quos sic Isaias alloquitur dicẽs, Quare appenditis argentũ non in panibus, & laborẽ vestrum non in saturitate? Minori enim labore, ac via compendiosiore hæc vera bona acquiri possunt. Deindè sunt & alij qui ascendendo defecturos se arbitrãtur, incipiant licèt benè, primósque gressus ponãt: eóq; hãc terrenã perpetuam sibi optant vitã. & licèt decies hi quotidiè in externis hallucinẽtur, iterúmque luto resurgãt: à peccatis tamẽ, quorũ lõgè maius periculum est, abominabilióq; inquinatio, nec resurgere laborãt, nec curãt desistere. Alij porrò tã graui huius sęculi iugo sese aggrauãt, vt ne assurgere quidẽ possint, sed humi reptãtes, nõ lubeat erigere pectus. Vbi enim thesaurus tuus, ibi est & cor tuũ. Alij deniq; peccatorũ sunt cõstricti nexibus, ideóq; ascẽdere nequeũt, etiãsi facilè se ex his laqueis expedire, si velint, possint. Pauciss imũ ergo eorũ numerus est, qui ascen- *Act.11.* *Rom.6.* *Mich.2.* *Ioan.14.* *Isai.55.* *Matth.6.*

Matth 7. dentes, sequuntur Christũ fitq; re ipsa, quod Dominus ait: quia angusta est porta, & arcta via, quę ducit ad vitã, & pauci sunt, qui inueniunt eam. An non ergo plena commiseratione res est, cùm Christus tanto sudore cœli iter aperuit, tam paucos inueniri, qui eò incedunt? Agitè, ergo, ô fratres, solicitè consideremus, sedulò hoc cogitemus: vt veram ac rectam viam cœli ingrediamur, hac enim parte multi, licèt ascendere velint, aberrant. Ascẽdere voluit Angelus, sed impiè, atque iniquo proposito, cũ altissimo similis esse concupisceret, sibíque, alioqui soli diuinitati propriã maiestatem vẽdicare vellet: vnde etiam cœlo pulsus atq; prostratus est.

Isai.14. Voluit & homo ascendere, sed aberrauit à semita recta, appetens scientiam, eóque & ipse lapsus est. Hos ambos cadentes aspeximus nos, dum ille potentiã, hic Dei apperijt scientiam, nihilominùs plurima etiãnum mortalium pars eos sequitur, sed veram Christus in cœlum viam docuit, qui vt id posset, è cœlis ante in terram descẽdit, posteà verò super oẽs

Ephes.4. cœlos ascendit. Vis scire quomodò ad cœlos ascẽderit Chri

Matth.17. stus? Ascẽdit in montem excelsum ibi coram Apostolis selec-

Matth.5. tis clarificãdus. Ascendit in mõtẽ indè populos docturus.

Ioan.8.12. Ascendit in montẽ vt oraret. Mitis humilem ascendit aliã, ascendit crucem. Hinc denique ascendit cœlos. Hi ergo itineris cœlestis gradus sunt. Principiò futurorũ cogitanda est gloria, deindè via discenda est, qua ad sublimia illa scanditur. tertiò: vt scandere possimus, orandum est. quartò, carnalis quæ vos remoretur cupiditas retrahenda est. Postremò,

Gal.6. conscensa cruce, mundana ex alto contemnenda omnia: vt cum Paulo dicere liceat. Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Et horum quidem quódque si suo tempore præstiterimus, tandẽ dubio procul nos quoq; ad cœlos ascendemus.

QVARTVS SERMO.

NEminem tam rudem diuinarum rerum arbitror: quin propositis, tum Euangelio hoc, tum cæteris Ecclesiæ cantionibus atque cæremonijs, facilè, quæ huius festiuitatis intentio, possit perspicere, superfluum igitur instituti huius causam videor mihi velle ostendere, maximè cùm ipsum nomen (ascensio enim Domini dicitur) satis perspicuè ostendat. Tum verò Euangelicæ lectionis contextus, non vulgarem hãc, sed vsq; ad cœlos, imò ad dextram Dei fuisse ascensionem, demonstrat. Nullũ ergo cõuenientius huius sermonis exor-

nis exordium video,quã si cũ Ecclesia inuitãte dixero. *Sũmi triumphum Regis prosequamur laude. Qui cœli,qui terræ regit sceptra, inferni iure domito. Qui se pro vobis redimẽdis ꝓmagnũ dedit pretium, huic nomẽ extat conueniens Idithũ. Nã trãstiuit omnes strenuè montes colliculósq; Bethel. Saltum de cœlo dedit in virginalẽ ventrẽ, indè in pelagus sæculi,* & quę sequũtur. Huic etiã ipsi Regi paucos ante dies,quando resurrectionis ipsius celebrauimus lętitiã,triũphale carmen cecinimus: victorem eũ è conflictu redeuntẽ lætis conspexerimus oculis,triũphatorem & mortis,& diaboli, inferníque domitorem susce-pimus. Hodie porrò eidẽ aliũ alia de causa triũphum celebramus,cũ exultatione cœlos ascendentẽ aspicimus,imò ipsi vt cœli cœlestiúmq; omniũ Domino congaudemus. Nec primi,nec soli hũc illi triũphum celebramus. Nã & Apostoli, & inferni iure redẽpti patres, ipsíq; cœlestes spiritus idẽ fecerunt ante nos. De Apostolis legimus, ꝙ posteaquã ascendentem Christũ vidissent, magno cũ gaudio vrbẽ Hierosolymorum repetierint. De redẽptis patribus Christus ipse in Psalmis loquitur. Currus Dei decẽ millib⁹ multiplex millia lætantium. Dominus in eis in Synai,in sancto. Ascẽdisti in altũ,cœpisti captiuitatẽ,accepisti dona in hominibus. Viderunt ingressus tuos Deus,ingressus Dei mei. Regis mei,qui est in sancto. Præuenerunt Principes cõiuncti psallentibus, in medio iuuenculorũ tympanistriarũ. Ibi Beniamin adolescentulus in mentis excessu, Principes Iuda, duces eorum, Principes Zabulon,& Principes Nephthalim. Hoc ordine atque modo redẽpti,Christo redẽptori suo triũphum celebrarunt. De Angelis dubiũ nõ est. Quomodò enim possent nõ gaudere de Regis sui gloria,qui alioqui super vno peccatore pœnitentiã agente lætantur? Exultauerunt igitur Apostoli hodie,de honorificentia Christi Domini sui. Exultauerunt de sua redemptione patres. Exultauerũt Angeli de suo ex nostris implendo numero. Et quis est,quem nõ delectet his interesse gaudijs: vbi Angeli pariter atque homines inuicẽ exultantes concinunt? Sed huius rei maxima in nobis pars sita est. Si enim huic lætitiæ interesse voluerimus,licebit. Quãquã enim adhuc terrã incolamus,nec tantam Christi Regis nostri maiestatem hîc datur oculis carnis aspicere, mẽte tñ,spe,atq; desiderio in cœlum assurgere,fidéque oculis licebit quæcũq; in cœlis agũtur cognoscere. An non tibi ipsum cœlũ cõscendisse vouis,ibíq; Christi gloriã coram vi-

Luc.24.

Psal.67.

Luc.15.

dissè videntur patres, qui tam magnifica, tantáque exultatione plena de hac solẽnitate scripserunt? Agitè ergo, & nos eò pias dirigamus mẽtes. Si enim aliquãdo corporibus his, inducta immortalitate, cœlos habitare voluptas est, iam nũc illũc præmittamus animos necesse est. Si ingenui Christiani sumus, de Christi gloria: vtquæ nobis eriã abundãtẽ spem confert, lætabimur. Quò enim celebrioré Christi gloriã cõsideramus, hoc fortiorẽ fidẽ concipimus, & quò ille ascẽdit sublimius, hoc nos à desperatione recedimus lõgiùs. Sed hęc Euangelij lectio, Christum non solum vt Deum ascendisse illũc refert: vbi prius erat: verũetiã, & secũdũ hominẽ quem assumpsit in se, in cœlos & vsque ad omnipotẽtẽ patris dextram assumptũ eum declarat, ita planè vt ipsa ascẽsio, ipsum omnium creaturarum Dñm esse validissimè conuincat. Iam antè quidẽ Dñm se eorum, quæ sub cœlo sunt, declarauerat, cuius imperio, terra defunctũ reddidit Lazarũ, mare solidũ obambulanti iter præbuit, fugati recẽssere dæmones, infirmitates abiêre, infernus denique deprædatus est. Hoc solum restabat: vt Dñm se aëris, cœli, & Angelorum ad fidei nostrę perfectionẽ demonstraret, cognoscerẽntq; oẽs quia ipse est, cui omne genu flectitur, cœlestiũ, terrestrium, atq; infernorum. Id, qđ sua hodie ascensione cõprobauit. Et hinc qdem facilè videre est, quantum spei credentibus in hac solẽni festiuitate absconditum lateat, cũ nihil æquè atq; ascensio Domini potestatẽ, honorẽ, & diuinitatem ipsius declarat, propterea non possum non fusiùs aliquid hac de re loqui. Quia verò superioribus annis latè & multum, quid huic instituto conuenire videbatur, disserui, hîc tria tantũ considerãda libet proponere. Primò, quid sua Christus ascensione effecerit, secundò, quæ facti circunstantiæ, tertiò, quæ veterum de hac re fuerit sententia. Et huic certè considerationi vna vix dies sufficiet. Quòd ad primum, multa quidem eius effecta possent demonstrari: vt quod summus sacerdos sancta sanctorum introierit, quod eam, quã à principio claritatem habuit apud patrẽ, recuperauerit, quod in semetipso naturam nostrã in cœlos intulerit, & Dominum se omniũ declarauerit, & cœlũ aperuerit, & spem nobis atque modũ se sequendi cõmunicauerit, ídque genus alia, quæ omnia nunc omitto, illud proponens in medium, quod in Paulo legimus. Ascendit super omnes cœlos: vt adimpleret omnia. Quid autẽ sit, Adimplere, quid, Omnia, idem alibi clariùs explicat, cũ re-

Matth. 16.
Ioan. 6.
Ioan. 11.
Matth. 14.
Phil. 2.
Ephes. 4

statur, be-

ſtatur, beneplacitum fuiſſe diuinę voluntati, omnia in Chriſto inſtaurare, quæ in cœlis, & quæ in terris ſunt per ipſum. Vtrobíque inſtauratio erat neceſſaria, in cœlo enim Diabolus magnã cladem intulerat, numerũ cœleſtium ciuium diminuens, séque ipſum cum innumeris alijs, bonis cœleſtibus ſpoliauerat. Id, quod iam indè ab exordio rerum Deus præuiderat, eámque ruinam per filiũ ſuum inſtaurare propoſuerat, eáque cauſa hominẽ formauerat. Vnde mox inuidia atque odio in hominẽ accenſus Satan, ſuo conſilio malè credulum, in peccatum, mortẽ, dãnationémque præcipitem dedit. Neq; tamẽ hoc ipſo diuinũ ille cõſilium & propoſitum mutare potuit. Venit enim, quẽadmodùm promiſſum erat, filius ille Dei, qui incarnatione, prædicatione, miraculis, paſſione & reſurrectione ſua, principiò quæ in terris, hoc eſt, lapſum hominis inſtaurauit. Hodie verò ſelectorũ ſuorum caterua comitatus, cœlos aſcendit: vt ea quoque quæ in cœlis ſunt, hoc eſt, lapſum Angelorum inſtauraret. Quod cùm ita ſit, quid miramur ſi hodie Angeli ſimul atque homines inuicẽ lętantur? Quicquid enim vtrobíq; deſtruxit Satan, id totum hodie inſtaurauit Chriſtus, & quomodò ille tum Angelis, tum hominibus cauſa lapſus fuit, ita hic vtríſq; cauſa & autor hodiernæ fuit lætitiæ. Ille ex parte cœlos reddiderat vacuos, hic nouis ipſum repleuit Iditham filijs, ne tamen cœlũ ſolùm: verũetiã totã Chriſtiani orbis machinã nouis perfudit gaudijs. Duæ enim ab illo tempore nobis lætitiæ cauſæ adſunt. Primò, quòd in Chriſto naturã noſtram ſuper omnia exaltatam cognoſcimus. Altera, quòd his fratrũ noſtrorum nõnullos illûc perrexiſſe credimus, firmum profectò futurę noſtrę emigrationis argumentũ. Hûc iã cõfert, quod in Michæa ſcriptum eſt. Aſcendit ante eos, iter pãdẽs eis. Et quod ipſe Chriſtus promiſit. Vado parare vobis locũ. Et alibi. Vbi cadauer, illûc congregabuntur & aquilæ. Hæc ergo ſunt quæ ſua Chriſtus aſcenſione effecit, omnia eiuſcemodi: vt nos in qualibet etiã graui aduerſitate conſolari poſſint atque erigere. Hinc nimirũ illud eſt, quòd toties in cœlum leuatis oculis precamur. Oramus Domine cõditor inclyte, deuotos famulos reſpice protegens, ne nos liuor edax dæmonis obruat, demergat vel in inferos. Et in alio quodã hymno. Ieſu noſtra redẽptio, amor & deſiderium. Deus creator omnium, homo in fine tẽporum. Quæ te vicit clemẽtia: vt ferres noſtra crimina, crudelem mortem patiens: vt nos

Mich. 2. *Ioan. 14.* *Matth. 24.*

Aſcle. glico.

Iam. dim.

à morte tolleres, inferni claustra penetrans, tuos captiuos redimēs: victor triumpho nobili, ad dextram patris residēs. Ipsa te cogat pietas vt mala nostra superes parcendo & voti compotes nos tuo vultu satias. Tu esto nostrū gaudiū, qui es futurus præmium, sit nostra in te gloria, per cuncta semper sæcula, Amen. Et hęc quidē prima huius festiuitatis cōsideratio. Secundò verò, dictorū factorūq; Christi cùm iā ascendere pararet cogitandæ sunt circūstantię, quādoquidē, quod gessit, omne nostri causa gestum est. Nō enim humano more otiosum quid egit, sed omnia ad nostrā vtilitatem disposuit. Hinc multis, iisque maiestate plenis, in recessu suo vsus est. Quorū illud primum est, ꝙ pro incredulitate discipulos arguit, ostendens infensiùs odisse se quā incredulitatē nihil, monens verò vt quomodò possumus, fidem nostrā cōfirmemus. *Matth. 28.* Secundū est, quòd ait. Data est mihi potestas in cœlo & in terra, euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & spiritussancti, docentes eos seruare omnia quæcúnque mādaui vobis. Quibus verbis primò verbis prædicationē, deindè & sacramēt orū administrationem discipulis commendauit. Illud verò expresè mandās: vt non solùm, quod ad fidei cōfirmationem pertinet: verùm etiam, quod ad mandatorum suorum obedientiam videtur facere, doceant. Hinc tertium subdit. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur. Hoc ergo ipsum Euangelium est: verè lætum nuntium. Caue tamen hæc de sterili fide, & externo tantùm aquæ lauacro intelligas. Quartò addit. Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur. Voluit nimirùm signis quibusdam suos orbi innotescere, quæ Apostoli quidem fecerunt corporaliter, à nobis verò fieri conuenit spiritualiter. Primò malos spiritus, qui sunt, peccata ejicere. secundò, nouis linguis, in delictorum confessione, ac Dei laudibus loqui. tertiò, serpentes, hoc est, tacitas atque lætiferas Satanæ suggestiones, ex animis tollere. quartò, si mortiferum quid biberimus, hoc est, si labi contigerit, non perseuerabimus, tamen vt noceat. quintò, super ægrotos nostro auxilio indigentes, manus nostras vt prodesse studeamus omnibus, imponemus. Hæc sunt illa, quæ fides in electis operatur signa. *Act. 8.* Quorum fusior tibi ipsi relinquitur declaratio. Iam porrò quintò dixit. Ab Hierosolymis ne discederent, sed expectarent promissum patris spiritumsanctum, quod est, ab

Eccle-

Ecclesiæ vnitate,& à Christiana concordia non deuiarent. Sextò,vt sæcularibus negotijs liberas mentes, Spiritui sancto præpararent. Vltimum est ipsa benedictio,qua sine dubio omnia prospera & fœlicia illis precatus est. Si enim Moses id fecit,quantò magis Christus? Quæ sanè omnia,vti ascendentis seruatoris,redemptoris atque Regis nostri nouissima verba,omnibus diligenti consideratione pensanda sunt. Sed nunc res & ordo postulat,vt facta etiam Christi examinemus:quæ sanè,quid,vt sequi præcedentem possimus,opus sit facto,docebunt. Principiò ergo priusquam ascenderet, descendit,semetipsum humilians. Quo sanè mentis humanæ vehementer arguitur superbia, qui semper ascendere nitimur,nunquam humiliores facti. Deinde,ante ascensionem suam passus est,& hoc ipso impatientia nostra arguitur,qui sine vlla passionis tolerãtia arduum cœli fastigium conscendere tentamus. Tertiò,resurrexit antequam ascenderet:quo arrogantia nostra corripitur, qui mercedem exigimus ante laborem. Quartò,discipulos quos è mundo elegerat,extra Hierosolymorum vrbẽ eduxit:quo stultitia nostra damnatur,qui in mundi huius theatro medio obsolescimus,nihilominus tamen beatitudinẽ speramus. Quintò,hos ipsos discipulos suos in montẽ adduxit secum:quo carnẽ sapiẽtes affectus nostri reprehenduntur,qui nunquã etiãsi appetamus non perire,in sublime animos attollimus, frustrà acclamante nobis ecclesia,Sursum corda ad Dominum sublata habeamus. Et hæc nunc pari diligentia cogitanda sunt. Sed & hoc audiamus quid Prophetę de Christi ascẽsione prędixerint. Quia verò tempus labitur,duos tantummodo ex Psalmis locos pferamus. Sit ergo primus,quod Dauid Propheta ait,Dominus in templo sancto suo,Dominus in cœlo sedes eius. Oculi eius in pauperem respiciunt,palpebræ eius interrogant filios hominũ. Dominus interrogat iustũ & impium:qui autem diligit iniquitatem,odit animam suã. Pluet super peccatores laqueos:ignis & sulphur,& spiritus procellarum,pars calicis eorũ. Quoniã iustus Dominus & iustitias dilexit,æquitatem vidit vultus eius. Alius locus est: Dominus regnauit,exultet terra,lætentur insulę multæ. Nubes & caligo ante ipsum præcedet,& inflammabit in circuitu eius inimicos eius. Illuxerunt fulgura eius orbi terræ,vidit & cõmota est terra. Montes sicut cera fluxerunt à facie Domini,à facie Domini omnis terra. Annũtiauerũt cœli iustitiam

Num.6.

Psal.10.

Psal.96.

eius,

eius, & viderunt omnes populi gloriam eius. Confundãtur omnes qui adorãt sculptilia, & qui gloriãtur in simulachris suis. Adorate eum omnes angeli eius, audiuit & lætata est Sion, & exultauerunt filiæ Iudæ, propter iudicia tua Domine. Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram, nimis exaltatus es super omnes deos. Qui diligitis Dominũ, odite malũ: custodit Dominus animas sanctorum suorum, de manu peccatoris liberabit eos. Lux orta est iusto, & rectis corde lætitia. Lætamini in Domino, confitemini memoriæ sanctificationis eius. Hi duo Psalmorum loci, quid vtrunq; hominum genus bonorum & malorum ex Christi ascensione vel sperare, vel timere habeant, declarãt abundè. Sed hæc nunc explicare tempus non est. Pius ergo quisq; vtrũq; Psalmum seorsũ diligentiùs examinet. Gratia Dei nobiscũ, Amen.

QVINTVS SERMO TEMPVS est, vt reuertar ad eum qui me misit: vos autem benedicite Deum, & narrate omnia mirabilia eius. Tob. 12.

SI anniuersarios Apostolorũ martyrúmq; dies, quo quisque vitæ huius fabulam piè absoluit, non sine solenni ritu celebramus, quo triumpho hunc præsentẽ diem frequentabimus, in quo Christus Iesus Dominus noster, Apostolorũ atque martyrum omniũ caput, peregrinationi suæ finem imposuit? Quæcúnque enim in illis consideramus, seu personas, seu peregrinationis facta, finémque inspexeris: omnia maiora in Christo sunt, quã vel in Apostolis, vel in vllo Sanctorum intelligi possint. Egregium sanè est quod Paulus Apostolus magna fide, priusquam vitæ cursum consummaret, discipulo suo perscripsit, dicens: bonum certamen certaui. Longè tamen præstantius est quod de Christi consummatione legimus. Ait enim Marcus: Et dominus quidem Iesus postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum, & sedet à dextris Dei. Et Lucas: Factum est, inquit, dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cœlum. Sed & in Actis legimus, quòd videntibus Apostolis sit eleuatus, nubéq; eum ab oculis intuentium susceperit. An non hîc consummatæ peregrinationis pulcherrimus finis est? Nos igitur diligentiùs, vti æquũ est, hoc propositũ negotiũ perquiramus. Propterea enim Raphaëlis angeli verba in mediũ adduxi, licèt nõ noui Euangelij sint, nec ab angelo in Christi persona dicta, inue-

2. Timo. 4.

Mar. 16.

Luc 24.

Act. 1.

ta, inuenimus tamen Christū ijsdem, aut certè maximè similibus verbis locutum esse. Considerantibus igitur nobis hæc ipsa verba, duo præcipuè offerūt, recessum Christi, ac voluntatem eius vltimam. Et hæc nunc cōsiderāda sunt maximè. Quòd ergo ad primū, hoc est, ad recessum eius attinet, tria consideremus. Tempus, modum, atq; locū, quo recesserit. Principiò quando ascenderit quæris? nō ante iustum tēpus, nec post præfinitā horā. Audi dicentē angelū, Tempus est, vt reuertar ad eū qui me misit. Simile quid Christus loquitur, cùm ait, Pater, venit hora, clarifica filiū tuū, vt filius tuus clarificet te. Sed vnde intelligi datur horā clarificationi suæ præfinitam aduenisse? Ego, inquit, te clarificaui super terrā: opus cōsummaui, quod dedisti mihi vt faciā. Tūc enim ascēdendi & reuertendi tempus est, quando Dei voluntatē atque opera consummaueris. Inuenias homines, qui licèt tēpus definitum ac terminus adsit, tamē exuto corpore hoc mortali ac mundi mutabilitate relicta, futurū sæculū petere nolint. Videas contrà alios, qui priusquam voluntatē Dei expleant, ascendere nitantur. At Christus opus sibi commissum perfecit, illóque consummato, in terris amplius non hæsit. Quo docuit, vt cōplero in hac peregrinatione Dei opere, nil hîc, sed sempiternam patriam gemitibus quæramus in cœlis. Ecce tibi iustum ascensionis Christi tempus. Iam verò & modum eius accipe. Tempus est, inquit, vt reuertar ad eum qui me misit. Cui nec illud absimile est quod Christus ait: Exiui à Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundū, & vado ad Patrem. Et quis exitus illius ad Patrem modus? Cùm esset in forma Dei, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinaniuit, formā serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo: humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Quomodò autem mundum reliquit, & ad Patrem reuersus est? Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum. Quo modo ascensio eius aptissimè regressus dicitur: ac eo ipso quòd regressus dicitur, egressum siue descēsum complectitur. Quomodò enim ascendisset, nisi prius descēdisset? Quomodò regressus esset, si nō antè egressus fuisset? Quòd enim ascendit, inquit Paulus, quid est, nisi quia & descendit primùm ad inferiores partes terræ? Et tu igitur qui ascendere

Ioan. 17.

Ioan. 16.

Phil. 2.

Ibidem.

Ephe. 4.

dere petis,prius descendas.Deinde Christum sæpius ascendisse legimus,priusquam ad cœlos ascéderet,cùm assumptis
Matth.17. Petro & Iacobo & Ioãne,in montem excelsum Thabor adduxit,ibíque ante eos transfiguratus est:cùm visis turbis,
Matth.14. ascẽdit in montẽ,ac sedẽs,turbas cœlesti Philosophia erudijt,beatos affirmans pauperes spiritu,quòd ipsorum esset regnum cœlorum:cùm frequenter solus ascendit montes vt oraret.Tandem etiam in crucem ascendit:deinde ipsum cœlum.Quid verò his omnibus,nisi verum assurgẽdi modum indicauit?Nimirùm insipientes per hæc docuit,pusillos traxit,infirmos duxit,qui ipse æquis passibus,nec ad sinistram,nec ad dextram declinans,rectà de virtute in virtutem pro-
Psal.83. gressus illuc euocauit,vbi Deus Deorũ videtur in Sion.Principiò enim quòd montem clarificandus conscendit,ad nostram doctrinam factũ est,vt & nos cogitationibus nostris ad cõtemplandam futuram gloriam,quæ reuelabitur in nobis,assurgamus.Qui quidem ascensionis nostræ gradus primus est.Sed ô beatum hominem,cui hunc montem conscendere datur.Quid enim in nequam hoc mundo desiderabit,
Psal.26. cuius oculi ad bona Domini directa sunt atque intenta in terra viuentium? Quid huic difficile in terris,cui hæc firma
Rom.8. stat sententia mentis,non esse cõdignas huius temporis passiones ad futuram gloriam,quę reuelabitur in nobis?In hoc
Psal.26. monte Dauid assiduus erat,vt cùm ait, Tibi Domine dixit cor meum,exquisiuit te facies mea,faciem tuã Domine requiram.Et,Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domi-
Psal.30. ne,quam abscondisti timentibus te.Et,Quemadmodum de-
Psal.41. siderat cernus ad fontes aquarũ,ita desiderat anima mea ad
Alias,cerua. te Deus.Hæc recordatus sum,& effudi in me animã meam.
Psal.54. Et quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam?Et,Quam dilecta tabernacula tua Domine virtu-
Psal.83. tum.Et,Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi,in domum
Psal.131. Domini ibimus. Sed quid his testimonijs immoror,cùm vnus Dauid omnes arguat, quicúnque hunc montem non ascẽdimus.Filij hominum,inquit,vsquequo graui corde, vt
Psal.4. quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium?Quid verò prodest scire,quò eundum sit,si viam ignoraueris?Alium igitur montem,vbi Christum iustitiæ doctorem audias,ascẽ-
Ioan.3. das oportet.Quæ autem illo in loco doctrina eius? Nemo ascendit in cœlũ,nisi qui descendit de cœlo,Filius hominis qui est in cœlo.Ecce tibi viam,per quã pergendũ est,ipsum

nem-

nempe Christum Iesum: cui incorporatus sis oportet, si ascẽdere cœlos animus est. In hoc monte scalam adornauit, deinde, cuius summitas cœlos tangit. Beati, inquit, pauperes spiritu, quoniam ipsorũ est regnum cœlorum. Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiã, quoniam ipsorum est regnum cœlorũ. Ecce tibi secundũ gradum, per quem cœlũ petitur. Sed nec hunc attigisse satis est, nisi montem qui orationi locus deputatus est, conscendas. Quis enim illa facere, sine diuini brachij auxilio potest? Duplicem tibi spiritũ, cum Helizæo petas necesse est: hoc est, vt conscientiam tuam per peccati remissionem consoletur Deus, & vt Christũ sequaris, virtutem largiatur. Iam verò, cùm corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & terrena habitatio deprimit sensum multa cogitantẽ: hoc insuper necesse est, vt crucẽ ascendas, carnémq; & cõcupiscentias eius crucifigas. Et hic quartus gradus est. Quibus sic per ordinem expletis, tãdem cum Christo cœlos licebit ascendere. Sed ô beatum hominẽ, qui has ascẽsiones in corde suo disposuit in valle lachrymarum: verè enim de virtute progredietur in virtutem, donec videatur Deus deorum in Sion in æuum. Tertiò hoc etiam videamus, quò ascenderit. Ad eum, inquit Raphaël, qui me misit: Eadẽ ipsa verba Christus in Ioanne loquitur. Quæ sanè huius præcipua festiuitatis pars est, vt expendamus, quò Christus ascenderit. Huic enim rei omnis nostra spes atque confidentia innititur. Propterea fidei nostræ articulũ qui de ascẽsione Christi est, audi: Ascẽdit ad cœlos, sedet ad dextram Dei. Iam verò ascensio hæc aliud nihil est, nisi quòd cõstitutus est supra omnem principatum, & potestatem, & virtutẽ, & dominationẽ, & omne nomen quod nominatur. Et quòd potestas ei data sit in cœlo & in terra, nomẽque acceperit, quod est supra omne nomen, vt in nomine Iesu, omne genu flectatur, cœlestium, terrestriũ & infernorum. Et quòd ipse constitutus sit Rex à Deo super montem sanctum eius. Quę omnia in illo verbo comprehensa sunt, Sedet ad dextrã Dei. Hanc verò dignitatẽ & gloriam non sibiipsi propria arrogãtia, vt Lucifer, vindicauit. Sed nec ab vllo homine, verùm à Deo, ad illud rerũ fastigiũ euectus est, Dixit Dominus Domino meo, inquit Dauid, sede à dextris meis, donec ponã inimicos tuos scabellum pedum tuorũ. Hæc igitur spes nostra est, quòd ille in quem credimus, quem etiam sequimur, tantæ maiestatis atque potentiæ est. Et hæc ipsa in omni pericu-

Matth.5.

4.Reg.2.

Sap.9.

Psal.83.

Ioan.19.

Ephe.1.

Matth.28.

Philip.2.

Psal.2.

Psal.109.

lo,

riculo: maximè in mortis articulo sine diffidentia confidere rare permultũ iuuerit. Habes igitur breuissimè cõprehensa quæ conuenienti modo hoc die meditari possunt. Sed quid nostrum est facere? Vos autem, inquit Angelus, benedicite Deũ, & narrate omnia mirabilia eius. Aequissimũ & iustũ est hæc nos facere: quid enim præterea possumus? Quid retribuam Domino, inquit Dauid, pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicẽ salutaris accipiã, & nomen Domini inuocabo. Deindè, Annuntiate mirabilia eius. Quæ illa mirabilia? Quòd clemens nos misericordia & gratia præuenerunt, & ad nos ipse accesserit, & auxilium virtutémque donauerit, & quòd summa illa maiestas pro nostra vita mori voluerit: seruire nõ abhorruit, vt nos libertate donaret: in hoc exilium cesserit, vt nos in patriã reducẽs veheret: ad infima humanæ seruitutis obsequia humiliauerit, vt nos super opera manuũ suarũ cõstitueret. Hæc, inquam, mirabilia nobis annũtiãda sunt, ídque iusti Tobiæ exẽplo, qui benedicẽs dominũ dixit; Magnus es Domine in æternũ, & in omnia sæcula regnũ tuũ, quoniã tu flagellas, & saluas: deducis ad inferos, & reducis: & non est qui effugiat manũ tuã. Confitemini Domino filij Israël, & in conspectu Gentium laudate eum: quoniam ideò dispersit vos inter Gentes, quæ ignorant eum, vt vos enarretis mirabilia eius, & faciatis scire eos, quia non est alius Deus omnipotens præter eum. Ipse castigauit nos propter iniquitates nostras, & ipse saluabit nos propter misericordiam suam. Aspice ergo quæ fecit nobiscum, & cum timore & tremore confitemini illi: regémque sæculorũ exaltate in operibus vestris. Ego autem in terra captiuitatis meæ confitebor illi, quoniam ostendi maiestatem suam, in Gentem peccatorem. Conuertimini itáque peccatores, & facite iustitiam coram Domino, credentes, quòd faciat vobiscum misericordiam suam. Ego autem & anima mea in eo lætabitur. Benedicite Domino omnes electi eius, agite dies lætitiæ, & cõfitemini illi. Hierusalem ciuitas Dei, castigauit te Dominus in operibus manuum tuarum. Confitere Domino in bonis tuis, & benedic Deum sæculorum: vt reædificet in te tabernaculum suum, & reuocet ad te omnes captiuos, & gaudeas in omnia sæcula sæculorum. Luce splendida fulgebis, & omnes fines terræ adorabunt te. Nationes ex longinquo ad te venient, & munera deferentes, adorabunt in te Dominum, & terram tuam in sanctificationem habe-

Psal. 115.

Tob. 13.

habebunt. Nomen enim magnum inuocabunt in te. Maledicti erunt qui contempserint te: & condemnati erunt omnes, qui blasphemauerint te: & benedicti erunt qui ædificauerint te. Tu autem lætaberis in filiis tuis, quoniam omnes benedicentur, & congregabuntur in Dominum. Beati omnes qui diligunt te, qui gaudent super pace tua. Anima mea benedic Dominum, quoniam liberauit Ierusalem ciuitatem suam, à cunctis tribulationibus suis Dominus Deus noster. Beatus ero si fuerint reliquiæ seminis mei ad videndam claritatem Ierusalem: portæ Ierusalem ex sapphiro & smaragdo ædificabuntur, & ex lapide pretioso omnis circuitus murorum eius. Ex lapide candido, & mundo omnes plateæ eius sternentur, & per vicos eius, Halleluiah cantabitur. Benedictus Dominus, qui exaltauit eam, vt sit regnum eius in sæcula. Hæc igitur conueniens huic solennitati gratiarum actio periucunda piæ menti, de cœlesti Ierusalem futura patria nostra, quam hodie introiuit Christus, meditatio. Quæ pro se quisque nostrûm secum latiùs perpendat. Gratia Dei nobiscum, Amen.

SERMO SEXTVS.

IN multis quæ ad huius solennitatis honorificentiam faciunt, nõ sine ratione factum est, vt tot acclamationibus ad excitandos Christianorum animos, ne quis iucundam Domini ascensionem negligat, aut spe, quam inde concipere licet, nosmet priuemus, in Ecclesia vtamur. Festũ nunc celebrare, magna gaudia cõpellunt animos carmina promere, cùm Christus solium scandit ad arduum, cœlorũ pius arbiter. Et, Summi triumphum Regis prosequamur laude. Qui cœli qui terræ regit sceptra inferni iure domito. Qui sese pro nobis redimendis permagnum dedit pretium. His inquam, hodie ad laudes diuinas excitati sunt credentes. Sed & ex Psalmis acclamatũ est nobis: Omnes gentes plaudite manibus, iubilate Deo in voce exultationis. Quoniam Dominus excelsus terribilis, Rex magnus super omnem terram. Hæ atque his similibus acclamationes omnes eò tendunt, ne quisquam nostrûm iucundam Domini ascensionem negligat somnians. Sed nunc alia requiri excitamenta apud eos, qui superioris Dominicæ lectionem Euangelicam secum expenderunt diligentiùs, non arbitror. Possunt enim quæ illic ex Christo excepimus huic iam *Psal. 46.*

Ioan.16. dudum animos nostros festiuitati præparasse. Exiui, inquit, à Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum & vado ad Patrem. His verbis Christi illic nos Ecclesia in hanc festiuitatem induxit. Quòd si, vt æquum est, & conuenit nobis, hæc tum ardenti animo susce pimus, procul dubio nunc flexis omnes genibus, corde, manibúsque atque oculis in cœlum suspensi, Christo capiti nostro membra, domino serui uli, lætis desideriorum nostrorum vocibus acclamamus, O Rex gloriæ, qui triumphator hodie super omnes cœlos ascendisti, ne derelinquas nos orphanos, sed mitte promissum Patris in nos Spiritum veritatis. Et mox ad Patrem conuersi, Concede ô Deus, ô pater omnipotens, vt qui hodierna die vnigenitum tuum redemptorem nostrum ad cœlos ascendisse credimus: ipsi quoque mente in cœlestibus habitemus. Hæc sanè omnium nostrûm hodie debebat esse occupatio: cui etiam rei nos totos à superiore Dominica præparasse decebat: hoc nimirum verè atque piè esset festiuitatem hanc transigere, si
Col.3. hinc terrenarum rerum omnium obliti, illuc mentem, cogitationes, desideria, amorem, spem atque fiduciam conuerteremus omnes, vbi Christus est in dextra Dei sedens.
Matth.8. Sic, inquam, hæc nobis celebranda est festiuitas. Si Christus spes nostra est, illic vtique cor nostrum erit, vbi thesaurus. Quid ergo in terris homo quæris, cùm certus sis
Matth.24. quia caput tuum in cœlis est? Vbi enim cadauer, illic con-
Psal.72. gregabuntur & Aquilę. Dauid certè non modò in terris, verumetiam in cœlo præter Christum quærebat nihil. Quid mihi est Domine, inquit, in cœlo à te, aut quid volui super terram? Tu Deus cordis mei, & salus mea in æternum. Hæc Dauid veteris Testamenti Regis illius atque Prophetæ verba sunt. Quid ergo terrena tantùm sapimus, obliuiscimur cœlestium? Procul, procul hæc à nobis sint fratres. Hoc ipso enim de Christi ascensione adhuc incredulos nosmet proderemus. Quisquis enim ita totum se dedit terrenis vt æternorum obliuiscatur, profectò nec credit hîc, nos nõ
Hebr.13. habere manentem locum in hoc mundo: nec persuasum habet, in cœlis conuersationem nostrã habere nos, licèt etiam
Philip.3. id ore confiteri videatur, factis tamen negat. At quid illo mi-
Tit.1. serabilius, qui plenis affectibus, tantùm ad tempus vsui suo cõmodaturi inhæret, quorũ contrà in æternũ beatè frui posset obliuiscitur? Necessariò ergo tot acclamationes aures nostras ho-

ſtras hodie perſonant, vt excitemur, & ſurſum ſuſpiciamus. Neque enim parum noſtra refert, quòd Chriſtus aſcendit. Quod ſi quis diligẽter, quid ſit, Chriſtum cœlos aſcendiſſe, ſecum ruminauerit, profectò non ſolùm, (quod in Apoſtolis laudamus) cũ animi ſui lætitia hinc recedet: verumetiam quæ ſurſum ſunt quærẽdi incitamenta penes ſe per omnem vitam ſentiet. Imperare igitur mihi non poſſum, quin pro captu plebeo pleniùs hanc feſtiuitatẽ pertractem. Ea rata igitur, quam Euangeliſtæ perſcripſerunt, aſcenſionis hiſtoria: ea reperam altiùs, quæ ſpirituali gaudio noſtro ſubſeruiunt. Principiò qui de aſcenſione Chriſti ſcripſerunt, duo ſunt, Marcus & Lucas. Alij duo, Matthæus æque Ioannes tantùm reſurrectionem tradiderũt: quam tamen ita ſuis coloribus depingunt, vt intelligenti aſcenſionem quoq; inde colligere nõ ſit difficile. In Ioanne enim ipſa reſurrectionis ſuæ die Chriſtus ait: Aſcendo ad Patrem meum & Patrem veſtrum, Deum meum & Deum veſtrum. In Matthæo verò idẽ ait, Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. quid ſibi vterq; vult, niſi quia reſurrectio quoq; Chriſti, clarificatio quædam eius fuerit? Atq; ideò quidem quieuerũt, finémq; ſcribendi poſuerunt. Verùm cùm non ſolùm inuiſibili quodam modo in reſurrectione ſua clarificatus eſt, ſed & viſibili hoc quadrageſimo die corã diſcipulis cœlos aſcendere voluit, nimirũ vt fides ſuorũ vtróq; modo cõfirmatior fieret: ideò & Marcus & Lucas nouiſſima hæc quoq; teſtificari atq; poſteritati tradere operepretiũ arbitrati ſunt. Magis enim quæ ſub viſum, quàm quæ ſub auditũ ſolum cadunt, afficiunt. Quemadmodùm & Apoſtoli longè vehementiùs gauiſi ſunt, cùm ſemel tantùm aſcendentẽ iam Dominum aſpicerent, quàm cũ toties de clarificatione ſua teſtificãtem audirent. Iam Marcus ſuccinctè aſcenſionis meminit. Dominus Ieſus, inquit, poſtquã locutus eſſet eis, aſſumptꝰ eſt in cœlũ, & ſedet a dextris Dei. Sed Lucas duobus in locis eam ſcripſit. Et in Euangelio quidem ſuo ſic ait, Eduxit eos foras in Bethaniam, & eleuatis manibus ſuis benedixit eis. Et factum eſt dum benediceret illis, receſſit ab eis, & ferebatur in cœlum. In actis ita ſcribit, Præbuit ſeipſum viuum poſt paſſionẽ ſuam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei. Et conuerſcens præcepit eis, ab Hieroſolymis ne diſcederent, ſed expectarẽt promiſſionẽ Patris. Id quod Epiſtolæ loco hodie recitatum eſt,

Ioan. 20. *Matth. 28.* *Marc. 16.* *Luc. 24.* *Act. 1.*

Hæc facti illius præclara historia est, in qua cogitationes nō ſtræ, deſideria atq; vota omnia verſantur hodie. Ex hoc animarum noſtrarū cibum requirētes, omnibus modis conuenientē inuenimus. Hæc enim fidem noſtrā confirmat, ſpem auget, charitatē excitat, conſcientias purificat, ig̃naros docet, pigros extimulat, conſolatur mœſtos, domat effrenes atq; retrahit. Hæc, inquam, hiſtoria præſens, dextrè conſiderata poteſt omnia. Quis verò neſcit, hæc illa ipſa eſſe, quorum maximè laboramus penuria? Neq; enim quiſquā noſtrūm eſt, qui horū vel omnium, vel aliquot, aut certè vno aliquo nō egeat. Nunc inimicus noſter in fidei lumen ſuffundit tenebras, nunc pūſillanimitas deiicit, nunc cōſcientia impugnatur, nūc externis plus æquò diſtrahimur: hūc boni piget, illū malitia iuuat & afficit. Quapropter cogitationes noſtras in hac hiſtoria exerceamus diligētiùs, quæ tot modis in omne bonum cōmodat. Singula igitur ordine diſcutiamus. Ac principio quidē quomodò fidē noſtrā hinc, non ſolùm aduerſus Iudæos atq; Gentes, verumetiā cōtra ipſum Satanā obfirmare poſsimus, videre eſt. Iudæi enim atq; Gentes diuinitatē Chriſto, quod vti homo natus ſit, detrahunt, eóq; fidem noſtram incertā eſſe iniquiſsimè arguunt. Quos contra Satan Deum quidem eſſe Chriſtū, tot modis eius expertus potentiam atq; maieſtatem nō diffitetur quidem: nihilominùs tamen hoc agit, quibuſcúmq; poteſt modis, nunc vi, nunc dolo, vt nos aut omninò à Chriſto ſēducat, aut certè in fidei negotio dubios perturbet: non ignarus nequicquam cunctis cūm conſiliis tum machinis aduerſum nos pugnare, quàm diu petræ huic ſuperædificati inſiſtimus. Portæ inferorū, ait Chriſtus, non pręualebunt aduerſus eam. Sed vnde nobis fidei noſtræ, & quòd Chriſtus verè Deus ſit, fortior demonſtratio eſſe poteſt, quàm ex ipſa reſurrectione atque aſcenſione? Quis omnium ſua ſe virtute à morte eripuit vnquàm, præter vnum Chriſtū? Aut quis aliquādo propria potentia cœlos ſurſum aſcendit, niſi ſolus Chriſtus? Quid autē ex his colligere poſſumus, niſi quòd ipſe Chriſtus, vitæ & mortis, & cœli, omniū deniq; creaturarū ſit Dominus, imò cœli terræq; Rex? Vnde oſtenditur nō hominem ipſum ſolùm, verumetiā Deum eſſe. Illi enim ſoli hoc attribuitur, vt ſit atq; dicatur vniuerſorū Dominus, in cuius etiam manu omnia ſint. Iam verò ipſe hic mūdus potentiā hanc in Chriſto vidit & cognouit. Audiuit enim eum dicentem leproſo,

Matth. 16.

Manda-

Mundare: & vidit statim mundatum à lepra. Audiuit dicentem cæco: Respice: & visum recepisse cæcum cognouit. Et mortuo adolescenti, Tibi dico surge: & resedit qui erat mortuus. Et muto, Ephphata, quod est, adaperire: & statim solutum est vinculum linguę eius. Imperauit ventis & mari: & statim facta est tranquillitas magna. Spiritibus imperauit immundis, & exierunt: supra mare ambulauit, & ipsum pedibus sanctis iter præbuit firmum. Crucifixo hoc Christo, contristabantur omnes creaturæ, iniuriam detestantes Domini & creatoris sui. Hæc omnia, inquã, mundus vidit atq; cognouit. Et hæc quidẽ apertè demonstrant, quia ipse sit dominus omnium: dominus, inquam, morborum omnium, mortis Diaboli, terræ, maris, & deniq; elementorum omnium. Ad hæc cœlos ipse ascendit, in quo aër, nubes & angeli sua præstiterunt obsequia. Aër iter ascendenti præbuit, nubes susceptit, veneratur, cœlum ipsum aduenienti vltrò sese aperuit. Annon igitur per hæc, nubium, cœli, atque angelorum dominus esse approbatur? Quòd si Dominus quæ in cœlo quæque in terra sunt omnium, vtiq; & Deus est. Si Deus, certè diuinus illi honos debebitur. Et ipsum quidem ab æterno cum Patre æqualem semper habuit. Pater, inquit, venit hora, clarifica filium tuum apud temetipsum, claritate, quam habui, priusquam mundus fieret apud te. Ab æterno, inquam, hunc honorem habuit apud Patrem: nunc porrò completo humanę redemptionis munere hunc sibi apud homines etiam postulat. Propterea & alibi datum sibi omne iudicium à Patre affirmat, vt omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem. Hoc igitur fundamentum, hoc scutum, hic gladius noster est, aduersus Iudæos atq; Gentes. Qui si nobis quasi obiecerint, mortuum esse: quem adoramus, veneramur, imò & crucifixum esse: nos contrà profitẽtes audient, eundem à morte resurrexisse, cœlósq; ascendisse. Hoc modo Christi ascensio fidem nostram contra Iudæos atq; Gentes confirmat. Quòd si & Satan ab ea nos vel auertere, vel eam erroribus velit offundere, sitne in Christum sperandum, posítue in omnibus nobis omnipotens adesse adiutor: his, inquam, suggestionibus à Satana obortis pius confidenter respondeat, Credo Dominũ Iesum à mortuis resurrexisse, cœlósque ascendisse. Id quod firma satis demonstratio mihi est, quòd ipse sit Deus potestatem habens omnium. Hæc te conscio Satan, qui primus id

Matth.8. *Luc.18.* *Luc.7.* *Marc.7.* *Matth.8.* *Ioan.17.* *Ioan.5.*

ita esse expertus es, experiérisque in posterũ duriùs, quando tũque tuáque turba ad inferiora gehennæ detrudemini. Vide quanta sit ascensionis Christi cõfirmatio fidei nostræ, ad uersus venenata nequissimi tela diaboli. Et huic quidem rei primũ Christi ascensio seruit, nẽpè confirmat fidẽ. Hunc articulum de ascensione Christi fortiter apprehẽdas, & nulla te creatura à fide, quæ est in Christũ, auertere, aut tuo illam malo tenebris errorum poterit offundere. Sed & spem nostram ex eodẽ possemus augmentari. Spe salui facti sumus, teste Paulo. Adhuc in spe versamur, nondum, quod expectamus, possidemus. Quæ verò spes illa? Noli timere pusillus Grex, inquit, Christus, placuit enim patri vestro, dare vobis regnum. Hæc ergo spes nostra est. Quòd enim in mundo sperare possimus, perexiguum est. Nã si in hoc mundo tantum sperantes essemus, miserabiliores essemus omnibus hominibus, non enim nos mundus nouit, quandoquidem ingenui Christiani sumus. Si de mũdo fuissetis, inquit, Christus: vtique, quod suum est, mundus diligeret. Nostra autẽ cõuersatio in cœlis est. Quid autẽ est, quo firmiùs hanc spẽ nostrã confirmare possemus, quã consideratio, quomodò Christus caput nostrũ iam nunc æterni illius regni ius suo nostróque omniũ nomine possideat? quod in ipso natura nostra vsque ad cœlos, imò ad dextrã patris sublimata est? Quòd si caput nostrũ iam cœlos possidet: vtique hoc ipso spes nostra reddi tur firmior, fore tandem aliquando: vt nos quoq; eò pertingamus, quando caput cæteráque alia membra coniungi in vnum necesse est: vbi perfectũ corpus dicetur, maximè ipso dicente capite, nos, secũ vbi ipse sit, esse futuros. Quòd si natura nostra in Christo ad tanti fastigium honoris peruenit; vtique & nos perueniemus. Est ergo hæc spes nostra, quòd ex consideratione ascensionis Christi exultantes, cum Iob sancto liceat dicere. Scio, quòd redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & in carne mea videbo Deũ saluatorẽ meũ. Quẽ visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius. Et cũ Paulo. Scimus quoniam si terrestris domus nostra, huius habitationis dissoluatur, quod ædificationem ex Deo habeamus, domum nõ manu factam, sed æternam in cœlis. Et cum Petro, Deus regenerauit nos in spem viuam per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcessibilem, cõseruatam in cœlis. Et iterum

Rom. 8. Luc. 12. 1. Cor. 11. Ioan. 15. Phil. 3. Ioã. 12. 14. & 17 Iob 19. 2. Cor. 5. 1. Petr. 1.

cum Pau-

cum Paulo. Cū Christus apparuerit vita nostra, tum & nos apparebimus cū ipso in gloria. Et iterū. Nos saluatorem expectamus Dominum nostrū Iesum Christū, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. Ecce hoc modo spem nostram Christi auget ascensio. Quid enim sine illa sperare audebimus, aut qua via præter hanc ad cœlos pertingemus? Quid enim homine post peccatum abiectius? Scire vis quæ nostra sit natura? Terra es, & in terrā reuertēris. Et quod Dauid ait. Homo cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Nā & bos cognouit Dominū suum, & asinus præsepe Domini sui, & hirundo tēpus aduentus sui, homo autē non cognoscit & intelligit. Vnde Salomon Propheta, formicam nobis imitandū exemplum ponit, quæ in æstate colligit: vnde hyeme viuat, homo futurā hyemen prospicit minimè. Ne interim, quod saxis duriores atq; insensibiliores inuenimur sæpenumerò. Vnde etiam Michæas Propheta saxa immobilia aduersum homines in testimonium adducit. Audiant, inquit, montes iudicium Domini, & fortia fundamēta terræ: quia iudicium Domini cū populo suo. Hæc ergo nostra natura est. Insuper & iræ filij sumus, nihilominus tamen hæc tam abiecta natura nostra hodie in Christo super omnes cœlos atque Angelos exaltata est. Tanta Dei Optimi Maximi est benignitas. Olim ita in hominē ira exardebat: vt indignum iudicaret, qui hanc terram incoleret. Delebo, inquit, hominē à facie terræ. Hodie verò idem Deus Christo, simul nobis in ipso cœlum hæreditatem tradidit. Hoc ergo secundū est, in quo Christi ascensio nobis seruit, nimirùm vt per eam spem nostram cōseruemus atq; augeamus. Sed & charitatem & deuotionem seu pietatē hinc excitare possemus. Quis enim, in quantā sublimitatē Deus nos euexit cogitans, quasi totus in eius amorē non ignescit? Conresuscitauit nos Christo, inquit, Paulus, & conuiuificauit, & cōsedere fecit in cœlestibus. Quis verò vel omnia pati recusaret, si non terrenam iam & momentaneam, sed cœlestem & æternam coronam propositā cogitauerit? Ecce quo modò eadem Christi ascensio ad charitatem & æquanimitatem extimulat. Sic deindē & conscientias nostras, peccatorum mole pressas consolari possit. Paulus enim apertè testatur, ideò Christum summum sacerdotē in sancta sua non manu facta, sed in ipsum cœlum per semetipsum introijsse:

Colos. 3.
Phil. 3.
Genes. 3.
Psal. 48.
Isai. 1.
Prou. 6.
Mich. 6.
Genes. 6.
Ephes. 2.
1. Cor. 9.
Hebr. 9.

1. Ioan. 2. vt appareat nũc vultui Dei pro nobis. Vnde exhortãte Ioanne, si peccauimus, desperandum ideò non est, habentes aduocatum apud Deum, Iesum Christũ iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantũ, sed & pro totius huius mundi. Quid ergo turbida conscientia, quid ipse Satan testificando atque accusando poterit efficere? Christus interpellat pro nobis. Et si Deus pro nobis, quis contra nos? Deus qui iustificat, quis est qui condemnet? Christus, inquam, interpellat pro nobis, quis accusabit aduersus electos Dei? Hoc ergo modo Christi ascensio cõsiderata cõscientias nostras pacificat, quæ alioqui turbida nunquã non accusat, nisi sublatis sursum oculis in eum aspexerimus, qui pretioso suo sanguine pro nobis satisfecit, cùm mortis chirographum, quod aduersum nos erat, cruci appendit. Et hoc tertium. Denique in persecutionibus etiam consolari nos Christi potest ascensio, Ideò enim ascendit: vt adimpleret omnia. Quãdo enim adhuc in terris degebat; vnius tantùm loci concludebatur angustijs, at claritatem suam ingressus, omnia adimplet: vbique præsens est, in cœlo & in terra, à fine mundi attingens ad finem alterum. Et hoc ipsum est sedere eum à Dei dextris potestatẽ habere omnem cum patre æqualẽ: vbiq; locorũ sempérq; nosse omnia, in omnibus suis auxilio esse, Id quod Petro carceres. Act. 12. Paulo, peregrinationes. 2. Cor. 11. Apostolis reliquis persecutiones. Act. 4. Stephano mortẽ. Act. 7. sufferre fecit constantiùs, nimirùm Christum Regem à dextris Dei videntes, eo quo dictum est modo. Et hac quidem animositate omnes deuorauêre afflictiones. Propter te, inquit Paulus, mortificamur tota die, sed in his omnibus superamus, ppter eũ qui dilexit nos. Sit igitur hæc nostra etiam consolatio, scientes: quia Dominus nobis est, omnia sciens, omnia videns, omnium potens, quíque compati nostræ posit infirmitati. Et hoc quintum. Sextò, postremum Christi ascensio rectam viam, iustúmque modum sursum ascendendi docet, Paulo dicente, Qui descẽdit, ipse est qui ascẽdit. Neque enim ignoramus, quid suo Christus descensu effecerit, nempè, patrem clarificauit, discipulos docuit atque consolatus est, obediens fuit ad mortem vsque crucis, & sic à morte resurrexit, cœlos ascendit, suámque gloriã introiuit, Hæc recta cœli semita est, præter quam qui aliam quærit, aberrat longissimè. Si ergo cœlum appetis, Christi exemplum sequere, primúmque descende. Qui enim hu-

Rom. 8.

Colos. 2.

Ephes. 4.

Rom. 8.

Ephes. 4.

Ioan. 17.

enim humiliauerit se, exaltabitur. Deindè Deum obediẽtia tua clarifica, proximum emenda, & crucis quemcúnque Deus propinauerit (vt ita dicam) calicem, patienter bibas. Et hæc sextò hinc docemur, Sed frenum nobis inijcit in peccatorum via indomitis, quò eñ maior Christi potestas, cò cómodiùs contemptores atque hostes suos corripiet. Et hûc pertinet, quod mox vbi ascendisset ille, duo Angeli secundum eius aduentum in iudicium prædicarunt, ad piorum spem, impiorum verò terrorem. Quòd si igitur verè Christianus es, studiosiorem te in omni pietatis exercitio exhibebis, cùm eundem Christum reuersurum esse, ac suos inæternum suum regnum suscepturum audis, sin verò & negligis nomine tantùm Christianus, est, quod timeas, quãdo iustum iudicem descensurum aliquando, intelligis. Ex quibus omnibus non erit difficile intelligere, quantum nobis Christi ascensio commodat. Hoc superest: vt quod docet modò hæc cogitemus, atque in nostræ fœlicitatis vsum conuertamus. Alioqui exiguus admodùm fructus nobis erit, quocúnque etiam externo ritu hanc festiuitatẽ magnificè colamus. Rectè quidem lætitiam nostram externis quoque signis ac moribus declaramus, sed frustrà in omninò, nisi eo ipso interiori homini seruiatur. Gratia Dei nobiscum, Amen,

Luc. 18.

Act. 1.

SEPTIMVS SERMO.

EVangelium hoc, in quo Christus Iesus priusquam ascenderet, Apostolis suis in vniuersum orbem prædicandi Euangelij munus commisit, historiæ me admonet Eliæ, qui & ipse quodammodò his similia, antequam sursum raperetur fecit, imò cuius illo tempore Elias figura fuit, hic Christus veritatem nobis exhibuit. Vtrobique prædicatores ordinantur. Elias quidem Elizeum post Prophetam, qui se testificaretur ac clamaret aduersus Idololatriam Regum Iuda, substituit. Christus Apostolos ordinauit, Euãgelij eis prædicationem mandans. Vtrobique ita fieri exigebat necessitas. Elias munus sibi concreditum expleuerat, & vt ad Deum curru raperetur igneo, proximum erat, necessum ergo fuit, alium qui vices eius subiret, qui verbi diuini gladio contra Idololatriam, ne malũ præualeret: veram fidẽ vindicaret, constitui, Christus quoq; opus suũ cũ obedientia consummauerat, iam tẽpus aderat clarificationi definitũ. Pater, inquit: venit hora, clarifica filium tuum: vt filius clarificet te.

1. Reg. 19.

Ioan. 17.

Oportebat igitur Apostolos designari, qui, quod magister cœperat, perficerẽt, imò, quòd redẽptor toti mundo præstiterat, in oẽs fines euulgarent. Ad quid enim Elias per omnẽ vitam suam in verbi negotio strenuè sudasset, si vna raptu suo silentiũ impositũ fuisset reliquo operi, nec quisquam in eius subrogatus fuisset locũ? Sic etiã, quid Christũ pro nobis mortem subijsse, tum gratiam vitámq; impetrauisse profuisset, si nõ & euulgasset, omniq; creaturæ p̃dicari ordinasset? Vtrobíq; magna illa Dei elucet gratia. Primò, quòd nullo vnquã tempore mundũ sine prædicatoribus dereliquit, semper verò vel paucos excitauit conseruauítq;, quorũ opera & ministerio reliquos, quãtũ in ipso quidem est, ad sui agnitionem ab Abel huc vsq; perduceret. Deindè etiam, quòd designatis ad hoc opus ministris semper atq; abũdãter p̃ spiritũ suum sanctum, quod ipsorũ munus & ministeriũ requiri videtur,
3. Reg. 19. largitus est. Quẽadmodũ Elias pallium suum misit super Eli
4. Reg. 2. sæum, in signum venturi super ipsum spiritus sancti. Sic cùm iam hora esset vt raperetur Elias, quoduis Elisæus postularet iussit, id se antequã raperetur, facturum promittens, petijt ergo ille duplicem Eliæ spiritum. Et certè votis atq; promissis eorum respondit euẽtus. Ab illo ipso enim die tanta Deus in Elisæo operabatur magnalia: vt omnes facilè intel-
Ephes. 4. ligerent, Eliæ in Elisæum venisse spiritũ. Sic & Paulus Christum cœlos ascendisse, ac hominibus dona dedisse clarè testatur. Et vt in summa dicam, quemadmodũ Eliæ Prophetæ, sursum in curru igneo per aërea raptus, figura fuit cœlos ascendẽtis Christi, ita etiã, quod antequã raperetur Elisæum Prophetam pro se subrogauit, figura fuit, q̃ Christus priusquam ascenderet cœlos, Euangelij munus esset commendaturus Apostolis. Et quẽadmodũ, dum raperetur Elias, spiritu Dei Elisæus imbuebatur, ita etiam Christus ascendens, Apostolis spiritum sanctum promisit, promissúmque non longo post tempore, plenè, cum variorum donorum muneribus cœlitus contulit. Et hæc quidem præfari libuit: vt videam' omnia Christi mysteria pulchrè olim Veteris Testa-
Amos 3. mẽti adumbrata figuris. Id, quod Amos Propheta ait. Non faciet D̃ns Deus verbũ, nisi reuelauerit secretũ suũ ad seruos suos. Certè in Christo hoc consideratur liquidissimè. Nihil enim eorũ, quæ per ipsum operatus est Deus, tã minutũ, nihil tã exile, quod nõ & in lege figuris, & in Prophetis prædictum ac reuelatum sit vaticinijs. Et qua ratione igitur inges

hoc at-

hoc atque mirādū aſcēſiōis Chriſti facin⁹, quale hic mūdus nūquā vidit, in quo credētiū omnis & ſpes & fiducia cōſiſtit, antiquis incognitū latere potuit? Minimè verò hoc cōcedēdum eſt alia edocti ſumus. Pſalmos enim. 29. 46. 96. & 109. ſi legeris, apertè intelliges, ita aſcēſionis Chriſti factū perſcripſiſſe Dauid Prophetam, vt nō iam, Prophetam, ſed Euangeliſtā, qui coràm vidiſſet, diceres. An enim nō eſt clarè aſcenſionē Chriſti perſcribere, quod ait: Exaltate Domine, quoniam ſuſcepiſti me, nec delectaſti inimicos meos ſuper me, Pſal. 29.
Et iterum: Aſcendit Deus in iubilo, & Dominus in voce tubæ. Pſal. 46.
Et iterum: Dominus regnauit, exultet terra, lætentur inſulæ multæ. Pſal. 96.
Et iterum: Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorū. Pſal. 109.
Quis omnes hos Pſalmos aliouerſum, quàm in Chriſtum ipſum interpretari poteſt? Nam & ipſi Iudæi ad Meſſiam referunt, licet adhuc venturum ſtultè expectent, non videntes hæc omnia partim iam olim impleta eſſe, partim quotidie etiamnum impleri. Exaltatus eſt, cœlos aſcendit in iubilo, regnauit, eóq; exultet terra, ſedet à dextris Dei, iraſcantur populi, dum libet ac licet, ponentur tandē velint nolint, ſcabellum pedū eius. Cùm igitur manifeſtum eſt, antiquis etiam in figura Enoch & Eliæ, imò etiam in arcę fœderis repoſitione, Chriſti aſcenſionem inſinuatam eſſe, adiunctis tot lætitiæ exhortationibus, quibus ad exultandum extimulati ſunt: nos verò eundem aſcenſionis diem reuoluti annis nunc frequentamus: meritò non minori quàm illi diligentia, hanc meditamur ſolēnitatem, atque in ipſa pari iucunditate exultamus: maximè quādo nobis hæc ita ſunt geſta, & quomodò natus atq; datus eſt nobis Chriſtus, ita etiā pro nobis mortuus eſt, reſurrexit, cœlósque aſcēdit. Proinde exactiùs quid de hac feſtiuitate dicendum mihi eſt, quo hāc diem maiori cum pietate, tum fructu impendatis. Et principiò quidem conſiderandum eſt, q̄ præſens feſtiuitas duos fidei noſtræ articulos proponat, nec minimos, ſed præcipuos, & eiuſmodi, qui pijs mentibus permultū conſolationis afferunt: impijs verò terroris plena ſunt. Et Marcus ſanè vnū in hodierno Euangelio ponit, cū ait: Aſſumptus in cœlū, & ſedet à dextris Dei: alterū verò Lucas in Actuū hiſtoria p̄ſcribit, dicēs, Hic Ieſus qui aſſumptus eſt à vobis in cœlū, ſic veniet, quēadmodū vidiſtis eū eūtem in cœlū. Nos porrò in fidei noſtræ confeſſione hoſ ipſos duos articulos ſic exprimimus: Iſai. 9. Mar. 16. Act. 1.

mus: Ascēdit ad cœlos, sedet ad dextrā Dei: Inde vēturus est iudicare viuos & mortuos. Vtrobique, variatis licèt nonnihil verbis, idem sensus manet. Nam quod Marcus ait. Assumptus est in cœlum, nos sic cōfitemur: Ascendit ad cœlos: Neque tamen vana hæc variatio: Rudibus enim ea inseruitur, qui aliàs cogitaturi erant, Christū alieno auxilio assumptū, vt Eliam, Enoch, Mariam: non autem propria potentiæ suæ virtute ascendisse. Propterea ergo simplices edocti sic efferunt: Ascendit ad cœlos. Quò quàm clarissimè articulus ille proponitur, ne quam dubitationem aut errorē cōmisceant. Et quidē nō infirmiori fundamēto hoc insistit, quàm quod scriptū est: Assumptus, siue exaltatus est. Id quod in 46. Psalmo, Micheæ 2. & ad Ephesios scripta Epistola 4. capitibus, vbi ascendit scriptum legimus. Tum Christus ipse ait: Vado ad Patrem. & expresse: Ascēdo ad Patrem meum, & Patrem vestrum. Nemo igitur variatas esse dictiones miretur, nec idem confessionis voces sonare, quod in Marco est, Rudibus hoc modo inseruitur, ne qua parte aberrent. Sic &, quod ad verba, in altero articulo variatio quædā est, cùm Angeli simpliciter ponūt, Sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. Nos verò clariùs loquimur confitentes: Inde (nimirum quò ascendit) venturus est iudicare viuos & mortuos. Quæ nec ipsa otiola est variatio: nimirum ideò, vt simplicioris ingenij causam sciant, cur sit vēturus: alioqui enim existimari possent, quod veniens denuò oporteat eum nasci, pati, & prædicare. Cōtra hūc pugnat hæc fidei cōfessio: Venturus est iudicare viuos & mortuos. Ecce ergo hi duo articuli huic festo tanquam basi firmissimæ insistunt, qui quidem abūdè, quòd hodie apud nosmet meditemur, afferūt. Et hic sanè cōuenientissimus huius tēporis vsus esset, sine quo frustra ad spiritualiter exultandum exhortamur. At vera horū intelligentia, exultationē mētis habet comitem. Id verò ita esse succinctè, & rudiū cōmodo (quibus ne inculcari quidem satis possunt quę ad fidē ptinēt) ostendā. Sēper enim nequā ille spiritus diuerticula sua habet, per quæ seducat. Primò igitur vide quàm hi articuli paucis verbis cōprehenduntur, quàm multa verò significent. Vnde verbo tenus tantum effari, minimè satis est: reddenda est & ratio eius quę in nobis est fidei, docente Petro. Neq; verò sine causa hæc dico. Nam & hac parte maximè laboramus. Inuenias enim qui viginti vel triginta annis (ne quid ampli⁹ dicā) Christianū nomen

Ioā. 14. 16. & 20.

1 Pet. 3.

con-

confessi sunt, nec tamen norint, quid sit, quam profitentur, fides: aut cur Christiani dicãtur: & licet verba fidei numerẽt, non tamen vel exultationem, vel spem mẽtis inde cõcipiũt: imò nec sentiunt. Id fit ex nimia parentũ negligentia in erudiendis liberis, quando nonnunquam nec ipsi, ita vt æquum erat, inter fidem & incredulitatẽ norunt discernere. Tum etiam multis in partibus Catechismus, seu puerilis eruditionis sermo intermittitur: Decalogi, Dominicæ orationis, & fidei Symboli nulla ferè, quoquo te vertas, mentio. Quin & Parochi & Cõcionatores nostri ita sapiunt, vt se pudeat etiã communiũ horum in suggesto meminisse: ficta quadã graui loquẽtia turgidi, quisq; singulare quid sibi sumit, quod vulgus emunctæ naris aperto ore miretur, omissis maximè seriis. Quò fit vt elapso anno, multos quidẽ sermones audiuerimus, præcipuorũ tamen fidei articulorũ maneamus ignari. Quid verò prodesset, si quis tota Biblia ad vnguẽ calleat, nec tamen fides quid sit, quídue requirat, nesciat? Permultum nobis interest vel ignorare, vel nescire fidei articulos. Id qđ his duobus manifestũ fit. Quid enim hæc vita nostra esset? Quæ nobis spes foret reliqua, si Christũ cœlos ascẽdisse, & quẽadmodũ Paulus ait, super omnẽ principatũ, potestatem, virtutémq; cõstitutũ esse, nesciremus? Contrà, quæ nobis firmior erit in omni aduersitate cõsolatio, imò qua ratione dejectus erit aut pusillanimis, qui hos duos articulos dextrè secum perpẽdit? Vis ergo dicã quid sit quod dicimus, Christus ascẽdit ad cœlos, & sedet à dextris Dei? Nota verba, & quodque eorũ rumina: videbis, quã fides in ijs spem offerat. Quatuor huius verba sunt: Primũ, Ascẽdit: quo sanè verbo colligim⁹: vnũ Christũ esse, qui & angelos & homines præcellat virtute. Angelus quidẽ ascẽdere voluit, Deíq; similitudinem appetijt: sed frustra. Nõ enim ille erat, qui in semetipso excelsior fieri debuit, propterea pro arrogantiæ suæ modo ad inferna detrusus, humiliatus est. Sed & homo persuasus, in vetita nitebatur, quẽ idẽ etiam, licet clemẽtior aliquãtò, qui & angelũ exitus mox secutus est. Nã cùm angelus propria malitia peccaret irrecuperabiliter, & sine omni clemẽtia cœlo præcipitatus vt fulgur cecidit. Homo, deceptus fecit, eóq; citius cõsecutus est gratiã. Vterq; ergo frustra nitebat ascendere. At Christus, verè potuit dicere, Ascẽdo. Quî sic? Ecce enim prius descẽdit. Qui descẽdit, inquit Paulus, ipse est qui & ascẽdit. Deinde nõ iste in hoc dignitatis fastigiũ ingessit, aut

Ephes. 1. *Ioan. 14.* *Isai. 14.* *Gen 3.* *Luc. 10.* *Ephes. 4.*

Psal.109. aut cõstituit,cui à Patre dictum est:Sede à dextris meis. Tertiò excellẽtius multò nõ solùm præ hominibus,verùm etiã præ angelis nomen consecutus est. Cui enim angelorũ dixit
Psal.2. aliquando. Filius meus es tu,ego hodie genui te? Primum er
Hebr.1. go hoc verbũ docet,quod securè Christũ sequi possimus. In ipso solo ascẽdere licet. Tum solus etiã ipse via est,per quam
Ioan.14. ad Patrẽ accedimus. Quicúnq; præter Christũ ascẽdunt,tollunt in altũ,vt lapsu graviore ruãt. De Christo verè dicimus:
Ioan.3. Ascendit. Illũ,inquit Ioannes,oportet crescere,me autẽ minui. Nõ autẽ hoc solùm cõfitemur,quòd ascẽdit,verũ etiam
Hebr.9. addimus: Ad cœlos. Id Paulus explicãs ait: Per ꝓprium sanguinem introiuit semel in Sancta,æterna redẽptione inuẽta. Et
Ibidem. In ipsum cœlũ intrauit Christus,vt appareat nũc vultui Dei
Hebr.8. ꝓ nobis. Et iterũ: Talẽ habemus Põtificẽ,qui cõsedit in dextra sedis magnitudinis in cœlis,sanctorũ minister,& taber-
Hebr.7. naculi veri,quod fixit Deus. Et iterũ: Hic Christus,eo ꝙ maneat in æternũ,sempiternũ habet sacerdotiũ. Vnde & saluare in ꝓpetuũ potest,accedẽs ꝑ semetipsum ad Deũ,semp viuẽs ad interpellãdũ ꝓ nobis. Ecce tibi cœlũ ipsum, in quod ascẽdit Christus,& causam,cur ascẽdit: & spem,quã nos inde cõcipimus. Hac ratione certificamur,ꝙ habeamus Põtifi cẽ sempiternũ apud Deũ,qui interpellat pro nobis: licebitq;
1.Ioan.2. cõfidẽter dicere: Aduocatũ habem' apud Patrẽ,Iesum Christũ iustũ. Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autẽ tantũ,sed & pro totius huius mundi. Non vt eò grauiùs peccemus,sed ne si quãdo peccauerimus,nõ desperemus. Tertium huius articuli verbũ est,Sedet. Nõ corporalis sessio aliqua cõsiderãda est, quasi in cœlo sella ad Patris dextrã posita,sedeat: vtimur enim hoc vocabulo nõnunquã pro pacis significatione,pro quiete & requie. Vt in Propheta vi-
Mich.4. dere est,qui ait. Sedebit vir subtus vineã suã,& subtus ficum suã. Hoc modo Christ' à Dextris Dei sedet quietus,dũ opus quod dederat Pater,consummauit: nec est necesse, quotidie huc descẽdere ad ineũdũ bellum cũ morte & Satana. Vnica hæc oĩa oblatiõe cõsummauit. Sed & securus nũc ab inimicis & hostibus suis,qui licèt viuãt,nil tamẽ incõmodare pos-
Ioan.16. sunt. Princeps huius mũdi iã iudicatus est,& mors illi vltrà nõ dominabitur. Et hic iã sensus dictionis,Sedet,est primus. Vtimur autẽ eadẽ dictione pro eo,quod est iudicare,regere.
Isai.9. Qua significatione Isaias vsus est,cùm de Christo dixit: Su-
Luc.1. per solium Dauid,& sup regnũ ei' sedebit. Et Angelus: Dabit illi Deus

illi Deus ſedē Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum. Hoc modo Chriſtus tanquā Rex atq; iudex ſedet. Ego (in Pſalmis ipſe loquitur) cōſtitut⁹ ſum Rex à Deo, ſuper mōtē ſanctū eius. Et in Ioanne: Pater, inquit, nō iudicat quēquā, ſed omne iudiciū dedit Filio. Vnde in Apocalypſi ſua Ioannes talē eū vidit, qui inſidēs albo equo, in capite habebat diademata multa, in cui⁹ fœmore ſcriptū erat: Rex regū & Dominus dominātiū. Et hāc tertiò ſpem nobis confert, ꝙ eū ſedere cōfitemur. Id quod apertiùs fit ex eo quod dicimus, Sedet ad dextrā Dei, nec id ſine cauſa additū eſt. Cōfitēdū eſt Chriſtū, nec ſublimius Deo nec illo humilius, nec à ſiniſtra, ſed dextra, hoc eſt plena diuinæ potētiæ æqualitate ſedere. Propterea hęc omnia articulo illo cōprehēſa ſunt. Primò, ꝙ propria Chriſtus potētia cœlos penetrauit. Secundò, ꝙ aſcēſio eius nihil aliud eſt, quā poteſtatē accepiſſe omniū. Tertiò, ꝙ hāc ob cauſam in cœlos aſcēdit, vt adimpleret omnia. Quādiu enim hic in terris cōmoratus eſt, vno tātùm in loco viſus eſt: vbi verò in deitatis omnipotētiā cōſtitutus eſt, vbiq; adeſſe potis eſt. Quartò, & hoc docemur, ꝙ ipſe interpellat pro nobis in cœlis. Poſtremò, ꝙ & nobis cœli ianuā aperuerit, locúmq; in eo parauerit ſempiternum. Et quid prętera vel deſiderare poſſemus? Si Chriſt⁹ cœlos aſcēdit, nō hominē eū ſolùm, verùm etiā Deū eſſe, certum eſt: & nec ſibi ſoli, ſed nobis quoq; cœlū reſeruauit. Si ergo & cœli & terræ poteſtas illi data eſt, nec nequā ille ſpiritus, nec hic mūdus timēdus eſt. Virtus enim illi aduerſus vtrúq; eſt. Si iudex noſter eſt, dū in ipſum credimus, nō eſt ꝙ dānationē timeamus. Dicit enim: Deus filiū ſuū miſit in mūdū no vt iudicet mūdū, ſed vt mundus ſaluet per ipſum. Et: Qui credit in filiū, in iudiciū nō veniet. Si & aduocat⁹ & mediator noſter eſt: peccatis quoq; noſtris medebitur, ne propterea deſperandum ſit. Hæc ergo aduerſitatibus preſſus cogita, ſine dubio abūda ſatis tibi ſuppeditabit conſolatio. Agè verò operā des referre grates, firmáq; illi adhęrēs fide, ab eo amplius nō deuies. Miſeriā noſtrā ſine hoc ſeruatore tā potēte, cogita. Inuoca eū in die tribulationis tuæ: quòd poſſit, velit; q; adiutor eſſe, ne dubites. Manentē tibi locum, niſi vbi caput, cuius tu mēbrum es, fuerit, nō eſſe perpende. Vbi in ſempiternū tibi manendū eſt, illuc mentem tuā cogitationē-que erige. Sed & vita fac his reſpōdeat. Quare vitam moręſque tuos ſic inſtrue, vt cū Chriſto in regnū eius conſcēdas & in æternū in eo per

Pſal.2. *Ioan.5.* *Apoc.9.* *Epheſ.4.* *Matth.28.* *Ioan.3.* *Hebr.13.*

eo permaneas. Hoc sanè & confiteri & credere est, ꝙ Christus ad cœlos ascēdit, sedétq; ad dextram Dei. Et hic primus ille articulus est. Post hæc & alterū fidei nostræ articulū exa mina, qui (quemadmodū angeli dixerūt) reuersurū eum, nec reuersurū modò, verumetiā viuos mortuósq; iudicaturum esse, habet: & quidē eum ipsum iudicē vēturū, qui olim in terris, perindè atq; omniū sceleratissimus malefactor, ab hominibus ad crucis ignominiā adiudicatus & cōdemnatus
Isa.53. est. Et hīc mihi admirandā vicissitudinē vide. Vidimus eū. inquit Isaias, & nō erat aspectus eius, & desideraui mus eum
Matth.26. despectū & nouissimū virorū. Quid verò Christus contrà, etiā in humilitate respōdit? Videbitis filiū hominis sedentē
Act.10. à dextris Dei, & venientē in nubib⁹ cœli. Si nō esset hic malefactor, tibi nō tradidissemus eū, clamitāt Iudęi. At nūc Deus nō solū innocētiā eius vindicauit, verū etiā cōstituit eū iudicē viuorū & mortuorū, dedítq; illi gloriā honorēq; summū. Exulta igitur quādocūq; innocētē te mūd⁹ pśequit. Trāseūtia esse, & quā suffers ignominiā sempiterno gaudio seruire
Matth.11 cōgita. Venturus est, fides ait. Vnde verò? è cœlo à dextris
1.Cor.15. Dei, cui nūc assidet, æqualíq; potētia iudicat: ita planè: vt iā nūc ipsi omnia tradita sint in man⁹. Quāquā nōdū appareat ei subiecta esse omnia. Nā nunc etiā multi repugnāt ipsi: sed
Psal.74. cōniuet ac tacet, extremūq; impingere permittit. Sed qd in
Deut.32. Psalmis loquit? Cū accepero inquit, tēpus, ego iustitias iudicabo. Et, Mihi vindictā, & ego retribuā in tēpore suo. Ignis succēsus est in furore meo, & ardebit vsq; ad inferni nouissima. Nobis quidē differre Deus iusto lōgius videtur. Vnde &
Psal.43. pij sæpè cōqueri cōsueuerūt. Vt Dauid. Exurge, inquit, Dñe, quare obdormis, & obliuiscēris tribulationis nostrę? Et Aba
Abac.1. cuc. Quāte non respicis super iniqua agentes, & taces, deuorāte impio iustiorem se? Sed nouit Dñs tēpus suū. Venies ve-
2.Pet.3. niet. Id ergo nō solū Prophetæ: verū etiā Apostoli hoībus inculcarūt assiduè. Si tardauerit Dñs, expecta illū. Nihil enim est formidabilius impijs, nihil pijs suaui⁹. Hīc enim, de quo loquimur, Christi aduentus piorū quidē certa redēptio, īpiorum verò ineuitabilis erit dānatio. Veniet iudicare viuos & mortuos, iustitias iudicabit, iustitiæ exequetur sn̄iam. Quid verò hęc iustitia? Reddere nimirū vniquiq;, qd suū est. Cuius verò bona vera oīa sunt, nisi filiorū Dei? Quis verò mala oīa sustinebūt, nisi īpij? At in mūdo videre pertæpè est cōtrariū, cùm impij vndequáquè fœlicissimi, pij verò aduersis concu-

tiun-

tiuntur vbiq;. Sed quid fides dictat? Christus venturus est iu- *Osee.4.*
dicare. Iudiciũ Domino cũ habitatoribus terræ. Et in Mala *Malach.3.*
chia ipse Dominus, Accedã ad vos in iudicio: & ero testis ve
lox maleficis, & adulteris & periuris, & qui calũniãtur mer
cedẽ mercenarij. Et ipse Christus, Filius hominis vẽtur⁹ est *Matth. 16.*
in gloria patris sui cũ angelis suis, & tũc reddet vnicuiq; se- *Rom.2.*
cundũ opera sua. Et Paulus: Ira & indignatio, tribulatio &
angustia in omnẽ animã hominis faciẽtis mala. Venier iudi
care, & in hominibus cõculcatã violatãq; iustitiã cõseruare.
Veniet vindicare, nõ solũ sibi, verũ etiã suis illatã ignomi- *Isa.59.*
niã, vt in Isaia est: Ecce, inquit, scriptũ est corã me, Nõ tace *Isa.65.*
bo, sed reddã & retribuam in sinu eorũ iniquitates vestras.
Hinc deinde sequetur quod Dauid ait: Lętabitur iustus cum *Psal.57.*
viderit vindicta: manus suas lauabit in sanguine peccatoris. *Psal.51.*
Et iterũ: Videbũt iusti & timebunt, & super eũ (impiũ) ride
bũt & dicẽt: Ecce homo qui nõ posuit Deũ adiutorium suũ,
sed sperauit in thesauris pecuniæ. Venturus est iudicare vi-
uos & mortuos, id est, omnes homines. Nõ erit eis fuga, in-
quit Amos, nec abscõdentur mortui in sepulchris suis. Iudi-
ciũ generale erit vniuersorũ, nõ aliquorum humano more.
Ecce hæc sunt, quæ de secũdo aduẽtu Christi credimus atq;
cõfitemur. Quisq; ergo ingenuè Christianus lætabitur, cũ
aliquando ærũnarum laborioſæ huius vitæ finẽ venturũ in-
telligit. Deinde & diligẽtiùs pietati studebit, quãdo certam
cum futuro iudice Christo remunerationẽ expectat. Tertiò
semetipsum diiudicabit, cùm Christum viuorum mortuo-
rúmque iudicem ac vindicem intelligit. Quartò neminem
etiam ledet, cùm ipsum Deum hunc iudicem esse cogitat.
Quintò semet ad rationem reddendam præparabit, igna-
rus qua hora iudex venturus sit. Postremò & gratiã à Deo
precabitur, qua duce sic viuat, vt secundum aduentum non
timeat. Et hoc quidem, hunc alterum quoque articulum es-
set considerasse. Gratia Dei nobiscum, Amen.

SERMO OCTAVVS SV-
per verbis Angelorum.

NOn video quomodo hũc sermonẽ exordiar aptiùs, nisi
verbis, qui sunt hodierni sacri introitus quibus & ange-
li illi duo Apostolos in cœlũ, quò Dominus iãiã recesserat,
aspicientes allocuti sunt: Viri, inquiũt, Galilęi, quid statis aspi
cientes in cœlũ? Hic Iesus q assumpt⁹ est à vobis in cœlũ, sic

Act.1. veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. Hęc illa angelorum cœlestium verba sunt, hæc prima post ascensionem Dñi in terris facta cõcio. Nec sine peculiari dispositiõe Dei factum est, vt hæc præsens festiuitas primos suę lẽnitatis non homines, sed angelos haberet prædicatores & interpretes. Imò quis hęc decentiùs quã ipsi angeli primùm annuntiaret, quãdo & primi Dominicæ Resurrectionis prædicatores fuêre angeli? & quis de vtroque propriè magis loqueretur? Quid de ingentibus illis & humanum captum excedentibus Dei mirabilibus dixisse potuerunt homines? nempe quæ tum eorum adhuc erat cõditio. Vtrobique sanè non multis verborum inuolucris rem totam denunciant angeli: sed tamen illud omne cõplexi sunt, quicquid postea dicere hac de re potuerunt Apostoli. Id verò ita esse, & angelorũ & Apostolorũ de vtroq;, cùm resurrectione tum ascensione cõferamus testimonia. Et quidẽ de resurrectione, ipso quod Dñs resurrexerat diluculo prædicauit Angelus? Nolite expauescere, Iesum quæritis Nazarenum crucifixum surMar.16. rexit, non est hîc. Ecce locus vbi posuerunt eum. Sed ite, dicite discipulis eius & Petro, quia præcedet vos in Galilæam. Ibi eum videbitis, sicut dixit vobis. Hic angelorum illo die sermo erat: breuis admodum si verba respicias, sed si quis perlustrauerit, quæ Apostoli deinde eórúmque successores hinc conceperunt, & explicuerunt, videbit firmum illum & plenum de omnibus iis, quæ cõuenienter hoc festo dici possunt, fuisse sermonẽ. Ac primò quidẽ facile dictu est, Nolite expauescere. Quantam verò bonorũ copiam Paulus hinc cõRom.8. cepit, atq; explicuit? Si Deus, inquit, pro nobis, quis cõtra nos? Deus qui iustificat, Quis est qui condemnet? Christus Iesus qui mortuus est, imò qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei: qui etiã interpellat pro nobis. Quis accusabit aduersus electos Dei. Imò etiã proprio filio suo nõ pepercit Deus sed prò nobis oĩbus tradidit illũ. Quomodo nõ etiam cum illo oĩa nobis donauit? Quis ergo separabit nos à charitate Dei? Certus sum, quia neq; mors neq; vita neq; angeli, neq; principatus, neq; virtutes, neq; instãtia, neq; futura, neq; fortitudo, neq; altitudo, neq; profundũ, neq; creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu dño nostro. Ecce omnia hęc breuibus illis cõplexa sunt. Nolite expauescere. Secũdò & hoc sine difficultate dici potest. Surrexit, non est hic. Et Paulus sanè hæc iusto sermone explicuit

prius

orans in obseruationibus suis, vt Deus dñi nostri Iesu Christi det omnibus credentibus Spiritum sapientiæ, & reuelationis in agnitionẽ eius, illuminatos oculos cordis, vt sciant quæ sit supereminens magnitudo virtutis, quã operatus est in Christo, suscitãs illũ à mortuis: & cõstituens ad dexteram suam in cœlestibus supra omnẽ principatũ & potestatẽ. Imò ꝙ Deus, qui diues est misericordia, nos quoq; conresuscitauit, & conuiuificauit cum Christo, & cõsedere fecit in cœlestibus. Ecce & hic quæ Paulus ex illo angelico dicto concepit, Surrexit. Sic tertium quod dicit Angelus simplex dictu sermo est, cùm in Galilæam ire iubet, ibiq; videndũ esse Christũ prænuntiat. Quãta verò cum iucũditate veteres Ecclesiæ doctores, imò ipsi Apostoli hanc Galilæã spiritualẽ trãsmigrationẽ interpretati sunt? sufficiat vel vnũ Paulum audiuisse. Si cum Christo, inquit, resurrexistis, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens. Et iterũ, Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortẽ: vt quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriã Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Et his similia per totũ hoc caput scribit. Hoc ergo est, in Galilæã ire, vbi dñs videtur. Quandiu antiquũ obtinemus, Christũ videre nõ possumus ꝙ surrexit, nihil nobis commodat, nisi extra nosmet exiuerimus, inq; nouitatẽ vitæ trãscenderimus. Et hæc quidẽ ideò fusiùs indicare volui exẽpli loco, vt videamus breui hoc sermone ad mulieres facto, oĩbus prędicatoribus formã quomodo de Christi resurrectione loquendũ sit prędscripsisse angelũ. Cùm autem & in ascensione primũ omnium sermonẽ fecerunt: nemo, quin hoc ipso etiã modũ ostenderint, quid de hoc quoq; articulo dicendũ sit ambigat. Qua ratione & ego hunc angelorũ verbis exorsus sum sermonem atq; de iisdẽ reliquũ sermonis loquetur latius: ratus nimirũ nihil nobis sani sermonis defuisse, si hæc tantũ angelorũ verba præsenti lætitiæ seruientia didicissemus. Atqui ideò huc eógregati cõuenimus, vt hunc honoris Christi triumphum celebremus, imo ipsum triũphatorẽ prędicemus, magnificemus, vt vbiq; locorũ euulgemus, id quod ipsi hodie inuicem exhortati sumus. Ideò, inquã, huc modo conuenimus, atque ideò cũ Apostolis cœlos aspicimus, admirãtes nouum illud & omnibus seculis inauditũ facinus, cũ Christo imò in nobisipsis exultãtes, gratulãtes, promissam consolationem expectamus. Et quid restat præter Angelorum prędicationem?

Ephes. 1.

Ephes. 2.

Coll. 3.

Rom. 6.

Et hæc certè si rectè intelligeremus, de nobis idem dici pos-
Act.1. set, quod Lucas de Apostolis testatur, cùm ait: Tunc reuersi sunt Hierosolymã à mõte, qui vocatur Oliueti, qui est iuxta Ierusalẽ, sabbati habẽs iter, & manebant perseuerãtes vnanimiter in oratione. Hoc Apostoli audito angelorũ sermone fecerunt: & sanè illud ipsum præstare, ascensionẽ Dñi est celebrare. Quod si de nobis idẽ dici debet, vt æquũ est, an gelicus sermo prius audiendus ille est. Eum ipsum ergo, quàm licèt compendiosè explicemus, vt quilibet deinde nis cosentaneã meditetur secum. Principiò igitur nemo miretur, nec superfluum quid arbitretur, non solũ Apostolos atq; Euangelistas cùm ore tum scriptis Ascẽsionẽ Christi toti Christiano orbi prædicauisse, verũetiam Angelos, cœlestes illos spiritus, hominibus eam annũtiasse, idq; primũ omniũ, nec minũs quã cæteri hominum in resurgẽtis atq; ascendentis triũpho gauisos. Ratio eñ eáq; non vulgaris subest, cur hoc
Psalm.96. & fieret, & literis posteritati cõmẽdaretur. Quare enim pro
Hebr.1. Regis sui clarificatiõe angeli non exultarẽt? Annõ scriptura testatur, Et adorabũt eum oẽs angeli Dei? Et hoc Paulus de Christo interpretatur manifestissimè, quẽ tãtò angelis meliorẽ effectũ ostẽdit, quantò differentius præ illis nomẽ hæreditauit. Cũ ergo vt hominũ, ita & angelorũ Dñs est, cur nõ & hi in eius honore gauderẽt, quẽadmodũ & illi? Cur nõ & hominũ, hoc est, nostræ saluti cõgratularentur, sciẽtes q; ex
Hebr.1. nobis ipsorũ ruinæ implẽdæ sunt, & q; vna secũ fœlicitatis æternæ participes erimus? Quin & ipsorũ res agitur. Quinquã enim Paulus testetur, Christũ nusquã angelos, sed semẽ Abrahæ apprehendisse tamẽ & Angeli illius participes sunt gaudij, quod nobis in Christo saluatore nostro cõtigit. Primò enim omnis creaturæ aliquid habet homo. Habet náq; cõmune esse cum lapidibus, viuere cum arboribus, sentire cũ animãlibus, intelligere cum Angelis. Qñ ergo filius Dei humanam in se naturam assumpsit, factus homo, vtiq; & Angeli habẽt cur lætetur & gaudeat q; ille qui supra illos creator est cũ ipsis imò & inferior factus est: humiliauit enim se lõgè ab angelis. Deinde sit licèt ex quatuor elemẽtis homo cõpactus secundũ q; corporeus est secundũ animã: tñ perinde
Psalm.8. atq; angeli rationalis atq; immortalis est, eadẽq; hoĩs (secũ-
Cũ iudicio legẽda hæc. dũ animam) & Dei differẽtia est quæ alioqui inter angelicã atq; diuinã naturã traditur: nimirũ Deus ipse creator solus est, angeli atq; hominũ pars melior, animę, inquã, creaturæ

sunt

sunt. Tanta ergo naturę vicinitate nobis coniũctos, nobiscũ exultare, adeóq; primũ mortalibus immortalis Christi ascẽsione declarasse mirũ est? Cæterũ nec hoc ratiõe caret, quod albis amicti vestibus apparuerunt. Neq; enim quicquã præter gaudiũ iste color significat. Quanquam & alio quodam modo iste cãdor decebat angelos. Nõ enim vel peccato, vel impotẽtiæ, vel etiã morti subiecti sunt. Vnde mũda omnia, lucida, laráq; & pura circa illos sunt. Secus nostra fert conditio. Quo diu enim hic reptamus, nõ licet tã candidis amiciri vestibus, vt qui in sentina peccatorũ medij, infirmitatibus ac morte sumus obnoxij: spe tantùm & promissione futurũ credentes, vt ipsi quoq; candido amictu præfinito tempore sequamur Christũ: id quod fiet, cùm hic stolas nostras in agni sanguine lauantes, ipsum cruce quisq; sua in humeros assumpta secuti fuerimus. Verùm id hic narrare tẽpus non est, angelorũ potius responsa discutiamus, quorũ causa ista hæc pfatus sum, in quibus & summa suscepti versatur negotij. Et ipsa quidẽ quadripartiri licebit. Primũ quod referunt, est, Viri Galilæi. Hoc nomine Apostolos dignãtur Angeli. Nec his illis tẽporibus honoris titulus habebatur mũdo, ac honorificentius licuisset cõpellasse, cũ hac ipsa appellatione mundo essent ludibrio. A Nazaretz Galileæ ciuitate, põt aliquid boni esse, quærit Nathanaël. Sic & Nicodemo obiiciebãt quasi ignominiosum. Nũquid & tu Galilęus es? Hos deinde & alij secuti sunt, antéq; oẽs, perfidus Iulianus Apostata, qui Christũ, quẽ scelerate negauerat tyrãnus, ignominiæ causa, Galilæũ appellabat. Ne ergo hoc quasi ignominioso nomine quis scandalizetur, etiã angeli Apostolos cõpellant Galilæos, perinde ac si dicerent: Mundus quidem hoc opprobrio nobis fert nomen, sed ne propterea pusillanimes efficiamini, nolite erubescere: ecce enim Iesus ille, qui & ipse hac causa Galilæus nuncupatus est, videntibus vobis sursum cœlos ascendit. Si huic ignominiosa hæc (vt impij iudicant) compellatio nihil obfuit: nec vobis incommodabit. Nihil interest, siue Iudæa siue Galilęa, India vel Aethiopia, Roma an Hierosolyma oriũdi sitis. Non illi generis nobilitas in terris necessaria est, cui cœlum vltro apertum est. Sinite ergo suo mundum more lõqui, dum vult conuitiis impetat, exprobret, rideat: hæc vestris spes firma inhæreat animis, q̃ Iesus à quo nomen ducitis, in cœlis sedes viuit, & sup omnia regnat. Ecce hęc prima quoq; cõpel

Apoc. 2.

Ioan. 1.

Ioan. 7.

latione sua nos docent angeli. Addunt præterea: Quid statis aspicientes in cœlum? Quæ & ipsa permulta in se cõprehendũt. Primò sic explicari possunt: Quid stantes hoc factũ
Ioan.6. admiramini? Annõ futurũ hoc prædixit, Visuros vos Filiũ hominis ascendentẽ vbi erat prius? Annõ & in cœna sæpius
Ioan.14. repetitis verbis dixit: Quia vado ad patrem? Annõ & resur-
Ioan.20. rectionis suæ tẽpore dixit Magdalenæ, Ascendo ad Patrem meũ, & Patrẽ vestrũ: Nũquid & alia in ipso cõsideraſtis diui-
Matt.16. nitatis suæ opera, multa illa & magna miracula? Nunquid
Matth.17. ipsi vos filium eũ Dei viui confessi estis? Deniq; nũquid patris Dei de eo testimoniũ audiuistis, Hic est filius meus dilectus? Quod si homo ille tantũ, esset hoc quod vidistis dignum admiratione omniũ: at quia Deus, quid admiramini hæc vos vidisse in Deo? Deinde, Quid admiramini aspicientes in cœlũ? Rectè quidẽ cœlos suspicitis, nimirũ veram patriã vestrã: hactenus nũquã est auditũ, hominẽ propria virtu-
Gene.26. te ascẽdisse cœlos. Iacob quidẽ angelos nõ homines ascẽdẽ-
Gene.5. tes descendentes vidit. Tum etiã Enoch raptus legitur, sed
4.Reg.2. quo vectus, adhuc propè ignoratur. Sed & Eliã raptũ legimus. Verũ vt id faceret, igneo vsus est curru. Quanquã nec ipse in cœlos, sed in aëra aut quẽcũq; à Deo in hoc præparatum locũ assumptus est. Nemo enim ante Christũ ascẽdit.
Ioan.3. Nemo, inqt, ascẽdit in cœlũ, nisi qui descẽdit de cœlo. Hic viam præparauit, & vt in summa dicã, vsq; ad illud tempus nulli patebat cœli aditus. At nunc reseratũ illud esse hominibus quis miratur? Si descẽdere potuit Filius Dei, & ascendere cũ ipso poterũt homines. Quẽadmodũ enim impossibile atq; incredibile videbatur prioribus seculis vllũ posse cœlos ascendere hominẽ: ita etiã Dei filiũ descẽdere fuerat incredibile. Sed hoc factum esse nemo dubitat: & illud ergo fieri potest, Quid admiramini. Tertiò, non Prophetas, qui
Psal.109. hanc ascẽsionem prædixêre legistis? Quid ergo admiramini? Admirentur qui prophetas ignorãt, Gẽtes. Admirentur qui Prophetis fidẽ denegãt, Iudæi. Vos qui hæc nouistis & creditis, dedecet isthæc admiratio: decet verò exultatio, &
Psal.46. gratiarũ actio: imò verò manibus plaudite, vt Psalmista monet: Quia magnus & excelsus Dñs, Rex magnus super oẽm terrã. Quartò, Quid vltra quæritis, quid vultis? Annõ ad cõfirmãdam eam, quæ in vobis est, fidẽ, hæc ita vidisse sufficit? Quod firmius signũ quæritis? Iam antè se dominum terræ, maris, ventorũmq; demõstrauit: nũc quod vidistis, seipsum

& cœli

& cœli aeriſq; oſtendit dominũ. Quid ergo ſtatis? quid admiramini? Nõ nunc ſtandũ, nõ hæſitandũ eſt, ſed indubitatò credendũ eſt, Chriſtus ſequẽdus eſt, vtut hic mũdus obgẽniat. Tertiò deinde ſubiungunt angeli: Hic Ieſus qui aſſumptus eſt à vobis in cœlũ. Ecce, hæc tandẽ verè huic feſtiuitati conueniunt. Hic ipſe qui aſcẽdit, deſignatur. Hic Ieſus, inquiunt. Et hoc quod ſubdit, aſcẽſio ipſa eſt: Aſſumptus eſt. Et quid eſt, Hic Ieſus nõ alius? Qui deſcẽdit, ipſe eſt qui, & aſcẽdit. Cũ eſſet in forma Dei, nõ rapinã arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed formã ſerui accipiens in ſimilitudinẽ hominum factus eſt, &c. Quomodo aſcẽdit? Deus exaltauit illũ, & dedit illi nomẽ quod eſt ſuper omne nomẽ. Hic ergo Ieſus, nõ alius. Atq; hæc tibi ſigna quicũque Chriſtũ profiteris. Hic ille lapis quẽ reprobauerunt ædificantes, qui & in caput factus eſt anguli. Hic eſt, quẽ cõſtituit Deus iudicem viuorũ atq; mortuorũ. Huic teſtimoniũ perhibent oẽs Prophetæ, remiſſionẽ peccatorũ accipere per nomẽ eius quotquot credũt in eũ. Hæc ergo tertiò annuntiãt angeli. Poſtremò & reuerſurũ prædicant: id quod aptè & neceſſariò additum eſt. Ipſum enim factum hoc ornat, verámque cõſolationẽ affert: alioqui enim receſsiſſe eũ omninò relictis nobis cogitaſſemus, Minimè, inquiũt: iterũ veniet. Ad quid verò veniet? Audi ipſum qui veniet: Iterũ veniã & accipiã vos ad meipſum, vt vbi ego ſum, & vos ſitis. Hoc enim illud eſt, quod paſsione ſua nobis meruit; Pater ait, volo, vt vbi ego ſum, illic & ipſi ſint, quos dediſti mihi. Hæc ego toti mũdo prædixerũt & annuntiauerũt angeli, ne quis impatienter ferat, ſed cum magna fiducia hæc futura ſperet & expectet. Quin etiam impios hoc dicto terruerunt. Nam & his Chriſtus nõ ſeruator ſed arbiter veniet. Quibus ſignatè dicitur, Sic veniet. Tunc enim implebitur quod Iſaias propheta dixit: Domine, exaltetur manus tua vt non videãt: nimirũ diuinitatẽ tuã, ſiue charitatem. Nõ enim videbunt diuinitatẽ Dei alioqui & ipſi ſalui eſſent (Videre enim Deum, ipſa eſt beatitudo, & vita æterna) ſed humanitatem tantummodo ſi lij hominis, quã cõtempſerunt, deriſerunt, crucifixerunt & occiderunt: hanc, inquam, ſolam videbunt. Propterea addit: Videant & confundantur. Quid verò confuſionẽ eã ſequetur, mox ſubiũgit: Ignis hoſtes tuos deuoret. Sic enim iuſtus vix ſaluabitur, aut ſi angeli Euangelij præcones timebunt cùm ſubleuabitur Behemoth Diabolus, qui ita factus eſt

Act. 2.
Ephe. 4.
Philip. 2.
Act. 10.
Ioan. 14.
Ioan. 17.
Iſa. 26.
Ioan. 17.
1. Pet. 4.

Iob 41. & 40. vt nullum timeat, qui & Rex super filios impietatis, videntibus cunctis præcipitabitur, impij & peccatores vbi comparebũt: Ecce hoc impijs annũtiauerũt Angeli. Et huc pertinet quod Dauid ait: Ascendit Dominus in iubilo: nimirũ propter pios, & Dominus in voce tubæ: propter impios, quibus mox iudicij nouissimi sententia in sempiternã damnationem denuntiabitur. Quisquis ergo es pie atque ingenuè Christianus, his temet consolare verbis in quacũque tandem laboras aduersitate, dic intra temetipsum. En Dominꝰ meus & Saluator Christus oculos quidẽ meos ascendẽs effugit ne nũc videã, at reuertetur idem ad me scio, & accipiens me ad seipsum liberabit me. Contrà quisquis in ipsum deliquisti, serio hæc tibi dicta pura: Sic veniet. Tacet quidem nunc, sed nũquid in æternum silebit: Vt agnus passus est, nihilominus vt leo à Ioãne visus est. Postremò hæc ipsa verba vnicuique nostrum incitamenta sint, ad perstandum studiosiùs pro sua quemque vocatione, intelligentes nimirum reuersurum Christum: vigilandum est, vt digni vocatione nostra inueniamur: cogitandũ est, qua ratione calculus accepti ac dati duci possit: an possumus cũ decẽ millibus occurrere ei, qui cũ viginti millibus venit ad nos. Ecce hæc illa angelorum de hac solennitate prædicatio prima est. Equidem omnibus posse satisfacere eam arbitror, si nobiscum ea de re libet tractare fusiùs. Gratia Dei nobiscum, Amen.

Psal. 46.

Esa. 42.

Apoc. 5.

Luc. 14.

SERMO NONVS.

VNicũ atque adeò minutũ in hoc Euangelio, & ipsum in fine est verbum, quo causa & origo huius tãtæ solennitatis innuitur: Dominus Iesus, ait Marcus Euãgelista, postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum, & sedet à dextris Dei. Hoc, inquam, verbo causa docetur, cur hunc diem solẽnem agimus. Præclarum sanè verbum: quod qui diligẽtiùs considerat, non habebit, cur postpositis omnibus aliis hunc festum diem peragamus miretur. De sola enim ascẽsione & loquimur, & canimus, & prædicamus hodie. Quin nec his contenti, etiam externis quibusdam, quantum licet, cæremoniis ipsum factum omnium oculis exponimus, quę qui nõ intelligit, certè admirabitur. At nobis non licet ignorare, permultum in re esse nostra, Christũ dominum cœlos ascendisse. Philosophorum alij de naturis rerũ scripserunt, natura & effectus singulorũ demonstrãtes, alij magno labore magnáque industria, quæ præter naturã in huius mundi

Marc. 16.

theatro facta sunt perquisierunt, & prodiderunt literis. At sacra Scriptura maxima habet miracula, eáque optima fide prodidit. Nihil tamen in omnibus voluminibus eius perinde nouũ, insuetum, miraculosum: nihil etiam æquè magnũ & excellens, atque ist hæc Marci verba, inuenitur: nẽpe quibus Christum assumptũ esse in cœlũ & à dextris Dei sedere testatur. Nõ huic simile quid vlla alicubi tradit historia, vnũ creaturarũ omniũ iam inde ab origine rerum existentiũ superat potentiam: à seculo non est auditũ tale quid: omnium istud miraculorum est miraculum. Annon hæc aspicere, an nõ turmatim accurrere, de his loqui atque meditari summa voluptas est, maximè cũ non possumus ignorare tot attestãtibus Scripturæ eloquiis, quam spem futuræ adferat vitæ? Non hac parte dormitauerunt qui ante nos fuerunt Patres. Quot enim & quantæ pietatis sermones, cantiones, meditationes, precésque in hanc solennitatem cõposuêre, in eáque vsi sunt? Nam & nunc legentibus, audientibus, atque considerantibus nobis, maximam consolationem adferunt. Id quod non obscurè ostendit, & ipsis ingentem spem hoc Christi factum attulisse. Tum etiam cæremoniæ docent, quàm laborauerint eadem omnibus inculcare, pueris atque rudibus. Propterea enim nõ solùm verbis, sed externis etiã vsi sunt ritibus. Hinc hodierna processio, hinc etiã quod alicubi quomodo ascẽderit Christus repræsentatur, est. Nostro quidem seculo hæc lusus & ioculatoria iudicãtur. Sed haud dubiè tantum proderũt tamen iuuentuti, quãtum ob oculos quædam de picta & inculcata ferè, vnde parum admodũ pietatis, nullus verò Dei timor, imò certè omnis pertinacia, omniſque lenitas addiscitur. Non est præter morem, credite, nec verò lusus aut iocus æstimandus est, quòd verbo Dei nõ nulla coniũgũtur alia, quibus simplices ad iustitiæ & timoris Dei perseuerantiã attrahantur. Tenremus licèt omnia, adhuc tamen vix in officio suo iuuentus retinebitur. Nemo erit suo qui sermone apud omnes efficiat omnia. Nam vel luce hac clarius est, vulgus hominum sublatis è medio cæremoniis, nec verbi prædicationem magni facere. Infirmorũ, fratres, habenda est etiã cura. Quia ratione simplicibus, rudibus, ac iuuentuti subueniri possit, cogitandũ est. Quòd si tibi lectio, aut auditus sermo sufficit, sunt alij quibus in negotio salutis non solùm verbis, verũetiam figuris quibusdã externis cõsulendũ est: quin nec sic quibusdã ferè inculcari

possunt. Et hæc ideò dixisse me volo intelligi, vt veterũ cõsuetudinẽ videamus, qui si quando ad fidei aliquẽ articulũ ventum esset, hunc accuratè acquisitéque scrutabãtur, sibique infigebant altissimè. Iã verò in fidei articulis præcipuis hæc est ascensio: eò igitur maior adhibẽda est diligentia, vt omnibus inculcetur, ab omnibus & credatur & perfectè intelligatur. Quò enim perfectiùs intelligitur, eo maior inde consolatio percipitur: imò vbi non intelligitur, periculum est, ne in ipsum impingatur. Cuius sanè rei iudicium est, q̃ nostro seculo sint, qui Christũ corporaliter & substantialiter inesse sacramento altaris, minimè concedant. Equidẽ hi magnã erroris sui partẽ ex huius articuli deprauato intellectu cõcepêre. Christus, inquiunt, ascendit ad cœlos, & sedet à dextris Dei, nõ igitur in Sacraméto hoc est. Vnde verò eiusmodi argumẽta, nisi ex carnali intellectu quodã cũ minimè quomodo cœlos ascẽderit Christus intelligãt? Fusiùs ergo aliquãto de hoc me articulo dicere oportet, vt vulgus eò rectiꝰ agnoscãt, quantũ nostra in hoc articulo interfit, altiúsque reposito vtãtur melius. Primò igitur quod Marcus ait, assumptum esse Christum, non intelligendum est, quasi nõ propria ascenderit virtute, sed alterius auxilio vsus sit. Lõgissimè differt Christi assumptio ab Enoch, Eliæ, Pauli, nostráque raptura. De Enoch dicit Scriptura: quia trãstulit eũ Dominus. Eliam currus igneus & equi igneꝰ tulerunt. Paulus raptus est. Lazarus ab angelis in sinum Abrahæ portatus est. Luc. 16. Apostolis Christus ait, Veniam & accipiam vos ad meipsum. De nobis Paulus loquitur: Nos inquit, qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obuiã Christo in aera. Et vt in summa dicã, quisquis nostrũ cœlos desiderat ingredi, alieno eget adiumẽto. Solus Christus sua virtute cœlos ingressus est. Licèt enim Marc⁹ non ita clarè id exprimat: alibi tamẽ demõstratur apertiùs. vt cùm Christus ipse ait: Ascendo ad Patrem meũ & Patrẽ vestrum. Et, Exiui à Patre, & veni in mundũ: iterũ relinquo mundũ, & vado ad Patrem. Hoc igitur fundamentũ nostrũ est, Christũ propria virtute ascẽdisse. Neque enim quicquã aut exiguũ spei adferret, si ad hoc angelis, nubibus aut curru vsus fuisset necessariò vt Elias, & alij fecêre. At quod propria sua virtute & potẽtia ascẽdit, plenũ spei & cõsolationis est. Etenim homine, quem assumpsit, præstantiore esse firmissimè cõfirmat, imò & maius quid, quàm vel Enoch, vel Elias, vel Paul⁹, vel oés possit, quin ipsum Dei certissimũ es-

Gen. 5. 4. Reg. 2. 2. Cor. 12. Ioan. 14. 1. Thes. 4. Ioan. 20. Ioan. 16.

filium conuincit. Agè ergo, confidentiùs in ipſum inniti mi
núſq; hæſitare oportet, q̃ nos quoque Deo in cœleſti & ſem
piterno regno poſsit offerre. Ecce hæc omnia comprehendi
mus, cùm dicimus: Aſcẽdit ad cœlos. Nõ aũt aſſumptus, ſub
uectus, aut raptus eſt: illud enim minus ſatisfaceret nobis,
poſſemúſq; non maiorẽ Enoch vel Elia, aut Paulo æſtimare
Chriſtũ. Sed quę nobis ex eo cõmoditas, ſi nec p̃ſtãtior nec
maioris virtutis eſt Chriſtus? Quomodo ipſe egens auxilio
nos ad cœlos poſſet inferre? Omnis ſanè & ſpes & fides no-
ſtra vana eſſet. Nõ igitur illud ſolũ conſiderãdũ eſt quod in
Marco legimus. Aſſumptus eſt: verùm illud etiã quod Chri *Mar. 16.*
ſtus ipſe ait: Aſcẽdo ad Patrẽ meũ, & Patrẽ veſtrũ. Quod em̃ *Ioan. 20.*
illic deeſt, hic ſuppletur. Vtrũq; tamen à vero nõ abeſt. Se-
cundũ humanitatẽ enim aſſumptus eſt, & ſecundũ diuinita
tem aſcendit. Eſt ergo primum hoc quod in aſcẽſione conſi
derandũ eſt: fundamentũ, inquã, eſt, in quod cætera extruun
tur omnia. Deinde etiã illæ dictiones, aſcendit, & ſedet, cõ-
muni non ſunt intelligẽda ſignificatione. Nobis enim, aſcẽ
dere, pro ſuæ ſignificationis impoſitione, eſt motus localis.
Vt ſi dicerem, Cæſar Colonia Spirã aſcendit; hoc dico, q̃ Cæ
ſar illum inferiorẽ locũ reliquit, & peruenit in ſuperiorem.
Simul enim vtrobíque eſſe nõ poteſt, & ſi Spiræ eſſe voluc-
rit, Coloniam relinquat neceſſe eſt. Non ita Chriſti aſcẽſio
intelligenda eſt. Quanquam enim è cœlo venit, non tamen
propterea cœlũ reliquit. Nam & in terris cùm eſſet, in cœ-
lis tamen eſſe ſe palàm aſſeruit. Nemo, inquit, aſcẽdit in cœ *Ioan. 3.*
lum, niſi qui deſcẽdit de cœlo, Filius hominis, qui eſt in cœ
lo. Ecce in terra hæc loquitur: & qui loquebatur in cœlis eſ
ſe ſe teſtabatur. Eadem ratione cœlos aſcendit, non tamen
ideò terram reliquit, imò cùm iam aſcenderet, ad diſcipulos
ait: Ecce vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi. *Matth. 28.*
Non eget motu, quemadmodum nos, qui Deus eſt. vbique
enim præſens eſt, vt in Hieremia teſtatur. Sed & cœlum illi *Hiere. 23.*
ſedes eſt, & terra ſcabellum pedum eius. Et hic aduerte. Nõ *Iſa. 66.*
dicit: Pars cœli mihi ſedes eſt & pars terræ: ſed vbicúnque
cœlum eſt, ibi mihi ſedes: vbicúnque terra eſt, pedum meo-
rum ſcabellũ eſt. Hinc eſt quod Dauid ait. Si aſcẽdero in cœ *Pſal. 138.*
lum, tu illic es: ſi deſcẽdero ad infernũ, ades. Hinc & Paulus *Act. 18.*
ait: Deũ nõ longè eſſe ab vnoquoque noſtrum. In ipſo enim
viuimus & mouemur, & ſumus. Iam verò ſupra priore parte
dictum eſt, Chriſtũ non ſolùm hominẽ, ſed & Deũ eſſe. Et

ipſum

ipsum quidē magnificè declarauit, cùm cœlos ascendit. Cū ergo Deus ipse est, certè nō eo modo cœlos ascendit, vt amplius in terra non esset. Quomodo priùs è cœlo descēderit cogita, & qua ratione nunc sit in cœlis, intelliges. Testatur
Ioan.16. ipse in Scripturis exiuisse se è cœlo in mundū, nō quidē eo sensu, quasi antea nō fuisset in terra. Nā Ioannes apertè ait,
Ioan.1. In mūdo erat, & mūdus per ipsum factus est, & mundus eū non cognouit. Ita nunc quoque mundum reliquit: non vt in mundo non sit, sed quod mundo visibilem præsentiā suam subtraxerit. Quemadmodū ergo introitus illius in mūdum aliud nihil erat, quàm quòd visibilē se exhibebat, qui prius etiam inuisibili quodāmodo in terris erat: ita recessus eius è mundo aliud nihil est, quàm quòd visibilē præsentiā mundo subtraxit, licet nihilominus in mundo sit atque permaneat, ipsum mundum regat atq; conseruet, quemadmodum ab initio fecit. Et quemadmodū descensio eius è cœlo aliud nihil est, quàm quòd semetipsum exinaniuit: ita ascensio ipsius nihil aliud est, quàm quòd deposita à se forma serui omnipotentem se Deū ostendit, qualis ab initio fuerat. Ascen
Ephe.1. sio igitur Christi, secundū diuinitatem, nihil præter glorifi
Matth.28. cationem & clarificationē ipsius est: secūdū humanitatē vero nihil aliud, nisi quia & ipsa humanitas super omnes prin
Phil.2. cipatus, virtutes, potestatesq; exaltata est, & potestatē accepit in cœlo & in terra, adepta nomen, quod est super omne nomen, ita vt etiā humanitati Christi Deo coniūctæ omne genu flectatur, cœlestium, terrestriū, & infernorum. Ecce, fratres, quæ nobis mysteria vnico illo verbo manifestantur, quod dicimus, Ascendit. Idem de secunda parte licebit dicere, qua credentes confitemur, Sedet à dextris Dei. Nam hic cogitationes humanæ tacent omnes: minimè corporeus fingendus est Deus, qui vel sinistram vel dextram habeat, qui ipse sella sedens, Christū dexterum iuxta se habeat. Minimè inquam, talis fingendus est Deus. Ipse enim spiritus est, corpus non habens, eóque nec sinistram nec dextrā. Loquitur
Ioan.4. autem scriptura humano more de Deo: nō quia sit, sed quod tardiores & crassiores ingeniis, nisi per res, quibus assueuimus, quæ quotidie videmus, audimus, & tangimus, nihil de Deo intelligimus. Longè sanè alia res est in Deo, quòd nos dicimus, sedere ad dextram. Illius enim sedere aliud nihil est, quàm Iudicem atque Dominum esse omnium, & hominum & creaturarum. Dextra eius nihil est, præter omnipotentiam

tentiam suam. Sic enim scriptura ait, Nunquid dextera mea hæc fecit omnia? Et, Dextera Domini fecit virtutē, dextera Domini exaltauit me. Et in cantico suo Maria, Fecit potentiam in brachio suo. Et ad Israelē Dominus, In brachio extento educam vos. Quoquo igitur omnipotētia Dei sese extendit, eò etiam dextera ipsius attingit. Si quando igitur dicimus, Christus à dextris Dei sedet; hoc volumus, q Christus æqualis atq; adeò eiusdem cum Patre sit potentiæ, & vsque ad fines regni Dei, Christi se protēdat maiestas. Idipsum verò & humanitati eius tribuitur, quæ diuinitati coniuncta, vbiq; regnat & dominatur, in cœlo, & in terra, in mari, in morte, atque in inferno. Hoc ergo est sedere à dextris Dei. Vbi vero argumentū illorum: Christus sedet à dextris Dei, ergo in sacramento esse non est possibile? Ecce quod nihil aliud sit quàm huius articuli deprauatus intellectus, ex sensu carnali procedens. Equidē contrarium asserens dico, ideò in sacramēto esse, quòd à dextris sedet, nulla certior hac demōstratio inueniri facilè poterit. Est enim dextera Dei omnipotentia virtutis eius, quemadmodum suprà dictum est. Si ergo etiam secundū hominem Christus à dextris Dei sedet, vtique in sacramento esse potest, imò nisi à dextris eo modo sederet, in sacramento esse non posset, quemadmodū nos simul eodem tempore in multis locis esse nō possumus. Ex his igitur, opinor, facile est videre quid sit, Christū ascēdisse cœlos, & quam illa res mortalibus spem adferat. Qui enim in corde suo credit, quòd Christus ad cœlos ascendit, & à dextris Dei sedet, vti dictum esse memini; hic sanè credit primò, Christum verè esse Deū, qui propria virtute cœlos penetrare potuit. secundò, datam illi potestatem esse in cœlo & in terra, propterea quòd à dextris Dei sedet. tertiò, quòd Dominus sit omnium, eò quòd aer atque nubes suum obtulerunt officium. quartò, quòd redemptor ipse noster sit, quia naturam nostram secum ad cœlos extulit. quintò, quòd patronus, siue aduocatus & mediator noster sit apud Patrē: propterea quòd consummato sacrificio: introiuit in Sancta sempiterna, non irrationabilium sanguine, sed sanctæ passionis suæ merito. Postremò, quòd & nos cœlos ingressuri simus, eo quod caput nostrum illuc introiuit, & cœlum possidet. Ecce, omnia hæc credimus, quia eadem sua Christus ascēsione tanquam firmissima demonstratione confirmauit. Quid ergo hac fide homini Christiano posset obtingere iucundius?

Psalm. 117. Luc. 2. Hebr. 9.

cundius? Aut in quo deficiet? Aut etiã quis lædet hæc omnia credentem? Quid Paulum Apoſtolum tanta armauit confidentia in tot tantiſque periculis gloriantem, niſi quia verè
Rom.8. dicere potuit, Deus pro nobis, quis contra nos? Chriſtus qui iuſtificat nos, quis eſt qui condemnet? Chriſtus qui interpellat pro nobis apud Patrem, quis accuſabit? Vnde eidem Paulo
2.Cor.2. ſpes tam certa, qua obfirmatus dicere auſus fuit, Scimus, quoniã ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluatur, quòd ædificationem ex Deo habeamus? Et iterum,
2.Timo.4. Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus iuſtus iudex. Et cũ Iſaia, Non oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus di-
Iſa.64. Epheſ.2. ligentibus ſe. Vnde, inquam, Paulo fiducia tanta, niſi quòd dicere potuit, Deus qui diues eſt in miſericordia, conreſuſcitauit nos Chriſto, & communicauit, & conſedere fecit in cœleſtibus? Quid deſiderium illud eius moriẽdi, imò etiam pro Chriſti nomine patiendi excitauit in ipſo, niſi quia dice-
Phil.1. re potuit, Mihi viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum? Et ite-
2.Cor.1. rum, Si compatimur, ſimul etiam cum ipſo viuemus? Vide ergo quantus bonorum cumulus, ex hoc Chriſti aſcenſionis articulo confertur. Neque enim poſſe fieri arbitror, vt vlla in hoc toto orbe res credentem poſsit ſolicitare aut terrere, qui verè & ex animo dicere poſsit, Credo Chriſtum Ieſum aſcendiſſe ad cœlos, & ad dexteram Dei ſedere. Sanè nõ cauſa vel occaſione ſpei, ſed hoc tantum deficimus, quòd bonum oblatum non curamus, non quærimus, non conſideramus. Ecce igitur explicatum vobis de Chriſti aſcenſiõe articulum, quis eius fructus ſit, atque ſperari etiamnum poſſit. Hîc iam primũ requiritur fides: ſed non ſola, quin exemplum nobis Chriſti erit aſcenſio. Quæris quomodo? Si cum Chriſto cœlos aſcendere delectat, vt noſmet præparemus ſicut & Chriſtus præparauit ſe, neceſſe eſt. Hanc ob rem præſens intuere Euangelium, quid Chriſtus prius quàm cœlos aſcenderet, in terris fecit, conſidera: qua ille via in gloriam
Act.1. & regnum ſuum peruenerit, diligenter examina. Primò igi-
Luca.17. tur Lucas teſtatur, dicens, Cœpit Ieſus facere & docere: idq; ipſe Chriſtus vult, cùm ait, Pater, manifeſtaui nomen tuum hominibus. Ego te glorificaui ſuper terrã, opus conſummaui, quod dediſti mihi vt faciam. Ecce hìc quomodo primùm itinera cælum verſus tu tuáq; diſponenda ſunt. Si cum Chriſto aſcendere cupis, ante omnia des operã, vt opus Dei conſummes,

ſummes,in eóq; ad finem vſque perſeueres. Et huc reſpicit, quòd Chriſtus diſcipulos ſuos in Bethaniã, id eſt, in domũ obedientiæ,eduxit. Hinc cœlos conſcẽdere decet. Et hic ſanè mox inſufficientia noſtra ſeſe aperit. Omnes quidem cœlos aſcendere delectat,ſed nemo voluntatẽ Dei implere laborat,à peccatis exurgere nemo curat. Sed quid Chriſtus ait? Non omnis qui dicit mihi Domine Domine,intrabit in regnum cœlorum ſed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt,ipſe intrabit in regnum cœlorum. Sit ergo hoc primum. Deinde idem Euangeliũ teſtatur Chriſtũ paſſum eſſe,crucem baiulaſſe,in cruce denique mortuũ eſſe. Diſſuadere hoc ne faceret,Petrus voluit: ſed audit, Vade retro Satana:ſcandalum mihi es,non ſapis ea quæ ſunt Dei. Et hoc ſecundum. Si cõ Chriſto patimur & conregnabimus. Qui nõ tollit crucem ſuam,& ſequitur Chriſtum, ad gloriam eius nõ perueniet,imò nec dignus eſt Chriſto Domino. Vos eſtis qui mecum permanſiſtis in tentationibus meis, ideò vado diſponere vobis locum in regno meo,ad diſcipulos loquens ait. Tertiò,etſi Chriſtus Patris voluntatem impleuiſſet, tũ etiam crucis ignominiã,ac mortem perpeſſus fuiſſet, eóq; de ſua certus eſſet gloria: tamen expetit eam dicens,Pater, venit hora,clarifica filium tuum. Ergo igitur & nobis precandum eſt,Pater libera nos à malo: &, Adueniat regnum tuum: id ergo rurſus noſtram arguit negligentiam,qui tam certò nobis pollicemur cœlum, vt nec orandũ propterea arbitremur,nõ ignoremus licet Chriſtum, vt clarificaretur à Patre petiiſſe. Quartò,cum diſcipulis ſuis conueſcẽs diſcubuit,antequam aſcenderet. Et quid, niſi fraternam charitatem commẽdare voluit? O commodum compendium cœli ardua petenti,qui ſe in fraternæ dilectionis atq; miſericordiæ operibus ſtudioſũ exhibuit. Facite,inquit Chriſtus, vobis amicos de mãmona iniquitatis, vt cùm feceritis, recipiãt vos in æterna tabernacula. Qui ſeminat in benedictionibus,inquit Paulus,de benedictionib⁹ & metet. Beati miſericordes,quoniã ipſi miſericordiã cõſequẽt. Quicũq; Chriſtũ in mẽbris ſuis pauperibus nõ agnoſcit, eóſq; nec curat, nec ſolat,nũquã cœli ingredieẽt limẽ,ſed cũ impiis omnib⁹ in ignẽ detrudetur æternũ. Atq; hac cauſa diſcipulos ſuos in mõtẽ Oliueti eduxit Chriſtus,& de mõte ipſo cœlos aſcẽdit. Nimirũ oleo admonerẽtur dilectionis & miſericordiæ, qua ipſe in finẽ vſq; dilexit ſuos,quos in mundo dilexit: et-

Luc.14.
Matth.7.
Matth.16.
2.Cor.1.
Matth.10.
Luc.22.
Ioan.17.
Matth.6.
Act.1.
Luc.16.
2.Cor.9.
Matth.5.
Luc.24.
Ioan.13.

ſicque

ſétque illis ob oculos poſitum quòd imitarétur exemplum. Vnum adhuc reſtat, quod, Luca teſte, recedēs diſcipulis ſuis
Act.1. mandauit. Nempe ab Hieroſolymis ne diſcederēt, ſed expectarent promiſſum Patris. Idipſum nobis quoque dictū eſſe arbitrabimur, qui ſi in hac vita Spiritū ſanctū inhabitatorē mētis habere volumus, ſi cum Chriſto ſurſum aſcendere cupimus, in catholica ſanctáque Chriſtianorum Eccleſia perſeuerandum eſt. Extra hanc enim ſalus non eſt, nulláq; cœ-
Ioan.3. li ſemita eſt. Nemo aſcēdit in cœlū prēter Chriſtū. Chriſtus verò eiúſque Eccleſia vnum corpus ſunt. Quicúnque ergo vel minimū in hoc corpore mēbrū eſt, ſine dubio ad cœlos perueniet. At ſi quis ex hoc *ipſo* corpore defecerit, nunquā ad cœli ianuam perueniet. Ex his iam conſidera quæ eorum ſit dementia, qui ſe vltro ab Eccleſia diuidunt, propterea quòd nonnullam in ea zizaniam conſiderant. In operibus, in doctrina, hypocriſis in diuinis officiis, cęremoniarum abuſus, vitæ impietas, infœlix illud lolium ſunt, quod totum
Matth.13. percreſcens agrum operuit. Sed quid nobis faciendum eſt? Vna vice ſimul extirpari nequit. Agè igitur quod potes præſta: quod reliquum erit ſine ad meſſem vſq; creſcat, ne propter ea ipſum agrum deſeras: vt bonum ſemen inſeras incumbe, ad Dominum querelam tuam effunde, dic cum
Act.1. Apoſtolis, Domine, nunquid in tempore iſto reſtitues regnum Iſraēl? Illi quidem ex ignorantia iſthæc quærebant, at nobis optima eadem fide licebit dicere. Non enim ignoramus hanc ab initio voluntatem Dei fuiſſe, omnia inſtaurare: imò id iam olim feciſſe nouimus. Primò enim angelorum numerum compleuit. Tum etiam ita in terris regnum Dei diſpoſuit, vt in omni loco Deus honorificaretur. Sed labefactatum eſt nunc: eò igitur ardentius orandū eſt Chriſtus, vt reſtituat. Hæc ergo illa ipſa ſunt, circa quæ piorum mētes hodie occupātur. Gratia Dei nobiſcū, Amē.

SERMO DECIMVS.

Marc.16. CVm Euangelio hodierno, in quo Marcus honorificæ aſcenſionis Chriſti licèt ſuccinctè meminit, ſimul etiam
Act.1. Epiſtolæ loco nobis lectum eſt hodie, quid Lucas de eadem perſcripſit. His deinde eiuſmodi Eccleſia orationem addit, dicens: *Concede quæſumus omnipotens Deus, vt qui hodierna die vnigenitum tuum redemptorem noſtrum ad cœlos aſcēdiſſe credimus, ipſi quoq; mēte in cœleſtibus habitemus.* Hoc modo Eccle-

ſia

ſia iuxta glorioſam atq; triumphalem Domini aſcẽſionem nos precari docet hodie. Si quis igitur hæc tria, Euãgelium, Epiſtolam, & Eccleſiæ orationem ſimul coniunxerit: hic ſanè quod hodie meditetur & faciat, habebit abundè, vtrúque magno ſuo commodo. Neque verò lætius iucundiúſque quicquam cogitare poſſumus, quàm Chriſtum aſcendiſſe ad cœlos, & ad dextram ſedere Dei patris. Tum nec vtilius quicquam precari poſſumus, niſi vt & nos mente atque affectu in cœlis habitemus, dum mortali hoc corpore indu ti, neceſſariò hîc in terris circumagimur. Teſtantur Eſra & Nehemias magno olim deſiderio Iudæorum gentem, quæ aliquandiu in Babylonica captiuitate tenebatur, erga terrenum Ieruſalem, patriam nimirum ſuam, affectum fuiſſe, & tandem manumiſſos ingenti pietate ac turmatim eandem repetiiſſe, ibi multa inſtauraſſe, quæ ad gloriam illius vrbis pertinere videbantur, nec quicquam ita primum habuiſſe: quantò magis igitur nos decet circa cœleſtẽ Ieruſalem affici, præcipuè verò & maximè hac die. Illuc enim hæc ſolennitas quaſi digito monſtrans reſpicere monet. Quin etiam propterea viſibilis atq; oculis ſuorũ conſpicuus cœlos aſcendit, vt quò animi dirigẽdi deinceps eſſent, intelligerent. Et ipſi quidem ſtantes in cœlũ conuerſis oculis, aſpiciebãt, periucundum ſpectaculum, ſed non diuturnum contuebantur. Nubes enim eum ſuſcepit ab oculis eorũ. Corporeis ad cœlum ſuſcipere oculis, nihil, aut parum, ad rem facit: ſed animum cogitationésq; cœlis inferre, hoc tandem vtile eſt, cõſolatur, deſiderium excitat, à terrenis omnibus abſtrahit. Id quod Paulus docens ait, Si cum Chriſto reſurrexiſtis, quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens. Idem & Eccleſia precari hodie docet, nec immeritò. Vbi enim theſaurus noſter eſt, ibi eſt & cor noſtrum: vbi caput, eò ſuſpirant & reliqua membra. Sed hoc præſtare precibus à Deo obtinẽdum erit. Corpus enim quod corrumpitur, aggrauat animam deprimítq; ſenſus: eóque cœleſti nobis auxilio opus eſt, ſine quo nunquã à terrenis his auellimur. Trahe me poſt te (alibi dilecta diligénsq; anima loquitur) curremus in odore vnguentorũ tuorũ. Quis dabit mihi pẽnas ſicut columbæ, & volabo & requieſcam? Dauid ait: Vnã petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. Quàm dilecta tabernacula tua Domine, Domine virtutum cõcupiſcit & deficit anima mea

Act. 1.

Col. 3.

Sapien. 9.

Cant. 1.

Pſal. 26.

Pſal. 138.

in atria Dñi. Idipsum ergo animis in cœlesti ib⁹ habitare est. Dauid verò apud Deũ, vt id posset exorauit. Vnde ipsum sequamur æquissimũ est. Sitq; hoc in genere dictũ, vt quid hodie facto opus sit, intelligant omnes. Prudẽtibus quidẽ hæc dixisse me sufficeret: sed necesse est fusiùs Christi ascensionẽ pertractem atq; veluti coloribus suis depingã, vt simplices eò studiosiùs hodie pietati incumbant, festãmq; diem hanc, vt æquum est, sanctiùs peragant. Est enim in præcipuis anni festiuitatibus hęc celebris, & fidei articulus est Christi ascensio, & eiusmodi planè, qui si iusta consideratione examinatur, permultũ consolationis & spei adferat. Aliquid ergo ea de re dicendũ mihi est. Nam & superioribus annis, vt æquũ erat, nonnihil in eadẽ materia laboraui. Vtinã hunc ipsum aliósq; fidei nostræ articulos sæpiùs ac maiori diligẽtia meditaremur. Essent enim vita morésque nostri magis pij, & Christianæ puritati cõuncti ores, quàm nunc sunt. Sed hęc missa facio, & quid de ascensione Christi sentiendũ sit pernestigabo. Sic Marcus habet, Dominus quidem Iesus postquàm locutus est eis, assumptus est in cœlum, & sedet à dextris Dei. Hic fidei ille articulus. Christus est qui ascendit, & ipse quidem solus potuit. Qui descendit, inquit Paulus, ipse est qui & ascendit. Nemo ascendit ad cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo, ipso teste q ascendit. Fuerunt quidã qui idem conati sunt, sed infœliciſsimè hæc illis alea cecidit, grauiùs lapsi, terribiliúsque præcipitati. Angelus quidem è cœlo ad inferni abyssum, homo è paradiso in vallem lachrymarum. De solo Christo dici potest, extensis in cœlum ascendisse brachiis. In qua sanè ascensione tria cõsideranda sunt: nempè, quò ascendit, & quare, tum etiam quo tempore. quorũ primum gloriam clarificationis Christi: secundum, vtilitatẽ & fructus inde nascentes: tertiũ verò, qua ratiõe nos præparabimus ad cœlestẽ viã traosceundam, docebit. Et hæc omnia diligentẽ indagationẽ requirunt. Quod ad primũ, iam nunc audiuistis duobus testantibus Euangelistis, quò ascenderit. Marcus enim assumptum esse cõmemorat. Lucas verò eleuatũ esse, tum in Euangelio suo recessisse testatur. Vbique verò cœli fit mentio. Marcus etiã dextrã Dei addit: id quod multò excellentius est, quàm cœlum. Paulus sanè multis in locis hęc omnia tradit, vt cùm ait, Deus exaltauit illũ, & donauit illi nomẽ quod est super omne nomẽ, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terre-

Marc. 16.
Ephes. 4.
Ioan. 3.
Marc. 16.
Act. 4.
Luc. 24.
Phil. 2.

stium,terrestrium & infernorum.Ecce hoc est sedere à dextris Dei,exaltatum esse super omnia, nomen habere, quod sit super omne nomen,& in sua potentia cõtinere quicquid in cœlo,in terra,& subtus terram est,& q; omnis lingua cõfiteatur,quia Dominus Iesus in gloria Dei est patris. Idem in ea quã ad Ephesios scribit Epistola,eadem ferè, licèt verbis nonnihil mutatis,asserit dicens, Constituens eum Deus ad dextram suam in cœlestibus,supra omnem principatum & potestatem,& virtutẽ,& dominationẽ, & omne nomen quod nominatur,non solùm in hoc sæculo,sed etiam in futuro,& omnia subiecit sub pedibus eius. Et ad Hebræos scribens ait: Sedet (Christus) ad dextram maiestatis in excelsis,tantò melior angelis effectus,quantò differentius prę illis nomen hæreditauit. His aliisq; id genus Scripturæ locis intelligere licet, quid significemus, cùm dicimus, Christus sedet à dextris Dei. Complectitur enim in se summã atque omnipotentem Dei virtutem. A dextris enim sedere, etiam apud homines,locus honoratior est,sed apud Deũ est,æquali diuinæ virtutis omnipotentia,imperio & regno præesse, Quid ergo honorificẽtiùs de Christo dici potest, nisi sedere eum à Dextris Dei in cœlestibus? Quid iucũdiùs nobis dici posset, quid obtingere lætius? Quo enim ille sedet sublimiùs, eò firmior nostra fides est, eò spes atq; fiducia nostra maior est,ea cõmodius & melius nobis auxilio esse potest, eò etiã audentiùs eum inuocamus, O Rex gloriæ,qui triumphator hodie super omnes cœlos ascendisti, ne derelinquas nos orphanos,sed mitte promissum patris in nos Spiritũ veritatis. Est ergo hoc primũ,quod in Christi hodie considerandum est ascensione: nempè q; ad cœlos ascẽderit,in quo glorificationis ipsius magnitudo cõmendatur. Deindè verò hoc etiã cogitandũ est,cur ascẽderit,id est, quis ascensionis eius fructus sit. Et huius rei duas rationes Apostolus tradit. Prima,vt adimpleret omnia: altera,vt appareret apud Patrẽ pro nobis. His rebus ascensio eius cõmodauit,imò etiam nũ cõmodat. Primò,vt dictũ est, adimpleuit omnia. Nam per hanc declarauit potestatẽ habere se omniũ terræ,maris,omnium infirmitatũ atq; morborũ,spirituum nequã,nec horũ solũ,verumetiã aëris atq; adeò ipsius cœli. Hec sensu omnia adimpleuisse dicitur. Sed & hoc ostendit sua ascensione, q credentibus velit posítque adesse simul omnibus. Si enim in terris hîc hæsisset: vno tantùm in loco videretur prę sens.

Ephes.1.

Hebr.1.

Ephes.4.

Quia verò cœlos aſcendit, atq; à dextris Dei ſedet, vbiq; ſimul adeſt eadem vicinitate omnibus, & ſic implet omnia. Præterea etiam alio ſenſu hoc poteſt intelligi. Priuſquàm cœlos aſcendiſſet Dominus, terræ hic orbis mortalibus habitabatur tantùm: nunc porrò fit, vt ipſum etiam cœlum impleatur hominibus. Eſtq; hic primus Chriſti aſcenſionis fructus. Alter verò fructus eſt, quòd apud Patrem nos defendit ipſúmq; pro nobis interpellat. Et hunc fructũ idem ille Paulus docet, oſtendens aſcendentẽ Chriſtum ſummi Sacerdotis verè impleſſe officiũ. Lege enim præceptũ erat, vt ſummus Sacerdos quotannis ſemel, ipſo nimirũ expiationis feſto, Sanctuarium ſiue Sanctũ ſanctorũ tabernaculi domus Dei, aſſumptis thuribulo, ac immolati vituli ſanguine, Deũ deprecaturus, intraret. Erántq; hæc futurorũ & verorum figura tantùm. Paulus hæc ſanè in Chriſtũ interpretari non veretur. Ipſe enim eſt, qui ipſa ſua aſcenſione perfectiſsimo modo adimpleuit. Intrauit in Sanctuariũ templi ſui, vt Paulus ait, in ipſum cœlum, quaſi templi Domini ſecretiorẽ locum. Et ipſum Apoſtolus confert cũ Iudaico templo, quod ita ædificatum erat, vt diuideretur velo. Anteriore veli parte ſtabant altare, candelabrũ, & menſa, & panes propoſitionum. Huc ergo quotidie ſacerdotes intrabant ſacrificaturi. In altera verò parte, quæ diuiſa erat velo, arca Dei, & in ipſa virga Aaron & tabulæ Moſi, & manna: ſupra arcã duo Cherubim extẽſis alis propiciatorium, quod in medio ipſorum erat, tegentes erant. Et huc nemini præter ſolũ Sacerdotem ſummum, nec ſemper, ſed ſemel tantũ quotannis introire licuit. Eodẽ modo Chriſti etiam diuiditur templũ. Eccleſia enim Chriſtianorũ adhuc in terris militans prior pars templi eſt. Hîc candelabrũ, quod eſt Spiritus ſanctus, cũ ſeptiformi munere. Hîc menſa cũ diuini verbi, ſacramẽtorúmq; panibus. Hîc altare, in quo quotidie preces ac vota Deo offerimus. Altera templi pars ipſum cœlũ eſt. Illic arca Dei, duo Cherubim, & propitiatoriũ, imò omnia quęcúnq; Deus arca, propiciatorio, & Cherubim, ſignificare voluit. Sed nondum nobis illuc intrare licet, velũ obeſt. Oportet prius corpus hoc corruptibile inducere incorruptionẽ. Chriſtꝰ penetrauit, eámq; templi ſui partẽ introiit, adferẽs ſecum in conſpectu Dei optimũ thymiama, pretioſas thurificationes, nimirũ preces & gemitus, quos noſtri cauſa in terris Deo obtulit. Tum etiã ſanctũ, magniq; pretij ſanguinẽ ſacrificij ſui aſſumpſit, hoc

Leuit.16.

Hebr.9.

Iſai.11.

1.Cor.15.

assumpsit, hoc est, totam passionem suam Patris presentauit oculis. Inq; infallibile huius rei signum, in ipso etiam iam glorificato corpore clauorum fixuras & crucis obtinuit, vt passionis meritiq; sui sempiterni, nunquã delendum essent memoriale. Et hoc Paulus vult, cùm ait, Non in manufacta Sancta introiit, sed in ipsum cœlum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis. Et quid vel desiderare vel optare magis consolatorium possimus? Quid timebimus, quibus tam potens, tam acceptus coram Deo patronus adstat? Quanta verò iucunditate hac de re Paulus Apostolus loquitur? Habentes ergo talem Pontificem, inquit, qui penetrauit cœlos, Iesum filium Dei, teneamus spei nostræ confessionem. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratię eius, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio oportuno. Et deindè adhuc clariùs: Habentes ergo fiduciã in introitu Sanctorum in sanguine Christi, quam initiauit nobis viam nouam & viuentem, per velamen, id est, carnem suam: & sacerdotẽ magnum super domum Dei, accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, &c. idipsum etiam Ecclesia vult, cùm Psal misita nos verbis hortatur, dicens, Omnes gentes plaudite manibus, iubilate Deo in voce exultatiõis. Est ergo hoc secundum, quod piè nunc considerare licet. Iam verò quod restat tertium explicemus, nempè tempus, quo Christus cœlos ascendit. Illud verò ipse indicat, dicens: Venit hora clarifica filium tuum. Hæc verò in cœna nouissima iam trigesimumtertium agens annum, cũ triennio prædicasset, ouémque perditam multo sudore requisierat, cùm nouissimum, quod restabat opus aggrederetur, ipsam nimirũ mortem propediem subiturus: hic tempus aduenerat, vt à patre Deo clarificaretur in terris: illic enim verè dicere potuit, Ego te, pater, clarificaui super terram: manifestaui nomen tuum hominibus: opus consummaui, quod dedisti mihi vt faciam. Et hoc nobis dictum arbitremur. Suo enim præfinito tempore cœlum petendum est. Potuisset quidem primo quoquo die cœlum repetere Christus, sed noluit, donec plenissimè opus suũ expleret. in nostro numero inuenias, qui omninò cœlos ascendere, hoc est, mori, & mundũ, etiã præsente hora definita, relinquere nolint. Rursus videas alios cœlos petere, sed ante iustũ tẽpus, hoc est, ipsi sibi cœlũ promittũt, priusquã opera Dei cõsummare incipiãt. Sed frustrà id tentant, sine temporis respectu. Stultè brabeum postu-

Hebr. 9.

Hebr. 4.

Hebr. 10.

Psal. 46.

Ioan. 17.

Cor. 9.

lant, antequàm in hoc ſtadio curſum complent, Paulus verò iuſtum diem & ordinem obſeruat. Bonum certamẽ certaui, inquit, curſum cõſummaui, fidem ſeruaui. Hoc prius eſt, cui
2. Tim 4. mox addit, Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ. Idem illud diſcipulum ſuum erudiens docet. Labora, inquit, ſicut bonus
2. Tim. 2. miles Ieſu. Nam qui certat in agone non coronabitur, niſi legitimè certauerit. Simile qd & duobus illis fratribus Chriſtus loquitur. Neſcitis, inquit, quid petatis. Cœlum ante tempus petitis. Poteſtis calicem bibere quem ego bibitur⁹ ſum?
Matth. 10. Tum verò aſcendere tempus adeſt iuſtum: vbi Dei opus conſummaueris. Tunc certam ſperare licet ſalutem: vbi cũ Chriſto dicere potes. Sicut mãdatum dedit mihi pater, ſic facio.
Ioan. 15. Et, Non veni vt faciam voluntatem meam, ſed eius qui miſit me patris. Et iterum. Non mea ſed tua voluntas fiat. Et
Ioan. 6. Matth. 26. cum Dauid. Viã mandatorum tuorum cucurri, Et cũ Paulo.
Pſal. 118. Act. 20. Nihil ſubtraxi vtilium, quo annuntiarem, & docerem quæ ſit voluntas Dei. Et cum Martino. Domine, ſi adhuc ſum populo tuo neceſſarius, non recuſo laborem, fiat voluntas tua. Hîc inquam, commodum & iuſtum tempus eſt petendis cœlis. Chriſtus tandem nouiſsimo aſcendit. Aſcendit quidem & prius, ſed non in cœlos, ſed in montem vbi docebat, orabat & clarificabatur, & cruci affigebatur. Hæc inquam, oĩa priuſquàm cœlos aſcenderet, fecit. Idipſum in nobis quæritur, quemadmodùm in alio quodam ſermone dixi fuſiùs. Et hæc illa ſunt, quæ digna conſideratione hodie penſanda
Col. 3. ſunt. Nempè, quàm ille in aſcenſione ſua clarificatus ſit, quæ vtilitas, qui nobis illius fructus prodierint, & quomodò nos tandem aliquando illũc vbi Chriſtus eſt in gloria Dei ſedẽs, puenire poſsimus. Idipſum iam conſiderare, eſt, hanc feſtiuitatem digna pietate celebrare. Gratia Dei cum omnibus nobis, Amen.

IN DIE SACROSANCTI CORPORIS CHRISTI.

EVANG. IOAN. VI.

CAro eẽ mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Qui manducat meã carnem, & bibit meum ſanguinẽ, in me manet, & ego in illo. Sicut miſit me viuẽs pater, & ego viuo propter patrẽ, & q̃ mãducat me, & ipſe viuet propter

me. Hic

me. Hic est panis qui de cœlo descēdit. Nō sicut manducauerunt patres vestri manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panē: viuet in æternū.

EODEM FESTO EPIST.

I. CORINTH. XI.

CONuenientibus vobis in vnum iam non est Dominicam cœnam mãducare. Vnusquisque enim suam cœnam præsumit ad mãducandum. Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est. Nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? Aut Ecclesiam Dei contemnitis, & confunditis eos qui non habent? Quid dicam vobis? Laudo vos? in hoc nō laudo. Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Iesus, in qua nocte tradebatur, accepit panē, & gratias agens fregit & dixit. Accipite & manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam cõmemorationem. Quotiēscúnque enim mãducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annũtiabitis, donec veniat. Itáque quicúnque manducauerit panem, & calicem Domini indignè biberit, reus erit corporis & sanguinis Domini. Prõbet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.

SERMO PRIMVS.

NEMINEM Ecclesiasticarum rerũ in nobis tam inexpertem arbitror, qui quàm sibi inuicem Euangelium hoc festúmque hæc dies conueniant, quid quantúmue de vtróque: vt olim, dici possit, non videat. Multum quidem olim se scriptorum exercuit diligentia, cùm de hoc festo atque Euangelio loquerentur ac scriberent, multa atque ingentia volumina de sacramento altaris déque hoc sexto Euangelij Ioannis capite, nobis tradidit antiquitas, nullus adhuc de ijsdem rebus & dicendi & scribendi finis est. Vtinam tanta his rebus animi pietate accenderemur omnes, quanta diligentia studióque à venerandæ antiquitatis sanctis Ecclesię Doctoribus, aliísq; Theodidactis cõscripta sunt. Certissimum

enim est,cuilibet nostrum non parum in hoc spirituali cibo situm esse,quandoquidem tot verbis de eo Christus locutus est. Tum etiam sine dubio Ecclesiæ non minus in sacramento altaris situm est,quod eò instituit Christus: vt semper in Ecclesia percipieretur. Si quis igitur verè Christianus est, nullo modo,quæ Christus tantoperè docuit,debet negligere,minimè contemnet, quod Christus tanta sedulitate instituit. Hac ratione motus,non possum non copiosiùs aliquantò de hoc festo loqui. Ac principiò quidem,cur tanta solennitate,tanto omnium gaudio celebretur, deindè quàm credentes in hoc sacramento peculiarem spem & vtilitatem habeant,tertiò denique,quis noster erga ipsum sacramentum affectus,quæ debeat esse reuerentia. Et hæc necessaria esse arbitror,quæ doceãtur,maximè hoc nostro sæculo. Primò: vt & simplices habeant, quod contemptoribus atque calumniatoribus cùm festi huius,tũ sacramenti ipsius, cuius causa institutum est,obijciant & respondeant. Deindè: vt & ipsi eò melius discant & percipiant,quis debitus honos huius sacramenti,quisque verus vsus sit. Hæc omnia qua possum breuitate docebo. Et primò quidem nemo non videt,quãta festi huius inter Christianos sit solẽnitas,maximè verò,quòd ad processionẽ, (quã vocamus) attinet. Pauci tamẽ qui,cur hęc fiant,norint,omnes licèt in hoc incũbamus,ritè & cum maiestate summa omnia fiant. Pleráque pars hominum tantum consuetudinẽ,quã videt,sequitur,nihil curat prætereà, cùm tamen vnanimis ille Ecclesiæ sanctæ atque Christiani orbis consensus apertè doceat, non sine causa hæc vel instituta esse vel obseruari. Inuenimus enim alioqui etiam cũ in veteri,tũ in Nouo Testamẽto id genus processiões omniũ credentiũ gaudio celebratas,sed tamen nunquàm sine peculiari causa. Primus Moses est qui populo suo, cùm Pharaonis Aegypti manus effugissent, nouum carmen composuit, cõmunẽmque lætitiã festúmque diem instituit, nõ leuitate, sed iustis rationibus inductus. Cantemus,inquit,Domino, gloriosè enim magnificatus est,equum & ascensorem proiecit in mare. Iosue septem diebus ciuitatem Iericho,cum populo suo,& Arca Domini & septẽ tubis circumijt. Non sine ratione prægnanti,nedum leuitate,nimirùm docere voluit, non in semetipsis cõfidendũ aut in propriæ virtutis speran dum fortitudine, sed in Deo eiúsque præsentia omne auxilium ponẽdũ esse. Tum etiã vt hosti,quẽadmodũ Dominus

Exod.16.

Ios.6.

præ-

præceperat,terrorem incuteret. Sed & Dauid cùm populo Israël perrexit vt Arcã Domini reduceret in Hierusalẽ, sed ideò maximè vt disceret popul⁹ hoc ipso facto, omnẽ spem omnémque salutem in præsentia Dei ponere, indè sperare auxilium. Et hoc modo reliq festi dies suã quisquis causam habuit. In nouo etiã testamẽto inuenimus populum Iudæorum aliqñ in desertis locis Deo laudes decantasse. Testis est Ioannes. Tum non multo tempore antequam pateretur, tur matim obuiã procedunt Domino, eúmque cũ hymnis atq; canticis ciuitatẽ introducunt, non tamen leuitate aliqua, sed miraculo, quod in excitato Lazaro fecerat, commoti. Sed & Apostoli quadragesimo post resurrectionẽ die Christum ad montẽ Oliueti procedentes extra vrbem deduxerunt, non leuitate, sed vt ascendentẽ viderent. Et quid multa? Nulla festa dies, nullũ credentibus celebratũ est gaudiũ, sine vrgente ratione. Vnde dubium non est, & hunc solennẽ diem iustis ac pprijs causis inniti. Et mea quidẽ sententia vel precipuã Dauid prædixit, cùm ait. Generatio & generatio laudabit opera tua, & potentiam tuam pronuntiabunt. Magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquentur, & mirabilia tua narrabunt. Et virtutem terribilium tuorum dicent, & magnitudinem tuam narrabunt, memoriam abundantiæ suauitatis tuæ eructabunt, & iustitia tua exultabunt. Hæc Prophetæ verba si probè consideraueris, eadem hodie credentes facere cognosces. Tria enim Dauid commemorat, primùm, potentiam Dei, cùm ait. Magnificentiã gloriæ sanctitatis tuæ loquentur, & mirabilia tua narrabunt. Secundò sapientiã Dei, cùm ait. Magnitudinẽ tuã narrabunt. Tertiò, bonitatẽ Dei, cùm ait. Memoriam abundantiæ suauitatis tuæ eructabunt. Et quid aliud hodie facim⁹, nisi quòd in sacramẽto hoc Dei miramur potẽtiam, incomprehensibilem eius prædicamus sapientiam, & erga ineffabilem eius bonitatem gratum affectum exhibemus, nempè cùm hæc tria maximè in hoc ipso sacramento elucent? Quòd si vnquam tibi innotuit, Deum operari magnalia, omnia in sapiẽtia disponere, & singulari modo charitatem suam & bonitatem exhibere mortalibus, hoc considerandum Euangelium in manus sume, & singula hæc claritsimè cõspicies. Nam (vt à primo incipiã) an non magnalia sunt, per vnici verbi virtutem panem conuerti in corpus Christi & vinum in sanguinem, quod totum corpus Christi sub tam exigua panis continetur specie, quod idem

2. Reg. 6.

Ioan. 6.

Ioan. 11. & 12.

Luc. 24.

Psal. 144.

corpus Christi vno momento tot in locis esse posit, ac fit? Deinde, an non incõprehensibilis sapientia est, quòd eò modo mysteria sua Deus in hoc sacramento abscondit: vt à pijs tantùm & credentibus videantur, sentiantur & percipiantur? Tertiò denique, an non ineffabilis Dei bonitas est, qui seipsum in hoc nobis sacramento manducandũ offert? Cùm ergo tam manifestè Deus porentiã, sapiẽtiam, & bonitatem suam in hoc sacramento ostendit, imò (vt Dauid alibi loquitur) cùm hanc escã daret, memoriã fecit mirabilium suorũ, nihil est, quod quisquã miretur credentiũ in hac solennitate gaudium. An fortè dignũ non est ea lætitia: vbi Dei videre licet magnalia? An fortè exultationẽ non meretur: vbi Dei tã manifestè cõsideratur sapientia? an fortè gratiarũ actione indignũ est: vbi rãto omniũ fructu Dei bonitas percipitur? Et vt breuissimè omnia dicã, præsens festiuitas nil aliud est, quàm eructatio quædam & memoria siue recordatio abundantis suauitatis & bonitatis Dei. Quemadmodũ enim qui suauibus vsi sunt tragematis, aliquandiu per eructationem dulcedinẽ quandã exhalantẽ sentiunt, ita credẽtes hactenùs bonitatẽ & suauitatẽ Dei in humanæ redẽptionis opere vidimus, percepimus, atq; gustauimus, at hodie contẽplantes atque considerantes sacrosanctũ sacramentũ, eandem illam suauitatẽ eructãtes: veluti denuò percipimus, & recreamur, reducente nimirũ hoc sacramento in memoriã oĩa illa, quæ Christus nostra causa fecit, impẽdit, promisit, meruit atque perpessus est. Et qui fieri posset hominẽ ingenuũ ad amãdũ & laudandũ Deum nõ moueri his omnibus? Cogitemus aliquantisper quid sit, quod Christus nostri causa fecerit. Cùm non essemus, ipse creauit nos, eramus perditi, ipse reducit nos, mortui, & viuificauit nos, in carceribus, & liberauit nos esurientes, & cibauit nos, eramus venditi, & pretioso suo sanguine redemit nos. Deniq; à nobis recessurus, quod optimum habuit, cõmunicauit nobis, nempè sanctũ verbũ illud suum ad eruditionẽ & consolationẽ reliquit nobis, pacẽ dedit in testamẽtum vt conseruaremur in illa, spiritũ sanctum promisit, atq; dedit ad doctrinã & imperium, sacramenta instituit ad emũdationem Postremò omnium etiam seipsum arram fœlicitatis dedit æternæ. Et quid amplius debuit facere? Horum ergo omnium præsens nos admonet festiuitas, commonefacit sacramentum. Vnde non immeritò hodie cum Psalmista cecinimus, Misericors & miserator Dominus, escam

Psal.110. *Isaa.13.* *Psal.110.*

nus,escam dedit timentibus se,memoriam fecit mirabilium
suorum. Et cum Salomone,O quàm suauis est Domine Spi-
ritus tuus,qui vt dulcedinem tuam in filios demonstrares,
pane suauissimo de cœlo præstito esurientes replens bonis, Luc.1.
fastidiosos diuites dimittens inanes. Quæ,si quis secum co-
gitauerit,haud dubiè diuini amoris igne accenderetur. Sit ergo hoc de causa præsentis festiuitatis dictum. Iam verò secundò & illud audiamus,quæ Ecclesiæ spes,qui fructus ex ipso Sacramento defluant,quandoquidem summam illa in hoc tanquam omnium pretiosissimum thesaurum,siue anguſtatur,siue maledicitur,spem, fiduciam ponit. De qua re non nego copiosissimè tractari posse,mihi tamen placuit hac vice vtilitatem,virtutem,& spem,quam dare potest vnica veteris Testamenti figura,ostendere. Habet regum liber 3. Reg.17.
tertius,quomodò Elias Propheta Domini viduam quãdam
pauperculam vnáque cum illa filium,toto illo annonæ & fa
mis tempore,vnius hydriæ tantùm farina cibauerit,ac conseruauerit. Ait enim,Hæc dicit Dominus Deus Israël,Hydria farinæ non deficiet,nec lecythus olei minuetur: vsque in diem qua daturus est Dominus pluuiam super faciem terræ. Historiam ipse legito. Vidua paululum habebat farinæ, quantũ vnus capere posset pugillus:incredibile,imò impossibile videbatur,toto illo triennio inde posse illam & filium sustentari:verùm etiam Prophetæ credens, hydriam farina nõ deficere re ipsa comperit,licèt quotidie in sui filij, atque etiam Prophetæ sustẽtationẽ illa vteretur. Hîc nobis adumbrata fuit virtus atq; operatio huius Sacramenti,Vidua Ecclesiam,sub figura designatinõ quia hac virũ non habeat,sed Luc.19.
quia peregrè profectũ accipere sibi regnũ,nõ videat. Fames
spiritualẽ gratię egestatẽ,qua mũdus pro peccatis affligitur,
qua multi hominũ deficiũt,& succũbũt,indicat. Propter pec
cata enim etiã spiritualibus nubibus mãdat Deus,ne pluant Isai.5.
super homines salutarẽ diuini verbi pluuiã. Id quod primũ
in Synagoga Iudæorum,à quibus Apostoli cũ prædicatione Act.14.
Euãgelij ad Gẽtes cõuersi sunt,videre est:tũ etiãnũ ĩ multis
alijs locis cõsiderare licet:vbi olim Christianismus florebat,
nũc verò sub ĩmanissimo Turcarũ Tyrãno sudãt homines
derelicti salutaris verbi pluuia. Pluit quidẽ super illos Deus, Psal.10.
quẽadmodũ super reliquos impios omnes:sed nõ saluificam
purę doctrinę suíq; verbi pluuiam:sed laqueos,vt Dauid ait, Psal.68.
vt sit mensa eorum,boc est,sacra Scriptura non ad salutem

ipsis,

ipſis,ſed in laqueum,& in retributionem, & in ſcandalum. In hac,quam Iudæi atque Gentes patiuntur,fame,ſancta Ecclesia adhuc in hydria ſua pugillum farinæ habet:nempe ſacroſanctum Corporis ac ſanguinis Domini ſacramentum, quod quidem ſecundum externã ſpeciem videtur exiguum, ſed multam in ſe habet virtutem, & viduæ huic Eccleſiæ, eiúſq; filijs abundè ſatis ſpiritualis nutrimenti præſtat, ſemper manens,nunquam deficit,hanc enim promiſsionis fiduciam Eccleſia habet:vt vbicúnque illa ſit,illic & Spiritũ ſanctum & Dei verbum,& ſacroſancta Sacramenta eſſe. Ecce, inquit Chriſtus,ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi. Porrò quod vis huic farinæ pugillo inſit,ſatis ex huius diei demonſtratur Euangelio. Caro mea,ait Chriſtus, verè eſt cibus,& ſanguis meus verè eſt potus:nimirum, hoc ſacramentum eandem in animam operatur virtutem,quam in corpus cibus externus. Deinde hoc etiam addit,quòd quicúnque carnem ſuam manducauerit,& ſanguinem biberit, in ſe maneat,& ſe manentẽ habeat. Et hinc eſt,quòd tantam ab initio fortitudinem oſtenderunt credentes contra peccatum,diabolum,mundúmq; nempe Chriſto in ipſis manente. Erant perſeuerantes in doctrina Apoſtolorũ & communicatione fractionis panis. Et quid multis? Qui manducat hunc panem,Chriſto teſte,viuet in æternũ. Ecce hic omniũ in genere,& cuiuſq; verè Chriſtiani ex hoc ſacramento fructus eſt. Exurge igitur quiſquis ingenuè Chriſtianus es, & propoſitum tibi bodie panem comede. Grãdis enim adhuc reſtat via,ad montem Dei,& in ipſa quidem via multa quæ horreas vt peccata,mors diabolus,infernus,obuiabunt:tum niſi habueris quo conforteris,periclitaberis. Quæ verò vel fortior refocillatio,vel præſtantior cõſolatio haberi poteſt, hoc ſacramento? Illic enim corpus,quod peccata noſtra pertulit. Illic Chriſtus,qui mortẽ,diabolum, mundúmque deuicit. Illic ſanguis,qui chirographum damnationis noſtræ deleuit. Huc ergo accurramus omnes, ſed & hoc agamus, quo tanto huic Sacramento debitus honor maneat. Idque tertium erit,quod in hanc feſtiuitatem pertinet,nempe vt ipſum pro ſua reuerẽtia dignè veneremur. Externus enim hic honos,quem hodie ipſi exhibuimus,non ille verus eſt,qui requiritur. Quãquam enim Iſraël olim externo quodam ritu veneraretur Arcam Domini,& ipſi etiam Philiſtęi æqualẽ illi cum Dagon ſuo honorem impenderent:quia talis vero

Ioan.14. *Matth.28.* *Ioan.6.* *Act.2.* *1.Reg.30.* *1.Pet.2.* *Ioan.16.* *Coloſ.2.* *1.Reg.4. & 6.* *1.Reg.5.*

lis vtrobíque prævalebat impietas, minimè illo ritu Deum placabant, imò vtrobique corripiebantur, Israël quidē apertè, Philistæi verò occultiùs. Quæ nobis exemplum & monitio sint, ne externū aliquem honorē Sacramento huic præstantes, simili correptioni reddamur obnoxij. Neq; verò sine causa hæc me dixisse putetis, volo. Nam & in nobis simile quid videmus: Summo studio quidem illud honoramus, sed solummodo forinsecus, & his octo diebus. Quid verò intrinsecus? Quid reliquo totius anni tempore? Quam in religione Christiana vitam ducimus? Quo gestu coram illo incedimus? Qua ratiōe vtimur? Quid sub officijs diuinis facimus? Quo affectu altare accedimus? Sed quid multa? Non minor est nostra iniquitas, quàm olim filiorum Heli coram Arca Domini. Nobis tamen videmur satisfeciſſe officio, si extrinsecus & semel quotannis veneramur hoc sacramentum. Sed quæ Deo in his esse potest voluntas? An fortè externū quid tantum à nobis exigit, & suscipit? Nullo modo. Vide enim, quia externo solummodò ritu & pompa Arcam nostrā honoramus, fit vt Philistæi, permittēte ita Deo, aduersum nos prævaleant, férrque omnia sacramēta abstulerint, quanquā sibijpsis ad æternū exitium, sicut & Philistæi nullo suo commodo Arcam Domini prædā diripuerunt. Sed, inquis, quid faciendum est, quo rectè veneremur Sacramēta? Hoc ipsum, quod hodie externè in processione factū meministi, facito internè & spiritualiter: & vero honore Sacramēta veneratus eris. Principiò ex sacrarū Scripturarū thesauro, quicquid, inquam, magnū egregiúmque operatus est Deus, profer, quò fortior in huius sacramenti fide efficiaris. Deindè eadē ipsa fides veluti fax ardens lucénsque præcedat. Tertiò, spes fiduciáque tua sacrosanctū sacramentū leuet ferátque. Quartò, cum exultationis voce tua Deo canat, ipsúmque laudet dilectio. Quintò, ab vtroque latere quatuor virtutū capita: prudentia, nempe, fortitudo, iustitia & temperantia comitētur te. Sextò, reliquæ virtutes bonorum cogitationū virido de cespite gramen, piorúmque desideriorum atque operū suauè olentes flores spargant. Septimò, sequatur obediētia, quæ Christū in omnibus ad crucē & mortem vsque sequi parata sit: parata sit, inquam, quæcúnque habet in Dei honorem, & proximi cōmodū in mediū adferre. Postremò è vico in vicū, hoc est, à cognitione ad fidem, à fide in charitatē & pietatis opera, imò de virtute in virtutem procede, dum peruenias,

vbi

Psal.83. vbi Deus deorum videtur in Sion. Hæc si Christiani faceremus, debitum huic honorem Sacramento impendissemus, sed & aduersarij non haberent, quo tanquam externis, & inutilibus deditos nos contemnerent.

SERMO SECVNDVS.

QVò magis apud me, quibus in Ecclesia cæremonijs per annum vtamur, cogito: eò amplius & rectius, qui ab Apostolis in hæc vsque tẽpora doctrina atque exemplis suis nos rexerunt conseruarúntque, summo omnia studio instituisse atq; ordinasse inuenio. Cuius rei tria maximè obuia sunt testimonia. Primò, quòd nihil eorũ, quæ ad salutem nostram pertinent, prætermiserunt, quin quotannis vel semel ea credẽtibus proponerent. Secũdò, quòd singulis præcipuis fidei articulis festos dies deputauerunt, quo remotis impedimentis cõmodiùs eorum meditationi incumberent. Tertiò, q̃ eiuscemodi res nõ inconsultè cõfuderunt, sed suo quæque loco atque ordine instituerunt, id quod non minimũ est intelligendis rebus cõpendiũ. Quisquis enim ordine docet, citò docet. Porrò, ita in Ecclesia fieri, festi dies hucusque celebrati comprobant, quorum vnusquisque suum articulum proponit: & ita temporis ordinem atque rei seruant, vt legenti Euangelij historias, Christianæque fidei articulos intelligenti, iusto omnia ordine instituta esse nõ sit obscurum cognoscere. Et licèt videri possit hoc festum inuerso ordine procedere, quòd Sacramenti huius institutio non post Spiri
Matth.26. tussancti missionẽ, sed ante passionem etiã Christi, in ipsa nimirum cœna, facta sit: inueniemus tamen & hac parte minimè rei ordinem turbatum, si, cur Sacramenti huius in Ecclesia mentio fiat, cogitauerimus. Primò enim institutionis Sacramenti huius die, per tempus, plenè atque exactè, vti oportuit de eo omnia scrutari ac cõmemorare, occupatis & intentis in vnicã Christi seruatoris passionem omnibus, minimè licuit. Sed ideò memoriam eius planè prætermittere, quæ suæ institutionis die haberi non licuit, consultè fieri nõ videtur. Maxima enim atque certissima diuinæ potentiæ, sapientiæ, & bonitatis testimonia habet, estque veluti memo-
Psal.110. riale quoddam omnium mirabilium quæ fecit Deus ab initio. Cur igitur nullam specialem festiuitatẽ, in qua eiusmodi mirabilia Dei proponerentur commodè, ac tractarentur, haberet? Et quo id tempore fieri potest conuenientiùs, quàm cùm perci-

cùm percipere illud inceperunt credentes? At cerum est, vt Lucas in Actis testatur, tum primùm credentes sese exercuisse, ac perseuerasse in fractione panis, cùm Spiritum sanctum iam accepissent cœlitus. Nec mirum: inspirante enim Spiritu sancto tandem huius Sacramenti virtutẽ, operationẽ, fructus, cõsolationẽsque didicerũt, & agnouerunt. Sanè & nos ardentiùs cum Apostolis primísque credentibus hanc Christi mẽsam accederemus, si cũ ipsis antè Spiritum sanctũ concepissemus. Et hic ordo etiam Prophetis nõ displicuit, vt in Ioële legimus, qui ait, Filię Sion exultate & lætamini in Domino Deo vestro: quia dedit vobis doctorẽ iustitiæ, nempe Christũ. Hic enim principiũ omnis lætitiæ est & causa. Sed quid sequitur? Descẽdere faciet Dominus imbrẽ matutinum & serotinũ, sicut in principio. Et implebũtur areæ frumẽto, & redundabũt torcularia vino & oleo: nimirũ superueniẽte Spiritu sancto. Et mox, Et comedetis vescentes, & saturabimini, & laudabitis nomẽ Dei vestri, & scietis quia in medio Israël ego sum. Hoc ergo aduẽtu Spiritus sancti mox sequetur: nẽpe, comedemus bonũ diuite Christi manu acceptum, Deúmq; comedẽtes laudabimus. Huius ecce nos præsens festiuitas admonet, hac ratione etiã inuisibili modo ob oculos omnũ Sacramẽtũ ponitur, imò vniuscuiusq; fores iuxta trãsfertur: vt eò homines ad mãducãdũ, suscipiẽdũ' incitẽtur magis. Et hæc sanè secũda ratio, cur huius Sacramẽti festa dies post Pẽthecostẽ instituta sit. Tertia verò causa est, q; Ioãnes hęc tria, Spiritũ, aquã, & sanguinẽ cõiũgit. Tres sunt, inquit, qui testimoniũ dant in terra: Spiritus, aqua & sanguis. Spiritus sanctus testimonium dat cõscientiæ nostræ, quòd filij Dei sumus. Aqua in regeneratione testimoniũ dat extremè in populũ Dei ascitos esse nos. Corpus verò & sanguis Christi in Sacramẽto hoc participãtibus testimoniũ dant vere nos incorporatos esse Christo. Quomodò igitur Ioannes hæc tria in vnũ cõiungit, ita etiã Ecclesia vult cõiuncta manere, ipsa Pẽthecostes quidẽ Spiritus sancti, ac sequẽti mox Dominica aquę & regeneratiõis admonẽs, nõ incõgruè tertiũ, hoc est, Sanguinẽ, Sacramentũ nẽpe corporis & sanguinis Christi, hoc die addit, vt nemo nõ fidelis Christi miles, quibus armis vndecũq; insurgẽtibus aduersis se possit tueri, munire, atq; firmare agnoscat. Vides ergo, ex enumeratis institutionis suæ causis, hoc ipsum festũ iusto, vt alia, suóque ordine institutum esse. Id quod ideò prolixiùs ostẽdere necesse videbatur:

Act. 2.

Ioel. 2.

1. Ioan. 5.

Rom. 8.

vt vi-

vt videamus instituti huius vrgentes fuisse causas, aduersus eos, qui huiusmodi iam dudum abolita cuperẽt. Cùm enim ipso institutionis suæ die, sacramenti huius mysteria, temporis arctati angustia commemorare nequiuimus: meritò alia illi deputata est dies. & quia mox vbi cœlo elapsus fuisset Spiritus sanctus, Apostoli cõmunionẽ illius Sacramenti frequentare cœperunt, rectè & nos ad eius cõmunionẽ illo ipso tempore excitamur. Et quia Ioannes quoque tria hæc, Spiritũ, aquã, & sanguinẽ: vt certissima salutis nostræ, Deíq; erga nos dilectionis, signa & testimonia copulauit: nos verò proximè præteritis diebus priora illa duo, Spiritũ & aquam in memoriam reuocauimus, aptè sanè tertium nunc illis cõiungimus. Quid ergo Ecclesiæ hostes huic instituto obganniunt? Sed, inquis, non de institutione, sed de vsu, imò abusu festi huius loquor. Inclusum enim in templo asseruatis sacramentum, in plateis ac vicis circunfertis, adoratis, & ea omnia contra institutũ Christi, eóque hic vester cultus mera idololatria est. Agè ergo huic respondeamus, & iniquè huiusmodi rebus Ecclesiam culpari dãnaríque ostendamus. Principiò verò & mihi quędã cùm in sacerdotibus, tũ etiam laicis displicere, nõ approbari omnia testor: quin & abusus nõnullos irrepsisse, qui rectiùs iamdudum vel emendati vel ablati essent. Video cultũ, honorésque, quos huic sacramẽto non sine fastu exhibemus, nihil ferè, quã externũ ritũ quendam ac põpã esse, & hoc sibi quisq; placet magis: quasi satis abũdè hoc sacramẽtũ veneratus, quò superbiore ac procaciore fastu se omniũ oculis exposuerit, nulla tamẽ interea pietas, nulla fides, nullus amor, nulla nec diligentia nec intentio in nobis animaduertitur. Equidẽ non dubito, propterea tot errores, tam grauia scãdala Deũ in Ecclesia permittere, quòd tot nominibus hoc Sacramẽto abutimur: nempe iusto Dei iudicio, mensa nostra nobis fit deserta, & in retributionẽ & scandalum: cõpletúrq; in nobis quod olim in Samuel
1.Reg.2. scriptũ est: Repleti prius pro panibus se locauerũt, & famelici saturati sunt: esuriẽtes impleuit bonis, & diuites dimisit
Luc.1. inanes. Non enim dum verus Sacramenti huius vsus obseruatus est, Diabolo errorum machinis illud impugnare permissum fuit: & contra alios quidem fidei nostræ articulos iam olim ab initio pugnauit strenuè. Nullus verò aliquot centenis ab ascensione Christi annis, aduersus hoc Sacramẽtũ insurrexit: sed semper apud omnes Christianos hæreticos

atque

atque fideles summus illi cultus exhibitus est. Sed tandem mille præter lapsis annis, cùm iam charitas pietásq; in credentiũ pectoribus refrigesceret, tum, inquam, Diabolo hoc etiam vt reliqua omnia, impugnare Sacramentum, permissum est. Et id quidem impigre fecit per Berengarium quẽdam, qui à Christo nato anno millesimo quinquagesimo primo vixit. Hunc Berengarium primum Sacramẽti huius insectatorem postea alij ita secuti sunt, vt hæc nostra tempora nullum in re Ecclesiastica maius dissidium, quàm in Sacramenti materia videant. Sic Deus ingratitudinem nostram, & diuinarum rerum abusum corripit, & vt nos ipsum honorificamus, ita rursum ille nos glorificat, Iustus Dominus, & rectum iudicium eius. Sed hæc omitto, vt ad institutum redire liceat. Nolim ergo, inquam, quę circa hoc Sacramentum fiunt, excusare omnia: veruntamen nec quod bonum est reiicio & damno, nec vt solent qui simul cũ zizania triticum euellunt, quæ ab exordio Ecclesiæ obseruata sunt carpere velim. Ergo principio hoc ab aduersariis quæro, quamobrem sacrosanctum Sacramentum in Ecclesia asseruandum non sit. Non, inquiunt, hîc Sacramentum, sed vbi distribuitur est. Sed hoc ipsum, quod aiunt sacræ scripturæ testimoniis comprobẽt, id enim nisi fiat, nudis ipsorum verbis à catholico & recepto sanctæ Ecclesiæ sensu non amouebimur. Quod si hoc ais, ideò à Christo institutum fuisse, non vt clausum pessulis in Ecclesia conseruetur, sed vt manducetur, vt percipiatur. Accipite ait enim, & manducate, rectè id quidem, fratres, nulla alia ratione in Ecclesia asseruatur, nisi vt pro infirmorum necessitate suo semper percipiatur tempore. Sed addis. Non est sacramentum iam, ita asseruatũ. Respondeo, Audio id quidẽ, sed abs te, ita esse adhuc demonstratum nõ video. Addis præterea. Quemadmodum Aqua, Chrisma seu oleum cũ non vtamur, sacramenta non sunt, ita sine vsu nostro, hoc sacramentũ non est. Respõdeo, Nõ hoc tibi vnquã concessum est, quod rectè cõclusum sit. Iniqua hęc cõsequẽtia est. Nusquã enim Christus dixit: Hęc aqua lauacrũ regenerationis est: hoc oleũ sacramẽtũ est: hîc verò panẽ designãs ait. Hoc est corpus meũ. Vnde quoties illũ panẽ, siue panis illius speciẽ demõstro, toties ibi sacramẽtũ corpus & sanguis Christi est. Virtus enim sacraméti huius in verbo Dei cõsistit: quo super cõuenientẽ prolato materiã, est manétq; corpus Christi, seu hodie crástue, seu post

Psalm. 18.

Matth. 13.

Matth. 26.

menſem percipiatur. Id quod irrefutabiliter demonſtratũ illud, Hoc, cõuincit. Aut tu his contrariũ ſacræ ſcripturæ teſtimoniis adfer. Si enim dixeris, natura ipſa cõprobari, nẽpe quẽadmodum panis nõ niſi manducatus nutrit, & ſigillũ niſi impreſſum non cõfirmat: ita & hoc ſacramentũ niſi mãſum nihil prodeſt. Reſpõdeo, Nõ hoc ſcripturas, ſed incõpoſiti cerebri tui eſt adferre ſomnia. Et quis es ô homo qui tãta procacitate, leuiſſimis de cauſis, abſq; vllo ſcripturę ſenſu de immẽſæ ſublimitatis rebus, cõtra cõmunẽ catholicæ Eccleſiæ ſenſum loqui audes? An Dei opera per naturæ operatiões probare vis, & quod in natura nõ inuenis, nec in Dei factis credere conſentis? Annon vides nihil in hoc ſacramẽto ſecundũ naturam fieri? An omnia hîc per omnipotens illud Dei verbum fieri nõ intelligis? Deinde, vt tibi cõcedam panem nõ niſi manducatũ cibare: panis tamẽ qui poſtea mãducantẽ nutrire poteſt, manet. Eadẽ etiam ſigilli ratio eſt: & ita ſanè ſacramentum hoc nihil licèt non vtentibus proſit, nihilominus in ſeipſo ſacramentum permanet. Quãquam nec hoc cõcedo, q nihil ſacramentũ hoc vtilitatis niſi corporaliter dentibus mãſum, adferat. Duplici enim ratione illo, neſcio vtimur ne dicã, an fruimur, ſpiritualiter & ſacramentaliter. Frui ergo illo per fidem, deſiderium, deuotionẽq; ſolo licebit aſpectu. Vides ergo adductas panis atq; ſigilli ſimilitudines nihil in hac probare materia. Inſuper, cũ nonnunquã plus mille conſecrãtur hoſtiæ ſimul audire cuperẽ, qua ratiõe corpus Chriſti non erit in quibuſdã ſuperfluis, cũ tamẽ reliquę omnes vt verum Chriſti corpus diſtributæ ſint, & vnũ idémq; Chriſti verbum etiam ſuper ſuperfluas prolatũ eſt. Hîc ergo, inquã apertis ſcripturis oſtẽderent, nõ eſſe in quibuſdã ſuperfluis hoſtiis verũ Chriſti corpus, ita vt id cõuincerent. Et quando id faciunt minimè, vti nunquã poterũt, ſanè in cõmuni catholicæ Eccleſiæ perſeuerabimus ſenſu, qui docet prolatis debita intẽtione & circũſtantiis ſuper panẽ conſecratiõis verbis, mox adeſſe corpus Chriſti, & manere dũ forma illa panis manet. Ac ideò, meritò hoc ſacramentũ in Eccleſia aſſeruatur. Idem de eo quod credentibus oſtenditur, atq; circunfertur, dicere licet. Fit enim quicquid eius eſt, ideò, vt eo magis ad communionẽ populus inciterur, ac propterea nõ aduerſatur, ſed iuuat & cõmodat inſtituto Chriſti. At, inquis, vos adoratis iſthuc, de quo loquimur, Sacramentum. Reſpondeo, Sacramentum,

tum, id est, visibilẽ panis viniq; minimè adoramus speciẽ, sed ipsum Christũ in sacramento substantialiter præsentẽ. Sed nusquã id, ais, Christus fieri præcepit, nec ideò instituit vt adoraretur in eo. Resp. Non ideò etiã Christus vt adoraretur, in terras venit, sed vt illuderetur, & crucifigeretur. Filius hominis, inquit, non venit ministrari, sed ministrare; non tamen ideò Magos idololatras dixeris, qꝯ in præsepio iacentem adorauêre: nec cęcũ natũ impietatis argues, qui & ipse adorauit. Omnia hæc aduersariorũ argumẽta, ex impio fundamento emergũt: nẽpe omnẽ Dei cultũ, sine certo mãdato Scripturæ merã idololatriam esse, nec vllum opus bonum æstimari, aut Deo placere, quod nõ præcepit. Sanè impium hoc fundamentũ est, id quod vbiq; Scripturæ testimoniis approbatur. De Abel Moses tradit, qꝯ ipsum & munera eius Deus accepta habuerit: nec vsquã tamen inuenitur hoc vt faceret, mandatum accepisse. Idẽ de Noe legimus, qꝯ post diluuiũ Deo sacrificauerit, Deóque sacrificiũ illius placuerit, nusquam etiam hoc præcepisse Deũ legitur. Ita Christo placuit, qꝯ Magdalena vnxit breui post tempore crucifigẽdum, & factum laudat, non tamen ita præceptum illi fuisse Euangelistarum vllus commemorat. Ita Lucas Euãgelista Annæ viduæ pietatem prædicat, qꝯ die ac nocte à tẽplo non recesserit, qꝯ Deo ieiuniis & obsecrationibus seruierit: neq; tamen id vllius præcepti feciſſe respectu scribitur. Et id genus exẽpla infinita propè adferre possem. vnde facilè est videre, nihil conuincere argumẽtum hoc, quo aiunt, Christus non præcepit se adorari in sacramẽto, igitur adorandũ non est. Nouit Ecclesia non minus hîc præsentem esse Christũ, quàm cùm in præsepio iacens vagiret, in cruce cõfossus pẽderet, aut etiam nunc à dextris Dei sedet. Tum nec ignorat Christi corpus non emortuã, sed viuenti semper deitati vnitam carnem esse. Semel enim mortuus est, iam nõ moritur vltra: & quod semel diuinitas assumpsit, nunquam deseret. Nam & eadem diuinitas Christi corpori in sepulchro, & animæ eius in inferno coniuncta mansit. Nouit etiam non solùm hominem eum, sed & Deum esse: eóque veneratur, adorat, inuocat: vbicúnque præsentiam suam ostendit, siue in cœlo, in cruce, in præsepio, vel etiam in Sacramento. Vides ergo Christianos, cùm Christum in sacramento adorant, nihil aduersus religionem nostram, nihil idololatriam facere: sed quod debet, & lex præcepit, Dominum

Matth. 20.
Matth. 2.
Ioan. 9.
Gen. 4.
Gen. 8.
Ioan. 12.
Rom. 6.

Deut. 6. Deum tuum adorabis, & illi soli seruies, Sed nunquid satis est Sacramẽtum hoc in Ecclesia asseruare, ostẽdere: in eóq; Christum adorare? Minimè. Nam hac sola occasione quibusdam quicquid circa hoc Sacramentum facimus, reiicitur, & nihil præterea agimus, quàm Sacramentum hoc externo ritu veneramur, monstramus, circunferimus, adoramus, seclusum reponimus, satisfeciſſe arbitrantes, cùm minimè id sufficiat. Quæris quid præterea requiratur? Accipite, inquit Christus, & manducate, Hoc est corpus meum. Et iterũ, Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Qui manducat carnem meam, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Et propheta, Manducabitis, & saturabimini. Sed inquiet aliquis, Audio igitur non satisfieri huic festiuitati, nisi corporaliter omnes Sacramentum illud mãducauerimus. Resp. Non hoc omnino necessarium esse aio. Veruntamen adhuc dico, cõmodius nos nihil facturos esse hodie, quàm si Apostolorum imitantes exemplum, omnes hoc Sacramento participauerimus: ne semper nobis obiciant aduersarij, sæpe nos adorare Sacramentum hoc, sed vix semel toto anno cõmunicare, id quod in primis præcepto mãdatum est. Tum omnibus per necessarium duco sacramẽtum hoc spiritualiter suscipere, si modò hanc diem rectè festã agere voluerimus. Huc ergo pertinet, quòd Christus non simpliciter dicit, Manducate, hoc est corpus meum, sed premittit, Accipite. Tunc porrò illud accipimus, cùm magni facimus, indubitatò credimus, cum gratiarum actione diligimus, sæpe cũ omni diligẽtia commemoramus. Quòd si ingenuè Christianus es, illud accipe Dei omnipotentiã, sapientiam, & bonitatem maximè verò saluificam Christi passionem in memoriam reuoca: admirare hæc omnia, inq; iisdẽ exulta, da gloriam Deo, iubila, & exulta, & quacũq; potes via incũbe, in tuos vsus hoc Sacramentum cõuertas. Ingens enim infœlicitas alioqui est, multa si quis possideat bona, quorum tamen vsum nesciat, illue vti non audeat, imò certissima Dei maledictio est, spiritualles ob oculos habere cibos, iisdem tamen nõ posse vti. Agite ergo, cum omni pietate hoc sacramentum apprehendamus, eóque illud diligentiùs, quò maiora hac tempestate contra nos insurgunt pericula. Nullum enim illo aduersus omne malum exurgens, peccatum, mortem, Diabolum, mundúmque præsentius remedium est. Vnde & Apostoli

Matth. 26. Ioan. 6 Ioel. 2. Eccle. 4. 1. Reg. 7.

ipſi

ipſi ante omnia hoc ſe munierunt armarúntque ſacramento contra perſecutiones mundi, quemadmodum Actorum illud volumen teſtatur, perſeuerántes eos fuiſſe in communione fractiõis panis. Idé poſtea ſancti Martyres fecêre, nec vlla nos fortiori armatura etiamnum aduerſus immaniſsimæ crudelitatis hoſtem Turcam obfirmauerimus, quàm hoc ipſo ſacramento. Primò enim, quò maiora excellentioráque in eo Dei vidêtur magnalia, eò firmiorem inde cõcipiemus fidem, quod ipſe etiam noſtrorum hoſtium vires poſsit infringere. Secundò, quò propinquior Chriſtus in hoc ſacramento nobis eſt, eò confidentiùs ipſum inuocabimus. Tertiò, quò manifeſtiùs hîc videmus Chriſtum pro nimia ſua charitate mortem noſtri cauſa voluiſſe ſubire, eò magis & nos animas noſtras pro fratribus ponere, maximè pro Chriſto, ad cõſeruandam illius nominis inter impios gloriam monemur. Quartò, quò clariùs hîc charitatis, vnitatiſque admonemur, cùm omnes vnum corpus ſumus, omnes de vno pane, & de vno calice participamus, eò fortius ad ſubueniẽdum omni quo licèt modo fratribus noſtris Turcę perſecutionem incurſionéſq; ſufferentibus, incitamur. Vides ex his omnibus quàm multis modis hoc Sacramentum commodis noſtris cõmodet, tantùm ſi rectè & cũ intentione illi immoraremur. Accipite ergo, ô Chriſtiani, & manducate. Hoc enim vnum illud & præcipuum huius feſtiuitatis inſtitutum eſt. Gratia Dei nobiſcum, Amen. Act. 2.

SERMO TERTIVS SVPER Antiphonam, O ſacrum conuiuium.

EVangelium hoc ita à Chriſto dictum, ita etiam à Ioanne perſcriptum eſt, vt quomodo huic feſtiuitati conueniat, non ſit neceſſe pluribus oſtendere. Nemo tam rudis qui non videat, idem vtrobíque, & in eundem finem omnia directa eſſe: nempe hoc apud ſe fundamento poſito, quòd Chriſtus non ſolùm fide apprehendendus, verùm etiam in Sacramento percipiendus & incorporãdus nobis eſt. Et ea ratione quòd Chriſtus in Euangelio verbis docet, idipſum in Eccleſia præſentatur factis: & quod illic audimus, hîc ipſi coram videntes intelligimus. Iudæis ſanè paulò ante Euangelij huius lectionem Chriſtus loquens ait, Non Moſes dedit vobis panẽ de cœlò, ſed Pater meus dat vobis panem de cœlo verũ. Et mox, Ego ſum panis viuus, qui de

cœlo descēdit. Nobis præsens festiuitas loquitur: Ecce panis angelorū, factus cibus viatorū, verè panis filiorū, nō mittendus canibus. Mirū igitur, nostrum seculū aliud tanquā verè diuinū & sanctum amplecti, aliud verò vt inutile & impiū reiicit atq; condēnat. Nulla de Euangelio querela est, & id quidē meritò. Tantū hæc festa dies quorundā palato insuauior est: cū tamen, vt dictū est, idem velit, requirat, vrgeat, quod Euāgeliū, quin apertè demōstrat, quòd promissiones suas Christus impleuerit, ad gratias agendas nos hortatur, eiusmodi dona ac monilia magnificare docet, nempe quæ Deus Opt. Max. pro claritate sua singulari in sempiternam fidem spémq; nobis disposuit. Hæc illa sunt, quorum causa hæc festiuitas ordinata est. Si ergo iustum est, mirabiliū beneficiorūq; Dei meminisse, si propterea summæ illi maiestati laudes dicere Christianū est, si æquum est à Deo porrecta dona in pretio atq; æstimatione habere: certè de hac festa die queramur nō est. Nam quòd nonnulli prætendunt, non ideò Sacramentū hoc institutum esse à Christo, vt adoretur, circunferatur, demonstretur, & spectaculū exponatur omnium oculis, sed tantùm vt de eo participemus: præcedenti sermone redargutum est ita, vt sit vnde piè Christianus conscientiam suam aduersus quorumcúnq; blateramenta pacificare possit. Sanè quòd alij inferunt, nouum esse festiuitatis huius institutū, veteres nihil nouisse tale, nihilominus tamen in magno pretio sacramentum hoc habuisse, facilis est solutio. Vero non abest, ante quadringētos annos nullū festiuitatis huius fuisse vsum. Tum facilè hoc quoq; do, non eam antiquioribus cæremoniarū numerositatē circa hoc sacramentū fuisse, quæ nunc est. Neq; enim illa tempora, quibus omnium mentes amore, pietate, & reuerentia erga illud ardebant sacramentum, eiuscemodi externas admonitione requirebant. Nemo tunc de veritate eius dubitabat, omnes verum Christi corpus sanguinémque, imò totum Christum in eo præsentem indubitatò credebāt, eóq; dignū arbitrabantur, summo illud haberi in pretio. Maturatè satis in primitiua olim Ecclesia credentes, in varias diuidebantur sectas, hæresis hæresim, error tangebat erroré, alij alia atque alia adoriebantur: nemo tamen aliquot centenis annis post Apostolos de veritate corporis & sanguinis Christi in hoc sacramento addubitauit. Id quod sanè miraculo non caret, ac singulari quadā Dei prouidētia factū est.

Nihil

Nihil enim est per se mirabilius, nihil creditur difficilius, nihil est quod minus cum ratione nostra conuenit, in nulla re alia maiora exhibentur miracula, quàm in hoc sacramẽto: nihilominus tamen Deus, ne mille & aliquot annorum tempore impetereturconseruauit. Tum demũ in Gallia Berengarius quidam non ita doctus, sed nasutus exurgens, primus in dubium vertit: sit ne verè corpus & sanguis Christi in Sacramento, aut non: Et hic sanè mox assecias sui erroris inuenit non paucos. Et quanquam postea in concilio Turonensi eò induceretur, vt errore suo agnito, reuocaret, palinodiam caneret, ad Ecclesiæ sensum rursus accederet: idem tamen venenum in aliorum mẽtibus perseuerauit, qui deinde etiam atque etiam renouarunt illud & latiùs diuulgarunt. Itaque mortuo iam Berengario centum annis, Almaricus quidam errorem hunc renouauit, quem secutus est Vuicleff in Anglia, idémq; tertiò vulnus refricauit. Quãdo igitur tot modis sacramẽtum hoc impetebatur, omninò necesse erat, vt quacúnque licuit ratione simpliciores in amore, pietate, atq; obseruantia eius retenti non seducerentur. Vide ergo hinc præsens itthęc festiuitas est. Nisi enim Berengarius cũ suis successoribus credentes à reuerẽtia sacramenti alienasset, hoc festo reducere eos necesse non fuisset. Eadem etiam ratio in alijs rebus videtur. Antequã Arrij incresceret error pauca de Triade illa sancta cõscripta sunt: neq; enim nẽcesse erat nemine hac de re hæsitante, omniũ fide consentiẽte. Et sanè verisimile est, nullũ illo tẽpore de Trinitate festum diem celebratũ fuisse. Sed insurgente aduersus eam Arrio, & prævalẽte errore, vndiq; repugnandum, scribẽdum, atque disputandum erat. Illinc, vt quotidiano sacro fidei, quod de Triade illa est, symbolum palam confiterentur cantaréntq; sacrificantes illic festum Trinitatis, institutum est, nẽpe vt omnes in ea, quæ de Trinitatis mysterio est, fide, constantes perseuerarẽt. Similis hodiernæ solẽnitatis ratio est. Serò instituta est, serò sacramẽtũ hoc impugnauit Diabolus. Quod si citius impugnasset hîc, tẽpestiuius Patres cõrrà stetissent, Nulla ergo nobis reijciẽdi hoc festũ superest occasio. Quin verò si nullo vnquã tẽpore necessariũ fuit, nostra est quàm maximè. Queris qui hoc? Ecce nostra ætate nõ vnus aliquis Berẽgarius oppugnator sacramẽti huius est, sed innumeri. Ille signũ seu figurã tãtũmodò corporis Christi esse asserit Hic quidem corpus Christi esse nõ diffitetur, sed simul cum

illo panem & vinũ manere asserit. Tertius sacrificiũ negat. Quartus propter ambarũ specierũ defensionẽ litem mouet. Quintus consecrandũ nisi præsentibus communicantibus, prohibet. Sextus denique ioculatorio modo ea leuitate tractat, ita nugas agit cùm de eo loquitur, vt simplicibus recti quicquàm de eo opinari vix liceat. Et quis enumerandis his malis sufficiet? Quid verò simplices fortiores in huius sacramẽti fide hoc ipso festo reddet, cõseruabítq;? Sanè nisi iã institutũ esset, vt instituetur etiã nũc necessitas postulat. Nõ potest hoc sacramẽtũ sacris inculcari, quin adhuc inculcetur necesse sit, nec tã expresse eius tradi potest ratio, quin eo nos abducat hostis noster, vt quotidiè amore nostro erga summũ illud sacramentũ, per multum decidat, pereátq; deuotio. Quid velit aduersarius, videmus: cogitationes illius nouimus: vtinã cognosceremus etiã, & eam ob causam nosmet prudentius armaremus. Sed hęc dicere volui, simpliciũ commodis cõsulens. Nunc porrò & illud audiamus, qua ratione hodiè ipsum nobis propositũ sit sacramentum, ne cæremonijs tãtùm dediti quasi confidere videamur, néue festa nostra tanquã pompæ apparatum & ostentationẽ reiiciant aduersarij. Sanè quidem rudibus consultũ volentes, libẽter ceremonias continemus, vt iis ad honorem & reuerentiam sacramenti attrahantur. Neque tamen dubito, si quis ea, quę de sacramẽto hoc nostro decantata sunt hodiè, altius secum considerauerit, fore vt rectius aliis de nobis iudicet, nimirũ non nudas esse cæremonias intelligẽs. Id nũc exemplis demõstrare libet. En ergo ita hòdie decãtatũ audiuimus. *O sacrũ cõuiuiũ, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius, mẽs impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur. Alleluyah.* Hãc Ecclesiæ cantionẽ cõmendatã vobis hac vice cupio, eámq; vt in vobiscum deportetis, domíque in mentium vestrarum penetralia recludatis admoneo. Quicquid enim de hoc sacramẽto vel cogitandum, vel credẽdum, vel etiam æstimandum sit omne his paucis verbis comprehensum est. Quinque verba (vt ita censeam) habet, quorum quodlibet peculiare aliquid, vel ad consolandas conscientias, vel ad confirmationem fidei, vel ad excitandum amorem laudésque Dei, & doctrinam, admonitionem, cautionémque plurimum valet. Súntque eiusmodi omninò, quæ nemo sine magno dispendio ignorat, quibus etiam humanæ mentes aduersus ipsas inferni portas obfirmari atque

muniri

muniri possunt. Imò etiam iisdem his verbis quinque rationes inuenimus, cur toties hoc sacramentum proponatur cur etiam toties acclamatur nobis: *Tantum ergo sacramẽtum veneremur cernui, & antiquum documentũ nouo cedat ritui, præstet fides supplementum sensuum defectui.* Prima ratio est, vt hoc amplius Christianæ dilectionis atque concordiæ admoneamur. Secunda, vt confidentiùs credamus, quòd Christus noster sit. Tertia, vt minus eorum, quæ Christus pro nobis fecit & passus est, obliuiscamur. Quarta, vt ardentiùs Dei gratiam desideremus: & quinta denique, vt audentiùs futuram gloriam speremus & expectemus. His de causis toties nobis sacramentum hoc proponitur. Annon tibi satis ponderosæ hæ rationes videntur? Quid Christianos magis decet mutua dilectione? quid prodesse ac iuuare in omnibus magis poterit concordia? quid in omni aduersitate certius firmiúsque erit, quàm Christo counitum esse? quid nos fortiùs aduersus commissa poterit consolari, præter passionem mortémque Christi: quid est quo magis indigemus, quàm gratia Dei? Quid beatius, quàm in his etiam terris futuræ fœlicitatis arrham custodire? Quòd si vel vna tãtùm ex istis omnibus ratio subesset, minimè mirandum, imò dignum & iustum dicendum esset, etiam quotidiè aut singulis horis sacramentum istud proferri: quantò minus hanc consuetudinem & inutilem, cùm tot vrgentes causę adsunt, damnare debemus? Propterea vt omnes his cæremonijs cõmodiùs vti possimus, nõ video quomodo rectius reliquum orationis impendam, nisi si cãtionem illam Ecclesiæ fusiùs enarrauero. Vos interea monitos oro, sinite, hæc multum apud quemlibet vestrum verba valeãt. Proculdubiò enim à Spiritu sancto profecta sunt, ex sacræ scripturæ nimirum voluminibus desumpta. Principio igitur sacramentum hoc non simpliciter epulũ, siue cõuiuium dicimus. Dauid quidem cibum vocat, Christus verò cibum & potum appellat, sed & vitæ panem idem dicit. Paulus cœnam Domini, panẽ & calicem Domini nominat. Quæ omnia eò faciunt, vt non solùm prædicetur, credatur, videatur, & in pretio habeatur, verumetiam vt percipiatur, quemadmodum in primitiuæ videre est Ecclesiæ Patribus, nempe, in doctrina Apostolorum, oratione, & fractione panis perseuerantibus. Hîc porrò adhuc aliquid præterea innuitur, aliud perceptioni illius tempus deputatum est, quando quomodo cibus sit, qua-

Psal.110. *Ioan.9.* *1.Corin.11.* *Actu.2.*

etiam pietate percipiendum sit traditur. Hodie non iam vt cibum simpliciter, sed veluti conuiuiũ proponitur. Id quod longè aliud est. Cibum enim pro se quisque, & solus capere potest: conuiuium est vbi plures simul discumbũt. Vult ergo Christus sacramentum hoc suum, non cibum esse, quem sibi quisque sumere possit: sed conuiuium, vbi multi, imò omnes Christiani simul mãducent. Et hîc statim cõsideratur, ideò illud instituisse Christum, maximè, vt per ipsum Christiana conseruetur dilectio, nósque ad mutuam charitatem & vnanimitatẽ trahamur. Esse, inquam, debuit concordiæ signum, dilectionísque vinculum: quemadmodum in externa etiam cõsuetudine est, ibi amicitiam foueri, vbi plures manducaturi discumbunt. At vbi se quisque subtrahit, nullam ibi foueri dilectionem indicium est. Videte ergo fratres, hoc ipsum Christus voluit, & hac ratione Græcis συναξις dicitur, nos Communionem vocamus, rem nimirùm de qua plures homines, omnes Christiani participant. At propterea quidem Christus ante póstque Sacramenti huius institutionem, tanta discipulos fidelésque suos diligentia, dilectionis mutuæ admonuit, suóque exemplo inculcauit. Imò hac ipsa etiam ratione in iis rebus hoc sacramentum instituit, quæ ex multis vnum fiunt, vt in pane & vino ex multis nanque granis vnus panis conficitur, & ex multis acinis vnum vinum confluit. Eiusmodi ergo sacramentum suum Christus esse voluit, quod ad vnitatem nos attraheret. imò quo ipsi inuicem vnus panis vnúmque corpus efficeremur, maneremúsq; quotquot de vno pane & de vno calice participamus. Et eo modo etiã veteres illo vsi sunt, cùm ex peregrinis cõuenientes nationibus, hoc sacramentũ veluti fidei cõcordiæque suæ testimonium alter alteri mittebant. Idem de primis Ecclesiæ membris post ascẽsionem Domini legimus, quorum omnium hoc conuiuio cor vnum & mens vna fuerat. Sit ergo illud primum, cuius hoc sacramentum nos admonet, Christiana nẽpe vnitas. Ideò enim conuiuiũ dicitur. Quã verò è re Christianæ reip. esset, nos vnicũ hoc diligẽtiùs cõsiderare verbũ, quã tũ facilitate vitia nostra ipsimet agnoscere mus: Quã nos peruersitatis ill⁹ nostræ puderet, qui tã multa de hoc sacramẽto loquimur, prædicamus, cõscribimus: nihilomin⁹ rectè in sensum illi⁹ peccam⁹: qd illi discordia, lite, bello, simultate, inimicitia, sectis & deniq; dissidio magis cõtrariũ? Quibus

verò

erò rebus hac nos tempestate perinde dediti sumus atque discordiis inimicitiisque disseminandis, & quod multo etiam pestilentius, ex ipso hoc eodémque sacramento disidiorum semina causasque seligimus, quo Christus colligere nos, & in vnum coalescere voluit. Et vt in summa dicam nolumus vt nobis conuiuium sit, quo mutui admoneamur amoris, quisque de eo in suæ pertinaciæ angulum rapit ac detrahit, illóque pro suo arbitrio vtitur, inuisis & contemptis aliis omnibus. Et in tanta omnium discordia nũquam rectius in vsu fuisse hoc sacramentum nobis persuademus. Imò verò nunquam hoc modo illo vsi sunt credentes. Neque enim hucusq; perstitissent, iam olim disipata interiisset Religio, si tantum ad disseminanda disidia ab exordio Ecclesiæ patres illo vsi fuissent. Sed melior sanctas mentes inhabitauit scientia, melioribus etiam vsibus hoc sacramẽtum accommodauit antiquitas, nempe ad vnanimitatis, dilectionis, pacisque incitamentum. Idem tu quoque ô ingenue Christiane tacito, agnosce quia sacramentum hoc non cibus priuatorum est, sed conuiuium omnium Christianorum, scito, inquam, alios quoque inuitatos esse, partémque in illo habere. Hoc age, vt in illa vnitate inueniaris, non solùm cum omnibus in vniuersum, verùm etiam cum quocũque Christiano in specie: quandoquidem omnes ad eandem mensam tecum accumbere, eodem cibo, potúque participare, idémque etiam tecum corpus esse agnoscis. Ecce hęc primum illud verbum nos docet. Sed & illud attẽde, sacramentum hoc, non solùm conuiuium, sed & sacrum conuiuũ esse. Id quod inter hunc alióq; cibos discernit, & quales hoc sacrum epulũ conuiuas requirat, admonet. Corinthiis Paulo adhuc viuo eò tere res deuenerat, vt ex sacro cõuiuio factum fuisset prophanum, quare acriter eos Apostolus increpauit, primæ illius institutionis seriem denuo inculcans, vt sacrum esse conuiuium intelligerent, ac singulatim noctis illius, in qua Dominus in mortem tradebatur, meminit, quo Iudam omnes in memoriam reuocarent, ac latæ super eum sententiæ meminissent, vt quisque seipsum probaret, ne in tam sacrum conuiuium impingeret. Id quod nunc prætermitto, quòd ad cœnæ Domini tempus, quo communicare consueuimus, pertineat. Sed nunquid hoc totum illud est, inquis, quare sacramentum illud proponitur nobis, monstraturq; hodie? Minimè. Nam & aliæ plures rationes sub-

1. Cor. 11.

sunt

ſunt: nempe, quòd ipſe Chriſtus in eodẽ ſacramento ſit, hoc eſt, non ſolùm admonemur illius communionis, quæ nobis cum fratribus cæteris eſt, verùm etiam illius, quæ nos Chri
Ioan.17. ſto coniungit. Non hoc ſolùm ille vult, vt inter nos fratres communẽ foueamus amorẽ, ſed ipſe etiã ſe nobiſcũ, nóſque ſecum vnũ eſſe exigit. Quid enim prodeſſet adeò nos membra inuicẽ coagulata eſſe, niſi & ipſe Chriſtus vnũ nobiſcũ eſſet? In externis quidem rebus cõcordia nonnihil commodat, teſte Salomone: Frater, inquit, qui adiuuatur à fratre,
Prouerb.18. quaſi ciuitas firma eſt. Sed in ſpiritualibus, niſi cũ Deo vnũ
Ioan.13. facti, nihil prodeſt. Propterea in cœna nõ ſolùm dicit, Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem: ſed addit poſt
Ioan.17. ea, Pro eis rogo Pater, vt ſint vnum ſicut & nos vnũ ſumus. Ego in eis & tu in me, vt ſint conſummati in vnũ. Quin propterea etiam non ſolùm Euangeliũ ſuum dedit in corda noſtra, non ſolùm etiam Spiritũ ſuum in animas noſtras infudit: ſed etiam corpus ſanguinémque ſuum porrigit, vt eò arctiùs fortiúſque illi coniungamur, incorporemúrq;, ac ſi diceret: Ecce omnes ad eãdem menſam inuitaui, vt vnanimes ſitis, pacémq; conſeruetis: Quod ſi feceritis, ero & ipſe ego
Zacha.2. veſter, & qui vos tetigerit, pupillam oculi mei tanget. Nec ſolùm inhabitabo in vobis: verùm etiam vnum vobiſcũ corpus ero, ita, vt membra veſtra mea ſint, in quæ deitatis meæ potentiam effundam. Illa enim vos indigetis, & mihi eius abundans copia eſt. Ecce quomodò ſacramento hoc non ſolùm fraternitatis, quæ inter nos erit, verùm etiã coniũctionis noſtræ cum Chriſto, admonemur. Id enim ſignificamus cùm in Eccleſia canimus, O ſacrum conuiuiũ, in quo Chriſtus ſumitur. Annon igitur immenſa conſolatio eſt, quia ſacramentum hoc certiſsimum teſtimonium perhibet, quod cum Chriſto & electis omnibus communicamus? Quomodo in terris ſufferri poſſemus ſublimiùs? quàm hoc ſacramento firmiorem ſpem deſideramus? Ad hæc in eo etiam memoria paſsionis Chriſti recolitur. Quid verò aliud Chriſti paſsio fuit, præter victimã pro peccatis noſtris? Illius ergo paſsionis & victimæ (hoc eſt, quòd Chriſtus idẽ corpus quod in ſacramento percipimus, eundem ſanguinem, quem hîc bibimus Deo Patri obtulerit) in hoc ſacramento memoria recolitur: nec memoria tantùm, verùm etiam quaſi viſibili quodam repræſentatur: Non quòd denuò crucifigatur, vt quidam blaſphemi blaterant: ſed quia crucifixus & in ſe-

metip-

metipſo oblatus Chriſtus, Deo Patri in ſempiternã memo
riam præſentatur, quòd tam charam, pretioſam, dignã, ſuf-
ficientémque victimam pro delictorum noſtrorũ expiatio
ne dignatus ſit ſuſcipere. Hac ratione in hoc ſacraméto me
moria paſsionis Chriſti recolitur, quę ſanè vna in pręcipuis *Matth. 16.*
inſtitutiõis eius cauſis eſt, Accipite, inquit Chriſtus. Hoc fa
cite in meam cõmemorationẽ. Manducabimus & bibemus,
eiúſque paſsionem in memoriam reuocabimus. Hęc duo ſa
nè cunctis temporibus in vſu manẽt. Sed quia ad perceptio
nem ſacramenti illius nõ cogimur: non ideò tamen paſsio-
nis memoria intermittitur. Id quod præcipuũ in Eccleſia
ſacrum eſt, iuge nempe ſacrificium, quòd nulla die præter-
mittitur. Hæc ſumma fiducia noſtra eſt, ꝙ corpus Chriſti
in cruce oblatum, & ſanguinem eius in noſtrorũ peccatorũ
remiſsionem effuſum habemus. Illa nẽpe oblatio iram Dei
mitigauit. Ille ſanguis peccata noſtra abluit. Illa oblatione
omnia nobis obtinuit: Et quia duo illa certò nobis adſunt,
non eſt, quòd porrò Dei iram extimeſcamus, nec oberunt
commiſſa mala, imò omnia etiamnũ apud Deum Patrem
impetrare licebit. Et hoc tertiũ vult. Nondũ tamen ad finẽ
peruenimus. Nam in hoc ipſo etiã ſacramento mens noſtra
impletur gratia, nec id immeritò. Quę enim illic gratia de
eſſe põt, vbi Chriſtus præſto eſt, & ſumitur? Reuolue ſextũ
Ioãnis caput, vnde hęc Euãgelica lectio deſumpta eſt, haud *Ioan. 6.*
dubiè, quę gratiarũ dona à Chriſto ſperare poſsimus, inue-
nies. Et quid de gratiarũ donis tantũ dico? In hoc ipſo ſacra
mẽto etiã futurę glorię nobis pignus datur. Certiſsimũ eſt,
infallibilius futuræ fœlicitatis pignus habere nõ poſſe nos
hoc ſacramẽto: quẽadmodũ nec ditiorẽ hîc gratię fontẽ ha-
bere licet eodẽ ſacraméto. Qui mihi miniſtrauerit, honori *Ioan. 12.*
ficabit eum pater meus. Pignus huius promiſsionis quęris,
en tibi ſacramentũ hoc, atq; in ſacramẽtũ arrhæ loco ipſum
Chriſtũ. Si enim Deus donauit nobis filiũ ſuum, quomodo *Rom. 8.*
non omnia ſimul cũ illo donabit? Hinc nẽpe eſt, ꝙ toties in *Ioan. 6.*
Ioãne cũ huius cibi meminit, vitã pollicetur. Sic igitur opi
nor videre licet, quãtũ in hoc ſacramento ſitũ ſit, eóq; nobis
pretioſius honoratiúſq; ęſtimabit. Gratia Dei nobiſcũ, Amẽ

SERMO QVARTVS.

SI fas eſſet humana dicta diuinis admiſcere eloquiis, oppi
dò quã hunc ſermonẽ cũ Gẽtili quadã hiſtoria exordiri,

cupę

Hiere.23. cuperem. Sed Hieremias Propheta id fieri prohibet: Quid paleis ad triticũ? ait. Vnicum enim Dei verbum verus animarum cibus est, quicquid humanus dictat sensus, quã tũlibet egregium, si ad diuina verba conferatur, paleæ sunt. Verũtamẽ quid oberit, ex Gentiũ historiis vsurpare, quod multorum emendationi cõmodet? Nam & Paulus ideò quædã ex poëtis, Menandro, Arato & Epimenide in Epistolis concionibúsq; suis citauit. Liceat ergo ex Gentium scriptis exempla, hortationésque mutuare virtutum, veritas tamen ac fundamentum in Dei verbo petenda est. Cuius igitur præsens me Festiuitas admoneat, audi: Titus Liuius de Anniba le Carthaginensium duce refert, quòd rebus priùs quã verbis adhortãdos milites ratus, circũdato ad spectaculũ exercitu, captiuos montanos vinctos in medio constituit, armísque Gallicis ante eorũ pedes proiectis, interrogare interpretem iussit: quis si vinculis leuaretur, armáq; & equũ victor acciperet, decertare ferro vellet? Cùm ad vnum omnes ferrum pugnámque poscerent, & deiecta esset in id sors: se quisq; eum optabat, quem fortuna in id certamen eligeret. Vt cuiusque sors exciderat, alacer inter gratulãtes gaudio exultãs cum sui moris tripudiis arma raptim capiebat: vbi verò dimicarent, is habitus animorũ non inter eiusdem modò conditionis homines erat, sed etiam inter spectantes vulgò: vt non vincentium magis, quàm bene morientium fortuna laudaretur. Dum sic aliquot spectatis paribus affectos dimisisset, cõcione inde aduocata ita apud eos locutus fertur, Si quem animũ in alienæ sortis exemplo paulò antè habuistis, eundem mox in æstimanda fortuna vestra habueritis, vicimus milites. neque enim spectaculum modò illud, sed quædam veluti imago vestræ conditionis erat. ac nescio, an maiora vincula maioréque necessitates vobis, quàm captiuis vestris fortuna circundederit: dextra lævaque duo maria claudunt, nullam ne ad effugium quidem nauem habentibus: circa Padus amnis maior violentiórque Rhodano, à tergo Alpes vrgent, vis integris vobis ac vigentibus transitæ. Hìc vobis vincendum, aut moriendum, milites, est. Hoc modo dux ille milites suos, primũ spectaculo deinde sermone animauit. Volui autem hanc historiã ideò sermonis huius exordio enarrare, quòd idem in nobis nunc fieri videatur. Et aliis quidem festiuitatis verbis tantummodo cohortamur, hîc & verbis & facto simul. Egregium sanè

T. Liu. dec. 3. lib. 1.

& in

& iucundum hodie omnium oculis exhibitum est spectacu sum. Plenum consolatione Euangelium audiuimus. Quòd si ingenui Christiani sumus, nostrã exhortationem vtrũq; ducimus, non solùm Euangelium, verùm etiam supplicationem. Neque hæc sine ratione moneo. Inuenias enim qui vtrunq; simul contemnant. Sunt alij quibus processio hæc ambitiosum videtur spectaculum, quasi ob superbiæ pompam & ostentationem instituta sit, eóque plus mundo quàm Deo placere studeant, taceo interim plures esse, qui erga sacramenti huius maiestatem nec fide accendantur, nec pietate moueantur, & quò se hodie magis cernuos in supplicatione ostentarunt, eo maiore impietate reliquo totius anni tempore ista & negligunt & contemnunt. Iam verò non hoc veteres supplicationis illius instituto quæsiuerunt, vt ostentationi seruire inani, sed quod Annibal spectaculo suo, hoc nempe Ecclesia ista supplicatione vult. Adhortari atque animare, vt fide in Deum fortiùs perstemus, vt pertinaciori virtute hosti nostro nos opponamus, vt minus mortẽ aliáq; aduersa timeamus. Quod ergo Annibal militibus suis locutus est, idẽ ego hîc cũctis in vniuersum Christianis loquor. Si integrũ est, ô fratres, cor vestrũ erga Deũ, si id animus loquitur quod corpora hodie cernua ostẽderũt, vicimus, imò verò fœlices beátiq; sumus. Quid enim totus hic orbis dãni inferet, si ita in fide religionéq; cõcordes sumus, quales nos hodie in supplicatione publica exhibuimus? Quã clãdẽ diabolus in nos inducet, si ita vt hodie in diuinorũ operũ cõsideratione Deíque laudibus perseuerauerimus? Quomodo mors cæteráq; aduersa, ita semper in tãti sacraméti memoria persistétes territabit? Videtis ergo, opinor, qua rõne ipsa etiam supplicatio hodierna, quam alij, vt vanam superstitionẽ dãnãt, nobis cõmodare possit: quãtò magis Euãgeliũ ipsiúsq; sacramenti institutio? Sed quid his immoror? Sic festiuitas isthęc instituta, sic scripturis, cõcionibus ceremoniísq; ornata est, vt meritò exultemus Christiani, quãquam vt nũc sunt hominũ mores & flendũ erit. Nõ nũc de illis dico, qui hanc festã diem planè reiiciunt. Quid enim mihi de iis, qui foris sunt iudicare? Iudicẽ Deũ habẽt, cui rationẽ reddent de quocúnque cùm facto, tum verbo, siue illud bonum, siue impium. De nobis ipsis loquor, qui hanc festiuitatem celebrare non recusamus, qui diuersos sanè honores huic sacramento impẽdimus. An igitur nõ est res mirum in modũ miserãda, 1.Cor.9.

illa

illa nos habere bona, tamen omninò non aut certè rariſsimè iis vti? Annō dignum omnium riſu, ita nos feſtos agere dies, ita multum circa hoc ſacramētum turgere pompis, nec vnquam tamen quid hæc ipſa ſibi velint, cogitare? Annō eſt contemptus, per omnes plateas ſacramentum hoc propter
Num.12. omniū fores deferri, à nemine tamē recipi? Iam verò id Deo in nobis placeat, impoſsibile eſt, quid illis contigerit, qui olim dicebāt, Nauſeat anima noſtra ſuper cibo iſto leuiſsimo. Iterū ergo mihi de hac ſolēnitate dicendū eſt, ſi quo tādē modo expergiſci, & ſeriò erga hoc ſacramentū affici poterimus. Ac principio quidē non ignoro multa de hoc feſto dicta atq; ſcripta eſſe, nec ſolùm multa, verùm etiā varia, & ſibi inuicē admodū diſsimilia: non tamen meū propoſitū eſt hîc enumerare. Neq; enim tempus ſufficeret. Et ſanè ita inſulsè quidam de eo dixerūt ſcripſerúntq;, idémq; nūc faciūt, vt tædeat iis earum diſperdere tēpus, nēpe non ignorantes conuenientiora. Deflendū tamen eſt: tot diſſentiones ex hoc ipſo ſacramento enatas eſſe, quod alioqui fidei ſummæque noſtræ ſpei ſeruare poſſit. Sed hæc malignus ille ſpiritus, aſsiduus ſempiternúſq; ſalutis noſtræ hoſtis excitat, vrget promouet. Noſtram ille naturam ad curioſitatē nouit pronam eóque curioſa & in diſceptationem controuerſiáſque pertinentia affert, vt vtiliora magíſq; neceſſaria poſtponamus. Nouimus, cogitationes eius, inquit Apoſtolus, vtinam
2.Corin.2. dolos impoſturáſq; illius altiùs conſideremus. Quid igitur
Matth.26. de ſacramento hoc ſcriptura loquitur? De hoc ipſo ergo loquar. In Matthæo ita legimus, Veſpere facto diſcumbebat cum duodecim, & cœnātibus eis accepit panem Ieſus & benedixit, ac fregit dedítq; diſcipulis ſuis, & ait, Accipite &
1.Corin.10. manducate, hoc eſt corpus meū. Paulus ſic habet, Panis quē frangimus, nónne participatio corporis Domini eſt? Quo-
Ioann.6. niam vnus panis, & vnum corpus multi ſumus omnes, qui de vno pane & de vno calice participamus. In Euāgelio ho-
Pſalm.110. dierno ſic legimus, Caro mea verè eſt cibus: & ſanguis meus verè eſt potus. Dauid ita teſtatur, Memoriā fecit mirabiliū ſuorū eſcam dedit timentibus ſe. Hæc omnia de ſacramento noſtro dicta ſcriptáque ſunt, vt nulli dubium ſit, magnum aliquid in eo ſitum eſſe. An tibi indignum fortè videbitur toto anno, vel ſemel illud in memoriam reuocare? Et quod illi conſiderationi tempus hoc ipſo aptius eſt? Superiore dominica de regenerationis lauacro dictum eſt,

quòd

quòd sit veluti ianua ad Christianam religionem, & quòd nemo regnum Dei videre possit, nisi natus fuerit denuò ex aqua & Spiritu sancto. Quæ autē vtilitas est, nasci vitámq; accipere, nisi qua ratione eadem conseruari possit, norit? Iam verò quemadmodum nemo hac vita fruitur, nisi priùs nascatur, ita nemo eandē conseruat, nisi cōuenientibus cibis vtatur. Quòd si igitur omnibus necessarium est, nouam cœlitus vitam accipere: erit haud dubiè non minus necessarium, singulari cœlitus cibo ad acceptæ vitæ conseruationē vti. Huic rei præsens seruit festiuitas, quæ ipsum demonstrat cibum, quo spiritualis vita conseruāda est. Et qua meliori ratione ordinari hæc instituíque possent? Vtique omnibus animantibus hanc primam natura curam indidit, vt mox nata, quomodo adeptam tueantur vitam, quærant. Tum Ioannes duo illa connectit, Hic est, inquit, qui venit per aquam & sanguinem Iesus Christus. Non in aqua solùm, sed in aqua & sanguine. Quæ primùm quidem de persona Christi possunt intelligi. hîc venit in aqua & sanguine, hoc est, baptizari voluit, deinde & mori. Omnia nostri causa. Deinde etiam intelligi possunt de præcipuis illis sacramentis, per quæ Christus potissimùm ad nos venit. Aqua baptismum, sanguis verò altaris sacramentum significat. Per aquam, hoc est, in baptismo vitam largitur, per sanguinem, id est, per altaris Sacramentum datam vitam conseruat. Hęc enim duo præcipua sunt sacramenta, quibus salus nostra consistit. Nūquid ergo rectè aliud aliud sequitur, nobísque gradatim proponuntur? Si superiore Dominica de baptismo audiuimus, meritò hîc de hoc sacramento docemur. Quid ergo in hanc festiuitatem inuehimur, quæ ideò instituta est, vt spiritualem ob oculos habeamus cibū, quo spiritus vita in nobis conseruanda est? Illic inuehamur, ac conqueramur, si quando hic cibus detraheretur nobis. Id quod multi nostro seculo accusant: nempe laicis detineri alteram sacramenti speciem. Hinc ergo, opinor, videre licet, iustā huius festiuitatis causam esse. Hæc summa est, vt cùm festiuitatis, tum ipsius etiam sacramenti verū vsum apprehendamus. Hîc ergo non solùm apertis oculis circunspiciamus, verùm etiam mentes in eas res, quæ hodie nobis considerandæ proponuntur, excitemus, quo suo etiam tempore desiderium fruēdis illis mētes nostras occupet. Nec id sine causa dico. Adhuc in deserto sumus, lōga nobis via restat.

Ioan. 3.

1. Ioan. 3.

3. Reg. 19.

Tum nec Satã cum ſua Iezabel, hoc eſt mundo inſidiari nõ ceſſat. Quod ſi propterea deficere noluerimus, porrectum à Deo cibum arripiamus. Sic enim Dauid loquens ait. Miſe-
Pſal.110. rator & miſericors Dominus eſcam dedit timentibus ſe.
Ioan. 6. Quæ verò eſca illa? Caro mea, inquit Chriſtus, verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Sed hîc non tantùm in externum ſacramentum cõtuendum eſt, ſed totus Chriſtus
Ibidem. quẽ fide ſumimus, intuendus. Hic noſter quem Deus dedit, cibus eſt. Nõ Moſes, inquit Chriſtus, dedit vobis panem de cœlo, ſed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Sed ideò hunc panem Deus præcipuè ad ſpiritualis vitæ in nobis conſeruationem, dat. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo, imò habet vitam æternam. Vides ergo virtutem & fructus huius cibi, vides, inquam, quòd longè ab alijs diuerſus cibus eſt.
Eſther.1. Magnificè quidem magni illius Aſſueri Regis apparatus ſplendidus, celebre illud conuiuium deſcribitur, ſed ſumptuoſa tantùm fuerat oſtẽtatio. Ideò enim tantũ diſpẽdium
3.Reg.4. fecit, vt diuitias gloriæ regni ſui oſtenderet. Ita etiã tertius Regũ liber deſcribit ſumptus, quos Regalis menſa Salomonis quotidiè requirebat. Sed inutilis ſumptus ille erat, quo ita ſubditos aggrauauit, vt poſtea de eo apud filium eius pro
3.Reg.12. mitigatione ſupplicarent. Ita deniq; Balthaſari Regis Ba-
Daniel.5. byloniæ cõuiuia deſcripſit Daniel, ſed quẽ ſortita ſint exi-
Exod.16. tũ, manus illa in parietẽ ſcribens indicat. Ita poſtremò ipſe etiã Deus murmurantem in deſerto Iſraelem coturnicibus cibauit. Ita Iſraelitæ manna veſcebantur. Sed quid Scriptura ait? Adhuc, inquit eſcæ eorum erãt in ore ipſorum, & ira
Pſal.77. Dei aſcẽdit ſuper eos. Ita iidem cibum habebant manna.
1.Co.10. Sed quid Paulus dicit? Non in pluribus eorum beneplacitum eſt Deo. Ita etiãnum ſua mundus frequentat conuiuia, quæ ſæpiſsimè peccatum augent, damna inferunt, ſtomachum grauant, ſubſtantiam eneruant, caput lædunt, vitam breuiant, vt interim alia multa inde naſcentia taceam. Hoc ſolũ conuiuium, quod Chriſtus apparauit nobis, ſaluificum eſt. Qui manducat hunc panem, inquit, viuet in æternum.
Ioan.6. Infœlices nos, qui tantam gratiam, non agnoſcimus, tantis bonis non vtimur, tãtãmq; Dei gratiam nõ magnificamus. Eia ergo vel hoc ſolum quid Dauid de hoc conuiuio canat,
Pſal.110. Conſideremus. Dominus, inquit, eſcam dedit. Non quiuis Dominus, ſed miſericors & miſerator. Vide quibus Pro-

pheta

pheta hîc vtatur verbis. Nunquid vel hæc ſola animos noſtros ad amorem deſideriúmq; mouent? Si enim Dominus hanc eſcam dedit, egregium quid & excellens eſſe nemo ſanè dubitat. Tum verò ſi idem hic Dominus miſericors eſt, haud dubiè omnium vtilitati hoc dato conſultum voluit. Si enim officeret incommodarétque, profectò qui dedit miſericors non eſſet, ſed tyrannus. Quare ſi Deus hanc eſcam dedit, nemo & ſalutiferam & vtilem eſſe dubitat. Si enim parentes filiis noſtris nihil nociui malíue damus, quomodo non etiam Deus dabit Spiritum bonum petentibus ſe? Vis autè & qualis ſit cibus, noſſe? Audi quid conſequenter Propheta de Deo, atque hac eſca addat. Memoriam, inquit, mirabilium ſuorum fecit. Audis quia memoriale ſit omnium mirabilium: quæ ab initio hucúſq; fecit Deus, præterea ipſa etiam eſca quam dedit mirabile deitatis factum eſt, id quod cum breuitate docebo. Principiò enim, nunquid vbiq; Scriptura magnificè Chriſti dilectionē prædicat? Cùm dilexiſſet ſuos qui erant in mundo, in finem vſque dilexit eos. Et Paulus. Dilexit nos, inquit, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. Et iterū Dilexit me, inquit, & tradidit ſemetipſum pro me. Et Dilexit nos, & dedit conſolationem æternam & ſpem bonam in gratia. Cuius quidē dilectionis quid nos rectiùs præter hoc ipſum ſacramētum admonebit? Hîc enim apertè videmus quantum in nos ipſe impenderit. Hic corpus, quod pro nobis in mortē tradidit, hic ille ſanguis, quem pro nobis effudit. Quibus qui non admoneri poteſt dilectionis illius magnæ, quo alio modo admoneri poſsit, non video. Per ſeipſum ſanè rarò aut nunquam illius recordabitur. Igitur ſacramentum hoc memoriale mirabiliū Dei dicitur. Ad hæc & eorum memoriale eſt, quæ Chriſtus docuit. Docuit verò nos obedientiam erga Deum, patientiam in cruce & afflictionibus, amorē beneficētiam erga fratres, docuit, inquam, hęc non verbis tantùm, ſed & exemplo ſuo. Iam verò eorum omnium nos admonet hoc ſacramentum: nēpe: quales eſſe nos deceat erga Deum in obedientia, quales in cruce, quales in fratres. Hîc enim maximè conſideramus, quam in paſsione ſua Chriſtus exhibuit obedientiā, patientiā, & dilectionē. Primū nēpe obedientiam, erga Deum, ſecundum, ſcilicet patientiam erga ſemetipſum, tertium, nimirùm dilectionem erga proximos nos, quo merito pudeat nos, in hoc ſacramentum oculos conuertentes. Pudeat,

Luce 11.

Ioan. 13.

Galat. 1.

2. Theſſ. 2.

inquam, nos, tantæ inobedientiæ in Deum, impatientiæ erga persecutores, & indolentiæ erga proximum. Non dubito quin idem sacramentum eius farinæ plurimarum rerum nos præterea admonere possit, si tantùm diligenti; illud indagine scrutari voluerimus. Sed ea de re hæc dixisse sufficiat. Nunc illuc quęramus, quomodo in seipso etiam mirabile Dei opus sit. Certissimũ autẽ est mera hîc esse Dei mirabilia, siue primam eius institutionẽ, siue consecrationem, siue etiã perceptionẽ cõsideraverimus. In institutiõe enim mirabilia diuinæ sapientiæ opera videmus, nempe quòd tam grata hanc medicinam ad languentium dispositiones temperatura miscuit. Omnium autem vox est primũ hominem in vetito cibo ostendisse, propterea quòd plus serpenti quàm Deo crediderit. Aduersus huiusmodi peccatum hunc Deus cibum per Christum ordinauit, vult etiã nunc suo verbo quàm nostræ rationi credamus magis. Et quidem ita fiat oportet. In hoc enim sacramento, omnes sensus nostri exteriores, solo auditu excepto, fallũtur. Vt olim Isaac Patriarcham præter auditum cæteri sensus fallebant omnes. Vox quidem Iacob: manus verò, manus Esau: ita & in hoc sacramento. Nihil sanè pręter panẽ videmus, præter panem nihil vel gustamus, vel olfacimus, vel etiam cõtingimus. Ex solo verbi Dei auditu, corpus Christi esse audimus. Et hæc diuinæ in sacramento mirabilia sapientiæ sunt. Porrò in consecratione eiusdem alia mirabilia consideramus, nimirũ mirabilia diuinæ omnipotẽtiæ, quam licet sæpe Deus, mutatis creaturis ostenderit, cùm Israeli aquam de petra durissima produxit in deserto, nihil in petra siue quod ad substantiam siue quod ad naturam & formam. Prius etiam cùm amaram aquam in dulcem & potabilem conuerteret, substantia quidem aquæ manſit, sed accidẽs amaritudo conuertebatur in dulcedinẽ. Postea cùm Christus aquam mutauit in vinum, substantia simul & proprietas aquæ vertebantur in substantiam atq; naturam vini. Hîc verò nouũ quid docente Euangelio intelligimus, nempe substantia panis vertitur in substantiam corporis Christi. Accidentia verò panis, vt albedo, olfactus, gustus, permanent. Et hæc mirabilia sunt diuinæ omnipotẽtiæ. Postremò verò in perceptione sacraméti huius bonitatis diuinę mirabilia considerantur, quòd seipsum nobis populis suis manducandum dat. Sanè nullus sub sole tam celeber populus, qui habeat Deos appropinquãtes sibi, sicut

Genes. 3.

Genes. 27.

Exod. 17.

Exod. 15.

Deute. 4.

ſicut Deus noſter adeſt nobis. Sed tum maximè huius bonitatis in hoc ſacramento videbis mirabilia, ſi varios inde naſcentes fructus conſideraueris: nempè, q̃ per illud Chriſto primùm, deinde catholicæ Eccleſiæ incorporamur, deniq; etiam aduerſus omnes aduerſitates cõfirmamur. Hinc ergo facile eſt colligere, qualis hoc ſacramentum ſit eſca, quàm meritò illud dicamus Sacrum cõuiuium, in quo Chriſtum ſumimus, eiúſq; gratiam ſuſcipimus, memoriam paſsionis recolimus, & futuræ gloriæ pignus accipimus. Gratia Dei nobiſcum, vt hæc cogitemus ſedulo, Amen.

SERMO QVINTVS IN HIſtoriam Danielis, quem Dominus per Prophetam in lacu leonum cibauit. Daniel. 4.

CVm mecum, quid hæc feſtiuitas velit, cur credentibus feriari indictum ſit, diligentiùs perpendo, neſcio, quo meliore modo hunc ſermonem exordiar, quàm exclamatione illa, aut potius gratiarum actione, quam heri ſacerdotũ chorus Deo cecinit: O quã ſuauis eſt Domine ſpiritus tuus qui vt dulcedinem tuam in filios demonſtrares, pane ſuauiſſimo de cœlo præſtito eſurientes replens bonis, faſtidioſos diuites dimittens inanes. Hæc verba plenis vocibus decantata ſunt heri in veſperis, ad excitandas omnium mentes in conſiderationem diuinæ omnipotentiæ, in admirationem diuinæ ſapientiæ, & conſiderationem diuinæ munificẽtiæ, imò etiam ad gratias agendas pro omni bono, gratia atque dono, quorum hæc nos ſolennitas admonet. Id, inquã quæſitum eſt hîc enarratis verbis. Et ſanè ea ipſa ſunt, quæ præſens à nobis poſtulat feſtiuitas, & tum demum piè rectéq; celebrata erit, quando pro ſe quiſque dicere poteſt, corde, inquam, atque animo admirari poteſt. Quæ Domine operum tuorum maieſtas eſt, qnàm mirabilia ſunt iudicia tua Domine Deus, quàm immenſa eſt tua munificentia, quàm ſpecioſa ſunt dona tua in hoc ſacramento, quod nobis miſeris, famẽque preſsis filiis tuis ſpiritualem cibũ, per Chriſtum filium tuum demiſiſti cœlitus? Quiſquis hæc corde oréq; dixerit, rectè hanc feſtiuitatem celebrauit. Hæc enim inſtituti huius ratio eſt, vt omnipotentem virtutem, incomprehenſibilem ſapientiam, ineffabilem amorẽ, & omnium excellẽtiſsima dona Domini & Dei noſtri cõmodiùs agnoſcamus, magnificemus, exaltemus, laudemus, & prædice- *Sap. 16.*

mus: vt eò fortiores in fide, firmiores in spe, ardentiores in charitate, tandem etiam feruentiores in oratione, prōptiores in obedientia, æquanimiores in cruce efficeremur. Hęc inquā, huius solēnitatis ratio est. Sapiēs quidem ille hęc eadem in viliore, nimirum manna, quærit. Sed nec solus ille. Idem enim ante illum in Mose videre est. Mirum sanè quo ille verborum exquisitissimorum splēdore cœlestem illum panem prædicet: Vocat panē angelorū, panē cœli delectabilem, & omnis etiam saporis suauitatē habentem, escam qua filiis suis Deus dulcedinē suā voluerit ostēdere, vniuscuiusque non necessitati modo, sed & voluptati deseruientē. Et quæ tam multarum appellationū intētio, quid his quæsiuit, nisi vt sui seculi credentes diuinæ illius, quam in manna cognoscerēt, potētiæ, sapiētiæ ac bonitatis cōsideratione eiusmodi Deū confiteri, venerari, colere atque prædicare moueretur incitarēturque? Idē Dauid in Psalmis egit. In Deut. Moses Dei populū admoniturus eorū, quæ Dominus inter ipsum fecisset, ante oīa Mannæ meminit: Recordaberis, inquit, cūcti itineris, per quod adduxit te dominus Deus tuus. Afflixit te pēnuriā, & dedit tibi cibum, Mānā, quem ignorabas tu & patres tui, vt ostenderet tibi, quod nō in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Quod si veteris testamenti populus Manæ illius sui toties, tam multis verbis, & longo post tēpore, quā dari desiuisset, vt in eo Dei omnipotentiæ, sapientiæ, bonitatisque recordarentur, vt fidē suā cōfirmarent, vt sese ad omnis generis pietatem excitaret, admonēdus fuit quanto æquius Christiani, nostri Sacramenti longè præcellētioris panis, in quo ipsum Deum, Deique virtutē, sapientiā, bonitatemque multo rectius clariusque quām illic in manna cognoscimus, admonemur? Quid enim Manna, si ad hoc sacramētū æstimetur? Patres vestri, inquit Christus Iudæis loquēs, manducauerūt Manna, & mortui sunt. Et, Non Moses dedit vobis panem de cœlo, sed pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Et iterum, Operamini cibum qui non perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis. Hunc enim pater signauit Deus. Illic figura tantùm & vmbra fuit, hic lux & ipsa est veritas. Nemo igitur, nunc nos denuo sacramenti nostri admoneri miretur, nemo id inane quid autem iniquum arbitretur. Si enim ille populus, quod multis paralangis minus erat, tanti æstimauit, toties commemoratiu

Deute. 8.

Sap. 6.

Psal. 77.

Deute. 8.

Ioan. 6.

Ibidem

Ibidem

memorauit,tam magnificè prædicauit, cur nobis nõ liceat facere idem in eo quod maius est? Quod si tantum illo tempore, dum illud vescebantur, prædicatum fuisset Manna, fortè & nobis sufficere cogitaremus, si tantum Cœnæ dominicæ,hoc est,cùm omnes sacramento nostro communicare cõsueuimus,eius admoneremur tẽpore.Sed quia apertissimè constant,cessante Manna,memoriã tamen eius perdurauisse,& veluti ingens Dei opus,vti re vera erat, diuulgatum fuisse omnibus,non verbis modò,vt demonstratum est,sed & factis(veluti cùm Moses Aaroni mandat, vt sumpto vase mittat ibi Man,quantum Comor capere possit,reponátque in Arca reclusum intra tabernaculũ domus Dei, ad seruandum in generationes sempiternas) sanè non est quòd quis miretur, nostrum hoc sacramentum non illo solùm tempore, quando secundum corpus illud vescimur, verùm etiam hac ipsa festiuitate, quibus licet modis,in memoriam reuocari, imò in Ecclesia asseruari ob memoriam indelebilem: idque eò maximè, quòd non ignoremus, aut certè ignorare non debemus, ita voluntatem postulare Christi,non modò secundum corpus,& semel tantùm quotãnis,verùm etiam spirituali modo, & quotidiè corpus,sanguinẽ suum percipiamus. Hoc est autem spiritualiter mãducare hunc,obedientiam & dilectionem eius cogitare:quarum illam erga Deum, hanc hominibus exhibuit,cũ sua se spõte in mortẽ tradidit:& quòd pro nobis passus sit, corpus suum in nostram redemptionem impenderit, sanguinẽ suũ in ablutionem delictorum nostrorum effuderit:& denique in hoc ipso exultare. Sed & hunc eundem pro nobis crucifixum Christum fide,spe,& charitate apprehendere, quid quid de dilectione Dei Scriptura tradit, toto pectore credere quod nos quoque eorum in numerum asciti sumus, pro quibus Christus eam mortem subiit,cõfidere, ideóque plena fiducia illi adhærere,ipsum prædicare ac venerari, omne nostrum in eum desiderium conuertere. Hoc est Christum spiritualiter manducasse, id quod maioris sanè ponderis est,quàm corporaliter tantùm hoc sacramentum vesci. Quare si peculiare tempus corporali manducationi illius sacramenti institutum est,cur nõ etiam spirituali eiusdem sacri communioni suum attribuendũ tẽpus est? Fit ergo hoc ipsum hodie, & quidem hoc maximè nunc facere *Exod.16.*

exercereque nos necessum est, si tamen ex hac festiuitate fructus aliquis expectandus est. Proinde copiosius aliquãto de hac ipsa festiuitate dicẽdũ mihi est, placuitq; veteris Testameti historiã, nõ incõueniẽtẽ proposito meo, in mediũ adferre, eámq; qua potero breuitate, discutere, in ea etiam hũc sermonẽ concludere. Est autẽ illa Danielis plena miraculi historia, quẽ Dominus per Prophetã cibauit & conseruauit. Hæc tradit, Danielem Prophetam Domini innocentem & indamnatũ in lacũ leonũ Babyloniæ proiectũ fuisse, vt ibi discerptus à leonibus periret. Gratus enim & charus Regi, aulicorũ ac primorũ in se concitauit inuidiam, qui nõ ferentes exotici hominis fidem tantũ apud Regem mereri gratiæ, hoc damnabant & accusabant, quod rectius & laudassent & secuti fuissent, Orare eũ quotidie ter ad Deũ suũ, confringere idola Bel, incusant: nẽpe inimici æquitatis, in primis Satan tantã viri probitatem abolere ita laborant, vt licèt faueret Rex, tamẽ quia sibi domuique suæ imminẽs, si non damnasset, periculum timebat, leonibus discerpendum adiudicauit, nõ diffidens hominem innocentẽ mortis posse effugere periculũ, cõtra quẽ non dictante iustitia, sed metu concitante, mortis protulisset sententiam. Deus tuus Danielẽ allocutus ait, Quẽ colis semper, ipse liberabit te. Et sanè verũ hũc iniqui Iudicis sermonẽ fuisse postea probauit euẽtus. Permisit Deus impios delatores cordis sui exatiari desiderio, impiæ volũtati insignem pietate virum tradidit, vt in eo quod vellent, facerent. Interea tamen suam quoque non obscurè ostendebat gratiam. Si inuidebant Danieli Regis fauorem, inuiti etiam cogebantur agnoscere, quæ in ipso erat, Dei gratiam qui & defensor & adiutor astitit, cũ Rex saluare non potuit: imò sua ipsorum cùm temporali, tum sempiterna perditione, nõ Regis solum, verùm etiam Dei iram experiri & sufferre cogebantur. Hucusque hæc historia in sexto cap. Danielis descripta est. nihil tamen adhuc, quod huic festo conueniat, in ea narratum est. Verùm cõsequenti narratione, hæc eadẽ historia repetitur, sed & aliud ibi recẽsetur miraculũ, quod Deus Danieli inter leones posito exhibuit, & hoc ipsum huic diei cõuenit, diuinę nos cõsolationis in hoc sacramẽto admonẽs. Queris quale sit illud miraculũ? Refert Scriptura, cũ Daniel in locũ leonũ missus esset, fuisse Prophetam nomine Abacuc in Iudæa, quẽ messoribus suis in campum cibos ferentem, angelus Domini

Dan. 6.

Dan. 14.

Dan. 14.

acceptis

acceptis capillis capitis sui, per aëra in Babylonẽ ad locum leonũ, in quo sedebat Daniel, portauit. Ab hoc Daniel accipiens prandium, non hos in vsus paratum, surgẽs comedit, gratiásque Deo egit. Hæc, inquam, Scriptura illic enarrat, conueniúntque huic festiuitati, imò quasi figura sunt eorũ, quæ hodie in nobis per hoc sacramentum operatur Deus. Quid Daniel, nisi quilibet credentiũ? Quid locus ille, siue leonũ cauea, nisi lacrymarũ vallis, in qua terrifica omnis generis mõstra sunt? Quid verò cibus ille, quẽ Deus per Prophetam suum ad nos mittit, præter verbum, & sacramenta eius, maximè tamen hoc, de quo hodie nobis Ecclesia loquitur? Rectè ergo Prudentius nostræ religionis poeta Christianus, hoc sensu eam historiã tam exquisitis verbis explicuit, vt cõuenientiorẽ optauérim nullã. Hũc & ipse sequar, nihil moratus, quòd in Iudæorũ Bibliis non habeatur ista historia, nec recipiatur. Sufficit enim huic instituto meo, ꝙ publicè in Ecclesia legitur, & ꝙ alij ante me inde tam disserendi materiã sumpserunt, maximè verò ꝙ nihil in ea sit fidei nostræ contrarium, nihil repugnans. Potuit hæc hísq; maiora Deus noster: Eliam per coruos quotidie panem carnésq; adferentes cibauit. Cur igitur non etiam per Prophetam è Iudæa Danieli in Babylone sedenti cibos mittere potuisset? Agite ergo videamus, qua ratione Prudentius hanc historiã ad spiritualẽ escã ac consolationẽ, quã Deus in tribulationibus positis largiri & conferre solet, referat. Principiò igitur occasiõe à corporali cibo sumpta, quomodo pro corporis etiam refectione laudes Deo dicendæ sint, docet. 3. Reg. 17

Prudentius

Pastis (inquit) visceribus, ciboque sumpto:
Quem lex corporis imbecilla poscit,
Laudem lingua Deo patris rependat.

Hoc primum poeta velut fundamentũ ponit, & in minori quid in maiori præstandũ sit, monet. Mox enim omisso corporali cibo ad spiritualẽ escam transit, vbi ipsam quoque Danielis historiam exempli loco ponit.

Sed nos tu gemino fouens paratu,
Artus atque animas vtroque pastu
Confirmas pater, ac vigore comples.
Sic olim tua prælucens potestas
Inter rauciſonos ſitum leones,
Illapſis dapibus virum refouit.
Illum fusile numen execrantem.

Et curare caput ſub expolita
Aeris materia nefas putentem.
Plebs dirę Babylonis & Tyrannus
Mortis ſubdiderant: feris ducarant
Sæuis protinus hauſtibus vorandum.
His addit exclamationem feſtiuam:
O ſemper pietas, fideſque tuta
Lambunt indomiti viros leones,
Intactumque Dei tremunt alumnum.
Aſtant comminus & iubas reponunt,
Manſueſcit rabies fameque blanda,
Prædam rictibus lambunt incruentam.

Poſtremò ipſum factum deſcribit, Angelum atque Prophetam officia ſua præſtitiſſe, dum Angelus Prophetam portauit, Propheta cibos attulit, Danieli ab vtroque miniſtratum eſt, qui & ipſe Dei factum agnoſcit.

His ſumptis Danielus excitauit
In cœlum faciem, ciboque fortis,
Amen reddit, Hallelu-iah dixit.

Hæc omnia ergo ad noſtrã doctrinam, ſpem, & exemplum ſcripta factáque ſunt. Nos Daniel, non qualis iam in cœleſti Hieruſalem, ſed qualis tum erat in Babylonia, vbi nõ hominibus ſolũ odio habitus erat, verũetiã feris indomitis vorãdus proiectus eſt. Nos, inquam, ille Daniel ſumus, imò verò eſſe debuimus: puta, ſic illuminati in agnitione Dei, ita fortes in fide, ita ſeduli in oratione & diuino cultu, tã caſti vita in mũdo, tam humiles erga deum, tã patiẽtes in omni aduerſitate. His coloribus Danielẽ Scriptura depingit. Hęc illa ipſa, quæ decẽt Chriſtianos oẽs, ſunt. Et ſanè, ſi tales Danieles eſſemus, nõ minus nobis præſentẽ Deũ experiremur quã ſuo tẽpore Daniel. Babylon mũdus eſt, in quo per oẽm vitã peregrini, imò captiui in miſeriis ſumus. Vera patria noſtra cœleſtis Ieruſalẽ, non terrenus, ſed ſpiritualis paradiſus, ex quo peccatum nos profligauit. Promiſſione tamẽ accepta ſperamus, nos illuc reduces reuerſuros, ſed nõ niſi per actis ſeptuaginta annis, hoc eſt, vitę huius tẽpore. Interea ſub amaris Babyloniæ ſalicibus ſedemus, in multa quã Deus per nos induxit, tribulatiõe, in qua tamẽ perire nos nõ permittit. Babylõ mũdus nõ ſolus impiis hominib⁹ verũetiã immaniſſimis leonibus nobis inſidiatibus plen⁹ eſt. Duplex tentationum genus, internæ, externæ, corporis & Spiritus.

Ieré.29.

Pſal.136.

Vtrunque

Vtrunque genus Dauid expertus est. Ferre enim eum nolebant homines, deuorare volebãt leones. Nec verus Christianus quisquã est, qui nõ vtriusq; generis tribulationes cũ ab hominibus, tũ ab impiis spiritibus sentiat & sustineat. Qui cũq; enim hîc piè volũt viuere, inqt Apostol⁹, persecutionẽ patiẽtur. Et Christ⁹, Si, inqt, mũdus vos odit, scitote quia me priorẽ vobis odio habuit. Quàm porrò venenatũ, quã insatiabile mũdi sit odiũ aduersus pios, pulchrè Prudẽti⁹ idicat.

2. Tim. 3.
Ioan. 15.

Vexamur (inquit) *premimur, malis rotamur,*
Oderunt, lacerant, trahunt, lacessunt,
Iuncta est supplicijs fides iniquis.

Si quis vspiam verè Christianus est, si quis se huic mũdo conformare nolit, quotidiè ea his & maiora & immitiora experitur. Tolerabilia tamen hæc forent omnia, quãdoquidem externa tantùm, & temporalis illa calamitas est, nihil incommodans animæ. Mundus bona eripere, corpus in crucem agere, vitámque potest adimere: quod præterea possit, nihil est. Sed habet præterea Babylon leones, immanissimos, non corpus solùm infestantes, verùm etiam animæ insidiãtes, nimirùm spirituales tribulationes, quas aduersum nos impius spiritus excitat. Ille enim leo, ille immanis ac

Matth. 10.

1. Pet. 5.

sæuissima bestia, quæ circumfremit, & vorare tentat, insanos acuens furore dentes: nempe mortem, peccatum, infernum: his dentibus inuadit nos leo, iugulúmque petit, commissis nos territat, territat morte atque inferno, quorum aliud alio terribilius est. Quid autem cõscius sibi peccator insurgente leone & aduersus se ferales dentes acuente, potest, nisi exhorrescere & contremiscere? Quàm sæuissimã horribilémque trucidationem in orbe excitauit morte? Ne

2. Reg. 14.

que enim quisquam illius manus effugere potest, cùm omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur. Quot hominum millia hæc bestia spirituali morte peccati iugulat? Quot deuorat & inferno deglutit? Ecce hæc omnia dum in mundo sumus, expectamus, incursiones cùm impiorum hominum, tum etiam infernalium leonum vix euitamus. Et hic quidem Daniel in leonum cauea iacet, cùm spirituales tẽtationes ita aduersus vnum aliquem hominem insurgunt, vt simul vnáq; vice ante oculos videat morté, quam euitare nõ licet, peccatũ quod fecit, & infernũ quem meritus est. hîc sanè non minori auxilio consolationéque opus est, quàm Danieli in leonũ lacu posito, alioqui enim aduersus hũc infernalem

nalem leonem,imò tot immaniſsimas contra beſtias mini mè præſtabit.Sed quis certior Deo in his omnibus anxietatibus defenſor?

Tu nos triſtifico velut Tyranno,
Mundi ſcilicet impotentis actu,
Concluſos Regis, & feram repellis.

Quomodo id fit?

Sacris nos reficis cibis ex alto.

Quales verò cibi illi?

Nil eſt dulcius,aut magis ſaporum.
Nil quod plus hominem iuuare poſſit,
Quàm vatis pia præcinentis orſa.

Hic ergo cibus,quem in lacu leonũ poſitis nobis Deus per Prophetas ſuos mittit ſacroſanctum verbũ eius. Nullã nos hac parte inopiã premere permittit.Id quod vnicũ illud eſt quo in omni tribulatione corporali atq; ſpirituali nos conſeruare poſſumus.O quot milia hominũ infernalis hæc beſtia iam olim deuoraſſet,hunc ſi nõ habuiſſent cibum:imò verò quis noſtrum niſi cõſolatione ac virtute ex verbo Dei cõcepta immaniſsimę beluæ vires poſſet diſcutere?Magnũ ſanè & egregium quid per ſe eſt, quòd verbũ hoc ſuũ Deus ſemper ad nos mittit. Maius verò eſt,quòd etiã ſacramenta ſua,maximè verò illud corporis & ſanguinis Chriſti cõiungit verbo.Id quod duplici nos cõſolatiõe reficit. Quicquid enim in verbo Dei promiſſum eſt, hoc ipſum videmus, habemus,contrectamus, poſsidemus,ac fruimur in hoc ſacramẽto.Et quid Babylon mũdus cum ſuis Tyrãnis,imò inuidis hominibus,immaniſsimiſque feris damna inferet, cùm non ſolùm verbum Dei legimus & audimus,verum etiam Chriſtum ipſum,ſempiternũ & ſubſtantiale Dei verbũ, in hoc ſacramẽto percipere poſſumus?Quid aduerſus Chriſtũ Deum diabolus,quãtũlibet fortis?Cõfidite,inquit, ego vici mundum.Quomodo obeſſe peccatũ,mors,infernúſq; poſſunt,vbi corpus pro totius mũdi peccatis immolatũ,& ſanguis pro omniũ delictis effuſus eſt, imò humanitas Chriſti Deũ recõciliãs,& imprimis Deitas Chriſti eſt,qui peccatũ,morte,infernúmq; deuicit?Hic ergo cibus,quẽ Deus largitur:cibus,in quam,qué principio quidẽ Chriſtus meſſoribus,hoc eſt,Apoſtolis ſuis,quos ipſe meſſores vocat, coxerat.His primũ ad virtuté cõſolationẽq; hoc ſacramẽtũ dedit,ſed nõ illis tantũ,nam & nobis eũ quotidie porrigit per

Ioan.16.
Ioan.4.
Matth.26.

Prophe

Prophetas ſuos miniſtros Eccleſiæ, quibus præceptū eſt, vt ſumãt & dẽt cæteris. Horũ officiũ eſt. Euãgeliũ prædicare, ſacraméta adminiſtrare, idq; ſine intermiſsione, dũ in Babylone, in mũdo, & regno Satanæ, inter impios homines, immaniſsimósq; leones ſumus. Hoc enim nos cõſeruare põt. *Ioan.20.*

His ſumptis licet inſolens poteſtas,
Prauum iudicet, irrogetque mortem,
Impaſti licet intuantur leones.
Nos ſemper Dominum Patrem fatentes:
In te Chriſte loquemur vnum,
Conſtanterque tuam crucem ferentes.

Ecce hoc modo pius ille Prudentius hãc Danielis in leonum caueam poſiti hiſtoriã, & cibos per Prophetam allatos explicuit. Et quid huic feſto conuenientius eſſe poſſet? Ipſa enim & genuina intentio eſt, non ſolùm huius feſti, verum etiã ipſius adeò ſacramenti. Ne ergo contẽnamus rem ita neceſſariam: potius verò gratias agamus, qui tam piè nobis prouidit, Deo: potius eum tota piorũ corona hoc ſacramentum veneremur, magnificemúſq;, atque omni tempore ſpiritualiter tantùm per fidem, & iugem meditationem ſuſcipiamus. Precemur Deum, vt ſemper hunc nobis panem det, ne deficiamus vnquam, aut ſuccumbamus. Sed hoc quoque ſtudeamus, vt veri Danieles ſimus atque dicamur, qui corpore quidem in Babylone in mundo ſumus affectu tamẽ ſemper cœleſtem ſuſpiremus Hieroſolymam, quotidiè precemur Deum, illíque ſoli adhæreſcamus, nec eo minùs irrepre henſibiles in mũdo viuamus. Talibus enim hominibus ſuos Deus largitur cibos, tales etiam digni ſunt diuina conſolatione Deus Opt. Max. ita hîc in terris hoc ſacramento concedat vti, vt olim æternum Chriſto frui liceat, Amen.

SERMO SEXTVS.

PRæſens feſtiuitas hiſtoriæ cuiuſdam veteris Teſtaméti, in qua Achab Rex impius tam iniquè, tam etiã tyrãnicè contra iuſtum Naboth egiſſe deſcribitur, non ſolùm hæreditatem & vineam, verum etiam ipſam vitam auferens, me admonet, ſed per contrarium. Neq; verò dubito, eſſe quoſdã qui quomodo Chriſtiana hæc & læta feſtiuitas tam impiæ ac triſti hiſtoriæ conueniat, mirentur. Vtique enim diuerſa ſunt, quæ illic de Achab legimus, & quæ hîc de Chriſto. Ille alienis ſua diripuit. Chriſtus quod ſuũ eſt, pro nobis impen- *3.Reg.12.*

impendit,imò seipsum etiam dedit nobis. Achab suã quæsiuit voluptatem,egestatem pauperis nihil moratus: Christus nostræ seruit vtilitati,nihil pretij sui magnitudinẽ veritus. Ille trucidat innocuos: Christus etiã fontes redimit. Ille sæuitia imperitauit: hic rexit misericordia. Vtique hæc dissimilia sunt,licerétq; non immeritò admirari,quomodo hęc festiuitas,illáq; historia conueniant. Sed opinor hãc ipsam dissimilitudinẽ hanc festiuitatem nemini nõ facere chariorem atq; iucundiorem. Quo enim peius audit Achab, quòd tantam in suos ostendit tyrannidem, eò honorificentiora sunt,quæ hodie de Christo canuntur. *Se nascens dedit socium, Conuescens in edulium, Se moriens in pretium, Se regnans dat in præmium.* Hæc gloria,hic honos Regis nostri est. Hac parte nemini vnquam cessit, ne cedet aliquando. Longè alia res est in mũdo,alia etiam videmus in Achab. Charior ergo nobis Christus noster esse debuit,gratior isthęc festiuitas erit, in qua tanta Christi gratia non modo verbis denuntiatur, sed etiam factis quibusdam proponitur. Si dolendum est,iustum Naboth sub truculentissimo tyranno Achab, non solùm vinea spoliari,verùm etiã vita priuari,certè lætitia dignum est sempiterna,quòd Christus nõ solùm vitam nobis verũ etiam propriam sempiternámq; hęreditatem confert. Huius forte arrham seu hypothecam petis? In hanc festiuitatẽ inspice,contemplare hocce sacramentum. Quid enim hoc sacramentum,nisi certum & indubitatum sigillum est, quo Christus diploma hæreditatis confirmauit? Quid, inquam,nisi certissimum futuræ fœlicitatis pignus est? Qua enim ratione testamentum suum Christus confirmasset obsignassétque fortius,nisi sacrosancto corpore, sanguine, atque morte sua? Quod ergo nobis queq; firmius æternæ illius hæreditatis pignus exhiberi possit,præter ipsissimum corpus & sanguinem,quo illa ad nos peruenit,ac parta est? An verò non est dignum lætitia, si quis,quantæ sibi pijsque aliis omnibus hæreditatis ius,datis codicillis obtigerit, qui certum eius rei pignus acceperit diligentius secum cogitauerit? Et quid hæc solemnitas vult,nisi eiusce modi rerum nos admonere & veluti ob oculos depicta ponere? Decebat, sanè nostra sponte & semper hæc cogitare, summãque in eis voluptatem nostram quærere, fidem etiam confirmare ad Dei dilectionem nosmet excitare. Sed dolor, quis tam cæcus, qui hac in re negligentiam nostram non videat

Aposto-

Apostoli,& cũ ipsis nascentis Ecclesiæ patres,quotidiè hoc tractauerunt sacramentum,suámque in eo spem atque fortitudinem quæsierunt: nos integro anno vix semel eius recordamur,adhuc rarius cogitaturi,nisi aliorum exemplis& admoneremur & cõpelleremur. Quid verò infelicius quã multa possidere,quibus tamen vti pro voluntate non concedatur? quis pauperior homine,cui dedit Deus diuitias,nõ tamen tribuit ei potestatẽ,vt comedat ex eis? quid infortunatius quã primas ferre,nec semet accõmodare posset iis? quid reprehẽsibilius,quàm quod donatur,nolle accipere? quid vesanius oblatũ auxilium aspernari? annõ hęc nobis conuenire tibi videntur? Quis enim spiritualibus bonis opulentior nobis? Omnia nobis diuinæ virtutis suæ,quæ ad vitã& pietatẽ donata sunt,Petro teste. Et Paulus,Gratias inquit, ago Deo meo pro vobis,quia in omnibus diuites facti estis,ita vt nihil vobis desit in vlla gratia. Quot verò homines inter nos, qui suas ipsi ignorant opes? quot, qui ne cogitãt quidem spiritualia? quot qui donis Dei abutuntur, quot deniq;, qui seipsos iis nequissimè priuant? Cùm ergo horum nouissimorum temporum,maiorem in credentibus humanam cõsiderare licet negligentiam,quàm in superiorum ætatum Christianis,nemo miretur nos tum verbis tum cæremoniis nũc quoque,quàm olim, incitari atque impelli diligentius. Id quod propterea præfari placuit,quòd non ignoro esse nonnullos,qui inutile institutum,hanc festiuitatẽ cum cæremoniis suis atque Ecclesiæ traditione,autumant,minimè considerantes,ideò sic ordinatũ esse maximè, vt negligentes admoneantur,suscipere,suásq; opes Dei dona agnoscere. Ideò inquam,hæc festiuitas instituta est,vt cõmodè liceat perpẽdere quid nobis in Testamẽto hoc suo Christus ordinauerit quod in hebdomada sancta fecisse nõ licuit. Ideò supplicationes frequẽtamus,vt palã in mũdo corã Iudæis, Gẽtibus, Turcis,atq; hæreticis profiteamur: quod minimè non solũ fidei, verùm etiã mũdi iudicio minutissimarũ rerũ ad fidẽ pertinentium erubescamus. Ideò oblatum nobis demõstratur sacramentũ,ac si dicatur,Ecce,quotquot adestis credentes,quãta se pietate,quo affectu erga nos diuina illa & summa Maiestas humiliauit, qua misericordia nos assumpsit. Verè nõ est alia sub sole isto tam grandis natio,quæ habeat Deos appropinquantes sibi,sicut Deus noster adest nobis: apertè enim hîc videmus,qa Deus noster Dominus sit,eséq; velut.

Act.2.

2.Pet.1.

2.Cor.1.

Deuter.4.

velit. Hic habemus obuiũ quo in omni possumus tribulatione cõsolari: hîc videmus, quãti nos faciat Deus, quã nos ipse diligat. hîc omnes inimici nostri confunduntur. hîc firmũ argumentũ, quod nihil nobis sit recusaturus Deus. hic certũ pignus, quod etiã nos tandẽ aliquãdo in æternã fœlicitatẽ sit recepturus. Qui enim filiũ suũ vnigenitũ nobis de
Rom. 8. dit, quomodò non etiã omnia cũ illo donauit? Agite igitur, lætemur & demus gloriã Deo. Eiuscemodi patrẽ Deum diligamus ac prædicemus, timeamus atque honorificemus. Curramus post præmissam hæreditatem, vbi æternum visuri ac fruituri sumus, quicquid hic per fidẽ in sacro sancto Sacramento suscipimus. His nos affari, instituti ratio est, quotiescúnque venerandũ hoc sacramentũ ostenditur. Sanè vana institutio non est, si hoc modo suscipitur ac vsurpatur, summa (vt ad institutũ recurrat oratio) est cur gratias Deo referamus, qui nõ tyrannũ aliquẽ, vt Achab, sed propitium seruatorẽ Iesum Christũ pastorẽ & Regẽ habemus. Et hæc de festiuitate præsenti dixisse sufficeret, sed nõ possum non fusiùs aliquid de eadẽ dicere, vt exhorter & moneã pias mẽtes, quod festa dies suadet maiori cum vtilitate impendere. Ac principio, si cui mẽs pia ac Christiana est, quæ sacramẽti huius amore ac desiderio tangitur, hũc quo nunc meliore
Ioel. 2. modo admoneã nescio, quàm si Dei per prophetam Ioëlem pios quosq; admonentis verba adduxero. Filiæ (inquit ille) Sion, exultate & lætamini in domino vestro, quia dedit vobis doctorem iustitiæ, & descendere faciet Dominus ad vos imbrem matutinum & serotinum, sicut in principio. Et implebuntur areæ frumento, & redũbabunt torcularia vino & oleo. Et comedetis vescentes, & saturabimini, & laudabitis nomen domini Dei vestri, qui fecit mirabilia vobiscũ. Hæc verba omnibus cupio quàm cõmẽdatissima esse: satis enim (vt arbitror) magnam, nec festo huic inconuenientem continẽt, monitionem, inquam, & cõsolationem. Neque verò leue quid æstimãdum est, quòd tanta eos, pietate Deus alloquitur, tanto discrimine inter ipsos ceteróque homines diuidit. Paulò enim antè idem Deus loquens ait, Nolite timere animalia regionis, quia germinauerunt speciosa deserti, quia lignum attulit fructum suum, ficus & vinea dederunt virtutem suam. Quibus sanè verbis carnales illos, qui semper in populo suo inueniũtur, Deus intelligi vult, quos iam non homines, sed animalia regionis vocat. Neque sanè honoratiore

norariore appellatione digni sunt, quicũq; carnalia tãtũ cogitãt, in his exultãt, ac horũ iactura sese excruciãt: ij sanè nihil à brutis animalibus faciũt alienũ. His ergo, cũ præter tẽporanea quærunt nihil. Deus tẽporanea ac caduca tãtũ promittit. Illos verò hominũ filiorúmq; dignatur nomine, qui spiritalia atq; æterna cogitant. Et ipsi soli his appellationibus digni sunt vt homines dicãtur, Denique siue Sion, hoc est sanctæ Christianæ Ecclesiæ filij. Ipsos etiam longè alia ratione affatur Deus quàm carnales. Exultate & lætamini inquit, filiæ Sion, filij Christianæ Ecclesiæ. Lætamini, non quia lignum protulit fructum suum, sed in Domino Deo vestro, qui misit vobis Doctorem iustitiæ, eum nimirùm, qui vos Deo reconciliauit, peccata nostra abstulit, imò ipse reconciliatio pro peccatis vestris factus, iustitiam, meritáque sua vobis largitus est, viámque salutis ostẽdit. Lætamini etiam in Domino Deo vestro, quòd descendere facit ad vos pluuiam maturinam & serotinam, hoc est, dũ tẽpus est, gratiæ salutem animarum vestrarum impertit, ad vesperã verò resurrectionem etiam ac salutem corporum daturus. Lętamini denique, quia aream vestrã implet frumento, & redũdare facit torcularia vestra vino & oleo, hoc est, in omnis generis afflictionibus, diuersa etiam consolationum largitur dona. Nam quia in area frumentum trituratur, ac vẽtilabro à paleis segregatur, tum etiam in torculari vua premitur, vinúmque à racemis seligitur: in vtroq; crucis & tribulationis significatio est. Tũ ergo area nostra frumento & torcular musto oleóque plenum est, vbi adesse diuinę cõsolationis diuersa sentitur gratia. Hãc verò vberiorem nemo habet credentibus. His enim Dominus loquitur: in mundo pressuram habebitis, in me verò pacem. Ecce enim, an non abundãs est cõsolatio, homini crucis presso torculari, quod hodierno Euangelio Christus ait: Qui manducat carnem meã, & bibit meũ sanguinẽ, in me manet, & ego in illo. Hoc igitur est piorum in omni aduersitate gaudium, ꝙ panẽ vitæ ac calicem salutis semper in promptu habeant. Quartò, Lætamini, inquit Ioel, in Domino Deo vestro, ꝙ reddiderit vobis annos, quos comedit locusta, bruchus, & rubigo & eruca: hoc est, ꝙ per Christũ recompensauit, quicquid Adam perdidit, diabolus abstulit, peccatum & mors vastauerunt. Quintò, Lætamini in Domino Deo vestro, quia in medio vestri est, nec confundamini corã inimicis vestris in æter-

Ioan. 16.

Ioan. 16.

num,imò ad nihilum rediget omnes inimicos vestros. Postremò. Lætamini in Domino Deo vestro,quia ipse est Dominus vester,& non est alius præter eum,qui non relinquet vos alteri secum conseruabit in æternum. Et comedetis vescentes,& saturabimini, & laudabitis nomen Dei vestri in æternum qui fecit mirabilia vobiscum. Ecce hac ad nos Propheta acclamatione vtitur:atq; ipsa ego ad cunctos pios adhortatione vtor. Nec difficile est, cui vel communis ratio inest,videre,quàm omnibus partibus conuenienter huic festiuitati illa admonitio quadret, & quòd omnia illa in hoc sacramẽto non modò proponantur ac promittantur,verùm etiam conferantur ac donentur. Vtinam omnes illius farinę essemus homines,qui tantis diuinæ gratiæ donis sese ac commodantes,capaces eorundẽ efficeremur. Quæ hæc omnium salus esset? quanta cum delectatione Dei eam gustaremus dulcedinem? qua (vt heri in vesperis testati sumus) esuriẽtes implet bonis,dimissis inanibus diuitibus. Væ hac
Luca 1. tanta consolatione spoliatis omnibus, vt sunt cuiuscúnque conditionis increduli. Væ,inquam,omnibus, quicúnq; sese hac consolatione priuãt,vt sunt negligentes & pseudochristiani omnes: quorum alij eiuscemodi bona non curant, alij in ea grauissimè impingunt. Vnde totus hic mundus videre atque in semetipso experiri cogitur, in nos competere, & veluti seueriſsimum,tamen æquissimum diuinæ iustitiæ iudicium incumbere,quod Paulus olim loquutus est in Euan-
Rom.1. gelio,quod alioqui virtus Dei est in salutem omni credenti, reuelari iram Dei de cœlo super omnem impietatem & iniustitiam omnium eorum, qui veritatem Dei in iustitia detinent cognoscentes Deum ex creaturis, non sicut Deum glorificauerunt aut gratias egerunt. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum,in immũditiam,vt cõtumeliis afficiant corpora sua in semetipsis:quia cõmutauerunt veritatem Dei in mendacium, & euanuerunt in cogitationibus suis,& obscuratum est insipiens cor eorum. Annon autem hæc omnia in nobis impleri tibi videntur? Cui enim populo rectiùs tribuitur,cognouisse Deum,nisi Christianis?
Ioan.17. O ingentẽ Dei gratiã cognoscere Deũ. Hæc est vita æterna, ait Christus,vt cognoscãt te solũ verum Deũ,& quẽ misisti Iesum Christũ. Et pater, Cõfitebor tibi,abscondisti hæc à sa-
Matth.11. pientibus,& reuelasti ea paruulis. Sed & quẽ populũ præter cre-
Roma.1. dentes,magis dedecet quod Paulus subdit. Nõ vt Deũ glorifi-

cauer-

cauerunt? Vtinã hæc, inquã, dici de nobis nõ possent. Sed dolor, cõtrariũ nũc nimis apertè in multis cognoscitur. Sed nihil, inquis, prætermissum est hodie, quod Dei sacramentíq; huius honori seruiat. Nõ nego id quidẽ externo ritu factum esse. Sed hoc nõdum est Deũ glorificare, vt Deũ decet. Quæ Deo in externo honore potest esse voluntas? Fide, spe, & charitate colitur Deus, vt Augustinus testis est. Et Christus ipse. Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate. Frõdes pãgere, graminibus pauimẽta substernere, preciosis ornari vestibus, carmina pangere, pulsare cãpanas & organa, ob Dei sacramentíq; huius honorem, dum cor adest, malum non est. Sed verus Dei cultus nõdum est. Deus enim spiritus est, & qui adorant eum in spiritu & veritate adorare, & honorare oportet. Tum Christus propterea nõ venit, nec ideò sese in sacramentum hoc dedit, quòd tantopere externos hos quærat honores. Minimè. Alia eáq; maiora ad hanc rem requiruntur. Quãquam & corporalem, externum cultum ipsi debemus: anima enim, & corpus, & rem ab ipso accepimus, iisdẽ quoq; illi seruire æquũ est, sed in his maximè fidem, spem, charitatem, obedientiam, timorem & magnificentiam postulat. Hîc ergo suam quisq; scrutetur conscientiam, & quo affectu Deum magnificet, quid credat, quid speret, quid amet, quid timeat, secum quærat. Tum verò & illud attẽdat, cui rei toto anno studeat, quam in Ecclesia vitæ rationem sequatur, quæ via sua in huius sacraméti præsentia, quomodo vtatur, fruatúrue, quo animo accedat, & sanè minus verè nobis cõuenire Pauli sermonẽ inueniet. Deum cognouerunt, sed nõ vt Deũ glorificauerunt. Propterea nec illud adeo mirãdum est quod tertiũ quoq; illud in nobis cõsideretur: Euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est incipiens cor eorũ, tradidit eos Deus in reprobũ sensum. Annon cogitationes nostræ circa hoc sacramẽtum egregiè nos seduxerunt atq; impingere fecerunt? Annon horrenda cæcitas est insipidi cordis nostri, vt nec aperto & claro verbo credamus. Annon reprobus sensus est, ea contẽnere, quæ maximè possent cõmodare? Quod bonum est, malum, quod malũ, bonũ dicimus, lucẽ tenebras, tenebras lucẽ ponimus. Annon peruersus intellectus est, quod honori nostro seruit, erubescere? quæ extremæ ignominiæ sunt, iactare: tã turpi leuitate de grauissimis rebus loqui? Ecce hãc Deus mercedẽ rependit, nẽpe vanas inutilésq; cogitationes, obscuratum

Ioan. 4.

Roma. 1.

Isaiæ 5.

cor ſenſúmq; reprobum, ex quibus neceſſariò vita impudica ſequitur. Hæc, inquã, merces noſtra, hoc ſtipendium eſt: quòd Deũ cognoſcentes, non vti Deum glorificamus: quid ſit hoc ſacramentum & quis author eius ſcientes, tanta tamẽ leuitate tractamus, tam turpi de eo ſermone loquimur, tam denique impiè in ipſius præſentia cõuerſamur. Et quis eam ob rem acriore ſeuerioréq; nos animaduerſione dignos non intelligit? Vtiq; quam olim Deus in populum Iudaicum pro ingratitudine ipſorum pœnæ ſeueritatem immiſerit nouimus, Dimiſi (inquit Deus ad Moſen loquens) ſcilicet peccatum hoc populi mei iuxta verbũ tuum. Viuo ego. Attamen quia viderunt maieſtatem meam & ſigna, & tamen tẽtaueruut me iam per decem vices, non videbunt terram, pro qua iuraui patribus eorum. Et in ſolitudine hac iacebunt cadauera veſtra. Tum nec ignoramus quã multi in archam Dei impegerint. Oſa eam tantũ manu attigit, & occiſus eſt. Sed & Bethſamitæ corporeis eam aſpexerunt oculis, quod vetitum erat ipſis, & mox occiſi ſunt. Iſrael etiã vniuerſus põpas ſolennes, ſed externas ſine fide vlla illi inſtituerunt, & mox deinde cæſi ab hoſtibus, ipſam perdiderũt. Philiſtęi ad ſe repuerunt arcam, ſed in idolatria perſeuerantes, ita percutiebantur, vt quãcúnq; in ciuitatẽ introduceretur illa, illic mortis pauor eſſet, & vlulatus vſq; in cœlum aſcẽderet. Dauidẽ riſit Michol, quod luſiſſet ante arcã Domini, eóq; & ipſa vſq; in diem mortis prolẽ nõ peperit. Acriori igitur exhortatione nobis opus eſt (vt nunc ſunt hominum mores atq; tempora) quandóquidẽ omninò horrendum eſt in manus Domini incidere. Si enim irritam quis faciens legẽ Moſi, ſine vlla cõmiſeratione duobus vel tribus teſtibus moritur: quantò magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui filium Dei cõculcauerit, ſanguinémq; teſtamenti, in quo ſanctificatus eſt pollutum dixerit, & ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit? Tantã ergo aduerſus ſeculi huius proteruiam commodiorem exhortationem, vnde ſumant, neſcio, quam illa Pauli dicentis. Videte ne recuſetis loquentem. Si enim illi non effugerunt, recuſantes eum qui ſuper terrã loquebatur, multò minus nos, qui de cœlis loquẽtem nobis auertimus, cuius vox mouit terram. Et iterum. Nolo vos ignorare fratres, quoniam patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, omnes mare tranſierunt, & omnes in Moſe baptizati ſunt in nube & mari. Et omnes eandem eſcam ſpiritalem

Num. 14.

2. *Reg.* 5.
1. *Reg.* 6.
1. *Reg.* 4.

2. *Reg.* 6

Hebr. 10.

Heb. 11

1. *Cor.* 10.

mand.

manducauerunt,& omnes eundem potum ſpirituale bibe-
runt,ſed non in pluribus eorum beneplacitum eſt Deo: nã
proſtrati ſunt in deſerto. Hæc autẽ in figura facta ſunt no-
ſtri,vt non ſimus cõcupiſcentes malorum,ſicut & illi con-
cupierunt. hæc omnia huius ſeculi leuitas meritò & rectè 2.Cor.6.
perpenderet. Hodie,inquit Dauid,ſi audiretis vocẽ Domi-
ni,nolite obdurare corda veſtra, ſicut patres veſtri obdura- Pſal.94.
uerunt. Quapropter gratiam Dei non ſuſcipiamus in vanũ,
vt Paulus in genere quidem monet,tamen peculiari quodã
modo de hoc feſto & ſacroſancto ſacramento intelligi põt.
Vtique enim & ipſum ad gratiam Dei pertinet, imò verò
præcipua eius pars eſt,vnde & nomen εὐχαριστία non ſolùm Euchari-
gratiam,ſed bonam gratiã,dignámq; laude ſignificat. Non ſtia cur di
id ſine cauſa inditum illi nomẽ eſt,vt & gratia, & bona gra cta.
tia nominetur. Primò enim nullo noſtro merito, ſed gratia
à gratioſo Deo nobis colatum eſt. Deinde etiam eorum tan
tùm commodo datum eſt, qui coram Deo gratioſi, hoc eſt
accepti, ſiue in gratia ſunt. Tertiò, ipſum Chriſtũ plenum Ioan.1.
illum gratia in ſe cõtinet. Vnde non ſine cauſa, ne gratiam
hanc in vacuum recipiamus, admonemur. Ille verò in va-
cuum recipit, qui hoc ſacramentum nulla ſui emẽdatione
percipit,qui nec fide confirmatur,nec ſpe certior, nec cha-
ritate fit flagrantior, nec maiori ac promptiori erga Dei
mandata & ad imitandum Chriſtum obedientia mouetur.
Agite ergo ne hanc in vacuum receperimus gratiã Donum
illa per ſe ingens eſt,pretioſum eſt, ſummè vtile eſt, perne
ceſſarium omnibus eſt. Tum à ſummo Deo ſumma chari
tate & gratia nobis venit. Beatos planè nos rectè recipien-
tes: infœlices nos,ac væ nobis, ſi ingrati fuerimus. Gratia
Dei nobiſcum, Amen.

SERMO SEPTIMVS, IN PRO-ſam, Lauda Sió ſaluatorẽ, lauda ducẽ & Paſtorẽ.

FEſta iſthæc ac ſolẽnis dies illius me dicti admonet,quo
Manaſſes Rex Ieruſalẽ olim Deo Opt. Max. & maieſtatẽ
& miſericordiã,pœnitentiã agẽs, inter alia multa cõfeſſus
eſt,dicẽs,Immẽſa & inueſtigabilis miſericordia ꝓmiſsiõis 2.Par.36.
tuæ,qm̃ tu es Dñs altiſsimus ſuper omnẽ terrã,longanimis
& multũ miſericors, & pœnitens ſuper malitiã hominum.
Habent ſanè hæc verba quod piis mentibus plurimum pro
deſſe queat: imò vnica peccatorũ conſolatio eſt, noſſe, quia

Dei immenſa & inueſtigabilis ſit miſericordia. Horum igi tur verborum iuxta præſentem feſtiuitatem memini: neque verò qua conuenientiori ratione hunc ſermonẽ exordiar, ſcio. Primò, quòd hodie id genus verba in Eccleſia vtimur. Sic enim audimus dicentem: Immenſa diuinæ largitatis beneficia exhibita populo Chriſtiano inæſtimabilẽ ei cõferũt dignitatẽ. Quæ ſanè illis Manaſſæ verbis, quibus Dei miſericordiã immẽſam eſſe teſtatur, nõ abſurdè competunt. Id quod hoc ipſo feſto apertè cõſideratur. Quid enim ſacramẽtum hoc, niſi certũ & infallibile diuinę charitatis & miſericordiæ argumentũ eſt? *Se næſcens dedit ſociũ, conuerſcens in edulium, ſe moriens in pretium, ſe regnans dat in præmium.* Et quid vt omnia faceret, niſi amor atque miſericordia mouit? Sanè vulgaris neq; amor neq; charitas eſt, cuius eiuſmodi effecta ſunt. Neq; vllũ in omnibus hiſtoriis exẽplũ huius inue-
Ioan.13. nire licet, ſiue homines ſiue fictitios ſtultæ gẽtilitatis Deos conſideres. Maiorem, Chriſto Deo teſte, charitatẽ nemo habet, quã vt animã ſuam ponat quis pro inimicis ſuis. Inuẽti quidẽ ſunt & inter Gentes, qui ſeſe amicorũ gratia in mortem dederunt: vt in Romanis Curtius, Decij, Attilius Regulus, & alij: in Athenienſibus Codrus. ídq; in hominum natura ſummum eſt, quæ charitatẽ ſuã nullo maiore argumento oſtẽdere poteſt. Sed apud Deũ & patrẽ noſtrum & amor & charitas multò ſublimior eſt, imò apud ipſum omnia immenſa, omnia ſunt imperueſtigabilia. Primò enim, cũ Chri
Phil.2. ſtus naturalis ille Dei filius in forma Dei, Deo per omnia æqualis eſſet, inaniuauit ſemetipſum, formã ſerui accipiens humiliauit, obediens factus vſq; ad crucem. Hoc nulli fecit
Rom.5 ſecundus, nec habebit ſecundũ aliquem. Deinde non ſolùm
Ioan 17. pro amicis, verùm etiã pro inimicis ſuis mortẽ ſubiit. Neq;
Geneſ.15. id ante póſtue ipſum fecit alter, nec faciet aliquãdo. Tertiò nõ ſolũ ſecũ ſuos habere in cœlis, verùm etiam eorum ipſe merces eſſe vult. Id quod ipſum quoque nemo ſecundus poteſt. Ad hæc pro ſua omnipotenti ſempiternáque ſapientia eiuſmodi medium modúmq; inuenit & diſpoſuit, quo etiã his in terris, licet inuiſibiliter, tamẽ verè ipſum habere, percipere, fruíque poſsimus, ídq; in certiſsimũ ſuæ dilectionis atque miſericordiæ pignus. Et illud ſanè immenſa eſt miſericordia. Hoc ergo feſto apertum fit, verè ac rectè Manaſſen dixiſſe, iis ipſis verbis, quibus & ipſe exordij loco vſus ſum. Neque vlla eius firmior, validiórq;, quàm hoc ſacramẽtum

eſſe

esse & haberi poterit demonstratio. Vnde apud pios multa quæstione aut disputatione opus non est, cur tanta cum magnificentia hoc sacramentum in Ecclesia veneretur, cur illi hæc dies festa instituta. Acta Apostolorũ legenti manifestũ est, hoc in primis habuisse veteris Ecclesiæ patres, cùm & Apostoli, & qui cũ ipsis credebant, post acceptum Spiritum sanctum in hoc sese exercentes perseuerarunt, fidémq; suã coràm infidelibus testati sunt. Erant, inquit Lucas, perseuerantes in doctrina Apostolorum, & in fractione panis. Tum nemo ignorat ipsa institutionis sacramenti huius die, nõ licuisse prolixo sermone, vti necesse est, hac de re loqui, quòd mox passionis sequebatur sermo. Propterea necesse erat olim institui solénem diem, maximè verò illo tẽpore, quo Apostoli quàm diligentissimè illo vsi sunt. Et hæ rationes pijs omnibus proculdubio sufficiunt. Si porrò quis contẽtiosus esse noluerit, nec his acquiescere, huic ego respõdeo. nouis morbis, nouis remediis obuiandum est. Quòd si nihil ab hæreticis in Ecclesia fuisset deuastatum, quod Ecclesia instauraret, nihil habuisset: si Berengarius de quo alibi dictũ est, qui primus sacramenti huius veritatem negauit, in Ecclesiæ mansisset gremio, cur hoc festum instituerat Vrbanus, nõ habuisset. Sed quia ille sacramentum hoc omnium contẽptui exposuerat, hic necessariò maiori diligentia prædicauit, scripsit, aliáque instituit, quò pristinæ restitueretur dignitati, quod collapsum fuerat. Hoc ergo modo etiamnũ festam hanc diem celebrem agimus, Deo qui eiusmodi thesaurum donauit, gratias agentes, fidem nostram aduersus veterum nouorúmque hæreticorum errores confitentes, coram Iudæis atque Gentibus, quòd non erubescamus, fidei nostræ confessionem testificantes, ignauos ad reuerentiam, amorem, & pietatem huius sacramenti incitamus. Sed & contemptores admonemus hoc ipso, vt non hominis se, sed Dei instituta contemptui habere magno suo malo cogitent. Hæc iam festi huius omnísque solennitatis præsentis causa est. Hæc remedia noua, quibus Ecclesia nouis Berengarij aliorúmque medetur morbis. Et hæc illis dicta sunt, qui sine aliquo dispendio hanc ab Ecclesia solennitatẽ propelli arbitrãtur, quòd aliquando sine illa steterit, non considerãtes, quòd multò melius ac rectius Berẽgarico illo errore vacuos esse liceret. Verùm enimuero repetito renouatóque nostris temporibus errore ita planè, vt apud mul-

Act. 2.

Institutio festi huius.

tos indubitatæ veritatis autoritatem obtineat, contrarium illi remedium repetendum est. Derelinquāt potius errore, sacramentum hoc iusto honore, vt olim, venerentur: & Ecclesiam, nullum hæreticum, qui hūc errorem resuscitet, aliquando proditurum certiorem faciant. tum ipsi hanc festiuitatem Ecclesiæ non esse necessariam sponte fatebimur. Vbi enim morbus nec adest nec timetur, remedio opus non est, vbi vltrò paratisque animis fiunt, quæ fieri conueniūt, exhortatiōis locus non est. Sintq; hæc de hac festa die in genere dicta. At vulgi causa etiā in specie aliquid de eadē mihi dicendum est. Cui quidem instituto cantiones Ecclesiæ inseruient, quæ nūc ac deinceps eò diligentiùs interpretari laborabo, quò alios negligentiam suam in cultu Dei pertinaciùs defendere video, hoc ipso quòd eas non intelligant. Materna igitur tibi enarrabo lingua, quæ de sacramento hoc die inter alia decantata sunt. Sequentiam (quam vocāt) siue prosam, qua summam festiuitatis huius, hoc est, quid hîc cogitandum, dicendum, faciendum, petendúmque sit, in se cōplectitur. Illa ergo sic habet, *Lauda Sion Saluatorem, lauda ducem & pastorem in hymnis & canticis. Quantū potes, tantū aude, quia maior omni laude, nec laudare sufficis, &c.* Hoc modo pro cuiusque voluntate vti illa licebit. Est enim hæc Ecclesiastica cantio, quā per se meliora non inuenientibus hîc apponere placuit. Habet autē vt dixi, quicquid de hoc sacramento credendū, cogitandū, dicendū, quicquid hîc faciēdū, orandúmq; est, & ita habet, vt rectiùs clariúsque enarrari non possint. Ea ipsa etiam quàm compendiosè possum explicare, ac Scripturarum testimoniis, veluti digito ostendere libet, quicquid in ea dicitur, vt nemo non, cui fundamento Ecclesiasticæ conciones innitantur, videat. Duobus ergo primis versibus Sion spiritalis, Ecclesia, nempe Catholica ad laudandum Deum exhortatur. Et sanè Deum laudare primùm huius festiuitatis esse decet. Neque id vlla demonstratione eget Scripturarum. Deum enim laudare decen-

1. Pet. 2. tissimum Christianorum studium est. Prætereà enim vocati omnes, vt annuntiemus virtutes eius, qui de tenebris

Isa. 43. vocauit nos in admirabile lumen suum. Tum in Isaia ipse loquitur dicens, Populum istum formaui mihi, laudem meam enarrabit. Vnde & Paulus monet, vt impleti Spi-

Ephe. 5. ritu sancto loquamur nobismetipsis in psalmis, hymnis, & canticis spiritalibus, cantantes & psallentes Deo in cordi-

bus

bus noſtris,gratias agentes pro omnibus. Magna enim, vt id præſtemus,cauſa eſt. Et tria illa hodie decantata epitheta idipſum monent,nimirum,cùm Sion laudare iubetur & ſaluatorem & ducem,& paſtorem. Hæc enim tria in Chriſto nunquàm non inueniũtur. Saluator eſt enim,qui nos à peccato,& morte liberauit: Dux,qui in omne bonum præcedẽs inducit: Paſtor, qui nos in optimum ſalutaris paſcuæ locum collocatos ab hoſte,lupo tuetur atque defendit. Et quid hac præſtanti referri poteſt rectius laude gratiarúmque actione? Non autem negligenter hoc, ſed vt poſſumus vigilanter, faciendum eſt. Minus enim illo eſt quicquid conamur, maiórque ille eſt omni laude,nec laudare dignè ſufficimus. Ecce hæc priores duo verſus exigunt, éſtque hoc dictum in genere. Verùm mox alia ſubiungitur ratio, qua hac die peculiari quodam modo & fortius ad gratiarum actiones cohortamur. Panis viuus & vitalis,quem Apoſtolis ſuis in cœna Chriſtus eo modo propoſuit, vt etiam nobis hodie proponatur. Qui certè rectè panis viuus, & vitalis dicitur. Ita enim eum Chriſtus ipſe vocare non dedignatur.* Ego ſum, inquit,panis ille viuus,qui de cœlo deſcendit. Et, Sicut miſit viuens Pater, & ego viuo propter patrẽ: & qui manducat me,& ipſe viuet propter me. An non ſpeciali laude dignum eſt,eiuſcemodi nobis à Deo patre cibum datum eſſe, ac dari hodie? Nobis inquam, quia quod Patres in manna perceperunt, hoc noſtro pane omni comparatione minus eſt. Et huc collatio illa ſancti ſacramenti huius noſtri cum manna Iudæorum pertinet. Superbè gloriabantur Iudæi, patres ſuos à Deo in deſerto cœleſtem panem accepiſſe, tamen mortuos eos,& magna ex parte in peccatis mortuos eſſe fateri cogebantur. Manna enim quod acceperant, neque à corporali, neque ab externa morte liberare potuit. Propterea verè Chriſtus ipſorum iactantiam refellit, Non inquit,Moſes dedit vobis panem de cœlo,ſed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Et hoc ſequentes duo alij verſus volunt,quibus cauſa diuinæ laudis innuitur. Nimirum ideo hæc Dei laus inſtituta eſt ſpecialis, quod nobis mẽſam parauit, aduerſus omnes qui tribulant nos. Id quod in ſequentibus clariùs adhuc,qualis ſit menſa, quam Deus ſuis parauit, oſtenditur. *In hac menſa noui Regis, nouum Paſcha nouæ legis phaſe veteris terminat.* Ecce tibi his verbis expreſſum,quæ hæc menſa ſit. menſa, non hominis alicuius pri-

Luc.1.

Eccl.43.

Ioan.6.

Ibidem.

Pſal.22.

uati, sed Regis: nec cuiuslibet Regis, sed noui, cui Deus ipse (post multam huius mundi altercationem) regnum, regnum, inquam, sempiternum tradidit teste angelo in Da-
Dan.4. niele, qui post quatuor potentissima orbis regna, Babyloni cum, Persicum, Græcum, & Romanum, regem surrecturũ alium asserebat, cuius potestas æterna, cuius regnum sempiternum esset futurum. Hic Rex Christus est, qui omnes nos ad hanc mensam inuitat. Et quis honos contingere nobis posset amplior? aut quis in hac tanti Regis mensa exquisitum excellẽsque expectandum quid esse, non arbitratur? at quæ Rex noster apponit fercula? Nouum pascha nouæ legis. His sanè verbis sacramentum nostrum, imo ipse
Exod.12. Christus cum Iudæorum agno phase confertur. Illud vetus Phase veteris legis erat, hoc nouum Pascha nouæ legis est. Quemadmodum ergo illud primùm immolabatur, deinde vescebatur, ita & nostrum sacramentum primùm offertur, deinde frangitur. Illud figura & vmbra erat, hoc veritas & lux est. Vt igitur figura veritati, vt nox diei cedit, ita Phase vetus Pascha nostrum, qui est Christus immolatus, terminat. Hoc solùm agamus, vt hoc ipsum Pascha nostrum in azymis sinceritatis & veritatis epulemur. Iam
1.Cor.5. verò & illud hac Ecclesiastica cantione describitur ordine, qui de hoc sacramento Ecclesia credat: quo sanè omnes hæreticorum errores, quibus Satan hoc nouum Pascha impetiit, refutantur. Id quod præcipuè cum omni diligentia considerandum est, maximè nostra ætate, quæ tam diuersam fidem atque doctrinam de eo tradit. A principio sancta catholica Ecclesia & credit & palàm docet, sacramẽtum hoc non solùm vti spiritalem cibum, verùm etiam vt sacrificiũ datum esse nobis: Vnde & nouum Pascha dicitur nouæ legis. Erat enim Phase apud Iudæos in præcipuis sacrificiis, veteris Testamenti: idque priùs immolabatur, dein
Exod.12. de comedebatur, in memoriam exitus ipsorum de terra Aegypti. Eadem ratio sacramenti nostri est. Atque hîc mox eorum sententia confunditur, qui hoc sacramentum aiunt testamentum esse, quo nobis aliquid à Deo conferatur, non verò sacrificiũ, quo nos Deo aliquid donemus offeramúsq; nempe hoc vrgentes, nõ posse in eodem consistere, sacrificare & comedere, non intelligentes non solùm agnum Phase, verum etiam omnia ferè alia sacrificia hæc duo comprehẽdisse, vt primùm immolarentur, & deinde comederentur.

Deinde

Deinde Ecclesia credit atque docet, non Apostolos solùm à Christo semel hoc Sancto corpore & sanguine suo pastos esse, verùm etiam quoscunque subsequentes, imò & ipsos qui nos vsque ad finem mundi secuturi sunt credentes. Quod in cœna Christus gessit, faciendum hoc expressit in sui memoriam. Id quod Euangelistæ nostri & Paulus clarissimè exprimunt, cùm Christi verba referunt mandantis: Hoc facite in meam commemorationē. Quo rursus & eorum opinio incredulitásque refellitur, qui Christum eam post se reliquisse, ac hominibus datam esse potestatem diffidunt: impossibile arbitrantes, humana voce Christum è cœlo posse euocari, inque panem impelli, non considerantes, sola Christi verba hęc operari, quibus nihil vnquam impossibile fuit vt in tot tantísque miraculis, quæ solo virtutis suæ verbo operatus est, videre non est difficile. Et quomodò non in hoc etiam sacramento omnipotens verbi illius virtus operaretur? Non humana possibilitas, sed diuini verbi respicienda est potestas. Quartò Ecclesia credit docétque, præcipuam, cur Christus hoc sacramentum instituerit: fuisse causam, vt sanctæ passionis oblationisque in cruce factæ apud omnes haberetur memoria, ac conseruaretur. Et illud est quod canimus: Faciendum hoc expressit in sui memoriā. Quo quartus circa hoc sacramentum error confunditur, quo alij sine iudicio docent, simplicésque in eam persuasionem inducunt, quòd ideò institutum sit, vt peccatorum inde petatur remissio, cùm tamen aliud sacramentum ordinatum sit ad remittenda delicta, nimirum pœnitētia. Et hinc est, quod omnes ferè pœnitentiam negligant, cùm quisque peccatorum remissionem compendiosiore via sibi promittat, nimirum in hoc sacramento, vbi longè minus laboris est, quàm in pœnitentia. Hinc quoque, quòd rudiores admodum vtranque speciem vrgent: nam cùm in verbis calicis remissionis peccatorum fit mentio, arbitrantur se minimè remissionem peccatorum consecuturos, nisi sumpto è calice sacramēto. Id quod falsissimum est deprauati sensus commentum. Nusquam enim sacris Scripturis traditum est, sanguinem in remissionem peccatorum bibi, sed in remissionem peccatorum effusum esse, hoc manifestè probatur. Ante remissum sit peccatum oportet, quàm percipias hoc sacramentum, alioqui ad iudicium & cōdemnationem percipies hoc sacramentum. Propterea catholicę sanctę Ecclesiæ

Matth. 26.

1. Cor. 11.

cleſiæ doctrina eſt: Sacramentum hoc offerendũ ſimul atq; percipiẽdum eſſe, non ſolùm in remiſsionem peccatorum, verũ etiá in memoriá paſsionis Chriſti. Illud enim Chriſtus in cruce meruit: hoc ſemper neceſſarium eſt. Quintò etiã hæc fides atque doctrina Eccleſiæ eſt, in ipſo hoc ſacramento, panẽ ac vinum per cõſecrationẽ in corpus ac ſanguinem Chriſti cõuerti, id quod verum ſalutis noſtræ ſacrificiũ eſt. Dogmá datur Chriſtianis, quòd in carnẽ tranſit panis, et vinũ in ſanguinẽ. Et hîc iam Berẽgariorũ cõtunditur ſchiſma, quo tradunt ſacramentũ hoc nõ eſſe ſubſtãtiale Chriſti corpus, tãtũmodo figurã eius cõtinere, id quod fit, quando propriæ ſuæ opinioni, quàm infallibili Dei verbo plus tribuunt. Propterea rectè nobis Eccleſia cõſulit, cũ rationẽ captiuare docet, vt ſola in diuinis rebus fides operetur: *Quod non capis, quod non vides, animoſa firmat fides, præter rerum ordinem.* Sextò & hoc credit traditq; Eccleſia, q̃ poſt factã cõſecrationẽ, nec panis nec vinũ illic maneat, ſed ſigna & circunſtãtiæ tãtùm panis ac vini, ſub quibus maxima, nimirũ corpus & ſanguis Chriſti cõprehẽduntur. Id quod ipſa etiã inſtitutionis verba innuũt. Nõ enim Chriſtus dixit: Hic panis eſt corpus meũ, ſiue in hoc pane eſt, ſed ſimpliciter, Hoc eſt corpus meũ. Quo rurſus erroris arguuntur, qui trãſſubſtantiationẽ negãt, exiſtimãtes panẽ & corpus, vinum cum ſanguine ſimul adeſſe, occaſionẽ verò erroris ſui aucupãtes ex eo, quòd Paulus integrũ ſeu totũ hoc ſacramentũ vnum panẽ dicit. Septimò, Eccleſiæ hæc fides atq; doctrina eſt: Integrũ Chriſtũ ſub vtraq; ſpecie eſſe. Cui⁹ fundamẽtũ in Ioã
1. Ioan. 4. ne eſt, qui ait, Omnis ſpiritus qui ſoluit Ieſum, ex Deo non eſt, & hic eſt Antichriſtus. Semel ſolutus eſt Chriſtus nimirũ in morte, q̃n à carne eius ſanguis, & à corpore ſoluebatur anima. Quãquã deitas ipſius nihil horũ dereliquit. At nũc porrò integer ac totus vbiq; Chriſtus manet, nõ caro à ſanguine, nõ corpus diuiditur ab anima. Vbi corpus illic & anima: vbi caro illic & etiam ſanguis eſt, illic & deitas ipſa præſens eſt, ſed cum ratione. Nã ſub ſpecie panis, primùm & maximè corpus Chriſti eſt, cõſecutiuè autem & ſanguis. Sic etiam ſub ſpecie vini, principaliter ſanguis Chriſti eſt, cõſecutiuè verò & corpus, & anima, & deitas eius. Et hic illis reſpondetur, qui Chriſtum in hoc ſacramẽto diuiſum eſſe autumãt: ſcilicet, ſub panis ſpecie ſolùm corpus Chriſti, ſub vini ſpecie ſolum ſanguinem, quod nec eſt, nec eſſe vn-

quam

quam poteſt. Chriſti enim,poſteáquã reſurrexiſſet,corpus & ſanguis,anima & deitas coniuncta ſunt rurſum, amplius nõ ſoluitur,totus & integer ſub vtráq; ſpecie manet. Octauò credit ac docet Eccleſia:Licèt in multas partes ſacramẽtum hoc fractum,nonnunquam in multos deſtribuatur,integrum tamen manere Chriſtum eúmq; nec diuidi dentibus,nec frangi manibus.Nec plus qui ſolus accipit,nec minus qui cum mille Participat, vterque enim & quilibet eorum totum Chriſtum habet.Id ergo repugnat Capernaitarum errori,qui corpus Chriſti dentibus carpendum, & quò alter plus ſibi ſumeret,hoc alteri relinqui minus putauerũt. Sed negat Eccleſia, A *ſumente enim non conciſus,nõ confractus, non diuiſus integer accipitur.Sumit vnus,ſumunt mille, quãtum iſti,tantum ille,nec ſumptus conſumitur.* Poſtremò Eccleſia credit ac docet,hoc ſacramẽtum credentibus fructiferum eſſe, malos verò non ſine ſalutis diſcrimine illud participare, *Mors eſt malis,vita bonis:vide,paris ſumptionis quam ſit diſpar exitus.* Id,quod ex Paulo ſumptum eſt, ſimúlque negligentiam cùm Eccleſiaſticorum,tum vulgi circa hoc ſacramentum damnat. Eadem enim ſæpè & ſacerdotum ſacrificantium,& plebis communicãtis eſt negligentia. Nemo illud mortem eſſe malis, nemo paris ſumptionis tam diſparem exitum cogitat. Ecce hæc catholica ſanctæ Eccleſiæ de hoc ſacramento & fides & confeſsio eſt, qua quicquid Satan aduerſus illud molitus eſt, moueréq; porrò poſsit, refutatum eſt.Huic iam exclamationem iũgit,deinde & preces addit, *Ecce panis Angelorum.* hoc corpus & ſanguis, anima deitáſq; Chriſti eſt,quòd ſumma exultatione ſemper intuentur Angeli. *Factus cibus viatorũ,verè panis filiorum,non mittendus canibus. Id quod nõ nũc excogitatur,ſed in figuris præſignatur,cũ Iſaac immolatur,agnus Paſchæ deputatur,datur manna Patribus.* Hæc illa Eccleſiæ exclamatio,qua hîc pręſente ſacramẽto filios ſuos exhortatur.Huic addũtur preces.*Bone Paſtor panis verè Ieſu, noſtri miſerere,tu nos paſce, nos tuere,tu nos bona fac videre in terra viuentiũ.Tu qui cũcta ſcis & vales, qui nos paſcis hic mortales,tuos ibi cõmenſales cohæredes,coæquales & ſodales fac ſanctorum ciuium,* Amen. His precibus Eccleſia cãtionem ſuam,quam laude diuina incœperat,cõcludit. Vtile ſimul atque neceſſarium, maximè his malis diebus iudico ſi quis ſumpta temporis commoditate, quæque huius verba ſecum põderauerit. Equidem occaſionem vobis dare volui, quod

I.Cor.11.

Matth.15.

Gene.22.

Exod.12.

quod ſolum nunc licuit. Prolixiùs enim ea de re loqui, non datur. Pius ille Thomas Aquinas, cui hæc cantio Eccleſiaſtica, vnáq; cum illa totum Officium tribuitur, nihil quod ad confirmationem conſeruationémque fidei noſtræ in hoc ſacramẽtum facere poſsit videri, prætermiſit. Faxit Deus Optimus Maximus, vt hæc mente ſequàmur, Amen.

SERMO OCTAVVS.

SI nulla alia Deum, vt ſuo ſancto Spiritu nos ad vnitatem fidei, Chriſtianæque doctrinæ, reduceret, inſtanter & aſsiduè orãdi daretur occaſio ſola tamen hæc feſtiuitas moueret. Quo enim res quæq; melior eſt, eò maior quærendi adeſt cauſa, cùm ab vſu eius prohibemur. Eccleſiam verò corporis ac ſanguinis Chriſti ſacramento nihil habere melius, nihil pretioſius, vti quo vno veluti corporaliter & ſubſtantialiter Chriſto incorporamur (Qui enim manducat carnẽ, meam & bibit meum ſanguinẽ, in me manet & ego in illo ipſe ait) fatemur omnes. Annon igitur conquerendum meritò eſt, quòd noſtro hoc ſeculo, ipſius ſacramenti cauſa tot quæſtiones mouentur, tot diſceptationes rixæque exortæ, imò tot cõuitia & maledicta nata ſunt, vt plurimi homines hoc ſacramentum minus curent, & fructu, quem inde percipere poterant, priuantur? Annõ ingenui hominis Chriſtiani eſt, Deum ardentiſsimis votis precari, vt nos in vera ſacramenti huius fide coniungat, atque in eadem conſeruet, quò maiori cum vtilitate illo vtamur? Quãdiu enim amara illa inter nos vigent iurgia, verum vſum in ſacramento hoc nulla inueniet partium, quòd cõtentionibus eiuſcemodi dilectionis rumpitur vinculum: contrà verò inuidia & odium in nobis excitatur, id quod huic ſacramẽto planè cõtrarium eſt. Eſt enim illud vnitatis ſacramentũ, amoris pignus. Iam mihi hîc vide, annon ſit omnium miſeratione digna res, quòd Chriſtus tanta diligentia, mira, ingenti, atque ineffabili dilectione ad ſempiternam ſuorum conſolationem inſtituit, hoc propria peruerſitate nobis inutile reddimus. Propterea hunc hodiernæ feſtiuitatis ſermonem quomodo conuenientiùs exordiar neſcio, quàm ſi omnes in genere, & quemlibet veſtrum vrgentiſsimè admonuero, vt iamiã atq; deinceps quandocúnque hoc ſacramentum intuendi detur opportunitas, aut ipſi illud in memoriam veſtram reuo-

Ioan. 16.

cauc-

caueritis,singuli precemini atque dicatis, Verã ô Deus hic nostris mentibus insere fidem,ne nos errare in fide,doctrina,vsúque huius sacramẽti patiare. Satanam hoc tanto nos thesauro priuare,eúmque incommodum nobis reddere,ne permittas. Da gratiam,qua voluntatem tuam in hoc sacramento agnoscant omnes, rectè de illo sentiant ac doceant, iustè etiam suis vsibus accommodent. Omnes circa hoc sacramentum dubietatis,erroris, superstitionis,abusus denique nebulam cordibus tuorum exime. Da vt Ecclesiæ proceres hac parte præter tuam gloriam, ac mystici corporis tui salutem nihil quęrant. Hac arbitror oratione summè opus esse,aut simili,huic festo cõuenienti, præsertim nostro hoc seculo. Vnde & vos eius omni studio admoneo atq; hortor. Non enim parum quid nostra refert hoc sacramentum. Quare iam porrò nonnihil mihi dicẽdum puto de festi huius institutione,quid à nobis postulet,vt eo vobis piè cogitandi hodie atque operandi detur occasio maior. Ac principiò,hãc festiuitatem nulla alia ratione institutã esse, quàm vt credentibus cum diligentia meditandis Dei miraculis ac gratiis daretur tempus & occasio,certissimũ est. Hîc enim miraculorum miraculum, & gratiam aliam alia abundantiorem comperimus: hîc Deum omnia verbo suo posse, & quoduis facere. hîc discimus,nihil tam charum Deo esse,cuius nos quoque non velit facere participes, imò q; noster esse velit,quãtus quãtus est. Nemo tã rudis, qui hoc sacramẽtum cõsiderans cùm Dauide nõ dicat: Tu es Deus qui facis mirabilia,tu es Deus solus. Et cum Hieremia. Non est similis tui Domine, magnus es tu, & magnum nomen tuum in fortitudine. Quis nõ timebit te ô Rex Gentium? Rursus nemo in spiritualibus tam negligens,qui non vel semel degustata sacramẽti huius suauitate, cũ Dauide dicat, Exaltabo te Deus meus Rex,& benedicam nomini tuo in seculum. Et mox,Suauis Dominus vniuersis,& miserationes eius super omnia opera eius. Quum ergo magna in hoc sacramento Dei mirabilia, ingentem diuinæ bonitatis inuenimus gratiã, meritò maiori hæc indagamus studio. Sanè si aliis quæ Christus pro nobis fecit & passus est,propriæ ac peculiares festiuitates,imò & octauæ,hoc est, octo continui dies, quibus omnia rectè atque vt decet, ordine cùm prædicentur, tum considerentur,instituti sunt, cur non & hoc Dei opus, sacramẽtum hoc,inquam,peculiare quoddam tempus,me-

Psal.76. *Hiere.10.* *Psal.144.*

ditan

ditādis,prędicādíſq; Dei in eo nobis exhibitis donis aptum haberet? Et conuenienti ordine hæc facta fuiſſent, quinta Cœnæ dominicæ feria,qua Chriſtus hoc ſacramẽtum inſtituit,ſed paſsionis illo ipſo die,imò & eadem hora auſpicandus ſermo impedit. Cùm enim duo facilè præcipua Dei mirabilia vno eodémq; tempore nec proponi,nec pro maieſtate explicari poſſunt,rectè illud Eccleſia tempus in alterius, hoc eſt,paſsionis ſeruatoris noſtri Ieſu Chriſti meditationem impendit,& ſacramenti huius commentationem in aliud tempus differt. Et hæc hodiernę feſtiuitatis cauſa eſt, quam nemo,niſi Dei operum meditationẽ malam dixerit, arguet. Quòd ſi eorum meditatio atq; laus mala eſt ,erit & iſthęc feſtiuitas mala: ſi verò bona eſt & digna Dei operũ cõfeſsio & prædicatio , etiam vel ſemel toto anno Dei opera atque gratiam in hoc ſacramento magnificare atq; prædicare bonum,& dignũ erit. Atq; hæc de cauſa huius feſtiuitatis ſint dicta. Sed hîc aduerſarij obiiciunt nõ illa,ſed alia longè diuerſa inter nos fieri,vt feſtiuitatem hanc maxima ex parte ad externas pompas & oſtentationem,imò etiam ad inutilem ſumptuum profuſionem directam eſſe: quaſi verò Dei in ornatu auri argenti,margaritarúmq; & pompis, quàm in ſpiritualibus animæ ornamentis,maior voluntas ſit. Tum quòd ipſum ſacramentũ deferimus,oſtentamus, adoramus, quorum nihil in Euangelio præſcriptum eſt . Atq; hîc ſanè non diffiteor,verum eſſe,nõ hanc ſolùm , verùmetiam alias feſtiuitates maxima ex parte,in externam põpam & oſtẽtationem inuerſas. Cæremoniis, campanarum ſonitu atque clangore feſta noſtra peragimus: quod reliquum eſt , rarò cogitamus. Inuenias enim plures,qui proceſsione hac , quã vocant, pompoſiſsimè inſtructa, abundè ſatis factum eſſe huic feſtiuitati,nihil referre,ſi reliquo totius diei tempore ſacramentum hoc ne cogitent quidem , imò verò toto die Chriſtum ipſum atque ſacramentum eius blaſphemiis,nefandíſque actibus iniquiſsimè inſectati fuerint, arbitrãtur. Sed non hoc Chriſtiano , quin potiùs ethnico more feſtos dies agere eſt. Idque nulla non ætate,vt inutile, ſuperſtitioſum & pompoſum Eccleſia arguit & damnauit,nedum docuit,vt veterum Eccleſiæ doctorum monumenta teſtantur. Nemo igitur Eccleſiam , quòd quibuſdam hæc feſtiuitas magis ſuperſtitioſè quàm piè peragitur, accuſet. Tollatur abuſus,maneant res,& hæc priori obiectioni reſpõſa ſint.

Et

Et alteri quidem respondens, ipse fateor, & sacramentum ostendimus, circunferimus, adoramus, nusquam esse mandato præscriptum: sed ideò malũ esse ea facere nondũ ostẽsum est. Non enim constat sibi, quod quidam dicunt, impiũ esse & minimè Deo placere, quicquid Scripturis nec præceptum, nec suasum est. Christus nullum cibum credentibus suis interdixit, imò liberum fecit quemcúnque vellent, cùm ait, Quod intrat in os, non coinquinat hominem: nihilominus tamen primo Concilio iis, qui ex præputio cõuersi erant, vt ad tempus quibusdam cibis abstinerent, concordiæ causa mandarunt Apostoli. Hoc, inquam, nusquam præceperat Dominus: non tamen id statuentes, peccarunt. Non ergo consequitur, si dixero, Hoc Scripturis sacris mandatum non est, ergo malum est. sed si dixero, Hoc Scripturis repugnat, aut consentaneum non est, sic sanè formam argumenti, & quidem iusti haberet. Quicquid enim Scripturis sacris repugnat, sine dubio malum est. In aliis rebus sufficit consentaneum esse Scripturis, & ex iisdem elici posse. Qui enim non est aduersum vos, inquit Christus, pro vobis est. Ita & hîc mihi dicere libet: Non ideò malum est sacramentum circunferre & ostendere, quod Christus id fieri non præcepit. Primò enim nulla Scriptura id prohibet. Secũdò Scripturis vehementer etiam consentaneum est. Christus enim nullam aliam Sacramenti huius causam, præter sui memoriæ conseruationem in nobis, indicauit. Sed circunlatio illa & demonstratio sacramenti ad excitandam atque conseruãdam Christi in nobis memoriam facere potest. Sanè optimus vsus esset, perceptione siue participatione eius Christi in nobis fouere memoriam. Id quod in exordio Ecclesiæ Patres factitasse Lucas commemorat, cùm perseuerasse eos in doctrina Apostolorum, & in fractione panis tradit. Et si hæc de sacramento hoc participandi pietas quotidie, aut certè quauis septimana vicibus aliquot in nobis cõsideraretur: hac circumlatione & demonstratione opus nõ esset. Sed quis ardorem hunc extinctum esse, quis pietatem illam refriguisse iam olim, nõ videt, & ita sanè, vt vix semel toto anno ad communicationẽ inducamur? Et quid hîc Ecclesiæ facto opus est? Ingens peccatũ, grãde dedecus est, hoc tanto thesauro locupletatos esse, nec eo tamen vti. Grauiùs delinqueremus, maioréq; cũ dedecore fieret, si Christi etiã memoriã aboleri pateremur. Ecce igitur hoc ipsum præue

Matth. 15.

Luc 9.

Matth. 26.

Act. 2.

nire Ecclesia laborat. Cũ ad quotidianam sacramenti huius perceptionẽ non compellit: quod potest, præstat, ob oculos positum sacramentum ostẽtat, antefert nobis, vt in plateis, vicis, atq; ipsis domibus contueri liceat, si fortè ex aspectu ad perceptionẽ eius aliquo modo moueri & excitari possimus. Nec quicquam hæc Ecclesiæ supplicatio tam requirit, quã quod obuiis omnibus dicere vult: Quid ô mortaliũ infœlicissimi facitis? Quid cogitatiões vestras vanè cõsumitis? Omnem in temporanea curam vestrã impenditis, quod maximè oportuit, relinquitis. Christum, inquã, salutis omnis fontem maximo vestro incommodo negligitis. Omisera Adæ propaginem. Cur tantum tanti Regis munus proiicitis? quid proprio filio Deus dare potuit præstãtius? quid filius relinquere vobis proprio suo corpore & sanguine excellentius? Ecce corpus, quod pro vobis traditum est. Ecce sanguinem qui pro vobis effusus est, imò quem ipse tradidit, atque effudit. Et quæ vestra ingratitudo est, hæc nolle agnoscere, nolle memoria tenere, nolle cogitare? Quam vobismetipsis calamitatem inducitis, quàm grauiter Deum ad iram prouocatis, qui hæc eius dona respuitis, odistis, & nefando modo in calumniam rapitis. Hoccine Deus in vobis meruit? Hoccine patri piissimo repẽditis filij, creatura creatori talia redditis? An homo summum illud bonum cùm negligere, tũ conuitiis insectari audebit? Cõuertimini credentes, ab execranda illa negligentia vestra desistite, vocationẽ vestram agnoscite, ad Christum conuertimini, & huius sacramenti respectu, quid ille vobis præstiterit, recolligite. Ne vosmet tantis bonis spoliate, &c. Hoc modo sapientia Dei, hoc die vbiq; & in plateis clamitat. Vsquequo paruuli diligitis infantiam? Cõuertimini ad me, ne postea flẽtes audiatis. Vocaui vos, & renuistis, extendi manum meã, & non est qui respiceret. Et ego quoq; de interitu vestro ridebo. Inuocabitis me, & ego non exaudiam. Hoc inquã: nec quid aliud Ecclesia vult, sacramentum hoc circunferens omniúmque oculis exponens. Et hîc vides, festiuitatem hãc, quantum ad institutionem eius nihil mali cõtinere. Vnum adhuc restat, quo homines plerunque seducuntur, nimirùm quòd nonnulli aiunt, tandiu manere corpus Christi in sacramento, dum verba proferuntur. Id quod ita esse nequit. Sequeretur enim primò, neminem corpus sanguinémq; Christi percipere, quòd antequam os intrat, verba transierunt, secundo,

Prouerb. 1.

solum

ſolum vnum ex duodecim illis Apoſtolis corpus & ſanguinem Chriſti percepiſſe, nempe eum cui Chriſtus cum verborum enunciatione repentè & ſimul in os dediſſet. Semel enim tantùm hæc verba pronunciauit, vt ex omnibus Euangeliſtis apertè conſtat. Quin etiam ex Chriſti verbis, cùm ait. Qui mãducat carnem meam & bibit meum ſanguinem in me manet, & ego in illo: colligi poteſt, etiam iamdudum pronunciatis verbis, ipſóq; ſacramento ſumpto, corpus tamen & ſanguinem Chriſti manere in homine, cur ergo non etiam in ſacramento, alibi aſſeruatum ipſum corpus atque ſanguis idem manerent? Rurſus ſi corpus Chriſti tandiu in ſacramento manſit, dum duodecim ordine illo perciperent, imò ſi etiamnum hodie idem corpus ac ſanguis in ſacramento manent, dum aliquot centena homines communicant, cur non etiam in ſequentem diem in loco honoratiore manerent? Aut ſi id negas, Scripturas & rationes adfer, cur illud ita eſſe poſsit, hoc non poſsit. Interea dum Scripturas, tuam ſententiam affirmantes inuenis nos cum catholica. S. Eccleſia, corpus ac ſanguinẽ Chriſti in ſacramẽto, etiã pronunciatis verbis, licèt non ſtatim ſumatur, attamen vt ſumetur in futuro, ſeruatur, manere credemus atque confitebimur. Sumere enim illud, præcipuus eius vſus eſt. Accipite & manducate, ipſe Chriſtus ait. Ex his omnibus ſatis, opinor apertè declaratur, nihil mali in hac feſtiuitate eſſe, ſed illuc potius reſpicere, vt Chriſti ſatisfiat inſtitutioni. Iam quid ea à nobis quoq; requirat, quærendũ eſt. Nõ enim per ſe bonã eſſe rẽ quãpiã, ſatis eſt, ſed rectè illa vtendũ eſt. Sed nũquid hodie ſatisfactũ illi eſt? inquis. Nihil enim quod ad huius feſti gloriã facere videbatur prætermiſſum eſt. Tum protulimus quicquid pretioſum repoſitũ habuimus. Nunquid hæc feciſſe ſufficit? Reſp. Sufficeret, ſi Deus tãtũ externa requireret, Sed hęc Deo ſatis eſſe ſuperius negatũ eſt: alia enim præterea requirit. Fili mi, inquit, præbe mihi cor tuũ. Et Chriſtus in Euãgelio: Deus eſt ſpiritus, & qui adorãt eũ, oportet in ſpiritu & veritate adorare. Quẽadmodum enim ad bonũ nauis nõ extrinſecus pictam eſſe, ſed validam. & ad bonum gladij non argentea vagina amictũ, ſed acutum eſſe ſufficit: ita ad perfectionẽ cultus diuini nõ ſufficit põpoſum ſed pium eſſe, & ex imo pectoris prodire. Quòd ſi quæris, quid hæc feſtiuitas requirat, tria ſunt, memoria Chriſti, gratiarum actio, & iuſtus ſacramenti huius vſus. Primò om-

Ioan. 6.

Matth. 26.

Prouer. 23.

Ioan. 4.

nium cùm hoc ſacramentum aſpicis, ipſe Chriſtus totáque illius paſsio tibi in mentem veniat. Tum Patris dilectionẽ cogita, qui ſola motus filium ſuũ vnigenitum dedit, vt ipſe
Ioan. 3. Chriſtus teſtatur. Non enim nos ipſum priùs dileximus,
1. Ioan. 4. ſed ipſe prior dilexit nos, teſte Ioãne. Vnde & pudeat te tam parui pendiſſe Deum, imò omnia reliqua præſtantiora duxiſſe ipſo. Deinde etiam paratam Chriſti obedientiã in memoriam reuoca, qua ad crucem vſque humiliauit ſe, contra inobedientiam tuam in Deum, atque mandata eius argue. Tertiò ineffabilem Chriſti dilectionem, qua ſe totum quãtus quantus eſt, pro nobis impendit, cogita: tuæque te, qui vel minimum etiã Chriſto ac membris ipſius denegas, pudeat immanitatis. Quartò hoc nos ſacrificio, corpore nempe & ſanguine Chriſti ab æterna morte atque damnatione ereptos redemptóſque eſſe, tecum perpende, tuámque, qui nũquam dignas Deo exolueris grates, ingratitudinem corripe. Quintò hoc ſacrificium, corpus ſcilicet & ſanguinem Chriſti omnium perfectiſsimum, Deóq; patri gratiſsimum eſſe conſidera, tuámq; incredulitatem, puſillanimitatémq;, qui tam certo diuini amoris pignore donatus, tamen deſperationi appropinquas, increpa. Hæc aliáque id genus, piis hic cogitanda ſunt. Nõdum tamen ſatis eſt, niſi etiam grati Deo laudes decantauerimus. Hinc enim ſacramento huic nomen inditum eſt εὐχαριστία, quod eſt gratiarum actio, dicitur. Illo enim quàm maximè ad gratias Deo agẽdas incitamur. Id quod Deo acceptiſsimum, nobis verò conuenientiſsimũ eſt. Populum iſtum, inquit Dominus, formaui mihi,
Iſaiæ 43. laudẽ meã enarrabit. Vnde & Paulus monet, vt in omnibus
1. Theſſ. 5. gratias agamus Deo: hoc enim ipſi beneplacitum eſſe. Si verò in omnibus laudandus eſt Deus, quantò magis in hoc ſacramento? Propterea in quotidiano etiã ſacrificio dicimus. Gratias agamus Domino Deo noſtro. Et hæc quidem nobis hac maximè die dictum putemus. Vtique enim Deo hic gratias agere dignum & iuſtum, æquum & ſalutare eſt. Et væ nobis, ſi hac parte ingrati fuerimus. Tertiò danda eſt opera vt rectè ante omnia hoc ſacramento vtamur. Hac enim parte horrendè ac perditiſsimè delinquimus, qui tam impiè, ridiculè, tam leuiter, tam imprudenter, ab omni timore Dei alieniſsimi hoc ſacramentum tractamus, & quis hæc videre ſine gemitu poſsit? quis hîc iram diuinã nõ timebit? quis ſeueriſsimum illius iudiciũ non extimeſcit? quid horribilius,

quàm

quàm immundis tanta Dei mysteria tractare manibus, impuris hæc facere mentibus? Ad vos ô Sacerdotes os meum est, Malachias ait, Laudem meam annuntiare debuistis, & ecce despiciſtis me. Oblationem mundam debuistis nomini meo in omni loco offerre, & ecce panem pollutum offertis super altare meum, illotis manibus, conscientia polluta corporis & sanguinis mei sacrificium tractatis, Hæc ô fratres cogitemus, ne idem nobis, quod Heli filiis contingat, qui quidem egregiè sibi in Arca Dei placebant, ac confidebant: sed quia iniquè sacerdotale munus ac sacrificia explebant, quia dum admonerẽtur desistere ab iniquitate sua nolebant, factum est, vt vna die ambo perirent, simúlque & Arcam Dei, & sacerdotium cum sacrificio, & vitam, & denique ipsum Deum amitterent. Proinde diligentiùs vigilemus ipsorum exemplis moniti, vt rectius hoc nostro sacramento vtamur, quàm illa Arca vsi sunt, alioqui iisdem pœnis subiecti peribimus. Gratia Dei nobiscum, Amen. *Malach.1.*

SERMO NONVS.

EVangelio hodierno sic regius ille Propheta accinit: Deus cibauit illos ex adipe frumenti, & de petra melle saturauit eos. Neque sanè sine ratione fit, cui Euangelium ipsum causam, vt fieri debeat, administrat. Psalmus, vnde hic versiculus desumptus est, propriè quidem de sacramento hoc nihil habet, multáque minus huius festiuitatis meminit: sed solummodo quid Israëlitis Aegyptum exeuntibus contigerit, narrans, ad spirituale nos exhortatur gaudium, quod eundem quem ipsi Deum habeamus, eiusmodi planè, qui non solùm præteritis seculis beneficus in suos fuerit, verùm etiam eandem liberalitatis suæ munificentiam nobis promittat in posterum. Aperi os tuũ, inquit, & ego adimplebo illud. Hæc illius psalmi summa est. Porrò quis tã stupidus, vt, nobis quoq; hoc ipso occasionẽ dari, rememorandi, quæ olim Deus benefecerit nobis, quæ nunc, quæ aliquando facturus est, ac propterea in domino Deo nostro etiã exultandũ non videat? Vbi enim modica & temporanea dona ea maiestate proponuntur, vtique cuique nostrum, quanti magna illa spiritualia ac sempiterna bona promissionésque estimanda sint, manifestatur. Sit ergo, hoc dictum in Israële corporaliter impleuerit Deus, eósque non simpliciter pane quouis, sed adipe frumenti, quod *Psal.80.*

est,optimo frugũ genere cibauit,tũ etiã nõ modo aqua è petra,sed & melle,hoc est,optimo potu liberalissime(id enim hic tropus vult)potauit,saturauit,impleuit:excellentius qd tñ est,q̃ credẽtibus nobis exhibuit spiritualiter,atq; etiãnũ exhibet: cibauit olim, cibat etiamnum:potauit olim,potat etiamnum.Iam olim præterierant apud Israelem, quorum postea hic Dauid meminit. Mãna enim dabatur illis quouſ
Iosue 5. que Iordanẽ transirent,tantúmq; in deserto vescebantur illud. At deinde corripiens, misit in eos magnam famem, vt
3.Reg.17. tempore Eliæ:tandem etiam omnes ex ea, quam dederat, terra eiecit.Nobiscum verò vsque ad consummationem seculi,ipso testãte,permanet.Maiori igitur ratione nobis hic
Matt.26. Psalmus cõuenit,quàm illis. Quid ergo Propheta dicit? Cibauit & potauit eos. Ecce vtrunq; ponit, vtrũque etiam natura exigit.Non cibum solùm, verùm etiam potum:nõ potum solùm,sed & cibum. Et iuxta hunc sensum hæc verba innuunt,quòd copiosè,quicquid ad naturæ conseruationem requiritur,Deus contulerit.Sed & illud vide, quibus rebus ipse & cibauerit & potauerit nos: nempe non simplici pane,sed adipe frumẽti:non aqua, sed melle.Vbi verò id melius & expressius egit,quã in Sacramento?Quid enim hoc sacramentum est,præter omniũ frugum ciborúmq; adipẽ? Et quid nisi mel de petra sunt,quæ Christus ante & post cõsecrationem huius dixit,verba?Et his iam duobus Christus cibat potátque nos,verbo suo atque sacramento reficit nos, nõ alterutro solo,sed vtroq; simul. Paulus quidẽ sacramẽtũ hoc,domini panẽ vocat.Quẽadmodũ enim panis priusquã panis fiat, in minutissimos atomos cõterendus est, igne, & aqua coquẽdus est:ita nõ sine magna impensa ad nos iste panis peruenit.Est certè nũc cibus delectatione plenus,sed nõ fructus,nõ cõsolatio in eo parata nobis cõsiderãda solũ est, verũ etiã præcedẽtia ipsa,nimirũ passio ac mors Christi re spicienda sunt.Granũ illud frumẽti Christus, priusquã nobis panis fieret,cõteri oportuit,ac mori.Vnde hoc sacramẽtum panis dicitur:licebit & adipẽ frumenti dicere.In omni enim ciborum genere,præstantissimũ est, non solùm contẽti,hoc est,corporis & sanguinis Christi ratione, verũ etiã significati. Est enim omniũ promissionum Dei figillũ, de quo alibi latiùs dictũ est. Vnde nõ immeritò hodie cecinimus,Cibauit nos adipe frumenti,additur autem & illud,Et de petra melle saturauit nos. Id quod in hoc ipso etiam sa-

cramento,

cramento, si verba, quibus Christus, dū *illud* instituēret, vsus est, quæ verè nil præter mel sapiunt, rectè deguſtamus, cōsideratur. Quid enim dulcius? quid piū animū magis exhilarare poteſt, quàm quod Christus ait, Qui māducat carnem meā, & bibit ſanguinem, in me manet & ego in illo: & viuet in æternum, & non morietur? Quid homini optabilius vita? quid præſtantius obuenire nobis poſsit, quàm nō mori in æternum? Quid ergo homini deeſſe poteſt, qui in Chriſto manet, & illum manentem in ſe habet? Si quis ergo nulla his verbis dulcedine afficitur, lapide inſenſibilior eſt. Et hoc modo cuiuis apertum eſſe poteſt, non immeritò nos hodie canere, Cibauit nos Deus ex adipe frumenti, & de petra melle ſaturauit nos. Et hæc piis mētibus ſufficerent, ad hāc feſtiuitatē cū gaudio Spiritus, Deiſque laudibus trāſigē dam, nulláque validiore exhortatione opus foret. Sed quia hanc ſolennitatem aliis contēptui eſſe, aliis nihil præter oſtentationem & pompam haberi video, fuſiùs mihi aliquā to de eadem dicendum eſt. Sanè dolendū eſt, nullū his rebus inueniri medium poſt tam multas diſputationes, quū tamē meo iudicio, facilè inueniri poſſet, ſi modò verā inſtitutionis eius cauſam ſcrutari liberet. Nemo ſanè prudens hanc ipſam ſolēnitatem rideret. Principiò enim iam peractis feſtiuitatibus aliis omnibus, huius ſacramenti inſtitutionem, quæ propriè ante paſsionem Chriſti facta eſt, vbi etiā breuis quidem eius, propter ſequētem paſsionis hiſtoriam, cui rectè omnes ſenſus mentéſque intendunt, ſed tamen aliqua mentio facta eſt, rurſus atq; ab integro in medium proponi. Duæ igitur dum incurrerent maximi ponderis res, eæq; breui illo tempore ſimul in concione tractari pro maieſtate rei, atque credentium vtilitate ſatis commodè non poſſent, paſsio verò illius temporis ita principem locum obtinuit, vt ſacramēti huius inſtitutio, vti cùm æquum, tum neceſſarium erat, cogitari atque perpendi non poſſet: hāc ecce diem Patres inſtituêre, qua omnibus per otium commodè de eo cogitare, loqui, atque diſcere vacaret. Id quod Patres magna diligentia conſiderauerunt, ſuámque erga hoc ſacramentum pietatem & deuotionem, interné, externè, anima atque corpore, in mentis exultatione, atque oris confeſsione, ſummè declarauerunt: ſed & fidem, ſpem, charitatémque ſuam in Deum externa reuerentia ac cultu teſtati ſunt. Cuius rei etiamnum apud nos ſunt veſtigia quędam &

Ioan. 6.

indicia, sed imperfecta ac propè obliterata. Apud pleroſque enim tantùm externa quædam pompa & oſtentatio eſt, ſine mẽte, ſine vlla pietate: & quæ ergo inde vtilitas ſperari poteſt? Quid mirum ſi alij eiuſmodi noſtra dictis atque ſcriptis rideant? Solus, qui nihil immeditatus dicit facítue, ſapiens mundo eſt. Hinc prouerbium, quod Apollini tributur, Inter mille vix vnum ſapientem inueniri. Et quod Salomon ait, ſtultorum infinitum eſſe numerum. Id quod veriùs quàm vel nos decet, vel conducit, in nobis manifeſtatur, præcipuè in hoc feſto. Quicquid hodie peregimus, vbique gaudium quoddam præſe fert: gaudium, inquam, nõ leue, ſed magnũ: nec qui hodiernas cæremonias cõſiderauit, ſecus dicere potuit. Quàm pauci verò ſunt, qui quid eiuſce modi lætitiæ ſigna velint, intelligant. Et licèt ſciant nõnulli, non tamen expendunt. nihilominus tamen immiſcemus nos aliis: ſi quid faciunt, facimus: ſi canunt, canimus: ſi quò eunt, & illuc ſequimur. Hîc gradum ſiſtimus, atque bellè ſatis hanc feſtam diem celebraſſe videmur nobis, cum hæc fecimus, cùm tamen de nobis quoque dici debuit etiam in externis: Ecce populum intelligentem atque ſapiẽtem, ſed maxima parte tantùm qui Deum labiis honorat, cuius cor lõgè eſt ab eo. Populus nos ſumus, imò verò nec frigidi, nec tepidi meritóq; ne nos euomat Deus, timemus. Proinde intentis oculis, quæ huius feſti atque gaudij ſit ratio conſiderandum eſt. Eſt autem magna illa Dei patris bonitas, quam toties, in tam grauibus rebus, tã apertè experti ſumus. Huius inquam, maximè nos admonet Sacramentum, vt quod Chriſtus etiam in ſui commemorationẽ, imò Dauid teſte in memoriam omnium mirabilium ſuorum inſtituit. Sed quæ illa mirabilia, in quibus bonitatem beneficentiámque ſuam Deus oſtendit, eſſe poſſunt: niſi Dei filium hominem factum, paſſione ſua ac morte pro peccatis noſtris ſatisfeciſſe per reſurrectionem ſuam ſuper omnia exaltatum eſſe, ipſa paſſionis ſuæ merita, ipſam reſurrectiõis ſuæ victoriã, tum gratiam & pacem cum Deo. electis ſuis cuiuſcúnque fuerunt conditionis omnibus donauiſſe, & quod nos quoque in reliquorum numero admiſit? Hæc inquam, mirabilia illa, atque plena dilectionis opera ſunt, quorum hoc ſacramento hodie admonemur. Eccleſia enim quaſi omnibus dicerę videtur in hæc verba, Videte ô Chriſtiani, quanto dilectionis affectu ſumma illa Maieſtas ſeſe humiliauit,

Eccl. 1.

Deut. 4.
Iſa. 29.
Apoc. 3.

quanta

quanta pietate in nos reſpiciens nobis præuidit. Nulla ſanè alia natio eſt, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt nobis. Quo vno facto declaratur, quòd diuina illa ſapientia loquitur, nimirum delicias Dei eſſe cum filiis hominum. Et hîc iam cum Ieremia rectè cõfitemur, dicentes, Quis ſimilis tibi? magnũ eſt nomen tuũ. & quod Samuel monet, Timete Dominum & ſeruite ei in veritate, & ex toto corde veſtro. Vidiſtis enim magnifica, quæ in vobis geſſerit Dominus. Neque enim pia mente decentiùs vtiliúſque aliquid cogitabunt, quàm ſi cõgitationibus ſuis omnibus huic ſacramento intendant. Primũ enim eiuſmodi cogitatio contra peccatum, mortem, infernum, omnémque deſperationem ſolatur ac erigit. Deinde etiam fidem confirmat, ſpem erigit, charitatem accendit, non in Deum ſolummodo, verùm etiam in homines, longanimitatem in perturbatione, promptitudinem in omne bonum cõferret. Quæ eiuſmodi ſunt, vt ſine iis non liceat eſſe Chriſtianis, hoc licèt ſeculo rariora conſiderentur, vt enim hæc tempora ſunt, exigua admodum hominum fides eſt, imbecilla ſpes eſt, charitas refriguit, pietas periit, longanimitas nulla eſt, verũtamen vnicum hoc ſacramentum hæc omnia in nobis inſtaurare poſſet, ſi modo diligenter ac rectè illi intenderimus. Et cur miramur, tanta illud hodie grauitate proponi? Principiò enim licet per baptiſmum ex Aegypto hoc eſt, diabolica poteſtate erepti ac liberati, per mare Rubrum tranſiuimus, ſalebroſum tamen deſertum cum Iſraele nobis reſtat, in quo plurimæ occurrunt tentationes, ac lõga grandíſue via cum Elia nobis peragranda eſt, in qua vndique pericula inſurgunt. vnde non ſolùm exhortatione ad pergendum ne deficiamus, quemadmodum Eliam vrgebat Angelus excitans è ſomno, verùm etiam ſpiritualis cibi alimento opus eſt, imò verò nõ minore quàm Moſi olim præſidio atque auxilio opus eſt. Ille enim cùm tranſiret deſertum, ad Dominum vociferatur, dicens, Si non tu ipſe præcedas nos, ne educas de loco iſto. Et hoc dixit, qui præter homines quod timeret, nihil habebat. Elias vnicã tantùm mulierem quã timeret habuit, ita tamen puſillanimis erat, ipſam vt mortem concupiſceret. Et nobis homines, ipſéq; cũ ſuo principe mundus timẽdus eſt, quẽ tamẽ effugere poterimus, ſi cũ Elia deſerta petẽtes, ſubter vnicã Chriſti crucis iuniperum requieuerimus: vbi nõ iam angeli, ſed ipſius

Deut.4. Prou.8. Hier.10.

1.Reg.12.

3.Reg.19.

Exod.23. 1.Reg.19.

Christi vocẽ audiuimus, dicẽtis, Cõfidite ego vici mundũ.
Ioan.16. Et iterũ, Qui sequit̃ me, tollat crucẽ suã, & sic sequatur me,
Matt.16. &, Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animã autẽ non
Matt.10. possunt occidere. Quin sub hac iunipero cibũ potúmq; hoc est, consolationẽ aduersus omnẽ mundi huius perfidiẽ atq; stratagemata inuenimus. nẽpe cũ nil nos posset solicitare, quod nõ ipse priùs pro nobis passus esset. Primus enim hũc passionis crucisq; calicẽ hausit, quo nos minus abhorreremus. Proinde nõ est cur tãtopere hoies mundũue timeam⁹. Quid enim aduersum nos possunt? Corpus, atq; bona tollere possunt. Nõ magna iactura æstimãda est, perdere, quo alioq; carendũ est, Ablato corpore, quòd præstantius est, tenemus animã ipsúmq; Deũ. Et quidẽ horũ causa, peculiares quosdã hostes habemus, animæ nostræ insidiãtes, nimirũ peccatũ, mors, infernus atq; Dei iudiciũ. Quos licèt nõ semper experiamur ĩ nobis, certissimè tamẽ aliquãdo experiemur, Mors enim certa vẽtura est, tũ haud dubiè peccata tua tibi se offerẽt, & deniq; iudiciũ Dei præfinitũ in prouidẽtia Dei obseruat diẽ. Triceps imago horribilis. Et quis aduersus morte, peccatũ, atq; iudiciũ Dei persistere potest? Inimici tui, inqt Christ⁹, circũdabũt te vallo, & coãgustabũt te vndiq;, & ad terrã ꝓsternẽt te. Tria sunt, quorũ primũ mortis, secundũ peccati, tertiũ iudicij Dei atq; inferni op⁹ est. Cõtra hos oẽs nemo, nisi in Christũ respexerit, persistere põt. hîc enĩ imago vitæ tibi est, si mors territat: imago gratiæ est, si peccata te coangustãt: imago bonitatis Dei est, si diuinũ te iudiciũ
Matt.11. solicitat. Venite, inquit, ad me oẽs qui laboratis & onerati
Ioan.6. estis, ego reficiã vos. Ego sum panis viuus. Et mox, Qui mã ducat meã carnẽ & bibit meũ sanguinẽ, in me manet, & ego in illo. Quib⁹ qd aliud Christ⁹ vult, nisi q⁹ credentibus suis seipsum exhibet? Et hoc modo sacramentũ hoc certissimũ
Psal.37. iudiciũ est, Christũ intolerabile iugũ peccatũ, quod (Dauid testãte) graue on⁹ est, & virgã hominorũ nostrorũ, mortẽ, q̃ pro peccato in oẽs venit, & baculũ exactoris, hoc est, infernũ & æternũ Dei iudiciũ, à nobis abstulisse: imò verò vita sua mortẽ nostrã, obedientia sua peccatũ nostrũ, dilectione sua infernũ dãnationẽq; nostrã deleuisse: tũ etiã se totũ in nostrã dedisse salutẽ. Ecce omnium horũ præsens festiuitas nos admonet, quæ ideò instituta est, vt in vitæ huius via sursum ad cœlos, discamus respicere, vbi, ne deficiam⁹, aut hostium insultãtium vi opprimamur, cibus potúsq; refectio,

arque

atque fortitudo quærenda est. In Christo nimirum per participationem sacramenti corporis & sanguinis sui, compēdiosissimè verò omnium per spiritalem eius perceptionem quod est, per fidem quærenda isthæc sunt. Nihil enim sine fide participat o prodest, quandoquidem in cœna Dominica corporaliter sumpsisse hoc sacramentum, Ecclesiæ satis non est, nisi & hodie illud proponens, ad spiritalem participationem excitet. Tunc verò spiritualiter Christi corpus & sanguinem percipis, quando dilectionem, qua Deus Pater filium suum dedit: obedientiam, qua se Christus in cruce obtulit, sanguinémque suum in mundi pretium effudit, commemoras, admiraris, in iisq; exultas, fide, spe, atq; dilectione eadem apprehendis, Scripturæ de Dei dilectione testificanti credis, ipsum te quoque in eorum, quos Christus morte sue liberauit, numero esse speras, ac propterea ipsi mente ac dilectione adhæresces, prædicas ipsum ac colis, desiderio illius traheris, cōfidens illi inniteris: hoc inquam spirituali ter est corpus, sanguinēq; Christi percipere, hoc ipsum maximè hac festiuitate in nobis requiritur. Atq; tūc demū illi satisfactū est, quādo cōsideratione & quotidiana sacramenti huius propositione ad fidē, ad spem, ad charitatē, ad æquanimitatem, ad deuotionē omnémq; pietatē incitamur: atq; illud ipsum in nobis cùm erga Deū, tum erga proximū consideramus, quod in seipso Christus, cùm summā erga Deum obedientiam, perfectissimam erga proximū charitatem exhiberet, habuit. Hæc, inquam, in nobis quoque consideraremus in consideratione hodierna, nimirū obedientiā & dilectionem. Hæc instituti huius intētio est. Sed quid rarius illo? Refriguit charitas, vicit malitia, nósque ipsi dissipati sumus, imo nō dissipati solùm, sed & inuicem exasperati. Cui tamen animorum exasperationi præsentis festiuitatis atq; ipsius sacramēti huius sedula cogitatio mederi posset. Profecto si in huius sacramēti præsentia, quāto pretio redēpti sumus, cogitaremus, minimè tāta peruicacia, proteruia, petulantia atq; insolētia in omnē impietatē leuitatēq; nolmet præcipitaremus. Sed nec tam ingrati, nec tā socordes erga Deū, neq; etiā tam tædiosi, pigri, negligētésq; in cultu diuino, omnisq; boni exercitatione essemus, si hīc quā per Christum Deus charitatē nobis exhibuit, in memoriā reuocaremus cōseruarem úsq;. Deniq; nulla tam execrāda in nobis, perdendi, exurēdi, trucidandiq; inueniretur cupiditas, si in

Phil.2.

Matt.26.

hoc

hoc ſacramento, quomodo omnes per Chriſtum red empti ſumus, cogitaremus, atq; ô vtinam nemo non Chriſtianus, cùm ad lites, ad iurgia, ad cõtentiones iuris, ad bella, ad cædes, ad profligationes, ad perditiones deſcenditur, huius ſacro ſancti ſacramenti meminiſſet: haud dubiè propriis conſcientiis arguerentur, dicentibus. Quid facitis credentes? quid cogitatis? neſcitis cuius ſpiritus ſcitis? an ignoratis vocationẽ veſtrã, qua vocati eſtis ad maxima numirũ, vt vnum
Eph.4. corpus, vnus idémque ſpiritus ſitis, quẽadmodũ & vnam fidem, vnum baptiſma, vnum Deum, vnum Chriſtum, vnum
1.Cor.10. Euangelium, vnámque futuram hæreditatem habetis? Annõ audiſtis Paulum dicentẽ, quòd omnes vnus panis vnúm que corpus ſumus, quicũq; de vno pane & de vno calice participamus? an ignoratis, quia hoc ſacramentũ vinculum eſt, quo Chriſtiani compingimur, in quo vt fratres & domeſticos nos inuicem agnoſcere debemus? an neſcitis forte, quia Chriſtus nihil æquè grauiter, atque dilectionem præcepit, mandauit, inculcauit: nihil perinde in ſuis abominetur atq;
Ioan.13. diſſentiones, zelum, iurgia? annõ audiſtis quia Deus nõ diſ-
Matth.20. ſidia, ſed pacẽ cõcordiámq; ſuorũ quærit? Et qui fieri poſſet
1.Cor.14. (ita inuicẽ exacerbati perſeueramus) ſi hoc modo ſacramẽtum hoc intueremur? Nõ ergo, quòd toties nunc ſacramentũ hoc nobis proponitur, demõſtratúrq;, cõquerendum eſt, imò potius ardentiſsimis votis optandũ eſt, vt nũquã ex cõ ſpectu & noſtro & omniũ credentiũ amoueretur, ſi quo modo amarulentia plurimorum leniri, amórq; excitari poſsit.
Deute.8. Leuemus fratres oculos noſtros, quemadmodũ & Moſes populũ Dei hortatus eſt, viã, qua à Deo ducimur, reſpiciamus.
Pſal.23. In peccatis quidem naſcimur, ſed mox lauacrũ paratum ad eſt, in quo peccata abluũtur. Deficiẽdum nobis eſſet in via, & ecce mẽſam nobis parauit Deus, aduerſus omnes qui tribulant nos. Si ergo quicquã aduerſi inſurgit, & verum manna, verum illum cœleſtẽ panẽ habeamus paratum, cogitan-
Hebr.13. dum eſt: panem, inquam, nunquã deficientẽ. Chriſtus enim qui heri & hodie eſt, vſque in æternum permanebit. Quid ergo tãtopere mundus, & huius incurſus ſolicitãt, Deo nos cœlitus tam manifeſtè erigẽte ac conſolante? Ille ipſe ergo gratiam ſuam nobis impertiat omnibus, Amen.

SERMO DECIMVS.

PRæter Euangeliũ hoc, in quo exquiſitiſsimis verbis de ſpirituali corporis & ſanguinis ſui cibo, fide propriè

perci

percipiendo, Christus loquitur etiam Epistola legitur, in qua de eiusdem corporis & sanguinis Christi sacramento, corporaliter etiam sumendo Paulus Apostolus scripsit. Et quidem pulchrè Euangelio huic Epistola illa coniuncta est, vt vtraq; corporis & sanguinis Christi perceptio simul consideretur. 1.Cor. 11. Quibus Ecclesia hanc orationem annectit. *Deus*, inquit, *qui nobis sub sacramento mirabili passionis tuæ memoriã reliquisti, tribue quæsumus ita nos corporis & sanguinis tui sacra mysteria venerari, vt redemptionis tuæ fructum in nobis iugiter sentiamus.* Et hanc orationem si quis Euãgelio atq; Epistolæ addiderit, tria habebit, vnde quod meditetur hodie habundè sumere possit, cætera licèt nesciat. Tria, inquam, in quæ totam hanc festiuitatem licebit cõtrahere. Si cui enim huic festæ diei satisfacere animus est, primò omnium, quod sacrum corpus & sanguinem suum in mortem ad effundendum pro multis Christus dederit, firma fide credendum & meditãdum est. Deinde etiam, quòd idem ipsum nobis corpus suum & sanguinem det. Ac tertiò, quomodo vtroque commodè vtendum sit, quærendum est. Ad primum Euangelium hoc refertur, ad secundum Epistola, ad tertium Ecclesiæ oratio. Euangelium, inquam, primo seruit, hîc enim Christus corpus sanguinémque suum in spiritalem cibum dedit, qui fide percipiendus est, eo planè modo, quo superiore Dominica ad Nicodemum dixisse audiuimus. Sicut Moses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, vt qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Ioan. 3. Epistola hodie lecta sacraméti huius institutionẽ respicit, tum oratio Ecclesiæ verum vtriusq; vsum docet. Et quomodo tota festi huius intentio vel rectiùs, vel compendiosiùs proponi, quàm his tribus, posset: Nam & in cantionibus Ecclesiæ cæteris tres veteris Testaméti figurę, non solũ festo huic, verùm etiam tribus illis partibus, quarum memini, aptissimè conuenientes accinuntur. Prima enim figura, quæ est agni Paschæ, passionẽ Christi respicit. Altera mãnæ, institutionem sacramenti huius. Tertia Eliæ, qui tantùm ex vno pane subcineritio robur concepit, vt sine alterius cibi alimento vllo quadraginta diebus & totidem noctibus per deserta vsque ad montem Dei Oreb pergeret, ad vtriusque, nimirum passionis Christi, & sacramenti institutionis fructum respicit. Et hæc omnia ostendere, minimè (vt intelligẽtibus patet) erit difficile. Sed hac vice exor-

dij lo-

dij loco huius sermonis Euangelium, Epistolam, atq; orationem Ecclesiæ placuit conferre. Atque vtinam hæc ipsa tria probè considéremus. Profecto, si non maiori commoditati, huic tamen seruiret, vt hæc ipsa festiuitas etiam apud hostes maiorem consequeretur auctoritatem, qui nullum alioqui ridéndi calumniandíq; finem norunt, nimirum considerantes in externis quibusdam cæremoniis hærere nos tantùm, nec quid præterea cogitare, imò sæpè quod facimus ignorare, nec quare id fiat intelligere: festos dies celebrare, sed causam nescire: externo habitu gaudium ostentare, nulla tamen mentis lætitia moueri: Deum labiis honorificare, corde tamen longè ab eo abesse. Quãquam vnicum Euangelium hoc, Epistola atq; oratio satis declarant, non cæremoniarum causa hanc festiuitatem institutam esse, sed potius multa longè maiora à nobis requirere. Sanè inuicem ad reuerentiam sacramenti huius exhortamur, Tantum ergo sacramentum veneremur cernui, & quæ sequuntur, sed & facto reuerentiam quandam exhibemus, coram Iudæis simul atque Gentibus, tum & hæreticis confitentes, quòd minimè erubescamus fidem nostram, atque omnia ea, licèt minutissima, quæ ad salutem nostram pertinent incitamus hoc ipso vulgus hominum ad reuerentiam atque amorem sacramenti huius, qui fortè aliàs hæc minus cogitarent. denique & calumniatores monemus, vt se minimè hominis, sed Dei ordinationem contemnere cogitent. Licèt verò plurima id genus externa factitemus, non tamen omne illud est, quod ad hanc festiuitatem pertinet, Imò omnia eiusmodi non minus ab iniquo, quàm à pio fieri possunt. Sed longè præstantiora, Ecclesia docente hæc festiuitas à nobis postulat. Et quæ illa? Principiò Ecclesia orans dicit: Deus qui nobis sub sacramento mirabili passionis tuæ memoriam reliquisti, tribue quæsumus, ita nos corporis & sanguinis tui sacra mysteria venerari, vt redemptionis tuæ fructum in nobis iugiter sentiamus. Ecce hæc nobis cogitanda Ecclesia offert, nempe, quod sit mysteriũ corporis & sanguinis Christi, non vt tantùm signum & figura sit corporis & sanguinis Christi (id quod nõnulli bacchãtes calumniantur) sed eiusmodi mysteriũ, quod corpus & sanguinem Christi verè in se cõtineat, atq; hac ratione à Christo datũ sit, vt nos passionis suæ admoneat. Ecce hæc duo cogitare, ab Ecclesia admonemur, quæ & vtriq; petitionẽ applicat. Primò, quando sacramentum

Mysterium sacramẽti.

mentum hoc mysterium est corporis & sanguinis Christi, rogandus est Deus, vt se donante verè & iustè hoc ipsum ve neremur. Secundò, quando hoc sacramẽtum in memoriam passionis Christi institutum, orandum est, vt eiusdem passionis fructũ in nobis iugiter sentiamus. Hæc sunt, quæ pro priè ad hanc festiuitatẽ pertinent: huc ergo maximè respiciendum est, quòd ea prætermittentes, admodum parũ vtilitatis ex externis cæremoniis capiamus. Vnde nunc denuo nonnihil de hoc festo in medium adferre compellor. Neq; enim (vt video) tam multa ea de re dici possunt, quin plura dicere sit necessariũ. Ita enim deuiauimus omnes, vt nihil ferè æstimemus eorum, quæ antiquitus in Ecclesia asseruata ad nos vsque deuenerunt. Quin eandem Christo, cum Iudæis Capernaitis, in hoc sacramento gratitudinem exhibemus. Illi enim, cùm Christum longo sermone de spirituali hoc cibo loquentem audissent, intolerabilem, insuauem, imò etiam impossibilem eius sermonem iudicantes, qui nuper nomine sua Christo dederant, retro abeunt, susceptámque disciplinam ab humeris excutiunt. Eadem ferè nostrorum temporum ratio est: ita enim de hoc sacramento cogitamus, loquimur, prædicamus, scribimus: ita nos componimus in eius præsentia: ea facimus, vt omnium piorum vota meliora desiderent edocti, Apostolos sequamur: aliósq; dictitare & scriptitare permittamus: pro cuiusq; spiritus suggestione. Nũquid & vos vultis abire? Christus rogat: Quò ibimus, Petrus respondet, verba vitæ æternæ habes. Hîc nempe omnia viuifica verba esse iudicabat, quæ illi dura, & impossibilia proclamabant. Hunc ergo sequemur, & hanc festam diẽ in nostros vsus conuertamus, quicquid cùm Christus tum Ecclesia de hoc nobis sacramento proponit, cum exultatione atque gratiarum actione susceperi, tùm cum Petro omnia viuifica verba esse, hoc est, quæ ad vitam æternam obtinendam faciunt, fatebimur, ac deniq; cum Dauide dicemus: Domine nõ recedimus à te, viuificamus nos, & nomen tuum inuocabimus. Imò quod Iudæos incredulos abegit, idem nos attrahet: eóque Christus nobis charior erit ac gratior, qui corpus suum nõ solùm in redemptionẽ pro nobis obtulit, verùm etiã nobis in cibum dedit. Tum etiam eo magis hoc sacramentũ magnificabimus, quò ab aliis cõtemptibilius haberi nouimus. Agè ergo quid ipse Christus de spiritali corporis & sanguinis sui cibo loquatur, audiamus. Ca

Ioan. 6.

Ibidem.

Psal. 79.

Ioan 6.

ro mea

ro mea, inquit, verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Quid hæc verba velint, & quãdo primũ de ſpiritali, deinde etiam de corporali ſeu ſacramẽtali participatione ſint intelligenda alibi à me dictum eſt. Hinc ſequẽtia declaranda mihi ſumam, Hic eſt panis, qui de cœlo deſcendit. Non ſicut patres veſtri manducauerunt manna, & mortui ſunt. Qui manducat hunc panẽ, viuet in æternum. His ergo verbis Chriſtus cõtumelioſæ Iudæorũ obiectioni reſpondet: Quod tu ſignum facis, inquiunt, vt videamus & credamus? Patres noſtri mãducauerũt manna: ac ſi dicerent, Hoc Moſes potuit, vnde non iniquè illi credimus. hoc nobis verũ ſignum viſum, tu ſimile quid nõdũ oſtẽdiſti. Hac cõtumelioſa Iudæorum comparatione Chriſtus occaſionem ſumit nõ ſolùm fuſiùs de ſpirituali illo cibo ſuo dicendi, verùm etiã quòd mãna ipſorum nihil ſit collatione ad eum, quem ipſe daturus eſſet cibum cùm ipſis teſtibus, patres ſui nõ minus morti fuiſſet obnoxij, qui manna comediſſent, quã alij qui non comediſſent, demõſtrat. Et hac iam cõparatione, docet, quæ illi⁹ ſpiritalis cibi apud nos æſtimatio eſſe debeat, imò etiã in mãnæ hiſtoriam reſpicere monet, vt quæ cõpendioſiſsimè oſtendere poſsit, quã præſtantiã in nouo Teſtamento acceperimus. Si enim ea figurę maieſtas fuit, quæ veritas præſtantia erit? Sed apertè Chriſtus mannã figuram tãtùm fuiſſe alterius cibi, quem in nouo Teſtaméto Deus daturus erat cœlitus: propterea hoc verũ manna dicit, illud vero eã additionem non habet, quod verò è cœlo venerit, quæ vera illius mãnæ atque noſtri ſpiritalis cibi eſt. Illud quidem nomine dignamur, quod è cœlo manna dicamus, ſed è cœlo non venit, nimirũ in nubibus angelis eam in formam redacta. Chriſtus verò certiſsimè è cœlo venit. Illud neminẽ in vita conſeruare potuit, hoc etiã æternam vitam dare poteſt. cùm igitur ipſe Chriſtus ſpiritalis cibi ſui excellẽtiam è figura & vmbra mannæ demonſtrat, arbitror & hodie permultum id facere ad magnificentiã & verum ſacraméti huius vſum, ſi modò mãna figurã diligẽtiùs cõſideraremus. propterea quid rectiùs agã, quã ſi quibus partibus hiſtoria illa ſacraméto huic atq; feſtæ diei conueniat, aperuero? Cõfido equidem hac ipſa collatione amorem pietatémq; erga hoc ſacramentum apud pias quaſque mentes non ſolùm renouandam, verũ etiam adaugendam atq; conſeruandã. Iam verò plurima inuenio in quibus manna illud cum ſacramẽ-

to hoc cõferri poteſt, quorũ quodliber per ſe nõnihil ad magnificentiam huius ſacramẽti facit. Primùm ipſa datę mãnæ cauſa eſt, cur eã Deus dederit: quam Moſes deſcribẽs ita loquitur, Profectíq; ſunt de Helim, & venit omnis multitudo filiorũ Iſrael in deſertũ Sion. Et murmurauit omnis cõgregatio filiorũ Iſrael cõtra Moſen & Aaron in ſolitudine. Dixerúntq; filij Iſrael ad eos, Vtinã mortui eſſem⁹ per manũ Domini in terra Aegypti, quãdo ſedebamus ſuper ollas carniũ, & comedebamus panẽ in ſaturitate. Cur induxiſtis nos in deſertũ iſtud, vt occideretis omnẽ multitudinẽ fame? Dixit autẽ Dominus ad Moſen, Ecce ego pluã vobis panes de cœlo, & quę ſequũtur. Ecce hæc cauſa datæ à Deo mãnę. Deficiebãt populus alimento, quod enim ſecũ ex Aegypto tulerãt cõſumptũ erat: & quò longiùs in deſertũ peregebãt eò minùs victui neceſſaria inueniebãt. hoc mouebatur De⁹ vt daret eis panes. Neceſsitas vrgebat, cũ alioqui quo famẽ ſedare poſſent, ad manũ nihil erat. Et quid Chriſtum cœlos deſcenderet huc ad nos, ſéq; ipſum nobis panẽ afferret, tũ ſacroſanctũ corpus ſanguinémq; ſuũ in cibũ daret, niſi ingens totius mundi fames mouit? Fames, inquã, non corporalis alimẽti, ſed gratiæ diuinæ. Nullius aliqua in parte dominiũ præter peccati, mortis, dãnationis: nuſquã vita, nuſquam ſalus aut gratia apparebat in hominibus. Hoc motus Deus miſit vnigenitũ ſuũ, vt omnis qui in ipſum crederet, non periret, ſed haberet vitã æternã. Hoc ipſum etiã Chriſtũ mouit, vt ſeſe omni modo nobis daret, nẽpe naſcens, ſocium, conuerſcens in eduliũ: moriens, in pretiũ: regnans, in præmiũ. Propter miſeriã inopũ, inquit, & gemitũ pauperũ, nunc exurgã. Ponam in ſalutari, fiducialiter agã. Eãdem ipſam rationem Ioannes cœnæ Dominicæ refert, cùm dilexiſſet ſuos, inquit, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Ingrati igitur ſint oportet, qui nũc tandem diſputare ac ſecum diſceptare volunt, quæ inſtituendi hoc ſacramentum cauſa ſit. Nunquid non intelligis tibi atq; omnibus diuinæ gratiæ fame laborantibus in ſpem ac conſolationẽ factum eſſe? Quid ſi vel ſemel peccati, mortis, dãnationiſq; famem perpeſſus, nullam quocúnq; reſpiceres vitã, nullam gratiã, nullã ſalutẽ apparentem conſpiceres, haud dubiè eiuſmodi inutilibus quæſtionibus abſtineres: & contrà cum Eccleſia in hæc verba erũpens gratias ageres. O quàm ſuauis eſt Domine ſpiritus tuus, qui vt dulcedinem tuam in filios demõ-

Exod. 16.

Exod. 12.

Ioan. 3.

Pſal. 11.

Ioan. 13.

Sapien.12. ſtrares, pane ſuauiſsimo de cœlo præſtito eſurientes replens bonis, faſtidioſos diuites dimittens inanes. Et hoc primùm, quo hiſtoria mannæ cum ſacramento hoc noſtro cõfertur. Vtrobiq; Deus pater filiorum ſuorũ reſpexit famem, vtrobíq; populi ſui curã geſsit, vtrobiq; dilectionem oſtendit & gratiam, vtrobíq; miraculoſè cibauit illos quidem manna, quod nunquã vidit, nec ſciuit mundus: nos verò ſuo ipſius corpore atque ſanguine, quod nemo mortalium vel
Exod.16. expectaſſet vnquam, vel ſuis meritis promiſiſſet. Et quid porrò mannæ refert hiſtoria? Priuſquam Deus illum cœlitus demitteret cibum, per Moſen annunciauit dicẽs, Veſpere ſcietis quòd Dominus eduxerit vos de terra Aegypti: & manè videbitis gloriã eius, imò dabit vobis veſpere carnes edere, & manè panes in ſaturitate. Hoc iam rurſus ſacramẽto noſtro conuenit. Antequam corpus ſanguinémque ſuum Chriſtus daret in edulium, multifariè multiſque modis per Prophetas prænunciauit ſplendidum ſe exquiſitiſsimorum
Iſaie.65. ferculorum apparaturum eſſe conuiuium. Serui mei comedent, & vos eſurietis, Serui mei bibent, & vos ſitietis. Serui
Iſaie 49. mei laudabunt præ exultatione cordis, vos clamabitis præ dolore cordis. Et iterũ: Super vias paſcentur, & in omnibus planis paſcua eorum. Non eſurient neq; ſitient, & non percutiet eos æſtus & ſol, quia miſerator eorum reget eos, & ad
Ioan.6. fontes aquarum potabit eos. Et hoc ipſum in nobis impletur, eo modo, quo Chriſtus loquitur. Ego ſum panis viuus, qui in me credit, amplius nõ eſuriet. Et hãc igitur ratiõe ſacramẽtum hoc gratius nobis erit, cùm in ipſo cõpleta ſunt,
Exod.16. quæ prophetæ prædixerunt: in ipſo nobis percipiendum offertur, quod illi longo tempore deſiderarunt. Porrò ia hoc etiam mãnæ hiſtoria refert. Manè ſurgentes filios Iſrael vidiſſe ſuperficiem terræ ſine vlla humana ope rore cœleſtis panis apertam præ inſolitæ rei admiratiõe dixiſſe Manhu? Quid hoc? Nos ſimilia videmus: Chriſtus ſine opera noſtra præter meritum noſtrũ, hunc nobis cibum apparauit, idque manè, ipſo nẽpe gratiæ temporis exordio. Id quod tot Pſal-
Pſal.110. mis, tam aptis hortationibus admonemur. Memoriã, inquit Dauid, fecit mirabilium ſuorum, miſericors & miſerator
Pſalm.47. Dominus, eſcam dedit timentibus ſe. Et, Qui pacem ponit
Pſalm.22. fines Eccleſiæ, & adipe frumenti ſatiat nos. Et iterum, Para-
Pſal.83. ſti nobis menſam aduerſus omnes, qui tribulant nos. Et iterum, Ex altari tuo Domine Chriſtum ſumimus, in quo

cor-

cor & caro noſtra exultãt. Quę omnia aliud nihil ſunt, præter admirationem & gaudium, quæ credentes in hoc ſacramento ſentimus, atq; exprimimus. Quiſq; enim dicere poteſt: Introibo ad altare Dei, ſumam Christum, qui renouet iuuentutem meam, epulantium ſonus in hac menſa in voce exultationis & confeſsionis eſſe debet, vt alibi lrortamur. Vide, hoc iam tertium eſt, in quo mannæ hiſtoria, cum hoc noſtro ſacramento conuenit. Quartò illic innuitur, quomodo Deus eos tentauerit, ſi timeant ipſum, an non. Et nos tentat Deus hoc ipſo ſacramento, ſi vnigeniti ſui verbis apertè ſe nobis corpus ac ſanguinem ſuum hîc dare affirmãtis tantam fidem habeamus, quantam primi parentes ſerpẽti qui eſu vetiti cibi poſt apertos oculos, Deorum ſimilitudinem falſò pollicebatur, crediderant. Sanè præter fructum illum oculis ſubiectum, & palpabilem, nihil videbant, nihilominus tamen Diabolo ſimilitudinem Deorum promittenti ex eſu ita fore crediderunt, & quid eſt, quo minus filio Dei, dare ſe nobis in hoc ſacramento corpus & ſanguinem ſuũ affirmanti credimus, externam licèt tantũmodò ſpeciem panis videamus? Hoc modo, inquam, tẽtat nos Deus in hoc ſacramento, vúltq; vt ſalutari huius ſacramenti fide, credendi exitialem facilitatẽ Adæ atq; Euæ diluamus. Fides ipſorum in quam per ſerpentem inducti fuerant, in perditionẽ perduxit: fides noſtra, quã Chriſtus dat, verum corpus verumq; ſanguinẽ ſuum in hoc ſacramento nos percipere, vitam atq; ſaluté nobis cõfert. Præterea illud quoq; manæ habet hiſtoria, quòd exire caſtra, & Manhu colligere pro cuiuſque domus neceſsitate in diem, ſexto verò die duplicé cibum, hoc eſt, quantum biduo ſufficeret, ſequẽs enim dies requies Domini erat, inferre iuſſerit Deus. Idipſum quoq; nobis hîc dicitur. Primò exire ex nobis ipſis, id eſt, curioſitatem, ac proprias opiniones ſeponere, non ſecundum exteriores ſenſus, an illic ſit corpus & ſanguis Chriſti, ſed ſecundum verbum fidei, diuinæq; veritatis, quæ affirmans ait, Hoc eſt corpus meum, iudicare oportet. Secundò etiam ex priſtina cõuerſatione exeundum eſt, vetus homo cum actibus ſuis relinquendus eſt. Non enim decet ſanctum mittere canibus. Tertiò quærendus hic cibus eſt. Neque enim vbique obuius eſt, aut nos ſequitur. Qui manè vigilauerint ad mẽ, inquit Sapientia, inuenient me. Semper hic nobis neceſsarius cibus eſt, ſemper etiam inueniri poteſt. Quo igi-

Pſal. 24.

Pſal. 41.

Exod. 16.

Geneſ. 3.

Exod. 16.

Matth. 26

Proverb. 8

tur quisque tribulatur magis & angitur, eò diligentiori cura hunc cœlestem panem quærat, & quotidiè quærat, & quantum sufficit, colligat, plenitudo enim hîc omnis gratiæ est. Ecce cur etiam nobis dicatur, vt exeuntes manna nostrum colligamus. Sed singulari ratione nobis præceptum est, sexto die, hoc ipso mundi nouissimo tempore duplicem, in biduum mensuram inferre. Sabbato enim, hoc est, post mortem, non inuenietur, cùm quisque ex eo viuet, quod sibi collegit prius. Venit nox, quando nemo operari potest. Sunt denique alia nonnulla, quæ rectè sa-
Ioan.9. cramento huic ex illa mannæ historia comparari possunt.
Exod.16. Vt quòd, Scriptura referente, nec qui plus collegerat, habuit amplius: nec qui minus parauerat, reperit minus. Id quod verissima huius sacramenti proprietas est. Ita enim fides nostra docet, quòd alius alio nec plus nec minus sumat, quantum quidem ad corporis & sanguinis Christi veritatem attinet, nec illam secundum quantitatem hostiæ distribui, sed secundum cuiusq; fidei ac desiderij modum percipi. Quemadmodum & primus homo tantùm degustato fructu interdicto, tam sufficiebat ad damnationem illi, ac si omnes paradisi fructus comedisset, ita etiam quantumuis exiguum fidelis hinc percipiat, tam ad consequendos sacramenti fructus sufficit, quàm si totum illud quod in altari est, comedisset. Adhuc vnum in mannæ historia describitur, nempe quosdam plus quàm requirebat necessitas, collegisse, atque vsque mane dimisisse, atque scatere cœpisse vermibus, & computruisse. Id ipsum ergo in sacramento
Ibidem. nostro inuenitur: nec id modò, verùm etiam alia plura. Curiosis nempe longis diceptationibus de eo altercantibus computrescit, nihil conducit, sinéque fructu perit, superbis verò scandalum est, indignis mors & damnatio, quemad-
1.Cor.11. modum olim arca Dei piis Israelitis summa spes, at impijs Bethsamitis, incredulisq; Philistæis certissima perditio erat.
1.Reg.5. Postremũ in mannæ historia est, quòd Gomor ex illo asseruandum esse Moses præcepit, in sempiternas populi illius generationes. Et hoc ipsum Christi mandatum est, vt sacramentum hoc in Ecclesia in æternum maneat, inque suam memoriam sumatur. Ex his ergo omnibus non erit difficile, quam pulchrè ea in manna omnia præfigurata sint, quæ in hoc sacramento nostro percipimus. Quid ergo miramur in Ecclesia hanc sonare acclamationem. Ecce

panis

panis Angelorum, factus cibus viatorum, verè panis filiorum, non mittendus canibus? Et quid illi acclamationi aptius, quàm illa, cuius exordio huius sermonis memini, oratio coniungitur? Gratia Dei nobiscum, Amen.

IN DIE D. BONIFACII, EPISTOLAE LOCVM TENENS

LECTIO PROVERB. XV.

Lingua sapientum ornat scientiam, os fatuorũ ebullit stultitiã. In omni loco oculi Domini contẽplantur bonos & malos. Lingua placabilis lignum vitæ, quæ autem immoderata est, cõteret spiritũ. Domus iusti plurima fortitudo, & in fructibus impij cõturbatio. Labia sapientum disseminabunt scientiam: cor stultorũ dissimile erit. Victimæ stultorũ abominabiles Dño, vota iustorũ placabilia. Qui sequitur iustitiã, diligitur à Dño.

EODEM FESTO EVANGELIVM IOAN. XVI.

IN illo tempore, Dixit Iesus discipulis suis, Ego sum vitis vera, & Pater agricola est. Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum, & omnem qui fert fructum, purgabit eum, vt fructum plus afferat. Iam vos mundi estis propter sermonẽ, quem locutus sum vobis. Manete in me, & ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere. Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes & arescet, & colligẽt eum, & in ignem mittent, & ardet. Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcunque volueritis petetis, & fiet vobis.

DE D. BONIFACIO ARCHIEpiscopo Moguntino, Sermo primus.

INTERROGA Patrem tuum, & annuntiabit tibi: maiores tuos, & dicent tibi. Initio hodierni Euangelij admiranda quædam de vulgi in Christum ardore Lucas commemorat. Ve-

Luc.6. nisse ad eum multitudinẽ plebis copiosam ab omni Iudæa & Ieru salẽ,& maritima Tyri & Sidonis. Sed & causas, quid ita vulgus mouerit addit: quarũ prima comitas Christi erga omnes, ipsa, inquã, philantropia Domini est, quæ in hoc maximè cõsideratur, quòd non solũ de mõte, verumetiam è cœlo in has terras ad nos descẽdit, quò omnibus ad ipsum facilior esset aditus: altera causa est diuina potentia, qua facillimè omnium morborum genera curauit. Virtus, inquit Lucas, exibat de illo, & sanabat omnes: tertia denique causa

Ibidem. est verborum Christi suauitas, qua etiam conscientias mentésque hominum permouens, lætitia imbuit. Hic ille tripli

Eccle.4. catus funiculus, qui nõ modò Iudæos illo tempore, sed etiã num Gentes ad Christum attrahit, imò idem funiculus nos

Psal.99. in Christo manentes dicere facit cum Dauide: Domine, nõ recedimus à te, viuificabis nos, & nomen tuũ inuocabimus. Credimus enim ipsi atq; adeò videmus verba ipsius, verba Dei, aut (vt cũ Petro confiteamur) vitæ æternæ: potentiam

ean.6. eius, potentiam Dei esse, & quod ipsius se in omnes extendat bonitas. Et cui nõ vel maxima esset voluptas, illic esse, vbi tam mitem atque benignam sese diuina bonitas exhibet, tam potenter curat & saluat, tantáq; promittit? Admirabantur olim increduli Iudæi, Gẽtésq; cæcæ, tanto creden

in.10. tes affectu Christum secutos fuisse crucifixum. Dæmoniũ habet & insanit. Quid illum auditis? aiebãt. Tum Græci incantamentis homines ad Christũ trahi, támque indissolubiliter non sine Magia illi adhærere arbitrabantur. Sed & etiãnum inuenias tanta constantia Martyres Christo adhæsisse, vt non modò omnia eius causa reliquerint, verùm etiam sese in omniũ immanissimos cruciatus dederint admirentur. Verũ hoc Euangeliũ intuẽti minimè admiratione dignum illud videbitur, quin nec insaniam, nec Magiam in Martyribus fuisse, quod ea constãtia Christo adhæserint, sed fidem, pietatẽ, amorem. Qua re factum est, vt hoc Euangeliũ, in Martyrum festiuitatibus in Ecclesia legatur, quo cuilibet apertum sit, quid eos ad Christũ pertraxerit, quidq; in ipso constãtes in mortem vsq; seruauerit. Id quod primũ hîc cogitandũ est, cùm nos quoque hoc ipsa festiuitate tantæ sedulitatis, amoris, desideríque, quibus patres olim nostri ad Christum pertracti sunt, admonemur. Patres nostros dixi, nimirum Diuum Bonifacium cum sanctæ societatis suæ collegio. Id quod nemo miretur: eruditi enim nouerũt,

Patris

Patris nomen non corporum modò genitoribus attribui. Nam & in precatione noſtra & Apoſtolico ſymbolo Deũ patrẽ noſtrum dicimus. tum & ſeniores quoſque patres appellamus, Sic etiam Reges & principes viri patres patriæ dicti ſunt. Sed in ſacris Scripturis Abraham pater omnium credentium vocatur. Et Salomon patrẽ ſe omnium eorum dicit, qui Sapientiæ ſtudent. Audi fili mi, inquit, diſciplinã patris tui. Et denique Paulus patrem ſe Corinthiorũ dicit, quos per Euangelium genuit. Et hoc modo non immeritò Bonifacius Germanorũ pater dicitur. Per ipſum enim Deꝰ patres noſtros ad agnitionẽ fidei atque veritatis perduxit. Nõ quòd primus ille Euangelium Germanis prędicauerit. Fuerũt enim & ante eũ Præſules Mogũtiæ. Alij fidẽ plãtauerunt, hic plantationẽ rigauit: alij nouã domũ ædificarũt, hic collapſam inſtaurauit: alij in vna aliqua parte, hic per totã ferè Germaniã prædicauit: alij bonum ſemẽ ſeminauerunt, hic zizaniam dẽsè ſuccreſcentem ſuccidit, eradicauit, extirpauit; alij vitæ ſuæ diebus veram in hominibus fidem conſeruarunt, Bonifacius, vt ſe mortuo etiam vera in Germania fides permaneret, ſtuduit. Hinc tot collegia, tótque cœnobia ab ipſo fundata, quibus ſanctos, doctos, idoneóſq; viros vndequaque collectos præpoſuit, eam ob cauſam, ne quando doctorum hominum inopia deficerẽt, ſed perpetua ſucceſsione, qui Germanos nos in fidei pietatiſque veritate conſeruarent, haberemus. Id quod aliqua parte factũ eſt. Nam (vt vno verbo omnia dicam) quod in Chriſtianæ fidei vnitatẽ Germania peruenit, in eáque vſq; ad hæc noſtra tẽpora præſtitit, primùm Deo, deinde Apoſtolis, tertiò etiam Bonifacio noſtro acceptum ferimus, q̃ nemo alter, qui diutius & ſeduliùs hoc in Germania prædicando ſudauerit, inueniatur. Ex quibus omnibus cuilibet facile eſt videre, cur tanta hæc feſta dies ſolennitate celebretur, & cur D. Bonifacij tã præclara atque honorifica memoria maximè hîc Moguntiæ perſeueret. Eſt nimirũ gratiarum actio erga Deum qui tam diligentes fidóſque paſtores dedit. Tum etiã ſignificatio quædam eſt gratiæ mentis noſtræ erga ipſum Bonifacium, qui noſtro bono tam fideli ſtudio laborauit. Deinde, quod ante dictum eſt, quid nos hîc facere conuenit, docet, Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi: maiores tuos, & dicent tibi. Si enim Germanos ad fidem pietatémque conuertit Bonifacius, decentius magiſque neceſſarium

Matth. 6.

Rom. 4.

Prou. 1.

1. Cor. 4.

Deu. 32.

hoc nequam seculo contaminata cùm doctrina tum vita omnium, vix quicquam facturi sumus, quàm si ad ipsius doctrinæ vitæque puritatem & normam respicientes nosmet iustificauerimus. Proinde nonnihil de tanti viri dicendum mihi vitæ historia est, vt eò rectiùs, an in ea, quam patres nostri & ipsi calcauerunt, & nobis pergendam ostenderũt, via pergamus. Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi. Et quidem Moses Israelẽ corripiens his verbis adorsus est. Nam & viuente se & superstite legem Dei sæpe præuaricati fuerant, videbátq; in spiritu Domini, se defuncto maiori eos rabie contra eam, quam mandante Deo tulisset, legem pugnaturos esse. Propterea exclamat dicens, Audite cœli quæ loquar, audiat terra verba oris mei, quia nomẽ Domini inuocabo. Date magnificentiam Deo nostro, Dei perfecta sunt opera, & omnes viæ eius iudicia. Peccauerũt ei nõ filij eius, in sordibus. Generatio praua atque peruersa, hæccine reddis Domino stulte populè & insipiens? Nũquid nõ ipse est pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creauit te? Memento dierum antiquorum, cogita generationes singulas: ac si diceret, Nunquid exigua tibi videntur huius temporis beneficia? cogita superiorum temporũ dona. Si mihi fidem non habes, interroga patrem tuum, & dicet tibi, Hoc modo populum suum Moses arguit. Atque vtinam non illa in nos etiam quadraret correptio. Tangit autem veriſimè, vbiq; enim, & in omnibus hominũ conditionibus inuenitur peccatum & præuaricatio. Tum omnes declinauerunt, inquit Dauid, omnes inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est vsq; ad vnũ. Imperfectio & iniquitas in iuuenibus & senibus, in Magistratibus atque subditis, in Ecclesiasticis atque secularibus præualent. In doctrina pariter atque vita vitium est, ila enim superstitiosa nimis, aut carnalis est: hęc planè Ethnica, hoc est, impia est. Non hæc patres docuêre nos, multóque minus ita ipsi vixerũt: quorum doctrina firma, fundata, constans, & spiritualis erat, vita sancta fulgebat. Et hîc quisque secum cogitet, cui in fide credat, quem sequatur moribus. Plures quidẽ magistros habeamus, paucos tamẽ patres comperimus, vt suo etiam tempore Paulus dixit. Tum plurima exẽpla atque vestigia cõspicimus, sed eiusmodi quæ ad tartara ducunt, præuia. Multi enim latam viam ad perditionem deducentem ambulant. Quòd si sẽcurus & rectè cùm doctrina, tum vita incedere vis, interroga

Ibidem.

Psal.13.

1.Cor.4.

Phil.2.

Matth.7.

roga patrem tuum Bonifacium,& dicet tibi. Duo autem in eius vita digna præcipuè cõmemoratiõe inuenio. Primum, quòd humilis Dei seruus: secundum, quòd seruus & grauis Ecclesiastes fuit. Vis autem quæ eius doctrina fuerit discere? In hoc Euãgelium oculos conuerte. Illic enim tota eius doctrina atque prædicatio proponitur. Neque enim potuit diuersum quid prædicare ab eo, quod à Christo audiuit & didicit. Qua enim ratione Christus prædicationẽ illius hominis tantorũ miraculorũ testimoniis approbasset, si secus atq; ipse prædicauisset? Iã verò quatuor in illa Euãgelij lectione Christus docet, quorũ primũ fidẽ, secũdũ spẽ, tertiũ charitatẽ, quartũ crucẽ & perseuerãtię probationẽ respicit. Primũ est paupertas spiritus, de hac sola enim Christus loquitur, vt in Matthęo videre est. Et quid illa spiritus paupertas aliud est, quã humilis operũ & proprij meriti diffidentia, & perfecta diuinæ misericordiæ fides seu fiducia? Deinde quid spes aliud est, quàm sempiternæ fœlicitatis, bonorum appetitus & desiderũ? Et quid charitas facit, nisi blasphemias in Deum, hominúmq; iniurias luget? Deniq; quid mundi huius odium, quid cõtumelię, persecutionésq; aliud sunt, quàm crux quædam, qua vetus homo noster crucifigẽdus atque mortificandus est? Hæc ergo Bonifacius docuit, hanc fidem, spem, charitatem, patientiam, etiam vitæ suæ moribus expressit. In fide enim incepit, in spe progressus est, charitatem erga omnes maximè in põtificatu benè administratis rebus declarauit. Patientia totius vitæ actum conclusit. Agitè ergo recentes, quod patri vestro rerum gerendarum initium fuerit, accipite. Cùm in Britannia natus ad iustam viri ætatem peruenisset, mox sese sacris Scripturis atque Ecclesiasticis rebus tradidit, solidúmq; fundamẽtum ponens, omni diligentia, omníque studio, vt paupertatem illam spiritus, hoc est, veram humilitatem, sui abnegationem, Dei timorem pariter atque fidem, suam faceret, laborauit. Hoc illi principium fuit: Vnde tantus vir euasit. Sed Deum immortalem, quomodo posset non pudere iuuentutem nostram, hæc si audit? aut quomodo parentes negligẽtes, qui propriis ipsi liberis suis æternæ sunt causa perditionis, non terrebuntur? Quid hac tempestate leuius iuuentute est? Quid parentibus, pædagogis, curatoribúsque negligentius? Non ergo est, quòd fidem in Germania deficere miremur: sed non hæc à patre nostro Bonifacio

Matth. 5. Paupertas spiritus quid sit.

didicimus. Interroga patrem illum tuum: is nihil æquè neceſſarium iuuentuti, atque pietatis ſtudium docebit. Id
Thren. 3. quod Hieremias quoque docet, cũ ait, Bonum eſt viro, cùm portauerit iugum (Domini) ab adoleſcentia ſua. Contrà nihil periculoſius, quàm ab adoleſcentia peccandi aſſueſcere facilitati. Id quod rurſus idem Hieremias docet. Si mutare poteſt Aethiops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas, & vos poteritis benefacere, cũ didiceritis malefacere. Quam porrò vtile, quàm decens mortalibus, ab ineunte ætate pietati & iuſtitiæ aſſuefacere, liber Tobiæ docet. Sed & Dauid
Pſal. 111. oſtendit, cùm ait, Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis eius volet nimis. Potens in terra erit ſemẽ eius, generatio rectorũ benedicetur. Gloria & diuitiæ in domo eius, & iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi. Contrà verò quàm ſit perniciosum, ab incunabulis, & quaſi cum lacte imbibere iniquitatem, ferale duorum filiorum Heli exemplum, qui
1. Reg. 4. ambo vno die occubuerunt, ſacerdotio exuti, atq; Arca Dei priuati. Sed nunquid feliciter iacto fundamento ſatis eſt? Non. Audi ergo quomodo Bonifacius ſuccreuerit. Cũ iam exceſsiſſet Ephebiam adoleſcẽs factus, animum in timore Dei, ac ſpiritus paupertate aſſuetum obfirmaſſet, alios quoque ad felicitatem perducendi deſiderio tangitur, relictaq; patria, prædicat verbum, alióſq; cõuertit: & licèt liber eſſet, omnium ſe tamen ſeruum fecit, vt omnes lucraretur & ad ſalutẽ perduceret, exemplum præceptoris Pauli ſecutus. Et hoc adoleſcentiæ ſuæ incrementum erat. Id quod in primis
1. Cor. 9. ſibi dictum exiſtiment, qui adulti totos ſe mundo dedunt, ſuperbiæ, concupiſcentiæque ſeruientes ſpiritui: ſibi viuẽtes nullius alterius curam habent, nec Dei gloriã, nec proximi ſalutem, nec denique Eccleſiæ promouẽt inſtaurationem. Sed agè, Patrem tuum Bonifaciũ interroga, piè ne hoc atque Chriſtiana vocatiõe dignè factũ ſit, imo ipſe hũc imitare patrem, vt illi ſimilis effectus, verè dicaris Bonifacius, hoc eſt, benè faciẽs. Talis enim niſi fueris, Chriſtiano nomine indignus es. Hinc ergo collige, quo nomine cẽſendi ſint, qui nõ ſolùm benè agere negligunt, ſed & omni generi nequitiæ ſtudent, eiúſque tam ſcilicet vigilãtis ſtudij venãtur gloriã. Non iuſtitiæ, nõ ſalutis tanguntur deſiderio, ſed ad perditionẽ aliorũ inuigilant. Tertius porrò veræ pietatis in Bonifacio gradus eſt, grauiſsimus in Põtificatu labor, curæ ſolicitudinéſq; innumeræ. Primus hic illius ſancti pectori

angoıs

angor erat, ſicubi diuini nominis blaſphemias contumeliaſ que, tum & animarũ perditionem intelligebat. Quare quo potuit modo eiuſmodi mala præuidit & cauit, hàc illac pro fectus, viſitauit, ſpe extulit, docuit, ſuaſit, zizaniam extirpa uit, pietatẽ plãtauit, vbique pios gnaróſque Paſtores & Epi ſcopos præfecit. Et hæc apertè omnia atque palàm. Verũ ſo lus & ſecretò aſsiduè orauit Hæc in Pontificatus dignitate exercitia illius, ſanè omnes Epiſcopos decẽtia exercitia. Sed quis tam cæcus, qui quàm, & hac parte Bonifacij exẽplũ re linquentes, deuiauerimus non videat? Sæpè per vim noſmet in Eccleſiaſtica munera ingerimus, nec tamẽ quicquã præ- ter otium voluptatémque quærimus, & ſequimur: nemo vt Bonifacius ſit, operam dat. Neſciunt enim nec intelligũt, quanti ſit periculi præeſſe aliis; quod ſi ſcirẽt, ſine dubio ita in vtranq; aurem nunquam dormirent. Quare & hic patrẽ tuum interroga, quę Epiſcopi, Abbatis, Prælati, Sacerdotis, cæterarúmque Eccleſiaſticarum perſonarum ſint munia, et nos etiam qui ſpirituales dicimur, longè à recta ſemita de- uiaſſe intelliges. Poſtremò, interroga patrem tuum Bonifa cium, quæ piæ vitæ concluſio ſit, & reſpondebit tibi, patien tiam, conſtantiam, perſeuerantiam eam eſſe. In patientia ve ſtra, diſcipulis loquens Chriſtus ait, poſsidebitis animas ve ſtras. Et hanc egregiam in bonifacio conſideramus. Iam e- nim morti vicinus, in Friſiam deſcendit, ibíque collapſam religionem inſtaurat. Tum etiam diſcipulos, quos habebat ne perſecutoribus ſuis reſiſterent, nec ſe in ſuam defenſio- nem armarent, monuit, imò verò mortem ipſam minimè ti mendam eſſe docuit. Quo facto ab impiis trucidatus eſt. Et quàm rara hæc in nobis patientia? Pauciores ergo ad ſœlici tatem peruenire, mirum non eſt, cùm Chriſtus eam forti pe ctore conſtantibus promiſit. Bonifacium ergo conſidere- mus. Eiuſcemodi patrem imitemur, quò de nobis etiã dici poſsit: Beati pauperes ſpiritu, quoniam veſtrum eſt re gnum cœlorum. Beati qui nunc eſuritis, quoniam ſaturabimini. Beati qui nunc fletis, quia ri- debitis. Beati eſtis cùm vos oderint ho- mines, &c. quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis. Gra- tia Dei nobiſcum, Amen. Luc. II.

SER

SERMO SECVNDVS COLLATIO duorum Bonifacij & Dauid cũ ſua cithara.

IPſe eſt directus diuinitus in pœnitentia Gentis, & tulit abominationes impietatis, & ad Dominum gubernauit
Eccleſia.49. cor ſuum, & in diebus peccatorum corroborauit pietatem. Refert Regum liber primus, quòd Dauid olim citharam
1.Reg.16. ſuam pulſans, malum à Saul Rege ſpiritũ abegerit: id quod multis olim miraculum viſum fuit, videretúrq; etiamnum, niſi quid cithara illa fuit, ſciremus. Scriptura autem refert, Dauid citharam pulſando, diuinas laudes, miſericordiam,
Pſal.107. veritatémque decantaſſe: ipſúmque Deum inuocaſſe. Hoc cantu, hoc ſonitu nequam ſpiritum propulſare potuit: alioqui enim fides citharæque concentus nihil effeciſſent. Similia in hoc Euangelio atq; feſto videmus. Vterq; enim Chriſtus & Bonifacius malum ex hominũ pectoribus profligauit ſpiritum, concentu nimirùm illo ſuaui euangelicę citharæ: ille Iudææ primum, deinde per Apoſtolos vniuerſum orbem: hic verò priuatim Germaniam, perſonantes: ídq; ambo feliciùs rectiúſque, quàm Dauid confecêre. Hic quidem cithara ſua ſpiritum ſuum abegit, ſed ex vno tantùm Saul, nec perfectè, ſed ad tẽpus: illi verò, hoc eſt, Chriſtus & Bonifacius ex multis hominum millibus, & ita, vt relictum domicilium, deinde nunquam potuerint repetere. Id ita eſſe, paucis Euangeliũ hoc atque feſtum explicãs, docebo. Principiò, ſine controuerſia omnes nouimus Dauid in multis, imò in omnibus ferè quę de ipſo ſcripta ſunt, Chriſti geſſiſſe figurã. Verùm quòd etiam citharã pulſans, figura Chriſti fuerit, ex hoc Euangelio colligitur ita planè, vt vtrobique iiſdem penè verbis res proponatur. De Dauide em̃ Scriptu-
1.Reg.16. ra refert, dicens, Igitur quandocúnque Spiritus Domini malus arripiebat Saul, Dauid tollebat citharam, & percutiebat manu ſua, & refocillabatur Saul, & leuiùs habebat. Recedebat enim ab eo ſpiritus malus. De Chriſto ita Scriptura re-
Luc. 6. fert: Multitudo copioſa plebis venerant vt audirẽt eum, & ſanarentur à languoribus ſuis: & qui vexabantur à ſpiritibus immundis, curabantur. Ecce quod & Chriſtus ſpiritus nequam profligauerit, nec ab vno, ſed à multis hominibus. Sed Chriſtus hoc (inquis) non cithara fecit, quemadmodum Dauid. Agè ergo, quæ conſequẽter Lucas commemorat, audi, Et ipſe, inquit, eleuatis oculis in diſcipulos ſuos dicebat,

Beati

Beati pauperes ſpiritu, quia veſtrum eſt regnum cœlorum. Annon huiuſmodi verba ſuauiſsimi citharæ cantus tibi videntur? & quæ cithara, ita hominum animos demulcere potuit atque Chriſti verba? quis vnquam concinniùs citharæ accinit, quàm ipſe in hoc Euangelio Chriſtus prædicat? Sit ita, fuerit licèt bonus citharædus Dauid, quid verò externo ſonitu magnum efficere potuit, ſi non iuxta citharam Dei etiam verba factáq; decantaſſet? Non enim dæmonium nequam niſi verbo Dei ſolo eiicitur, externũ omnẽ ſonum cõtemnit. Aduerſus ſolum Dei verbũ perſiſtere nequit, at vbi clariùs verbum Dei perſonat, quã in Euangelio? Agè ergo quid miraris ſuauiſsimo Euangelij eõcentu pelli dęmones? Breuis quidem hæc Euangelica lectio eſt, ſi verba numeres, attamen multa hominũ dæmonio liberauit milia, liberátque etiam nũ. Annon ille tibi miſerè à dæmonio impugnari videtur, cuius animũ vel ſuperbia occupat, vel auaritia inuaſit? Quis enim inquietior impulſo à ſuperbiæ vel auaritię ſpiritu? cõtra verò quid auaritię illũ ſpiritũ potentiùs eiicit, quàm quod Chriſtus ait, Beati pauperes, quia veſtrum eſt regnũ cœlorum? Quo vocum ſono ita plurimi cõmoti ſunt, vt poſt ſe relinquẽtes omnia, Chriſtum ſecuti ſint, omnia arbitrati ſunt, vt ſtercora vt Chriſtũ lucrifacerent. Id quod Matthæus & Zacchęus fecerunt, qui aliquando miſerè circũacti auaritia, ad vnũ Chriſti verbũ omnia reliquerunt. Ita & cæteri Apoſtoli licèt nec opulenti ipſi eſſent, nec diuitias cõcupiſcerent, quæ habuerunt tamen relinquerunt, eóq; Chriſto deſiderio atq; amore adhęrebant, vt poſtea Petrus erumpẽs diceret. Quò ibimus Domine, verba vitæ æternæ habes. Eodem modo Chriſtus cùm dixit, Beati qui eſuritis, quia ſaturabimini: ex plurimorũ hominum mentibus gulæ crapulæque ſpiritũ eiecit, quę ſanè ſępiſsimè ita inuadit homines, vt nec loquãtur nec faciãt quicquã ab habente dęmonium alienum. Sic & quod ait, Beati qui nũc fletis, quia ridebitis, multos à ſpiritu vanitatis, irrationabilis gaudij, concupiſcentiæ carnalis, voluptatiſq; liberauit, qui & ipſe brutis quàm hominibus ſimiliores facit homines. Sic quòd ait, Beati eſtis cùm vos oderint homines, multis pulſauit inordinatũ ſeculi timorẽ, triſtitiã, puſillanimitatẽ, deſperationẽ, & impatientiam, ita omninò, vt in mediis periculis ipſáq; morte exultare poſſent. Ecce igitur & Chriſtũ cithara ſua, ſuauiq; verbi ſui ſonitu nequam fugare ſpiritus. Quòd ſi iam & teſtum

Matth. 9. *Luc. 19.* *Matth. 4.* *Ioan. 6.*

hoc

hoc inſpexerimus, idem etiam Bonifacium feciſſe inueniemus. Quid enim in hac Germania noſtra niſi nequã ſpiritus, qui patres noſtros, poſt Euãgelij prædicationẽ per Apoſtolos Apoſtolicóſq; viros diuulguti, rurſum in omnis generis errores, ſuperſtitiones atq; peccata præcipitarãt, eiecit? Quo verò id inſtrumẽto niſi Euãgelica cithara, cõfecit, quã ea grauitate pulſauit in Germania, vt ſui ſimilẽ ab Apoſtolorũ hucúſque temporibus, patria noſtra neminem viderit? Nemo, inquam, tãtum nobis quãtum Bonifacius præſtitit, vnde verè cum Paulo dicere potuit, plus omnibus laboraſſe ſe, ſed nõ tamen ſe ſolùm, ſed gratia Dei ſecũ. Meritò etiam Bonifacij illi nomen datum eſt, quod eſt, beneficus, vel bona faciẽs. Atq; eadem de cauſa Ieſu Sirach verba de Rege Ioſia cõſcripta huc in ipſum adduxi. Ipſe eſt directus diuinitus in pœnitentia Gentis, & tulit abominationem impietatis, & ad Dominũ gubernauit cor ſuũ, & in diebus peccatorũ corroborauit pietatem. Quæ ſanè rectè in Bonifacium noſtrũ referentur. Etenim ipſa diligẽtiùs cõſiderans, vitæ ſanctæ illius totã videbit ſeriẽ. Principiò enim veriſimè hic nobis à Deo directus eſt, nõ enim Germanus natus, ſed abundè ad nos venit, nõ ex ſeſe ipſo, neq; enim propriam gloriam quæſiuit aut priuatæ vtilitati inhiauit. Id quod faciũt, qui ex ſeipſis veniunt, & ex ſeipſis loquũtur. Sic nec ab Tyrãno aliquo noſtram inuadere ditionẽ directus ſeu miſſus eſt. Vnam enim animarum, quas perdere ſtudet Satan, quæſiuit ſalutẽ: vnde rectè ſequitur à Deo ſolo miſſum eſſe. Deus enim ipſe eſt, qui ait. Nolo mortem peccatoris, ſed magis vt cõuertatur & viuat. Et quid aliud Bonifacius quæſiuit, præter plurimorum in Germania libertatem animarum? Eóque à Deo ipſum miſſum eſſe, nemo dubitet. Qui enim quærit gloriã eius, qui miſit eum, hic verax eſt, & iniuſtitia in illo non eſt. Deinde etiã in pœnitẽtiam Gentis, hoc eſt, in cõuerſionem populi miſſus eſt. Non enim primus fidem religionéq; noſtrã plãtauit, ſed plantatã ab aliis, rigauit, quod degenerauerat, in naturã reduxit, atq; reſtituit, vnde baptizare nõ eſt miſſus, ſed cõuertere. Maximèvero hoc in eo cõſideratur, quẽadmodum & Ioſias, abominationes impietatis abſtulit. Hic enim prædicatiõis ſuæ fructus erat, qui vbi non ſequitur, fruſtra prędicatur. Nõ illius infructifera fuit prędicatio ſed viuax & operoſa, mẽtes hominũ penetrãs cẽtuplũ fructũ attulit. Omnẽ impietatis abominationẽ abſtulit. Abomina-

1. Cor. 15.

Ioan. 7.

Ezech. 18.

Ioan. 7.

1. Corint. 3.

Abominatio quid.

tionem

tionem dicimus ea omnia,quę vt inuisa detestamur,& refu
gimus,vt sint absentia,& nō appropinquēt. Et hac significa
tione multæ sunt corā Deo abominationes,quę odit,detesta
tur,atq; execratur. Prima,idololatria est. Hæc enim omniū
abominabiliū maxima abominatio est. Ego sum Dominus *Exod.20.*
Deus tuus,ait omnipotēs,nō habebis deos alienos corā me.
Ego enim sum Dominus Deus tuus fortis,zelotes,&c. Ad-
uersus hāc abominationē omnes Prophetæ clamauerūt. Se
cundò etiā impura doctrina abominatio est corā Deo, cum
omnibus humanæ rationis sensibus verbo Dei repugnanti
bus. Propterea Iudæorū cultus excogitatos,nulla causa,nul *Esa.58.*
lāq; lege pręscriptos Deus in Isaia reiicit: Nō est,ait,mihi
volūtas in eis. Deniq; omnis vitæ morūq; impietas coram
Deo abominatio est. Odit ēm Altissimus peccatores. Qua-
re Sapiēs ille testat dicēs, Abominatio Dñi,cogitatiōes ma- *Eccles.12.*
læ. Et, Abominatio est Domino via impij. Et, Abominatio *Prouerb.19.*
Domini est omnis illusor. Abominatio est Dñi, labia mēda
cia. Et, Abominatio Domini est omnis arrogās. Et, Statera *Prouerb.3.*
dolosa,abominatio Domini est. Iā verò omnē Bonifacius a- *& 12.*
bominationē abstulit,nullā passus est vel in doctrina,vel in *Prouerb.16.*
cultu Dei,vel deniq; credētiū moribus. Nō nostrorū tēporū *& 11.*
atq; hominū more,qui sibi vidētur oēm abstulisse abomina
tionē,superstitionémq;,nō tamē,ꝙ doctrinā pariter atq; vi
tā credentiū plenā abominatiōe inseminauerint animaduer
tētes. Nō ita,inquā,Bonifacius noster fecit,pari enim cōstā
tia, grauitate, atq; seueritate aduersus falsam doctrinā, vi-
tāq; impiā,atq; idololatriā,inque cultu diuino superstitio-
nē restitit atque pugnauit. Vnde factū est, vt multos ē tene-
bris in lucē,ab errore ad veritatē,ab iniustitia ad virtutē,ab
idololatria,ad verū Dei cultū,ab ebriositate ad sobrietatis a
morē,à carnali cōcupiscētia,ad cōtinē iā nduceret,adtrahe
ret,impelleret. Omnē impietatē abstulit,spiritū impios pro
stigauit, nullo alio medio,quā diuini verbi cithara. Sed nun
quid hīc quieuit,finēq; laborū posuit? Minimē. Ad Dñm gu *Eccles. 49.*
bernauit,seu direxit, cor suū. & licēt maxima pars hominū
peccato seruiret,ipse tamē corroborauit pietatem, hoc est,
in medio peccatorū verē diuinos cultū,fidē,spē,charitatēq;
interne ois etiā generis pietatē,virtutūq; exercitia instaura
uit. Hęc de Bonifacio testātur historię: hinc illi nomē Boni
facij datū est. Annō hęc tibi cū Dauid cithara cōsonare vidē
tur? Primū igit hīc gratias agam⁹ Deo,q̄ hūc nobis dedit Bo

nifa

Gal.4. nifaciũ,ſalutis promotorẽ.Deinde ipſum quoq; Bonifaciũ vti patrẽ,qui nos regnauerit in Chriſto, veneremur. Tertiò
Matth.11. omni diligẽtia in hoc incumbamus,ne fruſtra nobis verbis
Luc.7. Dei pulſauerit citharã:vt nõ & de nobis dici aliquãdo poſſit,Cãtauimus vobis tibiis,& nõ ſaltaſtis:lamẽtauimus vobis,& nõ ploraſtis.Præterea,ipſi quoq; annitamur, vt tales ſimus bonorũ operũ factores.id ẽm omnibus neceſſariũ eſt maximè.Poſtremò,Deum quoq; precemur vt ſanctæ Eccleſiæ ſuæ eiuſcemodi Bonifacios excitet & pręficiat.Nam & hoc vehemẽs & vrgẽs neceſsitas poſtulat,in tãta eius generis hominũ penuria inuenias,qui Reipub.in externis ſeruire ſeſe dedãt multos, in Eccleſiaſticis verò & ſpiritualibus neminẽ.Hinc eſt ꝙ omnes artes,omnes reliquę ſcięntię ſummum teneant,ſola Theologia excepta, quæ detrimento ſepulta iacet:imò hinc eſt,vt Gregorius ait,quòd totus mundus ſacerdotibus plenus eſt,pauci verò adeò in multis inueniantur in meſſe Domini laborantes,quod tamen omnium primũ eſt.Quid enim prodeſt Medicos eſſe qui corpus curent,quum nemo ſit qui medetur animę? Quid iuuat plures eſſe qui linguas forment, diſertáſq; faciant,cùm qui vitam inſtituat,moréſque reformet inueniatur nemo? Quid cœli
Luc.10. motus ſiderũmque curſus qui doceant eſſe iuuat,cùm qui in Dei agnitionem inducat,neminem videas? Et denique quæ vtilitas eſt, eſſe qui imperiales leges enodent, cùm ſit qui iuſtitiam quæ coram Deo valet,doceat nemo.Eo igitur vehementiùs ardentiúſque rogandus eſt Deus, vt operarios mittat in meſſem ſuã,tales omninò, qualis Bonifacius fuit. Gratia Dei nobiſcum, Amen.

EVANGELIVM ALIVD, QVOD legitur quando feſtum Bonifacij poſt Pentecoſten aut S. S. Triadis ſolennitatem celebrandum eſt. Luc. VI.

IN illo tempore, deſcendens Ieſus de monte cũ diſcipulis ſuis, ſtetit in loco cãpeſtri, & turba diſcipulorũ eius,& multitudo copioſa plebis, ab omni Iudæa & Ieruſalẽ & maritima, & Tyri & Sidonis,qui venerãt vt audirẽt eũ, & ſanarentur à lãguoribus ſuis. Et qui vexabantur à ſpiritibus immundis

immundis, curabantur. Et omnis turba quærebat eũ tãgere, quia virtus de illo exibat & sanabat omnes. Et ipse eleuatis oculis in discipulos suos, dicebãt, Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei. Beati qui nunc esuritis, quia saturabimini. Beati q nũc fletis, quia ridebitis. Beati eritis cùm vos oderint hoĩes, & cũ separauerĩt vos, & exprobrauerint, & eiecerint nomen vestrũ tanquã malũ ꝓpter filiũ hominis. Gaudete in illa die & exultate, ecce enim merces vestra multa est in cœlo. Secũdũ hęc enim faciebãt Prophetis patres eorũ.

SERMO TERTIVS.

CVr Euangelium hoc sæpe in Martyrum festiuitatibus totius anni circulo legatur, quemadmodum & hodie cùm D. Bonifacij sociorúmq; eius memoriam celebramus, ipsa verborum series manifestat. Docemur enim eos, verè Apostolicos viros fuisse, Apostolorum in vitæ æternæ semita calcauisse vestigia, qui & in semetipsis exhibuerũt & ostenderunt quod in Apostolis suis Christus prædicat, summáque æternæ felicitatis remuneratione dignũ iudicat, qui Christum ipsum in humilitate secuti sunt, iustitiam sitiuerunt, omnia reliquerunt, nulla temporanei boni cura affecti sunt, calamitatem vitæ huius, & filiorum Adæ inopiam defleuerũt, propter iustitiam persecuti sunt, in sola Christi ad credentes suos promissione futuræ vitæ cõfisi sunt. Vnde cum Christo exaltati nunc, gratia, iustitiáq; illuminati, satiati, vitam æternam possident. Hac ratione istud Euangelium in Martyrum memoriis legimus: omnia etiã in ipsis apertissimè verò in nostro Bonifacio considerare licet. Idq; meritò in eius laudibus primas tenet. Nimirũ Christi imitatio, mens Apostolica, animus moréque Euãgelio conformes. Licèt enim aliàs multã in homine egregia consideramꝰ atque admiramur, nisi tamẽ Euãgelio cõformia sint, nihil sunt. Inuenimus enim & Iudæos atq; Gẽtes pro rectè factis prædicari. Sed quid profuit illis, cũ Christũ ne quidẽ cognouerunt, nedũ vitã suã ad illius doctrinæ normã accõmodauerint & instituerint? Sic etiã inuenias qui longo ordine prosapiã suã recẽsere norit, sed exiguo suo honore, quod de

generans eos nõ sit imitatus, in quorũ præstantia gloriatur. Verùm si quis iuxta Euãgelij regulam vitam suam dirigit & in eorum qui primi à Christo promissionem acceperunt, vestigiis hæret, hic laude dignus prædicabitur. Ita enim præ-
Phil.3. cipiens Paulus vult. Estote, inquit, imitatores mei, sicut & ego Christi. Addit autem, vt obseruemus eos qui ita ambulant, sicut forma ab ipso præscripta docet. Et eiusmodi omninò hic noster Bonifacius fuit diligẽs Christi imitator: vera atq; fructifera Apostolicæ succesiõis plãtatio. Vnde nemo miretur, hoc de eo, eiúsq; societate Euangelium legi, in quo Apostolos suos multiplici cõsolatione erigit, magnisq;
Luca 6. promissionibus attollit, beatos eos, nec semel, sed quinquies pronuntiãs, licèt in terris positi essent, imò grauissima cruce premerentur. Age verò, Apostolis ipsam Euangelij hodierni lectionem primum fuisse dictam nouimus, sed eandem hic de D. Bonifacio in Ecclesia decantari audiuimus, & quidẽ hoc meritò. Hoc restat, vt eam vitæ normã sequamur, qua ad participationẽ harũ promissionũ perducamur. Quæ enim nobis illinc vtilitas, quia Apostolos suos Christus omnibus audientibus, beatos affirmat, idipsum etiã de Bonifacio Ecclesia cõcinit, si nos ista refugimus: imò væ nobis sempiternũ, nisi aliquãdo horum verborũ participes fuerimus. Vbi enim pars nulla promissionũ Christi est, certissima atq; æterna expectatur perditio. Iam verò partẽ in iis habere nõ possumus, nisi ipsi Apostolorum vestigia calcauerimus, id quod Bonifacius studiosissimè fecit. Nõ enim promissiões hæ omniũ cõciones sunt, sed tãtũmodò Christi Apostolorũ, qui pauperes sunt spiritu, sitiunt atq; esuriunt iustitiã, peccata sua deflent, patienter mundi odiũ persecutionémq; sustinẽt. Proinde ita planè hac festiuitate vsurpãdum est, ac si ipse Bonifacius etiãnum admonens diceret. Imitatores mei estote, sicut & ego Pauli atq; Apostolorũ, ipsi autẽ Christi. Hæc, inquam, nobis ante omnia dicta existimemus. Neque
1. Cor. 4. enim minus necesse nunc est, quàm cùm hęc Paulus Corin-
Phil.3. thiis, deinde etiã aliis, Ephesiis nimirũ scriberet. Vtrobíque enim inuenit non imitatores Christi, sed inimicos crucis Christi, sua quærẽtes tantũ, vẽtrẽq; Deum suũ putãtes. Propterea oportebat, vt cæteris eò fortius acclamaret. Quãtum verò nostro hoc tẽpore ab Apostolorũ vestigiis atque imitatione deflexerimus, facilius cõqueri, quã dici potest. Quare studiosiùs cõsiderãdi sunt quos proximè ad Apostolorũ for-

mam

mã exẽpláq; acceſsiſſe colligim⁹. Si enim cũ ſanctis in æterna fœlicitate participare voluerimus, eorũ collegio cõiungi in via neceſſe eſt. Et hæc de D. Bonifacio eiúſq; ſociis quãtũ ad Euãgeliũ, in genere dicta ſint. Nunc porrò quæ piis præterea in hoc feſto cõſideranda ſunt, quæramus. Principiò hic Moguntiæ quis Bonifacius noſter fuerit, multis enarrare ſuperfluũ arbitror. Neq; enim ſine dedecore noſtro nos neſcimus de eo, quæ totus Chriſtianus orbis in numerato habet. Sed omnes hiſtoriæ primũ eum annumerãt, qui Apoſtolici verbi munus in Germania promouerunt, atq; ea de eo referũt, vt nemo inueniatur ſecũdus, qui maiora in eo opere nobis præſtiterit. Nõ q̃ primus fuerit, qui initiò Euangelium Chriſti inter Germanos diſſeminauerit, patréſq; noſtros ad fidẽ adduxerit. Nã & ante eũ Germania Euãgeliũ recepit, tũ etiã Moguntia aliquot pios Epiſcopos Martyres habuit, ſed q̃ hi aliiq; cũ ipſis ædificarant, idipſum aut Arriani ſuis erroribus internè, aut Huni tyrãnide ſua externè depopulati erãt, deſtruxerant, deleuerant. Has enim ambas calamitates Deus in Eccleſia ſimul graſſari permiſit, conceſsítq; poteſtate ſua vti lõgo tempore, vt omnia ferè, in morẽ duorum validiſsimorũ fluctuum aduerſus ſeſe inſurgẽtium colliderent, totúmq; inundantes mundũ Chriſtianum orbẽ deuaſtarent. Huni gladio, Arriani doctrinę impuritate atq; errore, imò etiam ferro. Hi enim hæretici nõ minus tyrannicè, quàm ipſi Huni, aliíq; ante eos Tyrãni, in Catholicos verè credentes, perſecutiõe, trucidationéq; deſæuierũt. Id quod Ambroſius, Hilarius, & ante hos Athanaſius, aliíque innumeri experti ſunt. In hoc ſanè tumultu Catholico pio exoptabilior Diocletianus, quàm Conſtantius, Valens, Theodoricus, aliíque hæreſiarchæ, fuiſſet, optaſſétq; ingenuus quiſque Chriſtianus ipſum magis Caiphã Epiſcopũ habere, quã Auxentium Mediolanenſem, Euſebium impium Nicodienſem, cæteróſq; Arrianos Epiſcopos. His ergo ambobus connixa grandine nimbis continuò ingraueſcentibus, facile poteſt, quęque fuerit calamitas, conſiderari nimirùm, hoc ſequebatur, vt nuſquam pura doctrina, aut verus Dei cultus reperiretur. Alij enim Germanorum planè in priſtinã idololatriã relabantur, alij verò in graues horrẽdoſq; errores recidérãt, vt nõ minore Eccleſia ab huiuſmodi abominatiõe vindicaretur reformaretúrq; labore, quã eſſet ædificata. Imò facilius fuiſſet cum Apoſtolis Eccleſiã ædificare, quã cùm Bo-

nifacio inſtaurare colapſam. Id quod hodie etiã vſu venit, vt minori labore ethnicũ aut Turcã ad fidẽ cõuertas, quã ſedu ctũ erroneũq; Chriſtianũ, in verã regię vitę ſemitã reducas. Atq; hinc facile eſt videre, quid Germanis, maximè verò nobis Moguntinis præſtiterit, & quæ illius apud nos reputatio
1. Pet. 4. eſſe deceat. Petrus Apoſtolus monet, vt ſi quis in Eccleſia loquitur, quaſi ſermones Dei loquatur. Qui miniſtrat tanquã
Rom. 12. ex virtute quã adminiſtrat Deus. Paulus aliquãtò clariùs nõ
1. Cor. 12. ſolũ doctrinã, verũ etiam exhortationẽ nõ ſolùm fundamentũ ponendũ eſſe, ſed & ſuperædificandũ, nõ modo plãtandũ ſed & irrigandũ eſſe. Tũ à Deo nõ modo varia dona, verùm etiã multa officiorum genera dediſſe affirmat, quæ & in ea,
Ephe. 4. quã ad Epheſios ſcripſit Epiſtola, enumerat. Sed ipſa etiam experiẽtia docet ſine irrogatione, & imprimis ſine Dei in-
Pſa. 126. cremẽto manẽ plantationem eſſe omnẽ. Sic ædificare nihil eſt, niſi quod ædificatum eſt, ſartum tectũq; ſeruetur, ipſéq; Deus architectus fuerit. Sic cæterarũ rerũ nulla tã firma diſpoſitio, quæ ſine quotidiana inſtauratione nõ mutetur, & ad interitũ appropinquet. Id quod exẽplis nõ modo experiẽtię,
Deut. 5. verùmetiã ſcripturæ demõſtrari poteſt. Moſes eò populum
Exod. 32. ſuũ induxerat, vt dicerẽt. Loquere tu nobis, & audiemus: quę cũq; præceperit nobis Dominus, faciemus. At poſtea cũ ſolũmodò quadraginta ab eo eſſet diebus, planè cõtrarium in
2. Par. 29. eo videre erat. Dauid & Salomõ omni diligẽtia tẽplum, &
3. Reg. 7. in tẽplo Dei cultũ inſtituerãt, ſed defuncto demũ Salomo-
3. Reg. 11. ne, maxima pars populi à tẽplo ſimul atq; cultu Dei deficie-
3. Reg. 18. bãt, imò ipſe Salomõ primã eruptionẽ maximũ dãnum inferens, ferit. Elias ingenti labote populũ ad verum Dei cul-
4 Reg. 18. tũ reduxerat, ſed mox Achab & Iezabel quadringentis Pro-
4. Reg. 21. phetis ſuis rurſus ſeduxit. Ezechias Rex pius maximo ſtu-
4. Reg. 22. dio indefeſſáq; opera abominationem idololatriæ eradicauit, vtróſq; veri Dei honores inſtituit, ſed mortuo patre, Manaſſe filius omnia inuertit. Idem Ioſiæ euenit. Tam firmum
1. Eſdr. 3. enim nihil inſtituit, quin mox ab impiis ſuis infirmaretur
1. Eſdr. 9. filiis. Reuerſo Iſraele è Babylone, nihil primi illi duces ita
Nehe. 13. piũ ac pulchrũ inſtituerãt: quin Eſdras ſcriẽs multa emẽdãda inuenerit. Tũ nec ipſe Eſdras tã cõueniẽti ordine diſpoſuerat oĩa, vt ſequẽs Nehemias, nihil mutandũ inuenerit. Et hic perpetuus Eccleſię curſus eſt. Propterea nõ illi tantũ requirũtur, qui fundaméta locẽt, verũ etiã q exhortẽtur, & ex-
1. Corin. 3. truãt extructáq; ſolida cõſeruẽt. Apoſtoli fundaméta poſuerunt,

runt,teſte Paulo,atq; plãtauerũt,Bonifacius atq; alij extructa ſarta cõſeruauerũt,plãtata rigarũt. Quorũ hi quoq; tã ſuã apud Deũ mercedẽ recepturi,quã illi priores. Quemadmodũ & Camillus,qui captã & cõflagratã à Gallis vrbẽ reſtituit,inſtaurauítq; nõ minus cõditor vrbis dictus eſt, quã primus eius cõditor Romulus. Sic nobis parẽ maieſtatẽ habet,q̃ per Chriſtũ nos refecit Deus,& q̃ per eũdẽ fecit,imò verò maiorẽ. Sic Munitius Romanus equitũ Magiſter, non eũ ſolũ patrẽ appellauit,quo eſſet genitus,ſed etiã Fabiũ dictatorẽ,à quo cũ ſuis cõſeruatus eſſet,& qui mortẽ liberaſſet. Sic in ſacris Scripturis nõ minore laude dignus cẽſetur Dauid,qui in veram Religionẽ perduxit populũ, quã Ioſue, qui in promiſſam terrã induxit. Sic Eſdras qui legẽ à Chaldæis exuſtã & diſſipatã reſtituit, parẽ cũ Moſe gratiam habuit,qui primus eã dedit. Sic deniq; Zorobabel, qui tẽplum inſtaurauit,nõ minus prædicatur, quã Salomõ, qui primus extruxit. Cùm ergo Bonifaciũ Germaniã in iuſtũ ordinem reduxiſſe conſtat,meritò eam apud nos autoritatẽ obtinet, quàm qui primi nobis Euangeliũ prædicauerunt. Nã pari id impenſa fecit cũ illis, non minus eam ob cauſam vitam amittens,quàm illi. íd q; hîc in Bonifacio conſiderandũ maximè eſt: nimirũ quòd deſertã deformatámque Eccleſiam inuenerit,reformatam poſteris rradiderit. Atq; vtinam plures eius generis Bonifacios haberemus, qui huc ſuam impenderẽt operam,& emendatã Eccleſiam poſteritati traderent. Deformem quidem inueniunt omnes,ſed magna pars talem etiam ſucceſſoribus ſuis tradit,ne quid grauiùs dicã. Sed eiuſmodi quicúnque illi ſint,eáne cum animorũ alacritate,qua Bonifacius,hinc migraturi ſint,ipſi viderint. Sanè Auguſtus Ethnicus ſummam ſibi laudem putabat, q̃ verè dicere poſſet: Lateritiam inueni, Auream relinquo. Alij Auguſto ſuccedẽtes,aureũ inuenerunt,ſed lateritiã reliquerũt. Eadẽ ratio Eccleſiæ eſt. Alij eam extruxerunt,nobíſq; ornatã reliquerũt: nobis videndũ erit,qualẽ relinquamus poſteris. Bonifaciũ,deſolatã in Germania inueniſſe Eccleſiã eãq; repurgatam reliquiſſe verè dici poteſt. Et huc,omnes vires ſuas impẽdit,nullis nec laboribus nec ſumptib⁹ parcẽs. Sed qd eũ vt hæc faceret,cõmouit,aut quẽ huius rei finẽ propoſuit? an honorem,humanámq; auram? Miminè. Mundus enim iniquam ipſi retulit: Dei gloriam,animarúmque ſalutem quæſiuit. Hoc illi fundamentũ erat, quod in Iob ſcri- Tit. Liu. Iob. 28.

ptum legerat: Timor Domini ipsa est Sapientia: & recedere
Isa.33. à malo, intelligentia. Et quod Isaias ait, Diuitię salutis, sapiętia & sciętia. timor Domini, ipse est thesaurus eius. Hoc inquã fundamentũ propositum erat. hic thesaurus & summa possessio, scientia, sapientia, & timor Domini. Et hęc in vita illius splendent. Quid enim vera sapientia nisi Dei per fidem agnitio? Id quod Hieremias testatur, cùm ait, Nõ glorietur sapiens in sapientia sua, & nõ glorietur fortis in fortitudine sua, & nõ glorietur diues in diuitiis suis: sed in hoc
Luc.10. glorietur qui gloriatur, scire & nosse me. Hoc modo Apo-
Ioan.17. stolos suos Christus beatos pronũtiat, quòd ipsi viderint & audierint multis desiderata: quin Deum cognoscere & quẽ
Psal.25. misit Deus Iesum Christum, vitam æternam dixit. Quæris qua ratione agnoscatur Deus? id Dauid suo exemplo docebit. Misericordia tua Domine ante oculos meos est, & complacui in veritate tua. Ecce hæc vera sapiẽtia est: videre, nosce credere sine vlla hæsitatione, esse Deum in factis misericordẽ, & in verbis verũ. Et hæc duo, misericordiã, & verita
Psal.144. tem Dauid sæpe coniungit. Sed qua cum ratione loquatur, attẽde: nõ dicit, Scio, aut credo, quia misericors es. Hoc ẽm nemo non dicere potest: sed misericordia tua ante oculos meos est. Tum nec ait, Scio, quia verax es: sed, Complacui in veritate tua. Id verò dicere non est cuiuslibet. Vera igitur piorũ hæc est sapientia, & hac contenti viuunt: verbum Dei atque gratiam habere, & misericordem veracémque Deum agnoscere. Et quid Bonifacius coram mundo, nisi Dei misericordiam & veritatem prædicauit? Quemadmodũ & Pau-
1.Cor.2. lus ait Corinthiis, se nihil præter Christum, & hunc crucifixum prædicasse. Verũ hæc duo nullius, aut certè exiguæ auctoritatis sunt coram Mundo, cui nõ iam sapientia, sed stultitia est, cùm sola Dei misericordia, & veritas prædicatur, & ꝙ nostra causa Christus crucifixus sit, affirmatur: Verè tamẽ vnica atq; summa sapientia est. Vbi enim, de Dei misericordia nihil sciẽtes, permanere peccatores poterimus? qs nobis locus relictus erit? Si iniquitates obseruaueris Dñe, inquit
Psal.129. Dauid, Domine quis sustinebit? Tum quę spes nobis relicta esset, si & iustitia Dei nobis esset incognita? infœliciores nos omnibus essemus mortalibus, si in hac vita spei nostræ finẽ poneremus, hîc omnia relinquẽtibus, nulla futuri spes superesset. Tũ etiã si non Christus pro nobis mortuus esset, quàm adhuc in peccatis volutaremur? Proinde mundum de eiusmodi

de eiuſmodi rebus loqui, pro ſua cognitione, permittamus. Nobis hæc ſumma erit ſapientia, noſce Deũ, qui faciat miſericordiam, iudicium & iuſtitiam. Et hoc primũ, quod in Bonifacio conſideramus ac diſcimus. Alterum, ſcientia eſt, ſiue vt Iob ait, intelligentia. Et hæc nil aliud eſt, quàm noſce quomodo placendũ ſit Deo. Beati ſumus Iſrael, inquit, Baruch, quoniam quæ Deo placẽt, manifeſta ſunt nobis. Et Paulus ait, Gratias ago Deo meo pro omnibus vobis, quia diuites facti eſtis in illo, in omni verbo & in oĩ ſcientia. Et, Hæc eſt volũtas Dei, ſanctificatio veſtra, quẽadmodũ accepiſtis à nobis quomodo oporteat nos ambulare & placere Deo. Hæc vera & genuina illa ſciẽtia eſt, cui, piis omnibus ſtudendũ eſt. In hac ergo & Bonifacius ſeſe exercitauit, illo planè zelo, vt rectè cũ Dauid dicere potuerit, Nõ ſedi cũ cõcilio vanitatis, & cũ iniqua gerẽtibus nõ introibo. Odiui Eccleſiã malignantium, & cũ impiis nõ ſedebo. Lauabo inter innocentes manus meas, & circũdabo altare tuum, Domine: Vt audiã vocẽ laudis tuæ, & enarrẽ vniuerſa mirabilia tua. Hæc præcipua diuinæ huius ſunt ſciẽtiæ. Qui Deo placere vult, in concilio vanitatis non ſedeat, cor ſuũ non apponat vanitati, multóque minꝰ malitiæ, iniquitati, & impietati, quẽadmodũ & Ioſeph dicitur non conſentiiſſe in necem Chriſti. Deinde qui Deo placere vult, cũ iniqua gerentibus non ambulet. Pedes enim eorum veloces ad effundendum ſanguinem, benè agere neſciunt: Viã pacis ignorant, nõ eſt timor Dei ante eos. Tertiò qui Deo placere vult, Eccleſiam malignantium odio habeat, hoc eſt, non ipſe ſequetur eos. ſed corripiet, vti Ioannes, prophetæ, & ipſe etiã Chriſtus fecit. Quartò, etiã manus ſuas inter innocẽtes lauabit, hoc eſt, bonis ac piis applicabit ſe, quemadmodum Moſes olim in Aegypto ſe Iſraeli applicauit, in extrema licèt tribulatione poſitus eſſet, ipſe verò omnis generis voluptatibus Regiæ aulæ frui poſſet. Magis elegit affligi cũ pòpulo Dei, vt Paulus etiam teſtatur, quàm temporalis peccati habere iucũditatem, maiores diuitias æſtimãs theſauro Aegyptiorũ improperium Chriſti. Et hoc eſt inter innocentes lauare manus. Quintò, qui Deo placere vult, illius incumbat cultui, vt Dauid ait: Circũdabo altare tuũ Domine: Sic olim Daniel & collegæ ſui fecêre. Sic Ioſias Rex pius, cùm adhuc puer eſſet, cœpit quærere Deum. Bonum enim eſt viro, cùm portauerit iugum ab adoleſcentia ſua. Sextò qui Deo placere

Baruch 4.
1. Cor. 1.
1. Theſ. 4.
Pſal. 25.
Pſal. 13.
Exo.
Heb.
2. Par. 34.
Thre. 3.

Psal. 84. vult, Dei verbum audiat, vt Dauid ait, Audiam quid loqua-
Psal. 49. tur in me Dominus Deus, Et Dominus ipse, Audi Israel, lo-
Psal. 80. quar ego. Ego sum Dominus Deus tuus. Et, Si me audieris, non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum. Hoc, beneplacitum est Deo: & nolle suos audire, vbique & semper cõqueritur. Septimò etiam enarrare mirabilia eius, Deo placet. Laus enim & gratiarũ actio requiritur. Et denique vt diligamus decorem domus eius, hoc est, Ecclesiæ commodis & reparationi seruiamus. Omnium horum Bonifacius nõ modò discipulus, sed & doctor fuit. Id quod vita illius perhibet. Malorũ cõuersatione se exuit, bonis coniunxit. Mundum fugit, in Ecclesiam refugit, in cultu Dei se exercuit, Ecclesiam restituit, & ita restituit, vt cum Apostolo
2. Tim. 4. dicere non immeritò potuerit, Bonum certamen certaui cursum consummaui, fidem seruaui. Ecce, igitur non iam Iob & Isaias solos, sed & Bonifacium cũ illis maximas suas diuitias duxisse: nosse Deum, placere Deo, Deúmque timere. Hoc enim vterque addit, & ita sit oportet, vt non modò Deum agnoscamus, illique seruiamus, sed & iudicia illius timeamus. Non perdas Domine, inquit Dauid, cũ impiis animã meã. Hæc sunt, in quibus se Bonifacius hic exercuit, quæque alios docuit. Hoc restat, vt ipsum sequamur. Vtut enim plurima temporanea consequamur, si tamen spiritalibus bonis deficimus, nihil sunt, præter veram sapientiam verum intellectum, verúmque Dei timorem, cætera omnia vana sunt, Gratia Dei nobiscum, Amen.

SERMO QVARTVS BONIfacium cum Ezechia Rege comparat.

CVi rei præsens hæc festiuitas instituta, & quomodo à nobis celebrandæ sit, longo sermone apud nos Moguntinos docere, meritò videtur superfluum. Ita enim omnibus in his partibus positis, Bonifacius notus, tam celebre & honoratum illius nomen erit, vt memoriam & exemplum eius non solùm ipsi perpetuò ob oculos habeamus, verùm etiam externis omnibus pleno ore prædicemus, quod peregrinationis suæ tempore in his terris nulli tam propinquus factus est, atque nobis, nostrísque patribus. Ipse quidem à nobis cognomen sortitus est, vt in omnibus historiis, Chronicis & Annalibus, Bonifacius Archiepiscopus Moguntinus dicatur. Hoc illi à nobis cognomen est: sed vtinam nos

quoque

quoque ſuum adepti eſſemus nomen, quo omnes Bonifacij bonã faciem, hoc eſt, bonũ piæ vitæ apud oẽs teſtimoniũ haberemus, ſiue benefaciẽtes. Id quod etymologia noĩs Bonifacij vult, vt aut bonæ faciei, aut bona faciẽtes ſimus. Quorũ vtrunq; Chriſtiani hoĩs eſt. quiſquis enim talis Bonifacius nõ eſt, ingenuus Chriſtianus nõ eſt, cuiuſcúnq; alioqui noĩs cõditionis, dignitatis ſit. In Matthæo enim ea de re Chriſt⁹ ad Apoſtolos, eorúmque ſucceſſores ita loquitur. Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videãt opera veſtra bona, & glorificẽt Patrẽ veſtrũ qui in cœlis eſt. Et Petrus poſt Magiſtrũ ſuũ in hæc verba ſcribit: Cõuerſationẽ veſtrã inter Gẽtes habẽtes bonã, vt in eo quod detractãt de vobis, tãquã de malefactoribus ex bonis operibus vos cõſiderãtes, glorificẽt Deũ in die viſitationis. Et deinde, Nemo veſtrũ patiatur quaſi homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorũ appetitor. Si autẽ vt Chriſtianus, nõ erubeſcat, glorificet aũt Deũ. Et Paul⁹: Fornicatio & oĩs immũdicia, aut auaritia, nec nominetur in vobis, ſicut decet ſanctos: aut turpitudo aut ſtultiloquiũ, aut ſcurrilitas, quę ad rẽ nõ pertinẽt. Ecce oĩm hoc eſſe piè Chriſtianorũ vt ſint Bonifacij, benè agãt, vt ſint quẽ admodũ facie, ita etiã facto boni. Nã & Euãgeliũ hoc validiſsimè requirit, vt ſimus bona faciẽtes. Vnde Chriſtus ait; Omnẽ palmitẽ qui fert fructũ, purgabit eũ Pater agricola, vt fructũ vberiorẽ adferat: & omnẽ palmitẽ in me nõ ferẽtẽ fructũ, tollet eũ, & in ignem mittẽt & ardet. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructũ multũ. Si quis in me nõ mãſerit, mittetur foras ſicut palmes, & areſcet, & colligẽt eũ & in ignẽ mittẽt, & ardet. Quin in hãc ipſam ſentẽtia Chriſt⁹ totã hãc parabolã de vite, palmitib⁹, & agricola propoſuit. Cur plãtatur vitis? vt ferat palmites, vt grãdeſcat, & germinet. Et cur fouẽtur palmites, niſi vt fructificẽt? Neque enim alius eorũ vſus eſt, nec quid valẽt niſi vt in ignẽ mittantur. Et quod operoſi agricolæ in vinea officium eſt? vt nutriat vitem, purget palmites, putet ſarmenta, fertilia muniat, vt fructum vberiorem adferant. Tota hæc parabola huc facit, vt Bonifacij ſimus. Chriſtus vitis vera eſt, qui ideo à Deo patre in Chriſtianę Eccleſię agrũ plãtat⁹ eſt, vt multos germinaret palmites, vt ipſe primogenitus ſit in multis fratribus. Nos palmites. Propterea in baptiſmo p fidẽ, viti fructiferæ cõplãtati ſumus, vt ipſius virtute & humore, fructũ afferamus: ideo Chriſto capiti noſtro incorporati ſumus, vt in

Matth.5.

1.Pet.8.

1.Pet.2.

Ephe.5.

Ioan.15.

Rom.8.

ipso Spiritũ gratiámq; haurientes, Dei in omnibus impleamus volũtatẽ. Et hic verus agricola est, qui erga vitẽ eiúsq; palmites, hoc est, Christum ac credẽtes afficitur, sua custodia tegit, doctrina circunfodit, cordiũ interiora soluit, beneficiis stercorat, calore amoris sui accendit, Spiritu suo irrorat cœlitus, redũdantia inutiliáq; aduersitate ac cruce amputat, nihil quod ad fructificationẽ palmitũ facere videtur intermittit. Hic finis omniũ quæ operatur Deꝰ. fructũ quęrit, nõ folia tantùm. Bonifacios vult, nõ otiosos: tales omnino, quibus nomẽ Christiani frustra nõ sit inditũ, qui gratiã Dei in vacuũ non receperint. Cuius in Bonifacio nostro exẽplũ propositũ est. Hic enim veram nominis huius virtutẽ in se ipso expressit, bonã faciẽ, honorandũ nomẽ, apud oẽs obtinuit, bona nunquã nõ fecit. Propterea & exordio huius sermonis, idẽ hîc repeto: Vtinã eius nomẽ virtutémq; ab ipso ceu hæreditatẽ capiẽtes nostra faceremus. Sic enim huic festo satisfactũ esset, sic genuini filij atq; imitatores tanti essemus Patris: Sic ille in nobis corã Deo gloriari, nósque in ipso corã mũdo possemus nõ erubescere. Sed hic labor, hoc opus: hoc ipsum est, quod cõquerimur. Bonifaciũ prædicamus, malefacij ipsi manemꝰ. nomẽ nouimus, ab opere lõgè absumus. Hoc ergo est, quod cõsiderandũ est hodie, quomodo vita moréq; nostri cũ Bonifacij exẽplo conueniãt. Nihil hoc facto huic tẽpori nobísque cõueniẽtius. Sanè Regũ liber, speculũ quoddã offert, in quo non modò ipsum Bonifaciũ, verùm nos quoque veluti expressa imagine cõtẽplari licebit. Sit ante oculos Rex Ezechias & pulchrè Bonifaciũ depictũ suis coloribus agnosces. Huic filiũ adde Manasse, & nos nostráque omnia corã videbis. Id ita esse, paucis ex eadem historia ostendamus. Principiò nemo nostrum, quibus Sacra Scriptura legitur, ignorat, Ecclesiæ, inter omnes Reges Ierusalem post Dauid, celeberrimũ nomẽ fuisse, eorúmque de numero, de quibus Iesus Sirach loquitur:

Eccl.44. Laudemus viros glorioſos, & parẽtes nostros in generatio-
Eccle.48. ne sua. Et post de Ezechia priuatim loquens, ait, Fecit Ezechias quod placuit Deo, & fortiter iuit in via Dauid patris sui, quam illi mãdauit Isaias Propheta magnus & fidelis in conspectu Dei. Hoc nomen, hæc laus Ezechiæ, etiam defuncti. Aliorum quidem Regum aut nulla, aut plena dedecoris fit mentio, huius verò vt sempiterna, ita est & honorifica memoria. Nam & nobis credẽtibus nomen eius ho-

norabile

norabile eſt,eritq; ſemper. Et qua ratione eum nominis ho norem cõſecutus eſt? Diligentia & ſtudio pietatis, vt inſtau rare cultus diuinos, ſeductáſque gentes reduceret labora uit. Hoc ipſo æternũ nomen adeptus eſt Rex piiſsimus. Vn de ſuam laudem in ſacris Scripturis nõ minus prædicamus, quàm Moſi,qui primus populum in mãdatorum Dei viam adduxit: aut Dauidis,qui cultus Dei pulcherrimo ordine in ſtituit: aut etiam Salomonis, qui primus templũ fundauit. Non minor eſt virtus,quàm quærere parua tueri. Tum ma ioris fortè induſtriæ erit atque laboris,collapſam inſtaura re domũ, quàm nouam extruere. Moſes,Dauid,& Salomon extruxerãt, Ezechias ruinoſæ domus damna reſarciuit atq; in integritatem reſtituit. Bonifacĩ plures hic Mogũtiæ & præceſſerunt,& ſequuti ſunt Epiſcopi,quorum nemo recor datur: in obliuionẽ coram mundo, & fortè corã ipſo etiam Deo,deſcenderunt. At Bonifacij glorioſum eſt nomen,cùm apud Deum,tum apud homines, quod ipſum etiã, dum res Chriſtiana ſtat,conſeruabit. Et qua hunc titulum via conſe cutus eſt? In promptu reſpõſio eſt. Per amorem pietatis, per ſtudium purgandæ Eccleſiæ,& reſtituendæ pietatis. Nõ il le eorum in numero eſt,per quos Eccleſiam ſuam Chriſtus primùm ædificauit,tum nec primus Euãgelium hîc aut ali cubi prædicauit. Non Moſes,non Dauid, non Salomon ali quis eſt,ſed nec Apoſtolus,at verè Ezechias, eorúmque ali quis eſt,qui poſt Apoſtolos labentẽ Eccleſiam in pristinum ſtatum reſtituerunt. Vnde etiam hac parte, cæteris paribus, Apoſtolis confertur, Germanorúmque dicitur Apoſtolus, haud alia ratione,quàm Romani olim camillum ſuum,qui vrbem à Gallis captam conflagratámque reſtituit inſtaura uítq;,Romulo conditori vrbis,conferentes. Alterum condi torem vrbis inſcripſerunt. Et quemadmodum hodie etiam alterum Achillem,fortem quemq;: alterum Herculẽ,inde feſsi,magníq; laboris hominem: alterum Eliam,grauem re prehenſorem dicimus. Hac ratione Bonifacius alter Paulus verus Apoſtolus,pro Euangelij prædicandi,Eccleſię inſtau rãdæ,& à peccatis ſoluẽdis animabus ſtudio,ac feruore dici tur. Quid pulchrius de ipſo dici poſſet? qd in Eccleſia Apo ſtolico munere maius? quid hoc nomine celebrius? Hæc qui bus cordi eſt īmortalitas, q ſui in mũdo nominis perpetuã venãt gloriã,ſeduló cogitẽt. Ali⁹ domos extruit magnificas ali⁹ marmoreas æreáſq; colũnas ſua imagine cęlatas erigit,

alius

alius in omnes basilicas arma noménque suũ importat, de pingit, affigit: alius denique nouũ quid molitur, sæpe etiam parum nomini suo digna perpetrat. Inuenias etiã qui flagitiis partam memoriam post se relinquant. Vt Herostratus, qui non aliam ob causam Dianæ templũ, quod Ephesi celeberrimum erat, igni succensum cõflagrauit, quàm vt Herostratũ hoc perpetrasse, posteritas cõmemorasse posset. Sed hæc omitto, ac de his tantùm loquor, qui præclarè gestis no minis perpetuitatem quærunt. Nulla sanè hanc consequendi via compendiosior est, præter Dei timorem. Nõ ædificia maximè extructa, non cum casside clypeus, nõ admirandæ flammæque pyramides, nõ colũnæ, non imagines, idque genus alia memoriam quidem seruant? verùm nõ semper laudem adferunt. Videas enim nõ pauciores qui ista cõspuant, quàm qui admirentur. Pietas ad omnia vtilis. In memoria æterna, inquit Dauid, erunt iusti. Memoria iustorũ immortalis est, teste Salomone, condẽnátque iustus mortuus viuos impios. Et ipse Dominus, Qui honorificauerit me, inquit, glorificabo eum. Hæc prima, inquam, & compendiosior, & certior via nominis immortalitatẽ, laudem memoriámque consequendi cùm apud Deũ, tum apud homines. Exemplo sit Bonifacius, quem Deus gratiis doníque suis, miraculis in vita ac morte clarũ fecit, honorificat etiamnũ, & in sempiterno suo regno magnificabit. Et cur hoc? Nimirũ & ipse Deum in vita sua honorificauit per omnia, eiúsque gloriam quæsiuit. Sed & hodie oẽs summi Pontifices, Episcopi, Prælati: imò omnes Cæsares, Reges, Principes, celebrius nomẽ sibi nõ cõparabunt, quàm si Bonifaciũ sequantur. Certè nõ minus vrgenti id causa quàm olim Bonifacius, præstiterint. Sed (dolor) nemo hæc cogitat. Vnde fit vt veluti nũquã fuisse mus, pereamus: & postquam satis diu põposè vixerimus, memoriã nostrã cum sonitu perdimus, sæpè præter turpitudinis fœtorem posteritati nihil relinquentes. Sed non hęc à Bonifacio doctore didicimus. Est em̃ ille eorũ non infimus è numero, qui cõcessæ à Deo gratiæ talentũ, minimè in terram defossum abscondunt, sed nummulariis cõmissæ, multum lucrantur. Quare futuro iudicio iusti iudicis vocẽ audiet dicentis, Euge serue bone & fidelis, qui in pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium Domini tui. Sed & bonum cum Paulo certamen certauit, cursum consummauit: propterea etiã coronã iustitiæ accepit, eandémque

Herostratus

1. *Tim.* 4.
Psal. 111.
Sap. 4.
1. *Reg.* 2.
Matt. 25.
2. *Timot.* 4.

d émque perfectionem in reſurrectione mortuorum cõſecutu rus. Hoc modo Bonifacius Ezechiæ Regi cõfertur. Quãto bono autem, qui ipſum ſecuti ſunt, ipſius veſtigiis vſque ad hæc noſtra tempora inhæſiſſent: ſed clarè oſtenderunt nõ omnes eſſe Ezechias aut Bonifacios, qui eorum in locũ ſucceſſerunt. Non omnes boni filij, piis progeniti parentibus. Manaſſes enim patris ſui affectum ac ſpiritũ minimè ſequutus eſt. Quod enim reſtituerat ille, hic demolitus eſt: quod inſtaurarat pater, deſtruxit filius: eò res populi coegit, vt Ieruſalẽ ſancta alioqui ciuitas Regis agni, deterior omni Paganiſsimo redderetur. Hoc Manaſſe egregiũ facinus. Hæc optata filiorum, ſcilicet, Ezechiæ ſucceſsio, & hoc de quo ſu prà dictũ eſt, ſpeculum, in quo omnes nos cotẽplari licebit, O impiè Bonifacium ſecutos: quã longè à pij exẽplo Patris deflexímus: quæ deformata facies Eccleſiæ, præ illo quo Bonifacius vixit tẽpore. Quomodo facta eſt meretrix, ciuitas fidelis? Argẽtũ verſum eſt in ſcoriã. Quicquid pius inſtaurauit Bonifacius, ſucceſſores mali nõ ſolũ collabi permiſerunt, verùm ipſi quoq; corripuerunt. Nõ minus incõmodarunt, quàm ille cõmodauit Eccleſiæ, eadẽq; cùm Bonifacij, tum Ezechiæ filiorum iniquitas. Et qui illi ſunt filij? Nos, nos, inquã, filij degeneres. Sed quod dixi, nos eo modo intelligi volo, quo Daniel olim locutus eſt, cùm ait, Tibi Domine iuſtitia, nobis autẽ cõfuſio faciei, Nobis, inquit. Regibus noſtris, Principibus noſtris, & Patribus noſtris qui peccauerunt. Nobis, ſicut eſt hodie viro Iuda & habitatoribus Ieruſalẽ & omni Iſrael, iis qui propè ſunt, & iis qui procul in vniuerſis terris ſunt. Hoc modo igitur etiãnum. Nos, quod dixi intelligo. Omnes enim in cauſa ſumus, tã exiguum ſupereſſe boni ab Bonifacio plãtati, tã multa mala quibus maximè repugnauit, inueniri, & vbiq; obuia eſſe. Nõ eſt q; alius in alium culpã torqueamus. Prophetæ ſomniãt mẽdacium, Sacerdotes applaudũt manibus, & populus diligit talia filij colligunt ligna, & patres ſuccẽdunt ignẽ, & mulieres cõſpergunt adipẽ, quaſi dicat, Omnes ad introducendã idololatriã cõmodarunt, nemine excepto, id quod alias tẽpore veri dixiſſe me memini? Nimirũ ſomnolẽtos & negligẽtes Eccleſiæ miniſtros vehementer in culpa eſſe, tanti in Eccleſia tumultus, addidi autẽ nos etiam nõ minimam tanti incendij facem porrexiſſe. Licèt enim paſtores ſæpè habeamus pios, acquieſcere tamẽ his nolumus. Diſcedimus quò ſua quæque

Iſaiæ 1.

Dan. 9.

Hiere. 5.

Hiere. 7.

tert

fert opinio. Sequi recuſamus: ipſos nos in luporum ora deuorãdos ingerimus: in propria perditione exultamus: rectè monẽtes abominamur: animarũ noſtrarum ſalutẽ quærẽtes, refugimus, quod cõmodare poteſt, cõtẽnimus, quod obeſſe, toto pectore amplectimur: tenebrę nobis lux ſunt, & cõtrà. Ecce hoc modo Manaſſes omnibus nobis inuenitur cõditio. Ezechias atq; Bonifacius patres pij ſuccubuerunt, nõ eſt quĩ hos reſpiciat, qui ſequi velit, nemo: oẽs eorum refugiũt horrétq; exẽplum. Sed quis tãtæ peruerſitatis erit exitus? Quis extremũ finẽ obtinebit? Ezechias, an verò Manaſſes? Bonifacius, an nos? Verùm Ezechiæ memoria atque laus vltra bis mille annis in Eccleſia perdurauit, Bonifacij verò octingẽ-

4. Reg. 21. tis annis celebre nomen fuit. Sed de Manaſſe eiúſq; aſſeclis dictum eſt, dixiſſe Dominum. Quia fecit Manaſſes Rex Iuda abominatiões iſtas peſsimas: ecce ego inducã mala ſuper Ieruſalẽ & Iudã. Nimirum degenerantibus hæc dicta erãt filiis, quę poſtea etiam completa ſunt in eis. Et nobis hæc dicta putemus: vt qui in multis Manaſſe ſimiles ſumus, nec minora omnis generis pietatis exẽpla in Bonifacio noſtro habemus, quàm ille in Exechia patre. Sed, inquis, qua ratione confiteri poterit, vt interminatã iram liceat effugere, quandoquidẽ peccati demerita culpa minimè negari poteſt? Reſpõdeo: Duo adhuc media quibus periculum poteſt euitari, reſtant, quorum alterum eſt pœnitentia præteritorũ criminum, alterũ vitæ emẽdatio in futurum. Hæc ipſa duo ipſum etiam Manaſſen, pro delictis ſuis in Babylonem deductum

2. Paral. 33. liberarunt. Qui poſtquam coanguſtatus eſt, inquit Scriptura orauit Dominum & egit pœnitentiam valdè coram Deo. Et exaudiuit eum Dominus, & reduxit in Ieruſalẽ in regnũ ſuum. Hæc ſanè etiãnum iuuare poſſent media, & aut vtendum iis, aut certiſsimæ pœnæ periculum expectandum eſt. Neceſſaria omninò eſt pœnitentia, vt commiſſorum pœniteat: hoc eſt, quòd vocationi noſtræ tantum abeſt vt reſponderimus, vt ne id facere quidem cogitauerimus, gloriã Dei non quæſierimus, pia patrum exempla amplexi non fuerimus, ſalutiferas admonitiones non ſuſceperimus, ſed cõtrario modo repugnauerimus, doleat. Hæc pœnitẽtia neceſſaria eſt, neq; enim excuſari poteſt, quòd deliquimus. Omnes

Pſalm. 14. aberrauimus ſimul inutiles facti ſumus. Contegi nõ poteſt, neq; enim deſinet ſuo nos premere Deus iudicio, donec fateamur, dicẽtes, Nos peccauimus. Sed & emẽdatio in poſte-

rum

rum requiritur. Tum enim vera pœnitentia eſt, vbi emendatio ſequitur. Neque enim commiſſorum tantùm pœnitẽtiã egit Manaſſes, ſed & domum rediens, aras locóſq; quos fecerit, abſtulit eiecítque. Quæ pia erát, & ſe iubẽte, interdicta, reſtituit, & quẽadmodum plebem impio ſcandalizauerat exemplo, imò vi ad idololatriã pertraxerat, ita etiam paríque grauitate ad pietatem reduxit. Hæc enim vera & iuſta emendatio erat, quæ & in nobis requiritur. Multa & inutilis ſuccreuit zizania. Plurimum pietatis cecidit, quod erigendũ eſt, & hîc omnes tãtæ rei promouendæ adiumento eſſe poſſemus. Principes & Magiſtratus ordinãdo & præcedendo: Prædicatores & Paſtores admonendo, ſuóq; exemplo ad Chriſtianè viuendum populum adducendo: populus audiendo & ſequẽdo. Sed hodie denuò decreta Synodi euulgata ſunt, plurimarum ſperanda emendatio rerum eſt, maximè cùm adeò Spiritus ſancti feſtum in foribus eſt, qui & ipſe ſuam quæſitus & exoratus nõ denegabit gratiam. Hæc igitur hîc in diuo Bonifacio conſideremus & cogitemus. Gratiam Dei nobiſcum, Amen.

SERMO QVINTVS, QVO confertur Bonifacius Regi Iehu.

SVperioribus annis dixiſſe me memini, qua ratione Euangelium hoc ac feſta dies Bonifacij noſtri ſanctorúmque ſociorum eius conueniat, nec cuiquã noſtrum vitas ipſorũ legenti id ſecum conſiderare difficile erit. Per pauperẽ em̃ ac famẽ per lachrymas ac gemitus, per afflictiones atq; crucem Chriſtum ſecuti ſunt, vnde beati prædicantur in terris beati cũ Chriſto in regno ſuo ſatiati bonis Dei, æterna fœlicitate refecti, & deniq; ſecundũ huius Euangelij promiſsionẽ ſummæ mercedis retributiõe remunerati ſunt. Id quod aliàs fuſiùs pertractaui, nec eſt, q̃ vel rectiùs vel meliùs in ſanctorũ feſtis fecerimus, quã ſi cogitauerim⁹ oſtẽderimuſque, qua via ipſorũ vita, doctrina ac mors Euãgelio conueniat: id quod vnũ verã credẽtib⁹ pietatẽ cõfert, rectiſsimaq; futuræ beatitudinis vitæ cõſequẽdę via eſt. Sed & nũc aliæ, q̃ mę mouẽt, cauſæ ſunt, vt porrò aliq̃d de hac feſtiuitate ac Bonifacio patrono noſtro diſſerã, eæq; ita ſe ad manũ afferũt: ita vix ſciã qua rõne meliore his de rebus loqui incipiã. Quæris quę eiuſmodi ſint? Superiore Pẽtecoſtes feſto cũ de Spirit⁹ ſancti miſsiõe ſermone habebã, cũ animorũ noſtrorum

rum lætitia,cũ gratiarũ etiã actione, quomodo per Apoſtolos ſuos Deus Eccleſiã Chriſtianã in hoc mũdo plãtauerit, ordinauerítque,nõ modò variis donis ſpiritualibus, verùm etiam igneis linguis Spiritu ſancto dato, in memoriã reuocauimus.Illud ipſum etiã diuinæ bonitatis factũ olim præ
Pſal.37. dixiſſe Pſalmiſtã Dauid audiuimus. Eiuſmodi planè illud factũ eſt, vt meritò eius gratia lætemur. Deóque per omnẽ vitã noſtrã gratias referamus. Sed quid reſtat, niſi vt Deus, qui per Apoſtolos Eccleſiã ædificauit, eandẽ per horũ ſucceſſores ſartã tectámq; cõſeruet? vt quod per Apoſtolos plãtatũ eſt,per hos irrigatur,nec marceſcat? nẽpe qui rorẽ dedit,etiã ſerotinam pluuiã cõcedat,hoc ipſum,inquã,reſtat. Quid enim veterum prodeſt ędificatio,niſi per ſucceſſores quod ædificatũ eſt,ſartũ cõſeruetur? Quid Hortulanũ plãtaſſe iuuat,niſi & irrigauerit ſedulo? Optimus paterfamiliàs Deus eſt,qui qđ per Apoſtolos plantauit,per alios irrigauit,
1.Corint.3. quod ædificauit per illos,per hos cõſeruauit. Ego plantaui, inquit Paulus,Apollo rigauit: Deus incremẽtũ dedit, Deus
Ioan.4. virtutẽ ſubminiſtrat,& vtriq; cooperatur,qui & vtrumq; in myniſteriũ ſuum inſtituit,alius quidẽ ſeminat. Et Chriſtus ipſe ait.Ego miſi vos metere,qđ vos nõ laboraſtis. Alij laborauerũt,& vos in labores eorũ introiſtis. Si ergo gratię Dei eſt,quòd in nobis ſtructuram ſuam Deus incœpit, erit etiã gratiæ, quòd eandem in nobis ipſis ſartam tectámq; cõſeruat. Si donum Dei eſt,à Deo primùm Spiritũ verbúmq; ad Eccleſiæ plantationem datum eſſe, erit & eiuſdem donum quòd eundem Spiritum idémq; verbum continuò vſque ad nos longo ordine dedit ad rigandam Eccleſiam. Qua enim ratione noua illa Eccleſiæ plãtatio in tanto tyrannorum, hæreticorúmque per ſatanam motorum æſtu atque feruore manere ne dicam adoleſcere, niſi continuò per Spiritum verbúmque ſuum irrorante Deo, potuiſſet? Si ergo magnificentiam ſuam Deus hoc ipſo oſtendit, quòd ciuitatem ſuam per Apoſtolos fundauit: meritò etiam magnificentiæ laudem apud omnes obtinet,quòd eandem Eccleſiam ciuitatem ſuam,poſt Apoſtolos aliorum mentibus ad hoc excitatis ſartam tectámque ſeruat. Huic ſanè rei præſens feſta dies ſeruit, quòd Bonifacius noſter horum poſteriorum in numero habetur. Non enim ex illis eſt, qui initio plantandæ ædificandæque Eccleſiæ incubuerunt, ſed his inquam, annumeratur, per quos plantatam ædificatámque Eccle-

ſiam

fiam ſuam Deus, maximè apud nos cõſeruauit. ídque nemo facilè negauerit. Plures ſanè Germania habuit, quorum doctrina vitáque Deus per Apoſtolos plantatã fidẽ cõſeruauit promouítque, ſed inter omnes Bonifacius hic noſter facilè principẽ locũ obtinuit: quare etiã exteris nationibus Germanorũ dicitur Apoſtolus. Quòd enim alij priuatis quibuſdã in locis, hoc ipſe in vniuerſa Germania præſtitit, omnes ad Deum perducere ſtudúit, à quo ſtudio dum homines peccatores reſtare intelligit, nõ deſtitit: haud aliter erga omnes quàm pater erga vnicum ex ſe natũ filiũ, affectus: vnde verè cũ Paulo dicere potuit, Plus omnibus laboraui. Et qua ratione in nobis venerandi nominis immortalitatẽ non obtinebit, qui tãta nobis, patribúſque noſtris præſtitit? Cur in eo nobis non gratulabimur, per quẽ nobis Dominus tanta exhibuit? Aut cur in hoc ipſo Deũ nõ magnificabimus, quòd Bonifacij opera, veluti domi nata religione, ſummè bonum intra parietes agnouimus? Hoc nempe eſt, quod Dauid olim decantauit: Deus in domibus cognoſcetur. Neque enim minima ciuitatis Dei pars Germania eſt. Quot enim & quã præclara in ea palatia, quot populoſæ cõgregationes credẽtis populi, quibus Deus cognitus eſt olim atq; etiamnũ cognoſcitur? Et hæc ipſa Bonifacius noſter ſarta tectáque cõſeruauit, inſtaurauit alia, in priſtinũ ſtatum reduxit multa. Ecce quomodo ex hoc ipſo Pſalmo feſtã hanc diẽ, ipſámq; Bonifacij memoriam celebrem agere licebit. Sed Pſalmũ prætereo, eiúſque explicationem in craſtinũ ſermonẽ differo: & quod hîc conuenienti modo faciendum eſt, ex Regũ hiſtoria, noſtra, quæ huic feſto conueniunt indicabo. Cõueniunt autem multa perappoſitè: quæ veluti cõpẽdio aggrediamur. Omnia tamen huc facient, vt Bonifacium noſtrum eò maiorẽ iudicemus, & apertiùs etiam quid Deus per eũ in Germanorũ Eccleſia, maximè verò in Moguntini Archiepiſcopatus circulo effecerit. Quarto igitur Regum libro legimus, quomodo idololatriæ virus, quod Achab Rex cũ ſua Iezabel in Iſraelem inuexerat, longo tẽpore præter modũ finémue ſerpſerit, ac quotidiè ingraueſcens Dauid Regis familiam in Ieruſalem infecerit. Fruſtra Prophetæ repugnabant, præmonebãtque: ita planè, vt ipſe etiã Elias Propheta actũ eſſe de Iſraelis ſalute, nulliúſque opera ad fidẽ poſſe, cõuerti timuerit. Tũ Deus Opt. Max. virũ Iehu excitauit, cui tãtũ ſpiritus ſui zelũ indidit, tatáq; potẽtia ac virtute arma-

Iſa. 47.

1. Cor. 15.

4. Reg. 10.

4. Reg. 9.

uit, vt vi etiã contra omnes idololatras reſtiterit. A ſuperioribus initiũ fecit, quos ſimul cõgregatos in Iezrael adorſus eſt. Ioram Regẽ ſagitta arcus ſui emiſſa percuſsit, Ochoſiã verò in curru ſuo percuti iuſsit, Iezabel per feneſtrã præcipitari iuſsit filios Achab ſeptuaginta numero viros decollari fecit. Et hæc oĩa in vnica ciuitate fecit. Deinde verſus Samariã perrexit, inuẽtóq; in via Ionadat iuſto homine dixit. Nũ quid eſt cor tuum rectum cum corde meo, ſicut cor meũ cũ corde tuo? Eadem via inuenit fratres Ochoziæ deſcendẽtes ſalutatum filios Regis & Reginæ, ignorantes iam tum decollatos. Hos, qui eſſent, rogat, ac idololatras eſſe, Ochoziæ fratres, eáque de cauſa deſcendere intelligens, omnes iugulauit, nimirum quadraginta duos viros. In Samaria neminẽ eorum qui Achab olerent, reliquit. Poſtremò etiam idololatras ſacerdotes aggreditur, quos ex omnibus partibus conuocatos quadraginta, religionis ſimulator, in templo Baal ſacrificaturos, ſcilicet veſtimentiſque ſuis indutos, per octoginta viros armatos trucidat. Dicebat enim Iehu: Achab parum coluit Baal, ego autẽ colam eum amplius. Et ad armatos viros, Quicúnq; fugerit de hominibus iis quos ego adduxero in manus veſtras, anima eius erit pro anima illius. Trucidatis ergo omnibus his, ædem Baal deſtruxerunt, ſtatuámq; eius cõbuſſerunt & cõminuerunt. Hoc modo idololatriam ſuſtulit, idq; mãdato diuino, vnde etiam ſacris Scripturis prædicatur, regnũq; Iſraelis poſteritati ſuæ in quartã vſque generationẽ cõfertur. Nõ enim inuidia hominum aut vindicans ſe, ſed zelans pro Deo fecit. Et hæc illa hiſtoria, quæ ordine Scripturæ exponenda eſſet. Sed quis nõ mox videt, quàm ſibi Iehu & Bonifacius cõſentiant? vnus in vtroq; ſpiritus idẽque zelus quod ille in Iſrael, hic inter vos fecit, hoc ſolùm differunt, quòd Iehu gladio, Bonifacius verbo Dei vſus fuit: ille vnam tantũ idololatriam extirpauit, permiſſa alia, in qua & ipſe ad mortẽ perſeuerauit, hic verò aduerſus omnes impietates, in mortem vſque decertauit. Quã collationẽ quilibet facilè, collatis vtrinque hiſtoriis, cõſiderabit. Vtrobíq; enim Satan aduerſus Eccleſiam ipſúmque Deum moliatur, videri põt. Vtrobíque etiam Deum Deíque verbum præualere, ac potiri victoria colligitur. Neque enim Eccleſiam ſuam credẽtéſq; funditus deleri permittit Deus. Non tantã Achab in Iſraelem idololatriam inuexit, quin lõgè peſtillẽtiores errores in Eccleſiam Arrius importauerit.

4. Reg. 10.

rit. Tũ nec tantũ Iehu zelũ in extirpãda idololatria oſtẽdit, quin maiorẽ Bonifacius in omnis generis erroribus, idololatriis impietatibúſq; tollendis impẽderit, Iehu Iſraelem plenum idololatria inuenit, Bonifacius Eccleſiã, maximè verò in noſtris partibus, peccatis erroribúſque grauibus reperit ſauciam. Quẽadmodũ ergo illum Deus ad excidẽdum Baal, ita hunc ad repurgandã Germaniam à tantis peccatis & erroribus excitauit. Hæc duo enim plerúnque concurrunt, vt vbi error & infidelis prẽualet, illic etiã iniqua & impia vita ſequatur. Sic Iehu vſu venit: ſic Bonifacio, ſic denique & nobis. Quæ enim vitæ impietas, ex tot erroribus, quibus iam annos aliquot deſeuimus ſit ſecuta, cæco etiã apertũ eſſe poteſt. Quos enim hoſtis ille noſter in errores induxerit, eoſdẽ haud magno labore in ómnigenã impietatẽ pertrahet. Propterea Iehu noſter, Bonifacius puto, aduerſus vtrúnque pugnare habuit. Vnde nõ immeritò de ipſo etiam dici poteſt quod de Ioſia ſcriptum eſt. ipſe directus eſt diuinitus in pœnitẽtia gentis, & tulit abominatiões impietatis, & ad Dñm gubernauit cor ipſius, & in diebus peccatorũ corroborauit pietatẽ. Hoc modo manifeſtũ eſſe poteſt, arbitror, qua rõne hæc feſtiuitas hiſtoriæ Iehu cõueniat. Reſtat ergo vt vtroq; rectè vti diſcamus. Sed hoc multæ conſiderationis eſt. Docent hæ duæ hiſtoriæ multa, & quid timẽdum, quid ſperãdum ſit, quid amplectendum aut fugiendũ ſit: tum quid expetendum oſtendunt. Omnia hæc, inquam, Iehu hiſtoria, atque Bonifacij noſtri feſtiuitas docet. Et quid eſt quod timeamus? nimirũ hoſtẽ & inimicum nos habere inuidũ, fortẽ, doloſum: nos cõtra imbelles eſſe. Hoſtẽ, inquam, nulla nõ Dei dona nobis inuidẽtem, ſemper manus ſuas ad ſtrangulandũ nos extẽdentẽ, inſidijs víq; omnigena cõtra nos inſurgentẽ. Septẽ capitum ille draco eſt, qui nunquam quieſcit, dũ fœminã, ſeminis illius cõterentis caput ſuum genitricem ante oculos videt, hoc eſt, dum Chriſtus cum ſua Eccleſia eſſe perſeuerat: dũ, inquã, in Chriſtũ credentẽ hæc terra alit. Legamus Scripturas, & nõ obſcurè qua tyrannide mortales in peccatum, vitia, cæcitatem, errores, in quam egeſtatem, calamitatem, perditionem foris intúſque præcipitauerit. Cui rei vnica Achab hiſtoria teſtimonio eſſe poteſt. Deum immortalem, quæ illa calamitas erat, cùm omnem terræ faciem idololatria occuparet, Reges omnes hanc vrgerent ac promouerent, cùm nulla cuiquam pio prorependi eſſet, Eccleſ. 49.

ſecuritas,cùm abſconditi in cauernis palleſcerent Prophetæ,cùm prophetas Baal audire compellerentur, cũ iniquitas & tyrannis omnis tollera nda ferendáq; eſſet. Eò res mortalium tempore Achab Diabolus deuoluerat, imò & Arrij temporibus,ea rerum facies erat,eo etiam noſtro nos ſeculo adigere conatur,adegítque quamplurimos, eſt hoc ergo quod timere habemus nos maximè, quorum nulla ferè virtus eſt,qui tã facilè ſeducimur,quouis vẽto territamur. Nemo tam ſubitam Iſrael defectionẽ ſperaſſet, quorum fides & cultus tantis támq; apertis prodigiis cùm data tum confirmata eſſet. Nemo in nobis tam facilè ſeductum iri nos, qui tam cõſtanti pietate fidei adhæſiſſemus,credidiſſet:Arrio tamen & quibuſdam aliis exurgentibus, collabi omnia magna clade videre licebat. Sed & noſtro hoc ſeculo nemo tantam in nobis fidei infirmitatẽ vel auſus fuiſſet cogitare, niſi cũ tot vndíque inſurrexêre ſectæ,tum ſanè multi paleæ inuenti ſunt,qui videbãtur frumẽtum optimum,ac ipſe flos tritici habebãtur. Eóque igitur magis timendum eſt. Multa ille inimicus noſter poteſt,Deo permittente, tum nos, niſi ipſo Deo dante,nihil poſſumus,Simõ,inquit Chriſtus,Satã expetiuit vos,vt cribraret ſicut triticũ, ego aũt rogaui p̃te, vt nõ deficiat fides tua. Ecce quod temerè habemus,hoc eſt, quid verò ſperandũ eſſe poteſt? nimirum, Deum nõ minus ad tuendam cuſtodiendámq; Eccleſiam ſuam vigilare, quã adoriri illam ac diſperdere ſudat Diabolus. Hinc eſt,q̃ ſem per operarios in vineã ſuam miſit: ſic Moſen dedit,vt Iſraelẽ ex Aegypto liberaret, ſic iudices dedit,qui populum defenderent,ſic qui regerent Reges,qui docerent & in viam reducerent miſit,ſic etiam in nouo Teſtaméto ſemper qui Eccleſiam repugnarẽt, collapſámq; erigerent,miſit,ſuóq; Spiritu imbuit. Neq; enim ſine his tãto tempore ſtaret Eccleſia.

Iſaiæ 1. Niſi Dominus reliquiſſet nobis ſemen, ſicut Sodoma eſſemus. Hinc ergo ſpes illa noſtra, hinc quòd lætamur in hac Bonifacij feſtiuitate eſt: hinc etiam gratiarum actiones in Bonifacio noſtro. Propterea ergo ardentiùs orandus eſt Deus, vt & noſtro tempore eiuſcemodi nõ dedignetur demittere Bonifacios, qui abominationes impietatis tollant, & peccatorum mentes conuertant. His enim noſtro ſeculo Eccleſia opus habet maximè,hoc poſtulari vult Deus. Rogate Dominum, meſsis vt mittat operarios in meſſem ſuã.

Luc.10. Præterea in hoc etiam incumbẽdum eſt,vt ipſi ſimus Bonifacij

facij,tunc certè auitum zelum præstaremus:& si quam vel in nobis,vel etiam in aliis,falsæ doctrinæ, idololatriæ, vitæque impietatis abominationem consideraremus, hîc pro sua virili quisq;,Deum amantes,grauitatem ostenderemus, nullius amori indulgeremus, nec nobisipsis parceremus. Qui amat patrem suum aut matrem plusquam me, hic me non est dignus:imò verò qui nõ odit animam,nõ potest meus esse discipulus. Hæc sunt ergo quæ docent festum hoc & historia.hoc Bonifacij esset celebrare festum: hinc etiam vtilitas non parua,non nobis tantùm,verum toti Ecclesiæ etiã veniret. Hæc pius quisque secum cogitet, & Deum vt sua gratia Ecclesiam visitet, illíque subueniat, precemur, Amen. *Luc.14.*

SERMO SEXTVS, COLLATIO Euangelij ac festi,tum etiam facti ac Naboth.

SI quis vel exiguum spiritualium rerum cognitionem habuerit: facilè, qua de causa hoc Euangelium in genere de Martyribus & in specie de Bonifacio nostro legatur, considerat. Principiò enim ad Apostolos his verbis vsum esse cõstat. Id quod Lucas apertissimè atque expressè indicat. Et ipse,inquit Euangelista,eleuatis oculis in discipulos suos, docebat eos. Beati pauperes, quia vestrum est regnum cœlorum. Iam verò discipuli illo tempore velut grex occisioni deputata erant. Omnes Martyres efficiendi erant. Tam apertè enim prædictum hoc illis fuerat, vt nec sperare,nec expectare possent meliora: vt in Matthæo vbi Christus ait: Ecce ego mitto vos,sicut oues in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Cauete autem ab hominibus: tradent enim vos in conciliis, & in Synagogis suis flagellabunt vos, & ad præsides & ad Reges ducemini propter me in testimoniũ illis & Gẽtibus:& quę sequũtur. Et in Ioãne,Si me persecuti sunt,& vos persequẽtur. Si sermonẽ meũ seruauerut, & vestrũ seruabũt. Et,si de mũdo fuissetis, mũdus quod suũ est diligeret. Sed de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo,propterea odit vos mũdus. Et post, Et venit hora vt omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. Et hęc faciẽt vobis,quia nõ nouerũt patrẽ neq; me. Et quibus omnibus clarè videtur, Apostolos persecutionibus & cruci fuisse deputatos. quare peculiari opus habebant *Matth.10.* *Ioan.15.* *Ioan.16.*

consolatione. Et quæ melior consolatio, quàm quod omnibus & singulis loquitur, Beati pauperes, quia vestrum est regnum cœlorum? Hac tali acclamatione atque apostrophe opus habebant, inquam, Martyres futuri, quomodo enim
Matt.6. aliàs paupertatem, anxietatem, famem, solicitudinem, pericula, persecutiones, ipsamque mortem tolerauissent? Hac consolatione perdurabant, cogitantes Christi verba: Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei, pro paupertate, nimirum, regnum Dei, pro lachrymis, gaudiũ: pro fame, plenam saturitatẽ: pro persecutione, abundantẽ in cœlis remuneratione promittẽtis. Hac ergo ratione Euangeliũ hoc in festis Martyrũ legimus, vt non solùm quid quãtúmue passi sint, verumetiã qua via omnia aduersa, tribulationes, mortémque deuicerint, cognoscamus. Alioqui nobis admodum parum adferret gaudij, quin etiã territaret ac pusillanimes faceret, nihil præter passiones & afflictiones in S. Dei Martyribus considerantes. Sed quam in passionibus consolationem, quã deuicta aduersitate mercedis coronã repositã habuerint, aduertentes animosiores reddimur, vt faciliùs adducamur, & ipsi promptiore æquanimitate perferre, si quid erga nos, vt aduersus discipulos Martyrésq; Christi moliri mundus tentauerit. Eadem hac ratione hodie Euangelica isthæc lectio de Bonifacio legitur. De Bonifacio nostro, in quã, hoc Euangeliũ in specie proponitur, vti in quo omnia illa Christi verba concurrant, & cuius exẽplo eadem nobis maximè inculcare deceat. Si enim Bonifacius cõsũctior nobis aliquãto est cæteris, eius nos diligẽtiùs considerare exẽplum cæteris æquũ est. Quem enim filius rectiùs patre imitatur? & quid præter Bonifacium patres nostros secũdò per Euangelium Christo genuit? Non est, quòd huius nos patris pudeat. nostra ille coram Deo atque hominibus gloria est. nostrum erit cauere, ne illum nostri in extremo iudicio pudeat. Proinde non possum non aliquid, sed succinctè hac de festiuitate dicere. Vitæ igitur Bonifacij historiam, in exhortationem contraham, ita tamen ne consuetã materiam præteream, magis vero conferam. Et quidem minimè incõuenienter hoc fieri arbitror, multò verò magis piis profuturum ita collata spero. Ac principiò me præsens festiuitas, hîc honori Bonifacij nostri celebrata, (nostri inquam, quòd aliquando Archiepiscopus Moguntinus, imò primus post Apostolos Germaniam ab omnis generis erroribus

roribus atque impietate, quam per hæreticos impiósque anteſignanos in eam diſperſerat Satan, vindicauerit, inque fidem, verúmque cultum reduxerat, vnde & Germanorum Apoſtolus dicitur) admonet ſermonis heſterni, maximè verò verborum quorundam, quæ ex Ambroſio diuitibus ſeculi huius loquente, adduxeram: Bonum eſt vt iam quieſcatis, & à flagitiis feriantes, reuereamini Domini poteſtatem: & quæ ſequũtur. His inquam optimus ille Ambroſius diuites olim exhortabatur. Iam verò in ipſo Ambroſio Bonifacium noſtrum mihi videre videor. idem enim huic, quod illi officium genus incubuit, tum quòd errantibus ſuo tempore nõ minus Ambroſio acclamauerit conſtat. Vtrique licuit cum Paulo dicere, Cõteſtor vos hodierna die, quia mundus ſum à ſanguine omnium. Non enim ſubterfugi, quo minùs annuntiarem vobis omne conſilium Dei. Et quod alibi idem Apoſtolus ait, Ipſi ſcitis fratres introitum noſtrum ad vos, quia non inanis fuit. His aliiſque ſimilibus verbis Germanos nos maximè Moguntinos affari Bonifacius potuit. Sanè ſi aures haberemus eiuſmodi rebus intentos, etiamnum ſic nos affari intelligeremus. Verè enim Auguſtinus loquẽs ait: Solennitates Martyrum exhortationes ſunt martyriorum, vt imitari non pigeat quod celebrare delectat. Agitè ergo & hanc feſtiuitatem, vt ſeueram exhortationem ſuſcipiamus, quam ipſi nobis exemplo vitæ mortiſque tanti huius viri inculcemus. Nullo enim modo, quaſi de Bonifacio noſtro actum ſit, mentem ſubiit cogitatio. Venit nomen illius apud Deum etiamnum, ſuóque quod poſt ſe reliquit exemplo prædicat: & quicquid vſpiam Chriſtianum priuſquam perfecit, idem nunc quoque (ſi attendere libet) & linguam & virtutem efficacem habet ad perſuadendum. In Geneſis enim hiſtoria refertur, occiſi & mortui Abel, ad Dominum clamaſſe ſanguinem, nemo licèt præter eum, ad quem hic clamabat ſanguis, audiret. Homines nõ audiebãt, parũ attendentes, imo nec cogitantes hunc fuſum mortuũmque (vt ita dicam) ſanguinem coram Deo & viuere & clamare. Quando enim Cain, hoc credens aut audiens, præclamore illo penitus non contabuit, cũ ipſius effuſi ſe reum ſanguinis nouit? Tum verò alij hoc credentes, certam inde ſpem virtutémque conceperunt, patienter impiorum perſecutiones perferentes. Sed, vt dixi, præter Deum, nemo hunc clamorem audit: propterea nec fratricida contabuit,

Ambroſ. Tom. 4. ca. 16.

Act. 20.

1. Theſſ. 2.

Serm. de tẽpore 47.

Gen. 4.

nec pij hinc consolati sunt, quousque ipse Deum Cain allo quitur dicẽs, Quid feciſti? Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Nunc igitur maledictus eris ſuper terram quæ aperuit os ſuum, & ſuſcepit ſanguinem fratris tui de manu tua. His tandem verbis Cain contertitus ita planè vagis incertíſque oberraret ſedibus, nuſpiã quietis, aut tutus latitaret: nobis contra etiamnum confirmatam mentem addit, minimè de piis actum eſſe, etiãſi trucidantur & pereunt. Ita & hîc nobis cogitandum. Ipſum quidẽ Bonifaciũ corporeis iam non auribus audimus docentem, vt qui octin gentis annis ampliùs defunctus eſt. Nihilominus tamen ipſius nos hortatur vitæ exemplum, quo præceſsit: mors, conſtantia quam in paſsione oſtendit: ſanguinis, quam pro Chriſti nomine effudit: cineres, quos hîc in terris reliquit. Quibus verò vocibus eum, ſi viueret, acclamaturum eſſe arbitraris? Haud dubiè iiſdem, quibus Paulus olim partim *Galat.3.* Galatas, partim adorſus eſt Philippenſes. O inſenſati Gala- *Philip.2.* tæ: quis vos faſcinauit non obedire veritati? Et, Charitsimi mei, (ſicut ſemper obediſtis) non in præſentia mei tantùm, ſed multò magis nunc in abſentia mea, cum metu & tremore, veſtram ſalutem operamini. His, inquam, verbis nobis, ſi viueret, loqueretur Bonifacius, ſed &, ſi attendimus, loquitur, O inſenſati, quis vos faſcinauit non obedire Euã- *Galat.5.* gelio, quod prædicauimus vobis? currebatis benè, quis vos *Phil.3.* impediuit, veritati non obedire? Imitatores mei eſtote fratres, & obſeruate eos, qui ita ambulant, ſicut habetis formã noſtram. Multi enim ambulant, quos ſæpe dicebam vobis (nunc autem & flens dico) inimicos crucis Chriſti, quorum finis interitus, quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum, qui terrena ſapiunt. O homines ſtultos, qui ſpiritu inceperunt, carne conſummant. O inanem & fallacem, cui innitimini confidentiam. Quàm (dolor) miſerè illaqueantur. De tabernaculis impiorum recedant, qui poſſunt, ne ſimul comprehen dantur. Fugite Babylonem popu le meus, ne peccatis eius communicetis. Quæ ſit inſania cogitate, in incerto ſperare, vbi mort is eſt periculum. Et quis ea quæ ſub Sole ſunt, omnia, aurum, voluptates, diuitias, gaudia, incerta & vana eſſe non videt? Quo momento pereunt? Quàm multò pluris eſtis Chriſtiani, quàm vt his voſmet oblectemini? Longè præſtantioribus vos rebus formauit Deus, quàm vt creaturæ vos ſubdatis ſeruitu-

ti. Animas

ti. Animas vobis ſuæ capaces gratiæ indidit, ad æternam vocauit felicitatem, nullum hîc vos habere locum manentem admonet, ſempiternam verò promittit patriam, domum nõ manufactam in cœleſtibus, vbi diligentibus ſe ea præparauit bona, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt. Agitè ergo vel Gentium vos exempla moueant. nam & Seneca nullo magna huius mundi deſiderio teneri ſe apertè teſtatur, in ſolam immortalitatem anhelans. Et idem in Tullio de Catone legi poteſt. Plato etiam tam exquiſitis verbis tam propriè ſuis animæ immortalitatem coloribus depinxit, vt legens ea Theombrotus quidam, immortalitatis quam ita depictam meditabatur, conſequendæ deſiderio, altiſsima ſeſe præcipitem daret turre. Et hi quidem Gentiles fuêre: vobis autem, Bonifacius ait, clarius lumen lucet, hanc veritatem non ſomniis vaniſue opinionibus concepiſtis, ſed diuino ore didiciſtis: tot præeuntia ſanctorum exempla cernitis ſequentes, qui omnes ita in religionis negotio cõfirmati fuerunt, vt ſponte mortem ipſi ſua ſubire non dubitarint. Quis inquit Paulus, liberabit me de corpore mortis huius? Et, Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto. Et iterum, Scimus quoniam ſi terreſtris domus noſtra huius habitatiõis diſſoluatur, quòd ædificationem ex Deo habeamus, domum non manufactam, ſed æternam in cœlis. Hæc, inquam, didiciſtis: & à nobis accepiſtis: hæc in vita ac morte noſtra conſideratis. Et quî fit, vt alió vos conuertatis, incerta, neglectis certis & veris, ſectamini, nihilominus egregia vobis de Deo pollicemini? Rectè quidem & verè Dei miſericordia magna prædicatur: at certa eſt & promiſsio ipſius, qua vnicuique ſecundum opera ſua mercedem pollicetur: iuſtis quidem, vitam, iniquis, pœnam: nec Diuina miſeratio vnquam mendacij arguet dicentem, Nemo coronabitur, niſi qui legitimè certauerit. Vos ipſi iudicate, qua fronte mercenarius mercedem ſperabit ſplendidam, qui toto die, cæteris laborantibus ipſe ſtetit, imò ſæpe aliorum labores perdit? Qua opera inſudatis, ſi quid alicubi lucelli ſperatis, cogitate. Nullius hîc laboribus parcitis, nulla pericula refugitis, corpus, animámque, vt comprehẽdere liceat, impenditis: quin ergo in ſempiternis conſequendis tam vos nihil vel facere, vel pati, pudeat. Certiſsimam imminere mortem, imò verò iamiam in vos irruere, perinde ac ſi omni momento ſuffo-

Iſa. 64. 1. Cor. 5.

Rom. 7. Phil. 7. 2. Cor. 5.

2. Tim. 2.

care ac persternere illi primùm sit, perpendite. Væ væ præuaricatoribus omnibus, quos horribili mors tyrannide inuadet, nihil præter lacrymas, gemitus, sempiternúque ignis cruciatus pauoréque adferens, Ecce, hic remunerator erit: hic falsæ cõfidentiæ vestræ ac cupiditati, finẽ imponet, leuitatem vel constantiæ franget, pigritiam inertem, somnolentiámque excutiet: & demum cùm ad Deum clamare volueritis, ipse ora occludet, & quod de Nerone legitur, serò, dicet vos sapere. Hæc diligentissimis cogitate animis, ait
2. Cor. 11. Bonifacius. Mei imitatores estote fratres, sicut & ego Christi. Ecce talibus nos Bonifacius affatur, non eris plectro, sed vitæ, cõuersationis, mortisque exemplo. Id quod meo quidem iudicio intelligentibus sufficeret. Si, inquit Christus, in Tyro & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in
Matth. 11. vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiã egissent. Verũtamẽ dico vobis, Tyro & Sidoni remissius erit in die Iudicij,
Matth. 12. quã vobis. Et iterum, Viri, inquit, Niniuitæ surgent in iudicio cũ generatione ista, & condẽnabunt eã: quia pœnitentiã egerũt in prædicatione Ionæ: & ecce plꝰ quã Ionas hîc. Regina Austri surget in iudicio cũ generatione ista, & condemnabit eã: quia venit à finibus terræ audire sapientiã Salomonis: & ecce plus quã Salomon hic. Sic ergo cogitemus quid per Bonifaciũ cõcesserit nobis Deꝰ, qua ratiõe etiãnũ eius nos exẽplo & vita admoneat & hortetur. Magnas Deꝰ per ipsum virtutes operatus est, ingentẽ variãq; in vita eius fortitudinẽ cõsideramus, Dei cooperationẽ & auxiliũ in doctrina illius atque morte colligimus. Qua de re pauca libet commemorare: nã & iusti Naboth mors, cuius heri memini, huic meo instituto seruiet. Hic igitur in Regis sui indignationẽ incurrẽs, ꝙ vineã hæreditariã illi recusaret, quam legibus vetãtibus alienare non posset, occiditur. Quid autẽ Bonifacũ nostrum, omnésque Ecclesiasticos ac fidos pastores iã inde ab Apostolorũ tẽporibus in tantũ mundi deiecit odiũ, niſi ꝙ magna semper Christi hæreditati tuendæ institerunt sedulitate? Hanc nullo modo eripi sibi volebant. Ad
Psal. 2. Christũ loquens pater ait, Postula à me, & dabo tibi Gẽtes hæreditatẽ tuã & possessionẽ tuã, terminos terræ. Reges eos in virga ferrea, & tanquã vas figuli cõfringes eos. Hoc iam mundi Princeps inuidet, sibi hãc vẽdicãs hæreditatẽ: eóq; & Iudæos, & Gẽtes, & hæreticos nũc hos, nũc illos cõcitat, tãtũ vt Christo, quã acquisiuit hæreditas subtrahatur. Iudei quidem

dem eam Synagogæ ſuæ vendicabãt, Donatus in Affricam trahebat, Gẽtes omninò reſpuebant Chriſtum. His ſeſe opponebant Apoſtoli ac diſcipuli Chriſti, poſt hos alij Epiſcopi & Paſtores innumeri, quorum in numero hic noſter Bonifacius eſt. Hæc inuidiæ odiſque in mundo fuerũt ſemina. Vineam ſuam Naboth derelinquere noluit, propterea occumbere eum neceſſe eſt. Apoſtoli apoſtolicíque alij viri Chriſti hæreditatem diabolo permittere nolebant, ideóque perſecuti ſunt. Qua via verò Achab adoritur Naboth? non aperto Marte, ſed inſidiis Iezabel. Hæc non veritatem rei proponit, vineæ hæreditariæ negotium agi ſubdolè filet. mendacio pium Naboth in mortem trahit: ſubornat, qui Naboth in Deum atque Regem blaſphemum ſcilicet, falsò accuſant. Hæc mortis innocentis cauſa eſt Et quid, niſi hoc ipſum, in Bonifacio conſideramus? Imò non in Bonifacio tantùm, ſed in omnibus etiam apoſtolicis viris, veríſque Eccleſiæ doctoribus, quos poteſtatem dæmoniorum habere nouit. Nũquam prodire rei veritatem permiſit, ſed ſemper aut mendaciis eos adorſus eſt, vt in Stephano & Paulo, aut peruicacia: vt de Iacobo & Petro legimus. Eodé planè modo Bonifaciũ noſtrum aggreſſus eſt. Ipſos filios pij patris, quos ad fidem conuertiſſet, & quos in fide confirmandos acceſsiſſet, concitauit: vt eum trucidarẽt, niſi ſuæ ſaluti ſeruiebat: & vt ſummatim dicam, impatiens Achab eſt conſortis Naboth, niſi per omnia impiis placitis reſpondentis. Sic Satan pios Eccleſiaſtas repugnantes regno ſuo ferre nequit. Sed quid Achab profuit, iuſtum trucidaſſe? quid iuſtus, ſit licèt mortuus, deperdidit? Vt nihil illi profuit, ſic hic nihil in cõmodi ſentit. quæſiuit Achab (alienis inhiãs) vineam, ſed mox proprij ſanguinis aſperſione dedicandam, inuaſit, trucidatur Naboth, nomine æterno in Eccleſia celebris. Eadẽ Martyris Bonifacij noſtri conditio eſt. Quid ergo mors illi obfuit? Nihil omnino, quin magis profuit. Cõtrà, quid impios iuuit, propriæ peruicaciæ malitiam aduerſus pios exercere permiſſos? Nihil plané. Verùm & plurimũ nocuit. Ecce hiſtoriarum cõſentientiam. Vtrobique Deum in Sanctis ſuis mirabilem eſſe cognoſcimus. nõ hac ratione ſuos mundus tractat: ſed quos euehere vult, his omnia largitur, ad cœlũ vſq; extollit: ſed ſæpè infelix ſequitur exitus, nihil habet in omnibus firmũ aut ſtabile. Alia Deo cum ſuis agendi ratio eſt. Non ergo timeat pius, ſi quãdo mundi huius perſecu

tioni

tionibus premitur. In Deum reſpiciat, eiúſque promiſsis inſtet. Contrà, ſi cui mundi blanditur fortuna, nihil efferatur, ne ſuperbiat: finē potiùs reſpiciat, exempla omnia cogitet,
Iacobi 4. quomodo Deus ſuperbis reſiſtat, humilibus autem gratiam
1. Pet. 5. præſtat. Hæc igitur hîc conſideranda ſunt. Id vt faciamus, ſua Chriſtus gratia efficiat, Amen.

SERMO SEPTIMVS, DE Eccleſiæ cantionibus, quãdo Bonifacij feſtum in octauã Aſcẽſionis Chriſti incidit.

FEſtiuitas iſthæc præſens, honorificáque memoria Bonifacij noſtri, primi Mogũtini Archiepiſcopi, vnde meritò noſter dicitur: quanquam tota Germania Apoſtolum eũ ſuum patrémq; dicere poſſet, quando nemo inde ab Apoſtolorum tẽporibus, in Germania effecit maiora, apoſtolatum ac prædicãdi munus nemo diligentiùs, maioríq; fide in his partibus executus eſt, illo. Id quod nõ nos modò, verũ etiam exteræ & norunt, & cõfitentur nationes: huius, inquã, feſta dies ac memoria pulchrè in octauã & Aſcenſionẽ Domini incidit. Recta enim in ipſam aſcẽſionẽ reſpicit, veróſq; fructus inde defluẽtes oſtẽdit. Quî ſic? queris. Ecce. Chriſtus ſuperius dixerat, Niſi ego abiero, Paracletus nõ veniet advos:
Ioan. 16. ſi aũt abiero, mittã eum ad vos. Sed quomodo in diſcipulos
Act. 2. Spiritũ ſanctũ miſerit, teſtãtib⁹ Apoſtolorũ Actis nouimus nempè in linguis ſimilitudinẽ ignis habẽtibus, ita planè, vt in omni lingua Euãgeliũ Chriſti prædicare nouiſſent. Hęc
Ioel. 3. viſibilis illius & apertæ, Spiritus ſancti miſsionis cauſarum pręcipua eſt. Id quod Ioël ſignificãter exprimit qui ait, Effundã de Spiritu meo ſuper oẽm carnẽ. Sed quo fine? Et prophetabunt, inquit, filij veſtri & filiæ veſtræ. Senes veſtri ſomnia ſomniabũt: & iuuenes veſtri viſiones videbũt. Sed ſuper ſeruos meos, & ancillas in diebus illis effundã Spiritum
Eph. 4. meũ, & dabo prodigia in cœlo. Planiùs verò adhuc Paulus, cùm ait, Aſcendens Chriſtus, in altum, captiuã duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Et quæ dona? Et ipſe quidẽ, idem conſequenter ait, Dedit quoſdam Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores & doctores, ad cõſummationem ſanctorum, in opus miniſterij: in ædificationẽ corporis Chriſti: donec occurramus omnes in vnitatẽ fidei, & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. Ecce

Pau

Paulum præcipuum fructum asserentem, q̃ Christus ascendẽs, Spiritum sanctũ misit per ipsum Ecclesiæ suæ ordinãs Apostolos & ministros: ídque in eum finem, vt crescamus in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi: & non simus porrò paruuli, fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominũ, in astutia ad circumuentionem erroris, ídque non vno aliquo tempore, sed semper quo ad occurramus omnes in vnitatẽ fidei & agnitiõis filij Dei. Dum enim vel vnus aliquis in mundo est, aut aliquãdo venturus est, qui in mysticũ Christi corpus cõiungẽdus est, hæc non cessabit Spiritus sancti operatio. Si non supersunt Apostoli ac verbi ministri, facilè Deus vt sint excitabit, donec corpus plenum fiat. Est autem notatu dignũ, Paulum nõ modò Apostolos, sed & Euangelistas, Pastores, & Doctores recensere: alioqui enim hãc spiritus sancti virtutem, de duodecim illis Apostolis tantùm, ac vna cum ipsis præterijsse suspicaremur. Qua ratione ipse etiam Paulus secluderetur, qui in duodecim illorum numero non fuit? fuerunt enim duodecim ipso excepto. Tum ipsum non in terra Christus, sed è cœlo vocatum Apostolum constituit, nam & ipse de se testatur, nõ quidem dignum se Apostoli nomine, sed tamẽ plus cęteris laborasse omnibus. Obiiciebatur quidem illi, quasi verus Apostolus non esset, quòd Christo in carne hîc ambulante non adfuerit. Sed quid ad hæc respondit. Annõ Apostolus sum? annõ vidi Dominum Iesum Christum? annõ vos apostolatus mei sigillum? Et iterum. Existimo enim nihil me minus fecisse à magnis Apostolis, nam etsi imperitus sermone, sed non scientia. Vnde alibi etiam dicit, Numquid egemus cõmendatitiis Epistolis ad vos, aut ex vobis? Epistola nostra vos estis, scripta in cordibus nostris, quæ scitur & legitur ab omnibus hominibus. Dum enim supereſtis, & in fide persistitis, nullo alio ad Apostolatus mei demõstrationem testimonio opus habeo. His aliisque Apostoli verbis clarè vtique innuitur, dona quæ Christus postquam ascendisset, demisit Apostolos & Doctores, & Pastores, & Euangelij prædicatores esse, non autem solos illos duodecim, sed omnes quotquot ab initio corpus Christi ædificarunt, ac deinde ædificatum sartúmq; tectúmq; cõseruare studuerunt. Nemo quidem Apostolis, prima fundamenta locandi, post Christum, potestatem fuisse datam negauerit. Solis enim illis hoc datum fuit priuilegium. Qui enim

Ibidem.

1. Cor. 15.

1. Cor. 11.

2. Cor. 3.

Apostolica potestas.

enim hoc ſecuti ſunt, Apoſtolos, Paſtores Doctoréſq; vocati ſunt quidem, ſed nouum aliquod fundamentum ponere poteſtatem nō habuerunt, ſed potiùs ſuperedificare ſupra fundamentum iam iactum. Nemo, inquit Paulus, poteſt aliud
1.Cor.3. fundamētum ponere, præter id quod poſitum eſt, fundamentum Apoſtolorū & Prophetarum, Chriſtū Ieſum. Qua quidem abinuicem diuiduntur diſcretione. Ipſi fundamentum poſuerunt, vnde etiam fundamēta dicuntur, alij verò ſuperædificant, nihilo tamen minus, & ipſi ſignificantur his verbis: Aſcendens Chriſtus in altum, captiuam duxit captiuitatē, dedit dona hominibus. Alios Apoſtolos, Prophetas alios.
Epheſ.4
Ecce, fratres, hoc modo ad Bonifaciū noſtrum cōuertimur. Sic & Bonifacius nos Pauli verborum admonet, Aſcendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Alios quidē dedit Apoſtolos, alios Prophetas, alios Euāgeliſtas. Quorum ſanè Bonifacius in numero cēſendus eſt, quem Chriſtus in corporis ſui ædificationem miſit. Proinde literis cōmendatitiis, dum Germania, maximè verò Rheni tractus, Saxonia, Turingia, Friſia, inque primis Moguntia hæc, in fide perſtant, non eget. Hæ enim partes ipſius prædi-
Act.18. candi muneris teſtimonium ſunt. Ille, ille eſt, qui, quod Paulus in Achia, Corintho, Epheſo, ac aliis nationibus, nobis Germanis præſtitit. Huius nunc feſtiuitatem annuam celebramus: idq; non immeritò. Si enim per eum patres noſtri ad fidei in Deum ac Chriſtum agnitionē peruenerunt, meritò illius nos in ſempiternum celebramus memoriam filij. Rectè ergo & ipſe ego de ipſo, ſermone loquar pleniore. Sed quia raucus ſum, & craſtina bis mihi cōcionādū eſt die, propinquos terminos dicēdi non excedam, tantùm quid de eo Eccleſia canat indicans. Id quod hac vice ſufficiet, cū Bonifacium noſtrum & ſuis depinget coloribus, & nobis imitādum proponet exemplum. Prima igitur cantio, quæ eius nomine in Eccleſia hodie perſonuit, ex Pſalmis deſumpta,
Pſal.144. hæc eſt. *Sancti tui, Domine, benedicant tibi: Gloriā regni tui dicēt. Exultate iuſti in Domino: rectos decet collaudatio.* Et his quidem verbis, quis Bonifacius fuerit, quam fidem cōuerſationem, doctrinæ normam, officiúmque habuerit, oſtenditur. Id quod totum noſtri cauſa factum, atque nobis exemplum imitandum etiamnum propoſitum eſt. Non enim ille his eget. Nam quod impiorum nō ſolùm calumnias ſuſtinuit, verumetiam truculentas manus perpeſſus eſt, ipſi quidem nihil

nihil nocuit. Tum etiam nec quòd pij illius celebrant memoriam, quicquam illi commodat: sua enim ipsi laus apud Deum manet. Nostræ verò vtilitati cõsulitur, cùm illius in Ecclesia exemplum ad nostrã consolationem, spem, eruditionémque proponitur. Vis igitur vno verbo dicam, quis Bonifacius fuerit? sanctus fuit, non autem simpliciter sanctus. Nam & hic mundus sanctos suos habet, falsos nimirum & fictitios. Verùm hic noster Dei sanctus fuit. Sic enim per totum orbem diffusa Ecclesia canit de eo, Sancti tui Domine, benedicant tibi. Sed quis nõ videt, quæ vno hoc in verbo lateant mysteria? sanctum esse, & Dei sanctum. Certissimum enim est, si quando minus aliquem sanctũ colit, ideò id fieri quod nihil in eo mali, plurimum verò boni in ipso agnoscat. At longè præstantius est, Dei sanctũ esse. Et quare hoc? nimirùm quòd homo tantùm ea videt, quæ foris apparent, Deus verò ipsum etiam cor intuetur. Et sæpe vsu venit, vt qui in mundo habebatur sanctus, tandem rerum exitu alius præter omnium spem & expectationẽ inuentus sit. Id quod nostro etiam seculo cõtingere potest. at Deo sanctum esse, & plena laus est. Hic solidam eámq; veram meretur laudẽ, de quo rectè dicitur sanctus Dei. Et talem quidem Bonifacium fuisse per hoc innuitur, quòd de eo canitur: Sancti tui, Domine, benedicant tibi. Et hic cuique facile est videre, quàm longè præfixus sit scopus omnibus cũ Bonifacij successoribus, tum cæteris etiam Episcopis. Quos vtinam tantùm coram mundo sanctos reputaremus, id enim exemplum præberet pietatis, etiam si coram Deo intráque pectora sua iniqui sint. Sed quæ turba eorum, qui nec Deo, nec mundo sancti sunt? Mentibus impij, vita plus quàm Ethnici. Hi sanè illorum in numero non sunt, de quibus canitur: Sancti tui, Domine. Non illa Bonifacij consuetudo fuit, de quò rectè dici potest, non modo coram Deo, verumetiã coram mundo fuisse sanctum, & è diuerso. Cuius rei testimonium ipsi dedêre tota ferè Europa, omniúmq; historiæ. Sed ipse etiam Deus idem approbat, tot per ipsum viuũ, pariter atque mortuum editis signis. Sit ergo hoc dictum de illo Psalmistæ verbo, Sancti tui, Domine. Et quid consequenter additur? Benedicant tibi, & gloriã regni tui dicent. Hoc opus, hoc munus omnium, qui verè sancti Dei sunt: vt bene dicant, & gloriam regni Dei dicant, prædicent, magnificent. Et hæc tota vitæ Bonifacij nostri historia est, excẽpta vi

pta vitæ ipſius pietate, qua ratione cætera reſpondeant ſibi inuicem, ad dicendas laudes Dei, prædicandámq; gloriam regni eius intelliges. Ideò eñ nunc illàc profectus eſt: ideò etiam diſcipulorum ſuorum nunc hos, nunc illos, in alias atque alias prouincias, ciuitatéſq; emiſit: ideò denique ipſam quoque vitam impendit. Vtique ſecum nullo non tempore rememorans, Exaltabo te, Deus meus Rex, & benedicam nomini tuo in ſeculum, & in ſeculum ſeculi. Sed & hîc nobis ſcopum præfixiſſe longiùs videmus. Quã paucos inuenias Bonifacios, qui gloriam regni Chriſti prædicent? plurimos verò qui mundi regna appetant? Atque vtinam vel in hoc ſolùm incumberent, vt alios vicarios ſubrogarent. Sed & inuenias multos, & vbique, qui nec hoc poſtremum præſtent. Hæc enim & maxima & omnium querela eſt. Nec id mirum. Si enim ſancti Dei eſſent, certiſsimè ſequeretur, Gloriam regni tui dicent. Sed quia primum illud vbique deeſt, ſequentia non adeſſe, an miramur? Sed vbi exemplum Bonifacij? Et quid nobiſcum cogitamus cantantes hæc, Gloriam regni tui dicent? Quin & ſtantibus comis exhorreſcerent animi, ſi quid in Eccleſia & legimus & pſallimus, cogitauerimus, quantò magis ſi vitam noſtram ad veterum exempla contulerimus. Eia verò fratres, quæ noſtræ profeſsionis ſit conditio, conſideremus. Si enim duo hæc in nobis inuenta non fuerint, væ nobis æternum erit, ſi, inquam, nec ſancti Dei fuerimus, nec Chriſti regni gloriam prædicauerimus, perimus. Atque hæc de Miſſæ introitu dicta ſint. Poſt hæc verò pulcherrima lectio è Prouerbiis Salomonis deſumpta Epiſtolæ loco legitur. Idque ideò, vt Bonifacij nobis exemplum expreſsiùs proponatur. *Labia ſapientum ornat ſcientiã*: & quę ſequuntur. quæ Epiſtolæ loco lecta, non quidem Bonifacij nomen præ ſe ferunt, ſed Bonifacium decentes proprietates, & quæ Bonifacium efficiunt, in ſe comprehẽdũt. Bonifacius enim dicitur, bonum faciens, aut certè bonam faciem habens: quæ duo in idem ferè recidunt: bona enim faciens, bonam famam omniúmque in ſe oculos conuerſos habet: nomine videlicet ab ipſa vita deducto. Et quæ melior, ſplendidior, fulgentiórque haberi poterit facies, niſi cuius mens, lingua, & opera ad pietatem directa ſunt? Et hæc tria hac in lectione præcipuè innuuntur. Lingua quidẽ iuſti principem locum obtinet nec truſtra, magna enim eius vtilitas eſt. Veruntamen conſequenter additum eſt,

*Pſal.*144.

*Prouerb.*15.

Bonifacius.

vota

vota iuſtorum eſſe placabilia, & ſequẽtem iuſtitiam diligi à Deo. Et quare hæc omnia vna hac die leguntur? nimirùm talem fuiſſe Bonifacium agnoſcamus, qui trium harum linguæ, cordis, operiſque laudẽ ſit meritus. Maximè verò linguæ, qua plurimum nos profuit, hac nobis præcipuè ſeruiuit: reliqua tamẽ duo otioſa nõ fuerũt. Vbi enim cor ipſum pium eſt, atque vita ſancta eſt, illic linguæ organum efficacius eſt: his verò non reſpondentibus linguæ inuerſo ordine malè procedunt omnia. Si vitium vita habet, infirma lingua redditur, frigida ſunt omnia, quæ loquitur. At corde ipſo deprauato, nil niſi perniciem, errores, diſcordias, ſeductionéſq; lingua diſſeminat. At Bonifacius nobis proponitur, tria hæc ſimul in ſe complectens: vnde etiã in Germania vberiorem fructum meſſuit, quàm vllus alius, ſiue præcedẽtia, ſiue ſequẽtia, ipſũm tẽpora reſpexeris. Et hæc ipſa Epiſtola eſt. Quod optimum eſt, reſtat, ipſum nimirũ Euãgeliũ. Et quis illud paucis indicare poteſt? quot enim verba complectitur, tot horas requirit, iuſta ſi quis omnia interpretatione enucleare voluerit, qualis vbique Ioannes eſt, copioſiùs ſimul atque ſublimiùs. Nec hac vice totam Euangelij huius lectionem interpretari conabor, iuſta & ſuprà adducta ratione. Vnum hoc ſolùm veluti digito monſtrabo. hîc rurſum Bonifacium noſtrum ſuis depingi coloribus, maximè tribus illis partibus. Principiò quis fuerit. Secundò, vnde nominis bonam famam adeptus ſit. Tertiò, quid vtrobique cùm hîc, tũ in ſempiternum illic profuerit. Et hęc tria eiuſmodi ſunt, vt in ea totã vitæ ipſius hiſtoriam liceat cõtrahere. Quid enim in ea aliud conſideratur, niſi palmitem eum in vite vera fuiſſe fructiferum, quem multorum & bonorum fructuum fœcundum, multis perſecutionibus Agricola putauit? Sic enim Chriſtus ait, Omnem palmitem in me nõ ferentẽ fructum, tollet eũ, & omnẽ qui fert fructum, purgabit eũ, vt fructum plus adferat. Et vnde hoc illi? Gratia Dei. Id quod Chriſtus innuit: primò ꝙ ait, Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructũ multũ: quia ſine me nil poteſtis facere. Sicut palmes non poteſt ferre fructũ à ſemetipſo, niſi manſerit in vite, ſic nec vos, niſi in me manſeritis. Non ergo palmes ſolùm, verumetiam ipſa vitis, vnde palmiti fœcunditas venit reſpicienda eſt. Hæc fœcundos facit, neq; enim Bonifacius vnquã eã fructuũ vbertatẽ ex ſe dediſſet, niſi viu⁹ in Chriſto vite palmes permãſiſſet. Queris

Ioan. 15.

quid illi cõmodi, nobísq; vtilitatis inde euenerit? Exẽplum Bonifacij reſpice, nimirũ diligere iuſtitiã. Manete in me, & ego in vobis, ait Chriſtus, annõ hoc egregiũ quid eſt? Adhuc amplius quid requiris? Audi, Si in me manſeritis, & verba mea in vobis mãſerint, quodcũq; volueritis petetis, & fiet vobis. Quid his optabilius? Hic, nimirũ obtinere quod velimus, & in æternũ cũ Chriſto manere. Huic rei cõmodat pietas, & exempli Bonifacij imitatio. Ille quidem cùm in fide, tum in vita iſthæc ſentiit, & nos ſi voluerimus ſequi, eadem ſentiemus. Agite ergo, ne hæc fruſtra nobis dicta ſint, caueamus. Gratia Dei nobiſcum.

Ioan. vt ſupra.

SERMO OCTAVVS, DE BONIFACIO, vbi eius feſtiuitas in quartã poſt Pentecoſten feriam inciderit.

ORiginem cauſámque tam celebris, non ſolùm in hac vrbe, verumetiam in tota diœceſi Moguntina, memoriæ, qua feſtam diem agentes, D. Bonifacij vitam, mortémq; cum ſempiterna nominis celebratione prædicamus, longè hic ſermone referre, nõ ita operepretium arbitror. Exteris fortè hîc neceſſarius fuerit labor, vt qui nũquam huius viri famã audiuerunt. Nobis verò nõ item, vt quibus quæ de hoc viro dici poſsint omnia cõſtant. Hic Moguntiæ primus Archiepiſcopus fuit, hunc locũ parentéſq; noſtros, vitæ ſuæ hoſpitiũ familiaréſq; præ cęteris omnibus eligẽs. Hic inquam, Bonifacius noſter, triginta & ſex annis Euãgelij verbũ magna cũ grauitate atq; cõſtantia prædicauit. Hic, inquã, verbis, factis, vita, cõuerſatione, paſsione, deniq; morte, fœcundum in vera vite Chriſto palmitem ſe declarauit. Hic, inquã, in huius ditionis circo, mortale etiã corpus ſuũ depoſuit, vt in perpetuum nobiſcum haberemus, quo ad pietatis traheremur ſtudium. Hic alijſq; nõnullis in locis circa cõfinia, plurima illius quæ in ipſo fuit, Spiritus diuiníq; amoris ſuperſunt indicia. Et quid multis? Bonifacium & nomine & re fuiſſe nouimus. Non enim poſt Apoſtolos eorúmque diſcipulos vel vnum aliquem facilè inuenias, qui Germanię in fidei ſalutíſque negotio plus illo commodauerit, maximè huic vrbi. Nec cui, nominis huius Bonifacii ius concedat videas vſpiam. Atq; vtinam tales fuiſſent Epiſcopi omnes, qui poſt ipſum ſecuti ſunt. Quòd ſi eſſet, iam certè Germaniã noſtram, reliquarum nationum in veræ religionis, pietas

Ioan. 15.

pietatiſque negotio videremus principem. Sed vtcunque ſucceſſores eius negligentes fuerint, ſuo tamen ipſe ingenti ſudore eò res perduxit, vt mortuo etiam ſe longo tempore veræ Eccleſiæ Chriſti genuinus Dei cultus in Germania perduraverit, quoſque tandem poſtremis his temporibus, negligentia paſtorum pietas, religióque labefactata penè concidit. Eò igitur magis talis nobis neceſſarius eſt Bonifacius, qui labentem erigat Eccleſiam, quin ſi (vt æquum eſt) omnes inniteremur, adhuc tamen magna cum difficultate Chriſtianam religionem in eam formam reſtitueremus, in quam Bonifacius vnus olim reſtituit, quanquã nimis hæc ſerò cogitamus. Neq; enim, quoquò verſum me cõuertam, vel vnum inuenio, qui tantæ moli manum admoueat, Imò verò inter omnes Epiſcopos faciliùs tres inuenias, qui quod reliquum eſt veri cultus (quãquàm & hoc perexiguum eſt) diripere malint, quàm qui inſtaurare velit vnum, cùm tamẽ omnes à piis grauiſsimè admoneãtur officij ſui, ab aliis verò infinitis extremiſq; calumniis, infenſiſsimè pro ſua negligentia impetantur & inſectentur. At qui nobis in tanta prælatorum inertia, faciẽdum eſt? an fortè otio, torpore, & diligentiam curámq; omnẽ timoris Dei atq; religionis ſeponere, dum illi expergiſcantur? Nullo modo lõgior enim fortaſſe illius ſomni mora protraheretur, vti iam ante (dolor) nimis diu dormitauêre. Et quid ſi iam dudum diuina in eos cõſcripta ſit ſentẽtia, quoſdam eorum nunquam experrecturos eſſe, an eorum cauſa nobis ipſis impedimento eſſe, damno noſmet afficere debemus? Minimè. Quin agite potiùs, ſuæ quiſq; curam gerat animæ. Si nouus quiſpiam Bonifacius dari nobis non debet, qui collapſæ religioni auxilietur, in antiquũ illum reſpiciamus, huius, his temporibus, vitæ, nobis ſit ad omnem pietatẽ incitamẽtum. Hoc meo iudicio, cõſilium erit & ſaluberrimum & pręſentiſsimum. Idque nobis cùm vtile, tum honeſtum erit: nimirũ ſi eum ſecuti fuerimus, cuius honorificã memoriã celebramus. Eam ob cauſam fuſiùs porrò de ipſo mihi dicẽdum eſt. Principiò igitur hæc Bonifacij noſtri feſtiuitas, eõmodè hoc anno in ipſam aſcenſionis Chriſti octauam incidit. Cùm enim hoc tempore gratis mẽtibus prædicamus, quid miſſus Spiritus ſanctus, in credentiũ cordibus operatus ſit, cogitaremus fortè ſemel hoc ipſum Apoſtolorũ peregiſſe tẽporibus, poſtea verò cœlũ, vnde deſcenderat, repetiiſſe, verũ hæc vita Boni-

facij teſtatur, ſuo etiã tepore efficacẽ fuiſſe Spiritum ſanctũ ita apertè, eáq; virtute, vt eam vitæ ſeriẽ plegẽs, fateri cogatur, fuiſſe eum ſemper in Eccleſia, & non modò per Chriſti diſcipulos, verũ etiam per horũ ſucceſſores operari eiuſcemodi planè opera, quæ primis illis credentibus adfuiſſe Lucas cõmemorat. Id quod hodierna Epiſtola docebo. Sic ergo
Act. 3. Epiſtolæ loco lectum eſt hodie: Per manus Apoſtolorũ fiebant ſigna & prodigia magna in populo. His verbis partim colligimus, quam Spiritus ſanctus per Apoſtolos Eccleſiam inſtituerit, & quis eius ordo fuerit: quę vita & adminiſtratio in ea approbata ſit. Huc etiã quod Lucas prius cõmemorauit pertinet, Erãt, inquit perſeuerãtes in doctrina Apoſtolo-
Act. 2. rum, & cõmunicatione fractionis panis, & orationibus, &
Act. 4. quæ ad finẽ vſq; illius capitis ſequuntur. Et iterũ, Multitudinis autẽ credentium erat cor vnum & anima vna. His tribus locis quaſi tota ſeries & cõditio naſcentis Eccleſiæ exprimitur. Hic ordo erat. Principiò Apoſtoli virtute magna reddebãt teſtimoniũ reſurrectiõis Ieſu Chriſti Dñi noſtri. Secundò, nõ ſolũ per manus, verũ etiã per vmbrã Apoſtolorũ fiebãt ſigna & prodigia magna in populo. Tertiò, ita Iudæi ſibi præter alios timebant, vt omnium animos occuparet timor. Quartò, eam vitę rõnem ſequebantur inter medios hoſtes, & oĩbus probarẽtur. Quintò, numerus ipſorũ quotidie magis magíſq; creſcebat. Sextò, hoc quotidianum ipſorum exercitiũ erat in Apoſtolorũ doctrina perſeuerare, fractionẽ panis celebrare, & quod reliquũ erat tẽpus orationibus impẽdere. Et deniq; ea oẽs amicitia cõiungebãtur, vt nullũ iniqua in paupertate relinquerẽt: imò qđ maius eſt, oẽs poſſeſſiones ſuas conferrent in cõmune. Hic ordo primitiuæ Eccleſiæ fuit, hæc ſpiritus diſpoſitio. Et quomodo cõmodiùs tãtæ molis negotiũ exordiri potuiſſet? Quid hac cõgregatiõe beatius, quid ſplendidius, in qua omnes eam viuẽdi ſequũtur normam? Quòd ſi Bonifacij vitam intueri libet, inueniemus Spiritũ ſanctũ mirabilẽ oĩum horum in eo artificem, eáq; oĩa ipſum in Germania præſertim in his cõfiniis pręſtitiſſe. Refert enim ipſius vitę hiſtoria quãto zelo prædicationi munere inſtiterit. Non enim vt alij voluptatibus deditus fuit, aut inerti otio torpuit, aut prædicandi laborem in alios deterſit. Secundò, magna per eũ Spiritus ſanctus effecit miracula: vnde maiorem inter fideles fidẽ conſecutus eſt. Tertiò, ea in arguẽdo vtebatur ſeueritate, vt impiis quo

que

que reuerendus esset. Quartò, eam vitæ rationem iniit, quam nemo rectè argueret. Quintò, non potuit sibi temperare, nec quieuit, donec quotidiè aliquos ad fidem reduceret. Atque hac parte ita fœlix erat, vt suo tempore se gubernatore religio Christiana mirificè in Germania vires sumeret. Tum totus in hoc incubuit, vt verbũ Dei, Sacramenta, obsecrationisque feruor, iusto vsu procederet. Postremò eam ipsam etiam bonorum communicationem Priorum inducere studuit, quod cũ nõ potuit apud omnes, apud eos tamen, qui in suam disciplinam se dederant, præ aliis effecit, vt huius etiam ex primitiua Ecclesia vestigium in Germania relinqueret. Hoc modo Deus per Bonifacium vetera prodigia renouauit, primámque credentium fidem, pietatem, ardorem, spiritum, deuotionémque lucere voluit. Si ergo ingentia videntur, quæ per Apostolos Hierosolymis effecit Spiritus sanctus, vtiq; & digna iudicabis laude, quæ hic apud nos per diuum Bonifacium operatus est. O fœlicem, imò verò auream illis temporibus Moguntiam. Vtinam nos quoque sub tali militaremus Bonifacio. Ardentibus ergo ô fratres apud Deum instate precibus, vt re vera Bonifacios habenti suæ Ecclesiæ excitet, qui quod bonum est, diligant, doceant, promoueant, faciant. Hic dignus titulus omnibus: tales Bonifacios esse omnes decuit. Nihil enim tituli illi præclari ad rem faciunt. Additi quidem nobis sunt honorifici tituli, Papę, Cardinales, Episcopi, Præpositi, Abbates, Pastores dicimur. Alii ne contenti his quidem sunt, sibique ipsis Apostolorum, Euangelistarum, prædicantium, parochorum summis imponunt nomina: sunt etiam qui Petro sese æquales faciãt: tum alij alios se Paulos, Eliásq; reputãt, nec vllus iactãtię finis est. Sed quis omnium eiusmodi zelum præstat? quis eam, quã Bonifacius, Ecclesiam instituit? inuenias qui pulchræ reformasse se Ecclesiam sibiipsis applaudant, cùm tamẽ inordinatissimè turbarint, deformarintque. Et quæ gloriatio nostra? quæ iactãtia? Verba sunt prętera nihil. at in Bonifacio aperta & vbique Spiritus diuini nobis sunt obuia iudicia. Id quod ostendisse satis mihi videor. Sed, inquis Ecclesię (quod approbo) plurimum commodauit, audio: nõdum tamen quis ipse sibi fuerit intelligo. Hoc postulo. Rectè, mi Christiane admones. Nõ eñ aliis prodesse sufficit, sibiipsi verò impedimẽto esse. Paulus sanè huiusmodi homines æri sonanti & cym- 1. Cor. 13.

balo,tinnienti comparat,quæ aliis quidem commodãt, sibi verò nihil emolumenti adferunt, signa edit alij, seseverò exedit. Huc,ergo quod de Spiritu sancto Christus ait, referendũ est:Ille testimoniũ perhibebit de me,& addit. Et vos testimoniũ perhibebitis. Præter enim testimoniũ Spiritus sancti in nobis,necesse est,ipsi quoq; testificemur de nobis, quia Christi simus. Huc quod Ioãnes ait, pertinet. Tres sunt qui testimoniũ perhibent in terra,Spiritus,aqua & sanguis: & hi tres vnum sunt. Secundum literam sic interpretantur hæc verba,quòd,scilicet tria sint, per quæ nos esse Christi certificamur. Per sanguinem,quem pro nobis Christus effudit,inque Sacramẽto suo porrigit: per aquam, in qua baptizati sumus. per Spiritum, quem in baptismo concepimus. Hic enim genuinus horum verborũ sensus est. Sed necesse tamen est,per hæc ipsa nos,si verè Christiani simus, probemus. Per Spiritũ quidem,vt Spiritu ambulemus, & non secũdum carnem, Tum vt Spiritu facta carnis mortificemus, fructus illius doctrina atq; moribus exprimamus. Per aquã verò,vt primò omnium peccata nostra defleamus,& per singulas noctes stratũ nostrũ lachrymis rigemus, vt vera pœnitentia præteritorum criminum immundiciem diluamus. Præterea vt in sudore vultus nostri vescamur pane nostro, & per exercitij aquam, sudorem, pérq; piam conuersationem iniqua frangamus desideria. Postremò per aquã deuotionis mentes nostras in cœlestium admirationem erigamus. Hoc enim est per aquam de conuersationis Christianę pietate testimonium dare. Ad hęc etiam per sanguinem testificandum est,vt quacũq; hora necessitas ita postulat pro Christi nomine,nõ modo omnia terrena,sed ipsam etiã vitã promptè relinquamus,nostróq; illi sanguine testimoniũ reddamus. Hoc ipsum triplicatum testimonium in Bonifacio nostro consideramus: nempe,decentissimã spiritualẽq; vitam,assiduam pœnitentiam,cõstantémq; passionem hoc est voluntariam pro Christi gloria,passionem, expeditámque mortem. Ecce eiusmodi Patrem habuimus.annõ ergo illius exemplo, ad virtutis pietatisque imitationem meritò trahimur? Imò verò nunquid nos pudet? nunquid nos omnésq; prelati,plebeij,Ecclesiastici,seculares rubore suffundimur,qui in omni gradu Patri nostro tam sumus dissimiles? Neque id multa demonstratione eget. Non igitur & Bonifacij nomen celebramus satis erit,nisi ipsum etiã imitati

Ioan.15.

1.Ioan.5.

Rom.8.

Gal.5.

Psal.6.

tati fuerimus. Non imbelles fœminas pueróſq; ſequamur, qui fortiter in Theatro confligentes, laudant quidem & admirantur, ipſi tamen nunquã audent in arenam deſcendere. certandum ſane nobis eſt. Idem ille Spiritus, qui per Bonifacium operatus eſt, nobis quoque adeſſe, imploratus, vult. Hæc igitur ſtudioſa breuitate admonere volui. Non eſt quod expectes, quouſque Doctores noſtri cõſentiant, aut Epiſcopi expergefiant. En tibi Bonifacij exemplum, quod imitatus, non aliquando aberrabis. Quòd ſi Chriſtianum te eſſe non licet per ſanguinem teſtificari, tantùm per Spiritum & aquam approba. Id enim maximè neceſſariũ eſt. Quæ enim ſterilibus palmitibus immineat ſentẽtia, Euangelica manifeſtante lectione didiciſtis: Omnem palmitem in me non ferentem fructum bonum, tollet eum, & in ignem mittet, & ardet. Ponderet hæc ſex tantùm dictiones quiſquis apud ſe, quid velint: Tollet eum, mittetur foras, creſcet, colligẽt eum, in ignem mittent, & ardet: &, vt opinor, non ſolùm eſſe facilè perſenties. Iterum ergo atque iterum Bonifacium ſequamur, moneo. Simus Bonifacij, & non Malefacij. Qui enim bona egerunt, ibunt in reſurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in reſurrectionem iudicij. Gratia Dei nobiſcum, Amen. *Ioan. 15.*

DE SANCTO ALBANO, EVANGELIVM IOAN. XII.

IN illo tẽpore, dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Amen amen dico vobis, Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructũ affert. Qui amat animã ſuã, perdet eã. Et qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam. Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur. Et vbi ego ſum, illic & miniſter meus erit. Si quis mihi miniſtrauerit, honorificabit eum Pater meus.

EPISTOLAE LOCO LECTIO SAP. IIII.

SEnectus venerabilis est nō diuturna, neque annorum numero computata. Cani autē sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata. Placens Deo factus dilectus, & viuens inter peccatores translatus est. Raptus est, ne malitia mutaret intellectū eius, aut ne fictio deciperet animā illius. Fascinatio enim nugacitatis obscurat bona. Cōsummatꝰ in breui, expleuit tēpora multa. Placita enim erāt Deo omnia illius. propter hoc properauit eū educere de medio iniquitatū. Populi autem videntes, & non intelligentes, nec ponentes in præcordiis talia: quoniam gratia Dei, *& misericordia est in sanctos eius, & respectus super electos illius.*

SERMO PRIMVS DE SANcto Albano. Vox sanguinis fratris tui, clamat ad me de terra, Genes. IIII.

DIVI Albani festam diem peculiari quodam gratiarū agendarū modo hodie celebramus, quā ideo (vt æquum est) magis nobis propriā vindicamus, quo nobis præ cæteris S. Martyr viuens moriēnsque amplius est cognitus. De
Dan. 3. Nabuchodonosor Rege in Daniele legimus, quòd licèt impius, tamen in sanctis viris Dei mirabilia vidēs, in hæc verba erumpēs clamauerit: Sidrach, Misach, & Abdenago, serui Dei excelsi, viui, egrēdimini & venite. Statímque egressi sunt Sidrach, Misach, & Abdenago de medio ignis. deinde posito edicto decreuerit, vt omnis populus, & tribus, & lingua quæcúnque locuta fuerit blasphemiam contra Deū, Sidrac, Misac, & Abdenago, disperiret, & domus eius vastaretur: quòd alius Deus nō esset, qui posit ita saluare. Hoc modo signa atque mirabilia quæ Deus in dilectis suis fecisset, per omnē regni sui terrā prædicans. Nabuchodonosor Rex (hic edicti tenor) oībus populis, gētibus, & linguis, qui habitāt in vniuersa terra, pax vobis multiplicet: signa & mirabilia fecit apud me Deꝰ excelsus. Placuit ergo mihi prędicare signa eius, quia magna sunt: & mirabilia eiꝰ. quia fortia: & regnū eiꝰ, regnū sempiternū: & potestas eiꝰ in generatione
Dan. 6. & generationē. Idē fecit & Dariꝰ seruato in lacu leonū Daniele

niele. Cuius edicti hæc verba sunt, Dari⁹ Rex vniuersis populis, tribubus & linguis habitãtibus in vniuersa terra: Pax vobis multiplicetur. A me ergo cõstitutũ est decretum, vt in vniuerso imperio & regno meo, tremiscãt & paueãt Deũ Danielis. Ipse enim est Deus viuens & æternus in secula: & regnũ eius non dissipabitur, & potestas eius vsq; in æternum. Ipse liberator atque saluator, faciens signa & mirabilia in cœlo & in terra, qui liberauit Danielem de lacu leonum. Tales se Nabuchodonosor & Darius Reges penes signa atque prodigia Dei præstitêre. Quòd si impij Reges tã diligenti cura considerauerunt prædicauerúntque Dei mirabilia in sanctis suis, quantò magis nos id decet præstare; maximè Deo qui iam per seipsum, iam per Sãctos suos inter nos, ita magna illa mirabilia cumulat, vt fidenti animæ rectè liceat cum Dauid dicere: Benedicã Dominũ in omni tẽpore, semper laus eius in ore meo. In domino cõfiteatur anima mea, audiãt mãsueti & lętẽtur. Et, Lauda anima mea Dominũ, laudabo dominũ in vita mea, psallã Deo meo quã diu fuero. Sic & Paul⁹ facere cõsueuit: Vnde omniũ Epistolarũ suarũ exordia cũ laude Dei gratiarũq; actione posuit: hoc innuẽs, quod nulli mortaliũ vnquã desit causa prædicãdi Deũ, si modò attẽdere libet. Hoc nũc exemplũ nos quoq; sequamur, atque cũ Paulo initiũ dicẽdi sumamus dicentes Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictiõe spirituali, in cœlestib⁹ in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi cõstitutionẽ vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius, in charitate. Qui prædestinauit nos in adoptionẽ filiorũ per Iesum Christũ, in ipsum. Hæc quẽlibet verè piũ decẽt, at nos peculiari quodam modo. Verè enim nos, nõ vna aliqua, sed multiplici benedictione benedixit nos, imò omni spirituali benedictione. Principiò enim elegit nos, deinde etiam prædestinauit nos in adoptionem filiorum Dei per Iesum Christum in ipsum. Tertiò, gratificauit nos in filio suo dilecto. Quartò, redemptionem dedit nobis, condonans peccata secundum diuitias gratiæ suæ. Denique ipse quoque filius benedixit nobis in omni dono, cùm verbum suum in doctrinam & consolationem: opera, in exemplũ: miracula in confirmationem: corpus, in cibum: sanguinem, in propitiationem: gratium & Spiritum, in auxilium cõtulit nobis, etiam gloriam suam in mercedem aliquando daturus. Et ne quid

Psal. 33.

Psal. 145

Ephe. 1.

Rom. 15.

quod ad plenam ſalutem facere videri poteſt intermittat, ecce D. Albanũ aliósque Martyres dedit, vt hos reſpiciẽtes, ſpem cociperemus, ab impietate abſtracti, ad iuſtitiam incitaremur. His enim tribus de cauſis Martyrũ potiſsimum proponuntur exempla. Neceſſum igitur erit, aliquanto nos penitiùs, quàm fortè alij, hanc præſentem feſtiuitatem cõſideremus. Atque ideò quidem exordio huius ſermonis Dei ad Cain verbis, vſus ſum: quæ licèt ad Cain fratricidam impiiſsimum de interfecto Abel dicta ſint, nos tamen quaſi de D. Albano dicta vſurpemus. Id quod nemo miretur, collationem Albani & iuſti Abel audiens. Nã cùm Abel in primis, qui ex filiis Adæ Deo placuerũt, fuit, primus etiã morte iniqua occiſus eſt: figuram & ſignificationem omnium piorum & credentium habuit. Primò igitur ipſam Abel hiſtoriam audiamus, deinde ſingula in Albanum interpretemur. Habet ergo Geneſeos liber, eiectam è Paradiſo Euam
Gene. 4. concepiſſe, filiúmq; peperiſſe, illíque nomẽ indidiſſe Cain. Arbitrabatur enim ipſum fore, quẽ Deus promiſerat. Propterea ait: Poſſedi hominem per Deum. Rurſum deinde cõcepit & peperit Abel. Fuit autem Abel paſtor ouiũ, & Cain agricola. Factum eſt autẽ poſt multos dies, vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino: Abel quoque obtulit de primogenitis gregis ſui, & de apibus eorum. Et reſpexit Dominus ad Abel & ad munera eius: ad Cain autem & ad munera illius non reſpexit. Iratúſque eſt Cain vehementer, & concidit vultus eius. Dixítque Dominus ad eum, Quare iratus es, & concidit facies tua? Nónne ſi benè egeris, recipies? ſi autem malè, ſtatim in foribus peccatum aderit? Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius. Dixitque Cain ad Abel fratrem ſuum, Egrediamur foras. Cúmque eſſent in agro, conſurrexit Cain aduerſus fratrem ſuum Abel, & interfecit eũ. Et ait Dominus ad Cain: Vbi eſt Abel frater tuus? Qui reſpondit, Neſcio, nunquid cuſtos fratris mei ſum ego? Dixítq; ad eũ, Quid feciſti? vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Nunc igitur maledictus eris ſuper terrã, quę aperuit os ſuum, & ſuſcepit ſanguinem fratris tui de manu tua. Cùm operatus fueris eam, non dabit tibi fructus ſuos. Hæc illa Geneſeos hiſtoria eſt. Sunt autem in ea quatuor conſideranda. Primùm, humanam naturam mox in primis Adæ hæredibus, primáq; propagine diuiſam eſſe in bonum & in malum. Cain malus, Abel bonus erat.

erat. Qua re significatum fuit, idem in successione omnium vsque ad finem euenturũ esse. Alterũ, quòd Abel in primis Adæ filiis Deo placuerit, & à fratre germano præter omne meritũ occisus sit, quo significatur, pios quoslibet multa ab impiis passuros esse sine causa. Tertium, quòd iustum Deus Abel etiam mortuum inultum non relinquit. Quo sanè piè defunctorũ animas in manu Dei esse, nec vllum eos mortis tangere tormentum docemur. Visi sunt oculis insipientium mori, & æstimata est afflictio eorum exitus. Et ab itinere iusto abierunt in exterminium, & quod à nobis est iter exterminij illi autem sunt in pace. Etsi coram hominibus tormẽta passi sunt, spes illorũ immortalitate plena est. In paucis vexati, in multis bene disponentur: quoniam Deus tentauit eos, & inuenit illos dignos se. Tanquam aurum in fornace probauit illos, & quasi holocausti hostiã accepit illos, & in tempore erit respectus illorum. Fulgebunt iusti, & tãquam scintillæ in arundineto discurrent. Iudicabunt nationes, & dominabuntur populis, & regnabit Dominus illorum in perpetuum. Qui confidunt in illo intelligent veritatem, & fideles in dilectione acquiescẽt illi: quoniam donum & pax est electis eius. Impij autem secundum quæ cogitauerunt, correptionem habebunt: qui neglexerunt iustum, & à Domino recesserunt. Hanc, ecce Sapiens de impiis fert sententiam: piis verò spem adauget vehementer. Quartò, considerandum est, quanquam mortuo Abel, solus Cain cum suo semine terram possideat, nouissimè tamen aliud quondam in iusti Abel locum nasci. Quo docemur, licet piorum numerus exiguus sit, esse tamen aliquos pios in cœtu hominũ semper. Quæ omnia commodè huic festiuitati conueniũt. Principio ergo primo historiæ diui Albani intuitu mox Cain vnáque cum illo Abel sese offerunt. Qui enim Albanum occiderunt, semen impij Cain fuerunt, non natura, sed imitatione, factorúmque similitudine. Scriptura enim filios eius dicit, quem imitantur. Vt Iudæi filij dicuntur Satanæ, non generatione carnis, sed prauæ imitatione voluntatis. Zacchæum verò filium Abrahæ Scriptura nuncupat, propter fidei imitationem. Sed & Christiani omnes Israëlitæ vocantur eadem ratione. Tum verò Albanus alter quidam Abel multis rationibus non absurdè dici potest. Primò, quemadmodum Abel inferior fratre Cain, & vilior habebatur: ita etiam Albanus noster

Sap. 3.

Psal. 8.

ſter non magnæ alicuius authoritatis fuit. Secundò, vt Abel non ab alienis & ignotis, ſed à fratre germano, & qui ipſe quoque ſacrificaret Deo: ita etiam Albanus non ab alienæ fidei, ſed ab Arrianis, qui ſibi maiore ſanctitate placebant inter Chriſtianos, trucidatus eſt. Tertiò, quanquam Abel vilior fratre ſuo Cain reputaretur, nihilominus tamen ipſe, cum ſuo ſacrificio, Deo magis placuit, fratre ſuo eiuſque victimis: eadem & in Albano ratio eſt. Quartò, quemadmodum nulla alia cauſa Abel occiſus eſt, niſi quod Deo placeret, ita quoque Albanus. Quintò, quemadmodũ Abel poſtquam occiſus eſſet, viuere tamen adhuc, à Deo teſtimoniũ accepit, ita etiam ſigna atq; prodigia de Albano, quòd Deo viuat, teſtantur. Sextò, licèt primus frater ipſius Abel, impius fuerit Cain, pium tamen poſtea fratrem germanum habuit, nimirum Seth: ita hic quoq;, multi licet primùm in Albano ſcandalizati ſint, poſteà tamen plurimi agnito errore conuerſi ſunt & emẽdati. His rationibus Albanus noſter alter quidam Abel eſſe poteſt. ideò potiſsimũ, quòd æquè impios atque pios fratres habuit, vt Abel in ipſo quondam rerum initio. De vtroque igitur hanc Dei, ad Cain vocem interpretari libuit. Ecce vox ſanguinis fratris tui clamat ad
Gen. 4. me de terra. Vtique terribilis illa vox eſt impiis, admodum verò ſuauis piis eſt. Videamus ergo quomodo iam non illa ſolùm, verumetiam ipſa hæc feſtiuitas terribilis ſit impiis vt deinde quàm ſit piis Deúmque timentibus gratia, diſcamus. Principiò, ſi hiſtoriam attẽdere licet, proculdubio Albanus, Cain ſcilicet perſecutorẽ ſuum habuit, ſed & etiamnum habet Cain quàm ſibi ſimiliores. id quod, ſi Cain naturam rectè cõſiderauerimus, facilè videbimus. Primũ enim, quòd ad externum habitum, ſatis ſe pium exhibuit Gain, dum ipſemet, ſed ſine fide ſacrificat. Et hæc prima impiorum natura ſiue proprietas eſt, hypocriſis & ficta religio.
Iſa. 29. Cor eorum longè eſt à me, teſtante Domino per Iſaiam. Secundò, quamuis iniquæ mentis malitiam alto corde premeret Cain, tamen leuiſsima cauſa permotus, eam prodidit, quòd fratri iraſcitur: ita & impij omnes facillimè ſeſe produnt, & quid mẽte gerant, apertum faciunt. Tertiò, licet ab
Gene. 4. ipſo Deo admonetur, nihil tamen curat. Dixit enim Dominus illi, Quare iratus es, & cõcidit facies tua? nonne ſi bene egeris, recipies? ſinautẽ malè, ſtatim in foribus peccatũ aderit? Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius. ſed

hanc

hanc Dei monitionem reiecit Cain. Quartò, vehemẽter ira concitatus ſanguinaria in fratrẽ crudelitate ſæuit. Quintò, cùm à Domino corriperetur, excuſare atque negare ſtudet, ſéque, vt Deo illuſurus, defendit. Sextò, grauiùs diuina ſententia redargutus, nihil pœniret, protinúſq; deſperat. Septimò, multis peccatis vndíq; ſeptus, tantùm externa quædam petit, vt profugus tuto habitare poſſet, ne interficeretur: cætera nihil curat. Poſtremò, pluſquam tutus exorato nempe Deo, abiit à facie Domini, oppidáque & munitiones, quantũ potuit, firmat: ſecurus vt habitaret. Hę ſanè omnibus impiis communes ſunt proprietates. Sed quis non videt, in nobis quoque plurimos eius animi inueniri? Sic patres ſequimur, vt ſemper impiis, quàm piis, ſimiliores inueniamur. His ergo quid hodie etiam loquatur Deus, attende. Vbi eſt Abel frater tuus? ac ſi dicat. Hunc vobis ô Moguntini, virum in magna perturbatione, miſi: nimirùm Arrianis tumultuantibus, & cœlum terrámque miſcentibus, qui, dum Chriſtum Deum negarunt, in quo ſumma ſpei noſtrę conſiſtit, tutiſsimum ſalutis abſtulerunt refugium. Illo, inquam, tempore hunc tibi, Moguntia, dedi. At vbi nunc frater tuus? Quando pro ipſo gratias mihi reddidiſti? Salutis eum tuæ prędicatorem dedi tibi: & quomodo audis eum? In ipſo piæ vitæ normam exhibui tibi: quomodo imitaris? In mortẽ dedi eum, vt ad ſimilem te cõſtantiam perducerem, & quid ſimile præſtas? Has Dei voces ſi audiremus in interiore homine, vtíq; ad preces gratiarúmque actiones commoueremur. Id quod rectè eſſet hanc feſtiuitatẽ celebraſſe. Deinde impiis etiam diuina vox loquitur, Quid feciſti? Patres tui occiderunt Sãctos: tu vt omninò menſura patrum impleatur, ſanctos rides, ac calumniis laceras. Perſequeris odio, qui te meliorum admonent, paterné que prędmonent. Eorum nominibus abuteris: quę ipſi refugerũt diligis. Vbi illi pietatis ſtudia ſectati ſunt, tu impiè pecudúmq; more viuis. Quid feciſti? Quidque facis etiamnum? Hãc ſanè diuinam vocem ſi altiùs infigeremus menti noſtræ, procul dubiò longè alia ratione ad Dei cùm agnitionem, tùm amorem accenderemur. Iam verò adhuc aliud quiddam Deus ſubdit, nimirum etiamnum ſonare vocẽ aliquam: Ecce, inquit, vox ſanguinis fratris tui, clamat ad me de terra. Frater tuus Albanus, cuius facta atq; exemplum reſpuis, aduerſum te teſtificatur. Sanguis illius: & in qua cubat, humus, clamat cõtra te: plurima teſtiũ turba

ſtant

ſtãt cõtra te. Et quis tanti clamoris futurus ſit finis, Cain te exẽplum doceat. Quis noſtrũ hæc intelligẽs nõ exhorrexit? quis ab impietate ſua nõ deſiſtet? Agè, hæc Deus in tria verba cõtracta omnibus pertinacibus hodie loquitur. Quod ſi nõ audierint, ſi nõ attenderint, adhuc alia, & hæc quarta vox reſtat. Maledicta ſit terra in opere tuo: imò, quod terribilius eſt, maledictus ſis ſuper terrã, & quod terribiliſsimũ eſt, vagus & profugus eris ſuper terram, nullúſq; apud Deum refugij locus tibi ſupererit. Ecce, quã ſint impijs, Sanctorum feſta terrifica. Proinde admoneo, & præmoneo vos, vt prudentiùs agatis, & nõ temporaneis, in terris, ſed ſpiritualibus in cœlis ſtudeatis, hæc enim ſola ſalutem præſtãt, ſed & pœnitentiam agatis ſuadeo. Væ enim omnibus: quibus his vocibus Deus loquitur. Gratia Dei nobiſcum, Amen.

SERMO SECVNDVS.

QVòd Chriſtiano homini laudandi Deũ nulla deſit occaſio, maximè in diuorũ memoriis, quãdo diuina opera, quæ vel per ſeipſum Deus vel per ſanctos operatus eſt, proponuntur, ſuperiore ſermone tractatum eſt. Atque eam ob cauſam primùm à laude Dei exorditur ſuũ ſermonem. Sed quia præter feſtiuitatem hodie perdulce Euangelium audiuimus, etiã hunc ſermonem à laude Dei libet exordiri,
2. Cor. 1. Pauli verba repetẽtes, Benedictus Deus & Pater Dñi noſtri Ieſu Chriſti. Alia verò Paulus hîc rõne Deũ benedicit. Principiò Deũ benedicit, qui nos in omni ſpiritali benedictione benedixerit: hìc verò, q̃ in omni nos tribulatione cõſolatur, vt poſsimus & alios conſolari. Iuſtæ profecto rationes, cur ſine intermiſsiõe à nobis benedicatur Deus. Quid enim præſtantius à Deo expectare, quàm benedictionem & conſolationem, eámque perfectiſsimam, poſſumus? Quod conſoletur nos Deus, & quidem perfectiſsimè, ex Euangelica lectione didicimus. Quatuor enim ſunt quæ humanæ imbecillitati grauia videntur. Primùm eſt, ſeſe negare ſuámque vitam odiſſe. Hos ne grauemur: ecce conſolationẽ Chriſtus adiungit. Qui odit animã ſuam, inquit, in hoc mundo, in vitam æternã cuſtodit eam. Secũdo, quod grauat, eſt,
Ioan. 12. pauperẽ Chriſtum per crucis ignominiã ſequi. Sed Chriſtus huius cauſa etiã cõſolatur nos, cùm ait: Vbi ego ſum, illic & miniſter meus erit. Sed Chriſtus per crucis ignominiam in gloriã Patris aſcẽdit. Tertiò, & hoc graue nimiũ videtur, mandata

data Dei operando implere, nullo interea cõmodo, tantùm aduersa tolerare: Sed hac etiã parte nõ deficit Christus: Qui mihi miniſtrauerit, honorificabit eum Pater meus. Nullus profectò labor peribit inanis, hîc licet optata laboris remuneratione non fruamur. Quartò, grauiſsimum hoc eſt, pro Chriſto ita & tépore & cauſa exigétibus mori: nihilominus tamẽ & huic morbo Chriſtus medetur: Amen amẽ dico vobis, niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolùm manet: ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Ecce, quod verè de Deo dicatur, quod in omni nos afflictione conſoletur. Id quod hodierno etiam feſto clarum fit: éſque illud ipſum, de quo dicturum me eſſe promiſerã. Superiore ergo ſermone dictum eſt, quàm meritò diuorum feſta impios homines conterreãt. Verè enim horrendum eſt, tot diuorum rectè factorũ exemplis propoſitis, adhuc tamen impietatem ſectari plurimos: doctoribus piis, eruditi, nulla tamen parte meliores reddi. Multa præeuntia pietatis exempla videre, nullũ tamen ſequi. Horrendæ ſunt, inquã, blaſphemiæ illę, illuſiones, impudicitiæ, ídque genus alia. Quorum etiam in numero ſunt, qui feſtos dies deriſui habent, ſunt autem nõ pauci. Sanguinẽ illorum in cœlos pro vindicta clamare audiuiſtis. Cui quod in Zacharia ſcriptũ eſt, Domino dicẽte, Qui vos tãgit, oculi mei pupillam tetigit, conuenire videtur. Sed de his antè audiuimus: nũc porrò quã hæc feſtiuitas piis ſpem adferat, auſcultemus. Licet enim habuerit Albanus noſter, Cain haud abſimiles, cùm in vita, tùm etiam num: tamẽ virtutis morúmque ſuorum ac fidei haud dubiè imitatores habuit, habebítque modó. Hac ratione iuſtus Abel, quãquam vt natu maiorem, ita etiam impietate crudeliorẽ fratrem haberet Cain: timentẽ piúmq; tamen alium adhuc poſt ſe, nempè Seth habuit, de quo parentes cõfitentes dixerũt, Poſuit nobis Deus aliud ſemen pro Abel, quẽ occidit Cain. Qui in re quatuor memoria hominum digna ſunt conſideranda, quæque huic etiam feſtæ diei cõueniunt. Primum, licet impius Cain propagationi ſeminis ſui veheméter ſtuderet, breui tamẽ poſt, ipſo diluuij tépore interiiſſe, cùm ipſum, tùm propaginem ſuam omnem. Secundũ, quanquam coram hominibus mortuus eſſet Abel, apud Deũ tamẽ vixiſſe. Tertium, licet Abel nullos ex ſeſe genitos filios paternæ imitatores fidei pietatiſque reliquiſſet, vnum tamen, nempe Seth, poſt ſe inueniſſe. Quar

Zach.2.

Gene.4.

se. Quartum denique, quanquã pro sua Cain impietate, diuinum, qué frater peragebat, cultum sufferre nollet: postea tamẽ tempore Enos, nolit velit diuinos honores instoratos, noménq; Dei inuocari vidisse. Hæc omnia huic diei cõuenit. Principiò, licèt aliquãdiu blãdiãte fortuna exultarent Albani hostes, non multò tamen post tempore cõprimebãtur. Quæ prima piorum ex diuorũ festis profluens spes est, nimirũ cùm considerant impiorum ferociam esse momẽtaneam, Vidi, inquit Dauid, impium superexaltatum sicut cedros Libani, & transiui, & ecce non erat, quæsiui eum, & nõ est inuẽtus locus eius. Imò quò magis feruntur in altum, eò propiore via ad interitum accedunt. Exemplo sunt, Pharao, Saul, Antiochus, & alij. Secũdò, fides dictat, diuos etiã mortuos, tamen Deo viuere. Ego sum Deus patris tui, inquit in scripturis, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob. Quibus sanè verbis memorias horum patriarcharũ etiam defunctorum coram Deo viuere innuitur. Vnde & Moses pro populo orans horum memorias repetit dicens, Recordare Domine Abraham, Isaac, & Iacob seruorum tuorum, quibus iurasti per temetipsum dicens. Multiplicabo semen vestrum, sicut stellas cœli, & vniuersam terram hanc, de qua locutus sum, dabo semini vestro, & possidebitis eam semper. Et mox sequitur consequenter, Placatus est Dominus ne faceret malũ, quod loquutus fuerat aduersus populum suum. Vnde sanè defunctorum sanctorũ memorias apud Deũ vixisse colligitur. Hoc modo subinde in Prophetis loquitur: Protegã ciuitatẽ istam, vt saluem eam propter me & propter Dauid seruum meũ. Sanè hic Dauid apud Deũ viuere ostẽditur. Simili modo Abel dicitur viuere, ꝙ sanguis ipsius de terra clamat: & sic Albanus Deo viuit. Atque hæc piorũ ex festiuitatibus eiusmodi consolatio secunda est. Hîc enim considerabimus nihil incommodare mortẽ piis, tum quòd peracta huius vitæ fabula, meliora speremus. Scimus enim quoniam si terrestris hæc domus nostra dissoluatur, ædificationem ex Deo habemus nõ manufactam, sed ęternam in cœlestibus. Tertiò, pauci admodum fuerunt licèt, qui Albanum hîc viuentem, vita fidéque imitarentur, tamen vitæ ipsius candor ipso etiam mortuo prædicatur. Id quod piis mentibus vehementer consolatorium est. Inde enim licèt nihil magnum, de piis suspiciat hic mundus: fieri tamen, vt suo tẽpore ipsorũ pietas beatitudóq; innotescat, intelligimus ita planè, vt

Psalm. 36.

Exod. 32.

Isaiæ 37.

2. Cor. 5.

ipsi

ipſi etiam hoſtes eorum aliquãdo dicturi ſint. Hi ſunt quos habuimus aliquãdo in deriſum,& in ſimilitudinem impro perij:nos inſenſati,vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore. Ecce quomodo cõputati ſunt inter filios Dei,& inter ſanctos ſors illorũ eſt? Quartò, quã impij in vno Albano veram veræ fidei agnitionem ferre no lebant,eã nunc per totum orbem videre & ferre coguntur. Omnes enim nos Chriſtum non creaturam, ſed vnigenitũ Dei viui filium cõfitemur.In hoc enim omnium ſpes noſtra poſita eſt: hinc etiam nõ minuẽdi ſed augendi in dies diuini cultus fiduciam concipimus. Id quod non minimam piis mentibus cõſolationem adfert: vt quibus ſuo Chriſti honos magis cordi eſt.Hinc eſt q̃ Moſes è libro viuentium magis deleri elegit,quã Dei nominis blaſphemias audire. Et Paulus anathema eſſe Chriſto,quo multi & agnoſcãt & prædicent Dei maieſtatem, magis voluit. Hoc Sanctorũ erat gaudium,q̃ in toto mundo per Spiritũ agnoſcerent, manifeſtã dã eſſe Dei gloriam,Ecce quã credentibus feſtiuitas hæc fiduciam adferat.Cuius vt participes ſimus, ita iuſtum Seth, de quo pauca quidẽ,ſed magnifica Scriptura prædicat, imitemur,vt impij Cain ſequuntur. Principiò, q̃ in locũ Abel datus ſit:deinde quòd filium Enos genuit, qui primus cœpit nomẽ Domini inuocare.Qualis autẽ Abel fuerit,Scriptura manifeſtat.Primò,Chriſto teſtante iuſtus fuit.Deinde diuinis honoribus corde atque opere inſtitit. Tertiò, nihil mouetur,iunioré ſe eſſe fratre, tantùm ſi Dominum habeat contẽtus.Quartò,licèt iram fratris cognoſceret, ſimplex tamen nihil de ipſo ſuſpicaretur mali. Quintò,& ipſi etiam mortẽ patienter ſuffert. Huius in locum Seth naſcitur, qui vehementer nobis imitandus eſt.Hæc enim ingenuè Chriſtiani propria ſunt, vt internæ externæq; iuſtitiæ ſtudeant: vt Dei amantẽ,ipſum reuereantur,ipſi credant in ipſum ſperent,totáq; mente omnibus viribus diligant: vt & proximũ ament,vt patienter ſufferant. his etiam inuocationem diuini nominis & orationem addant.Hæc ſi nos cogitauerimus erit haud dubiè hæc nobis pergrata feſtiuitas. Suauiſsimè enim Deus nobis loquetur,vbi eſt frater tuus Abel? ac ſi diceret.Oculos,imò & mentẽ eleua,& quò ille aſcenderit cogita.Vbi ſit diligenter conſidera: vtique in pacis tranquillo, ſecuritate, æternáque vita:imò in Dei manu. Hanc ſanè ſi quis probè vocem audierit, in cœleſtia æternáque mente

Sap.5.

Exod.32.

Rom.8.

Gen.4.

Matth.23.

Psal.83. exaltata,cũ Psalmista dicet. Quã dilecta tabernacula tua Do
Psal.54. mine virtutũ, cõcupiscit & deficit anima mea in atria Dñi,
Psal.119. Et quis dabit mihi pennas sicut colũbæ,& volabo & requiescã? Et iterum,Hei me,quia incolatus meus prolõgatus est,
Rom.7. habitaui cum habitãtibus Cedar,multum incola fuit anima mea. Et cum Apostolo,Infelis ego homo,quis me liberabit de corpore mortis huius? In summa,sine intermissiõe ad futuram fœlicitatem anhelabit. Sed & postea dicẽtem audiet, Ecce vox sanguinis fratris tui. Sunt enim Sancti fratres nostri. Quid verò iucundius? melius enim est duos simul esse,
Eccles.4. quã solum. Væ soli,quia cùm ceciderit nõ habet subleuãtem se. Deinde,Clamat frater tuus. Quid ergo clamat? Imitatores mei estote, sicut ego Christi. Clamat vita ipsius,ipsam sequamur: Clamat sanguis,vt discamus tolerãtiam ínq; aduersis exultemus. Clamat ergo Albanus noster, salutis nostræ desiderio. Si enim sanctorum animæ aduersus impios vociferãtur,haud dubiè pro piis etiã clamãt,& sine nobis in imperfectione sint,stola licèt amicti sint: id est,quanquam animarum felicitatem obtineant,non tamen corporis. Vnde celeriùs vt se sequamur monent. Agitè ergo, caueamus, ne frustrà clament. Optabilius est vtiq; pro nobis,quàm aduersum nos clament. Gratia Dei nobiscum, Amen.

SERMO TERTIVS. Psal. 65.

VEnite & videte opera Dei, terribilis in consiliis super filios hominum. Diui Albani in Ecclesia, maximè hoc in loco (scitis) hodie celebramus memoriã. Nec vos huc ad illius cineres ideò accessisse,vt fidem vestram confirmetis, vitam emendetis,dubito. Et quidẽ de eiusdẽ viri,aliorúmq; sanctorum gloria dicere,præsens lectio Euãgelica,satis magnã occasionem submini strat. Ea licèt breuis sit,si verba numeremus,verã tamẽ viuẽdi formã,omnibus Christũ imituris,exprimit. Præterea etiã,cuius authoritatis sint Sancti dignitatisq; innuit. Qui mihi ministrat,inquit Christus,me
Ioan.12. sequatur,vt vbi ego sum,illic & minister meus erit. Sed & qua honoris laurea in futuro seculo sint donãdi,his exponit verbis. Qui mihi ministrauerit, honorificabit eum Pater meus. Ecce,quis hic dicẽdi cãpus apertus est? equidẽ nescio, an quicquã maiori cũ fructu in Sãctorũ festiuitatibus doceri possit? Sed quia superioribus hoc Euãgeliũ abũdè satis declaratũ memini,nunc Dauidicã illã vocẽ,qua ad cõsiderãda

memo-

memorandáq; Dei beneficentiſsimi mirabilia exhortatur, explicãdam mihi ſumã. Venite, inquit, & videte opera Dei, terribilis in conſiliis ſuper filios hominum. Non ſinè graui cauſa hac nos voce cõuocat: Vtiliſsimũ enim eſt, Dei opera cogitare: contrà verò neglectus ipſorum, perniciosiſsimus. Nihil enim ea vehementia Iudæis exprobrari legimus, qua terrenarũ ſolicitudo, & operũ Dei obliuio. Hæc enim eorũ negligẽtia & obliuio omnis ipſorum perditionis cauſa fuit. Væ qui cõſurgitis manè, ad ebrietatẽ ſectandã, & potandum vſq; ad veſperã, vt vino ęſtuetis. Cithara & lyra & tympanũ, & tibia & vinũ in cõuiuiis veſtris: & opus Dñi nõ reſpiciſtis nec opera manuũ eius cõſideratis. Et mox pœnã addẽs, ſubdit, Propterea captiuus ductus eſt populus meus, & non habuit ſcientiã, & nobiles eius interierunt fame, & multitudo eius ſiti exaruit. Propterea dilatauit infirmus animã ſuam, & aperuit os ſuum abſq; vllo termino. Et deſcenderunt fortes eius: perinde ac ſi diceret, Inſanus amor veſter, terrenarúmq; ſtudiũ, nimiúmq; reprehenſibilis negligentia ſpiritualiũ, in vitiorum iniquitatiſq; omnis ſeruitutem deiecerunt. Vnde etiam iuſto Dei iudicio ſubtractis temporaneis, poſt huius viæ erũnas in inferna detrudemini. Vera hæc nimirũ Deo dictante ſententia, quũ & in Iudęis & in nobis cõperimus. Nã quod eſt, tẽporalium rerum negotiũ, profectò alia de cauſa, præter eorũ abuſum & in ſpiritualibus propè deficimus, nec fide firmi, nec deuotione pij: idq; ideò ſolùm ꝙ Dei opera minimè cogitamus. Cùm igitur hodie egregiũ nobis factum, ipſum nempe Albanũ, hoc eſt, vitæ ipſius pietatem, doctrinæ veritatem, fidei conſtantiam, in amore condoleſcentiam, in perſecutiõe tollerantiam, in morte pacem, ponamus ob oculos quæ ſine omni dubio, à Deo proficiſcuntur, nõ alienũ à re facturum me eſſe confido, ſi omnes hîc cõgregatos Dauidicis verbis admoneam: Venite & videte, inquit Dauid, opera Dei terribilis in conſiliis ſuper filios hominum. Præſtãtia en, proponuntur, ne pigeat. Quæris ergo quæ illa? Plurima quidem ad manum ſunt, vnum hoc tamen ſufficiat: Terribilis: ſiue vt quidam legunt, mirabilis Deus in cõſiliis ſuper filios hominũ. Vitã Albani perlegas, & verè dixiſſe Dauid intelliges. Principiò illis tẽporibus ita ſæuierũt Arrianorũ furię, vt nõ modò ſimplices, verùm etiam doctiſsimi, & quidẽ plurima orbis Chriſtiani pars, ad fidei defectionẽ adacti eſſent. Annon illud mirabile, imò terribile

Pſalm. 65.

Dei iudicium fuit? Deinde ingentis quidē bonitatis diuinæ signū erat, in tanta omniū rerum perturbatione, quosdā in vera fide cōseruatos esse, verūtamen terribile quid fuit tam paucos eius generis fuisse inuentos, qui & ipsi timere potē-
Rom. 11. rāt. Pauli cōsilio, dicēntis. Qui stat, videat ne cadat. In ipsum ergo Albanū, tum in hostes ipsius intuentes, deinde oculos ad vtriusq; partis Iudicē subleuātes, bifaria, at diuersissima Dei opera intelligemus, gratię quidem in Albano, at iræ in ipsius hostibus, quorum posterius timorem incutit: prius verò fidē confirmat, charitatémque meritò incendit. At de passione paucula dicam. Scire delectat, quid Deus in genere in
Psal. 20. sanctis suis operetur. Dauid dicentem attende: Domine, inquit, in virtute tua lætabitur Rex, & super salutare tuū exultabit vehementer. Desiderium cordis eius tribuisti ei, & voluntate labiorum nō fraudasti eum. Præueniſti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti super caput eius coronam de lapide pretioso. Vitam petiit à te, tribuisti ei, longitudinē dierum in seculū seculi. Magna est gloria eius in salutari tuo, gloriam & magnum decorem impones super eum Domine. Quæ propriè ac potissimum quidem de Christo dicuntur, nihilo tamen minus de Sāctis Dei interpretari pos-
Apocap. 5. sunt, vt qui vnū cū Christo corpus, per ipsum Reges sacerdotēsq; facti cum ipso regnant. Ergo opus Dei est huius tēporis, vt ipsos præueniat in benedictionibus dulcedinis. Qua voce omnia comprehendit, quæ ad vitam gratiæ pertinent. Attende verò, ꝙ non simpliciter dicit, Benedixisti eum, sed ait, Præueniſti eum non vna aliqua benedictione, aut qualibet, sed in multis, & in benedictionibus dulcedinis. Sunt enim & corporis benedictiones, quibus sæpè impij participant, nullo salutis suæ commodo. Benedictiones gratiæ nobis necessariæ sunt. Non vnica, sed triplex, nimirum præue-
Triplex benedictio. niens, adiuuās, & perficiēs. Prima benedictio misericordiæ, altera gratiæ, tertia dicitur gloriæ. Hac triplici benedictione nisi cœlitus suscepta, terra nostra fructum suam non dabit. Neq; enim possumus bonū inchoare, nisi præuenti misericordia: nec quod bonū est facere, nisi gratiæ benedictio adiuuet, nec perficere, quod facimus, bonū possumus, nisi impleti gloria. Cōmodè verò benedictiones dicuntur dulcedinis, ꝙ verā animę dulcedinē, requiēq; cōferant, sed solis piis dantur, impij enim corporali quodāmodò & tantùm exter-
Sap. 10. nè, nō in anima benedicūtur. De his piorū benedictionibus pulchrè sanè sapiēs loquitur, Iustū, inquit, deduxit per vias

rectas, sapiẽtia Dei, & ostendit illi regnum Dei, & dedit illi scientiam Sanctorũ, honestauit illũ in laboribus, & complevit labores illius. Hæ veræ dulcedinis benedictiones rectæ sunt, quas apertissimè omnes in Albano colligimus. Principio enim Scriptura ait, Iustum deduxit Dominus per vias rectas. Non omnes huius participes sunt: iustorũ tantùm hîc fit mẽtio. At iustus principio sui accusator est: nec in operũ suorũ merita cõfidit, sed ex fide in misericordiã Dei viuit: denique etiã iustitiæ adhæret. Eiusmodi ergo (vult Sapiẽs) docuit Dominus. Ille enim ab iniquitatis spacioſa via, ad iustitiæ veritatisque semitã ducit, in eáq; conseruat. Beatum hominem, quẽ ipse Deus hoc modo educit. Tutus enim & securus hunc mundum perambulat, & hinc ad cœlestẽ æternámq; patriã trãscendit. Vis autem beatitudinẽ eius, quem Deus deducit, aut quæ ducis Dei fides sit, nosse? Dauidẽ audi: Diligam te Domine fortitudo mea: Dominus firmamentum meum & refugiũ meum & liberator meus, Deus meus adiutor meus, & sperabo in eum. Principio ergo Deum fortitudinẽ suam Propheta appellat. Ipse enim fortitudinem, qua benefacere inchoamus, confert. Est deinde firmamẽtũ qua pij in certamine persistunt. In ipso enim firmabitur & non flectetur. Domus enim super petram, ædificata cõstitit. Sed & refugium ille piorum est, qui dicit: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Est denique liberator noster Deus, si fortior hostis preualuerit. Fidelis est Deus, Paulo teste, qui non permittet nos tentari vltra id quod possumus, sed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt possimus sustinere. Ipse enim laborantium protector, Dauid dicente, nisi quia Dominus adiuuit me, paulominus habitasset in inferno anima mea. Ad hæc & protector Dñs dicit, eorũ nimirũ, qui se timẽt, vt rectè Isaias dixit (Dñs) in vmbraculũ diei ab æstu, & in securitatẽ & abscõsionẽ à turbine & pluuia. Ipse etiã cornu salutis. In ipso em inimicos nostros vẽtilabimus cornu. Postremò est & susceptor, deuictis hostibus, ex arena reuertentiũ. Venite, inquit, benedicti Patris mei: percipite regnũ, quod paratũ est vobis ab exordio mundi. Is ergo est iustum deducens. Et quem timebit? Hinc est & omnem etiam lernam malorũ peruadãt sancti, sed per rectas vias deducit. Viæ Domini, viæ rectæ: sine vllius erroris impedimento ad viram perducunt. Viæ Domini, viæ pulchræ: sine macula enim vlláue iniquitatis

Psalm.17.

Eccl.15.

Matth.7.

Matth.11.

1.Cor.10.

Psal.93.

Isa.4.

Psal.34.

Matth.25.

nubecula, veram innocentiam sanctitatémque docent. Viæ plenæ: multi enim requirunt atque ambulant eas. Viæ pla-
Matt. 11. næ: rectam enim fœlicitatem tribuunt. Iugum meũ, inquit
Psal. 36. Dominus, suaue, & onus meum leue est. Et quomodo ducit? Audi Dauid, id quoq; dicentẽ tibi, Apud Dominum gressus hominis dirigẽtur, & viã eius volet. Primò pius ostẽdit viã salutis: deinde vult, id est desideriũ quo in via salutis sibi cõ placeãt, incẽdit Dominus. deniq; si fortè ceciderit, nõ collidetur: ipse enim Dominus supponit manũ suam, nimirũ à gratia labentes non excludens, clementer lapsos erigens.
Psal. 65. Qua de re, nẽpe, quomodo deducat Dominus iustos, in alio Psalmo scriptum est. Cõuertit Dominus, inquit Psalmista, mare in aridam, in flumine pertransibunt pede, ibi lætabimur in ipso. Id quod olim factum esse meminimus. Eodem planè modo quos suos agnoscit, per Baptismum ex Aegypto, peccati scilicet seruitute liberat. Deinde in flumine per transibunt pede, hoc est, ipse facit, quo inoffenso pede mundi huius torrentem peruadant electi. Propterea in ipso lætantur. Tertiò, Animam meam ad vitam posuit, hoc est animæ vitam largitur. Quartò, Non dedit in commotionẽ pedes meos. Sed ne quis semet persuadeat, quasi sub hac Domini tutela in ea via ambulantibus omnia pro arbitrio succedant, addit, Probasti nos Deus, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum. Induxisti nos in laqueũ, posuisti tribulationes in dorso nostro, imposuisti homines super capita nostra. Transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium. Introibo in domum tuam in holocaustis, reddã tibi vota mea, quæ distinxerũt labia mea. Attende quid dicat, Transiuimus, inquit, nõ per aquã solam, vt filij Israel, nec per ignẽ tãtũ: vt tres illi pueri in Babylone: sed per ignẽ & aquã, hoc est, per omnia aduersa: & sic eduxisti nos in refrigeriũ. Talis dux Deus noster est, & hæc omnia in Albano videre licet. Sequitur, Et ostendit illi regnum Dei. Variè Deus gratiã suã ostendit piis: per prædestinationem, per vocationem, per iustificationem & glorificationem. In prædestinatione enim conducit suis regnũ Dei, in vocatione promittit, in iustificatione arrham eius dat, in glorificatione ipsum confert. Ecce quæ sit benedictio, qua regnũ Dei Christus suis ostendit. Hoc ergo quoscúnq; sanctos lætificauit in omni tribulatione. Sequitur alia etiã benedictio, Dedit illi

scientiam

ſcientiã ſanctorum, ſcientiam inquam, quã vel habẽt ſancti, vel in diuinis negotiis quærũt. Scientia mundi terrena inquirimus atque ſuperbimus: ſcientia carnis voluptati ſeruiẽtia perquiritur: at ſanctorum eſt, quæ Dei ſunt quærere. Et hęc ſanè optima eſt, cui omnes pij ſemper inhæſerũt. Sequitur adhuc alia benedictio, Honeſtauit illũ, nõ in otio, quod plurimum dehoneſtat, ſed in laboribus. Non omnis labor, ſed honeſtus tantum laudatur. Quanquã enim pij in laboribus ſuis, dũ in hoc mundo ſunt, ab impiis ridẽtur, defuncti tamẽ in ipſis prędicãtur, ſummãq; & apud homines, & apud Deũ gloriã conſequuntur, ita planè vt ipſi etiam impij prorũpere cogãtur. Hi ſunt quos habuimus aliquãdo in deriſum, & in ſimilitudinem improperij, Ecce quomodo cõputati ſunt inter filios Dei. Sequitur alia adhuc benedictio, Et cõpleuit labores illius hîc in cõſtanti perſeuerantia, ne deſereret eũ: illic in gloria, vt in ęternũ exultaret. Vtrobiq; fœlix cõplementum. Huc pertinet quod Dauid ait, Poſuiſti ſuper caput eius coronã de lapide pretioſo. Vitã petiit à te, tribuiſti ei lõgitudinẽ dierũ in ſeculũ & in ſeculũ ſeculi. Magna eſt gloria eius in ſalutari tuo, gloriã & magnũ decorẽ impones ſuper eum Domine. Hæc illa Dei, in Albano cõſpicua opera. Beatũ planè, cui tã proximꝰ adeſt Dominus. O miſeros nos, qui nihil horum ſentimus. Agitè ergo, Deũ in his factis ſuis magnificemus, precemúrque eũ, vt & nos ſimili modo benedicat: imó ipſum imitemur Albanũ, & nulla nobis benedictio deerit. Sed iã aduerſarij Albani reſpiciẽdi nobis ſunt, nam & in his Dei opera ſunt obuia, terribilia nimis, vt nobis quoq; terrorem poſsint incutere: imò verò mera Dei iudicia ſunt. Principiò enim, quia veritatis amorem nõ ſuſceperunt, iuſto Dei iudicio excæcati ſunt: deinde etiam in omnis generis vitia prolapſi ſunt, maximè verò in eam tyrãnidem, vt magna crudelitate aduerſus pios inſurgerent. Ita enim ab initio conſueuêre impij. Gladium euaginauerunt peccatores, intenderunt arcum ſuum, vt deiiciat paupẽrẽ, & inopẽ, vt trucidẽt rectos corde. Gladius eorũ intret in corda ipſorũ, & arcꝰ eorũ cõfringatur. Primò enim nihil aduerſus Dominũ. Deinde & ſpiritualiter proprio peccato intereũt ipſi. Prętera ſæpenumero fit, vt malũ quod in alios dixerũt, in ipſos aureos recidat. Stat enim ſentẽtia firma, exẽplóque Aman & alij ſunt. Hinc eſt quòd Sapiens ait, Supplantatio peruerſorum vaſtabit illos. Et comedent fructus viæ ſuæ.

Sap. 5.

Pſal. 20.

2. Tim. 2.

Pſal. 36.

Prou. 11.

Prou. 1.

Isa.1. Et Isaias, Væ impio malo: retributio enim manuũ eius fiet
Deu.23. illi. Hac ratione Dominus, cõsilij & retributionis Deus dicitur, vt nihil vel de pœna impiorũ, vel de mercede bonorũ, addubitemus. Vnde ait: Ego reddã vltionem hostibus meis, & iis qui oderunt me, retribuam. Et, sanguinem seruorum
Psal.30. suorum, vlciscetur Dominus, & vindictam retribuet in hostes eorum. Propterea Psalmista ait, Diligite Dominum omnes sancti eius, quoniã veritatẽ requiret Dominus, & retribuet abundãter facientibus superbiã. Abundãter sanè corpore & anima. Ignem enim & vermẽ, & gladium vtrinque scindentem habẽt, quibus pœnas hic atq; olim infliget. ge-
Exod.20. mina enim cõtritione cõsumentur, tandémque ipsos ipsorũq; cõplices arguet: visitat enim iniquitatẽ patrũ in filios.
Psal.51. De qua malorũ pœna pulchrè Dauid loquens ait, Propterea destruet te. Id quod in genere dictum est. deinde euellet te ab huius terræ possessione nimirũ & emigrare faciet, puta è vita corporis: à tabernaculo tuo, hoc est, piorũ cõsortio, & radicẽ tuam de terra viuentium, id est, ad damnationem æternam. Ecce hæc sunt Dei aduersus impios opera atq; iudicia, quæ diligenter considerata, nunquam obliuioni tradite, iũga memoria comprehendite, sedulò cogitate. Proposita enim nobis est vita atque mors. Nostrę ergo saluti prospiciamus. Gratia Dei nobiscum, Amen.

IN DIE DIVI IOANNIS BAPTISTAE EVANGELIVM

LVCAE I.

ET Elisabeth autem impletum est tẽpus pariẽdi, & peperit filiũ. Et audierũt vicini & cognati eius, quia magnificauit Dominus misericordiã suã cũ illa, & cõgratulabuntur ei. Et factũ est in die octauo venerunt circuncidere puerum, & vocabant eum nomine patris sui Zachariam. Et respondens mater eius dixit. Nequaquã, sed vocabitur Ioannes. Et dixerũt ad illam, Quia nemo est in cognatiõe tua qui vocetur hoc nomine. Innuebãt autem patri eius, quẽ vellet vocari eum. Et postulans pugillarẽ, scripsit dicens, Ioãnes est

nomen

nomen eius. Et mirati sunt vniuersi. Apertum est autem illico os eius & lingua eius, & loquebatur benedicens Deū. Et factus est timor super omnes vicinos eorum, & super omnia montana Iudææ diuulgabantur omnia verba hæc: & posuerunt omnes qui audierāt in corde suo dicēies, Quispu tas puer iste erit? Etenim manus Domini erat cū illo. Et Zacharias pater eius repletus est Spiritu sancto, & prophetauit dicens: Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitauit & fecit redēptionem plebis suæ. Et erexit cornu salutis nobis in domo Dauid pueri sui. Sicut locutus est per os sanctorum, qui à seculo sunt, prophetarum eius. Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos: Ad faciendam misericordiam cum Patribus nostris, & memorari Testamenti sui sancti: Iusiurandum quod iurauit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis: Vt sine timore de manu inimicorum liberati, seruiamus illi: In sanctitate & iustitia coram ipso omnibus diebus nostris. Et tu puer Propheta Altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini, parare vias eius. Ad dandam scientiam salutis plebi eius in remissionem peccatorum eorū. Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriēs ex alto. Illuminare his qui in tenebris & in vmbra mortis sedent, ad diri gendos pedes nostros in viam pacis.

IN DIE D. IO. BAPTISTAE EADEM FESTA DIE EPISTOLAE LOCO LECTIO ISAIAE XLIX.

AVdite insulæ, & attendite populi de longe: Dominus ab vtero vocauit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei. Et posuit os meum quasi gladiũ acutũ, in vmbra manus suæ protexit me, & posuit me sicut sagittam electã. In pharetra sua abscõdit me, & dixit mihi, Seruus meus es tu Israel, quia in te gloriabor. Et ego dixi, In vacuũ laboraui, sine causa & vanè fortitudinem meam cõsumpsi. Ergo iudicium meum cum Domino, & opus meum cum Deo meo. Hæc dicit Dominus formans me ex vtero seruum sibi, vt reducam Iacob ad eum, & Israel ad eum congregabitur. Et glorificatus sum in oculis Domini, & Deus meus factus est fortitudo mea. Et dixit, Parum est, vt sis mihi seruus ad suscitãdas tribus Iacob, & faces Israel conuertendas. Ecce dedi te in lucẽ Gẽtium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ. Hæc dicit Dominus redẽptor Israel, sanctus eius ad contemptibilem animam, ad abominatam gentem, ad seruum Dominorum. Reges videbũt & consurgent Principes, & adorabunt propter Dominum, quia fidelis est, & sanctum Israel qui elegit te.

SERMO PRIMVS.



ONGA in hac præsenti solennitate, verborum periphrasi, quis hic noster Ioannes sit, & cur tam illius cùm in Euangelio, tum in Ecclesia honorifica habeatur mentio, memorare, minimè necessarium arbitror. Oratio rebus dubiis adhiberi solet, Appij Claudij accusator olim dicebat, superfluum nimirum ratus, multis verbis vti in eius accusatione, cuius scelera per omnium ora volitarent, omniúmque odium mererentur. Sic eũ, cuius manifesta virtus est, laudare necesse non est. Ipsa enim virtus sui copiosa laus est. At sicubi quod malum est, tanquam bonum, prædicandum erit, hoc opus, hic labor est. Appium enim si quis & Neronem, idque genus hominum iniquissimorum alios, virtutis ornatu decorare voluerit, is sanè meditatus accedat, necesse habet: si verò Ioannes noster laudandus est, multis verbis non eget, tantùm huius Euangelij in mẽte habuebuerit

buerit historiã. Etenim hoc in Euãgelio cognito, quis hic Ioannes fuerit, non ignorabitur: tum verò si quis, qua ratione ad fidem & Christi agnitionẽ peruenerimus, quomodo lapsi, quotidie in gratiam redeamus secum perpendit: sanè cui rei ipse seruiat nobis Ioannes, ad quid vtilis sit, sciet. Cognitis ergo nomine officióque illius omnibus, faciliore tractatione res tota absoluetur Neque enim dubia res est hoc negotium Ioannis, sed certissima omnium. Quicquid vspiam magnum, quicquid egregium, dignúmque laude prædicatum est in aliis, commune huic Ioanni nostro cum illis est: præterea autem peculiaribus quibusdam donis claret, quæ nulli secundo data sunt. Id quod longa demonstratione non eget. In omnibus creaturis, Angeli primas tenent: & Ioannes angelus dicitur, non natura, sed officio. Post Angelos Patriarchæ principem locum tenent: & inter ipsos Ioannes & caput & finis est. Post hos Prophetæ primi sunt, quorum Scriptura meminit, & ecce Ioannes plusquam Propheta est. In nouo Testamento Apostoli digniores sunt, idque meritò. Et quid Apostolus significat, nisi legatum & missum? At de Ioanne dicitur, Fuit homo missus à Deo, cui nomen Ioannes. Post Apostolos Euangelistarum dignitas potior est. An verò Ioannes Euangelista non est, qui primus regnum cœlorum prædicauit? Quid Martyre in Ecclesia honorificentius? & Martyr Ioannes fuit. Quid magis decorum virgine? etiam virgo Ioannes fuit. Et quis veteres illos Eremitas non est miratus? & Ioannes eiusce modi fuit. Quid Christiano homini decentius quam esse Confessorem, qui veritatis in omnibus confessionem teneat, siue de seipso, siue de Deo, aliisue hominibus res agitur? annon & hoc ipsum Ioannes præstitit grauissimè? Quis vnquam egestatem suam confessus est humilius Ioanne? Non sum dignus, inquit, soluere corrigiam calciamenti Christi. Quis maiore maiestate Christi gloriam prędicauit, vnquã, quàm Ioannes? Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi. Quis vnquam ea vehementia qua Ioannes, vitia hominum infectatus est & coarguit? Non licet tibi, ad Herodem regem ait, fratris tui habere vxorẽ. Hęc omnia Ioãnes cum aliis communia habet, sed longè plura in ipso conspicienda sunt præterea, ipsi propria, nulli omnium data. Neq; enim vllius natiuitas tanta maiestate prædita legitur. Isaac atq; Samson natiuitates prænũtiatæ quidẽ sunt, sed illa solis parentibus

Ioan. 1.

Mar. 6.

Ioannis prærogatiua.

Gene. 17.

Abra

Iudic 13. Abraham & Saræ, hæc ruri prædicitur. Hæc verò Ioānis, in templo ipso, populis præsentibus, ac publico sub sacro, éstq; illud primum. Deinde etiam qui eo modo Spiritu sancto in materna aluo repletus fuerit, nemo est. Tertiò, nemo eo modo ad Christi natiuitatē exultauit, quo ipse. Quartò, nullius alterius natiuitas tot miraculis claruit. Quintò, nullū, qui tam iuuenis, tam austerā vitæ normam secutus sit, inuenias. Elias quidem & alij prædicantur, sed nulla omniū erga hūc comparatio est. Sextò, ante eū nemo tam apertè regnū Dei prædicauit. Multi quidē docuerunt, sed alij terribilia, alij lęta prædicantes, omnes sub verborum inuolucris res abditas proposuerunt: hic verò aper tē. Septimò, ipsum glorię Regē baptizauit. Octauò, ipsi omnium primo summa illa se Maiestas apertam atq; perspicuā videndā obtulit. Abraham tres personas vidit, sed quod illi obscurū erat, huic fit clarū. Denique nullum alterū, ipsa veritas tanto dignata est testimonio. Iob enim testimonium habuit iustitiæ: Dauid, quòd vir secundū Deum fuerit. Moses, quòd electus seruus Domini. Si tamen hæc cū Ioānis laude conferas, nihil sunt. Ait enim veritas, Amen dico vobis, Nō surrexit maior Ioanne baptista inter natos mulierum. Quid ergo miramur, tanti viri in ter nos honorificā permanere memoriā, nimirum scientes, hęc nostro bono sic ordine instituta esse? Nō sibi tantū Ioannes in medium prodiit, nobis potiùs factum est quicquid in ipso Deus operatus est: Ideò tanta vehemētia, in deserto clamauit, ideò baptizauit, ideò Eliæ confertur, imò hāc ipsam ob rem Elias dicitur. Ideò Christus eum lucernā ardentem & lucentē dicit. Et vt breuissimè dicā, sicubi Christus quicquam efficiet, Ioānes præcedat necesse est. Illic Euangeliū rectè ingreditur, vbi Ioānes anteambulo priùs intromissus est. Ita Dei ordinatione institutū est, ita Christus disposuit, Ecclesia obseruauit: ita etiam vsq; ad mundi finem perdurabit. Plurima Neotericorum pars, quæ falsò sibi Euangelico rum nomen vendicat, vehementer de Christo superbiunt, nec ideò culpari merētur: sed nisi Ioannē pręcedere feceris, hoc est, nisi leues impiásq; hominū mentes lege iudicióque Dei perterrefeceris, admodū parū Euāgelij sermo efficiet. Optima profectò diuinæ sapientiæ ordinatio est, tantū si ea nobis rata esset. Agitè ergo, Ioānē mētis oculis intueamur, ipsiúsq; doctrinę vocē audiamus: sic em rectè Christū susceпturi sumus. Quam ille vitæ doctrinæq; regulā secutus sit

Iob 1. Eccleſi. 47. & 45. Matt. 18.

cogi

cogitemus: & sic Christi Euãgelium commodiùs, maioréq; cum fructu auscultabimus. Id ergo vt faciamus, Christi nos gratia adiuuet, Amen.

SERMO SECVNDVS.

EQuidem neminem vestrum, quasi indignum quid fieri, iudicaturum esse cõfido, tanta quòd hodie cum honorificentia, Ioãnis Baptistæ memoriã in Ecclesia celebramus. Neq; enim admodũ præclarum speratæ pietatis ederet indiciũ, quisquis isthæc carpere adhuc præsumpserit, imò nequidẽ legisse Euãgeliũ, aut vllo erga pieratẽ affectu moueri sese proderet, quorũ alterutrũ Christianũ hominẽ vehemẽter dedecet. Quis enim Christianũ censeret eum, qui aut Euãgeliũ planè nesciret, aut nulla solicitudine quæ pietatis sunt curaret? Toties quidẽ Euangelia, Ioannis huius mentionem faciunt, vt nõ possit nõ agnosci ab ea, cui illa vel semel & obiter lecta sint: tum etiã tam præclara de ipso scripturæ tradũt, vt si cui vel minima Christiani sanguinis guttula insita fuerit, nõ possit nõ & amare eum, & qui omnibus piè credẽtibus imitandũ exẽplum proponatur, dignũ iudicare. Vt autem & simplicioris ingenij homines intelligant quid in hoc viro tantopere Ecclesia miretur, agè, duas eásq; legitimas huius festi causas adferã. Prima harum est, quòd hic tãtus præco primus in nouo Testãmẽto Christũ in carne venisse, apertè prædicauit. Apertè inquam: antea enim & alij, vt Angeli, Maria, Elisabet, Zacharias, Pastores, Simeon, Anna, multa de Christo loquuti erant. Sed paucis præsentibus, hic verò primus clarè atq; apertè Christũ prædicauit, ídq; ea fœlicitate vt omniũ applausu, omniũ ad se raperet fidem. An fortè indignum ea propter erit, si pij semel tantùm quotannis secum cogitauerint, per quos Euãgelicus sermo primum in orbe intonuerit, & quomodo? Et hæc prima huius festæ diei causa est. Altera est, q Ioannes non modo Christũ in orbe prædicauerit, verumetiã ipse quoq, Christianus fuerit: ísq; nõ claudicans, nec verbis modo, sed rectus totus, & ipso etiã facto: talísq; non demùm senes factus est, sed ex vtero matris natus est: nec aliquo tantũ vitæ suæ tẽpore, sed per omnẽ vitam talis esse perseuerauit. Itaq; in ipso nõ modo strenuũ prędicatorem, verumetiam perfectum Christianum videmus propositũ: quæ duo plurimi sanè facit Ecclesia. Quanquam nostro hoc seculo, vtrumque vehementer vacillet,

Causa instituti festi huius.

cillet,tam prædicatio,quàm pietas & deuotio. Pauci admodum sunt,qui Ioānis grauitatem,veritatem, constantiam in prædicando ostendant,pauciores,qui vitæ ipsius asperitatē, sanctitatémq; exprimant. Et quæ facies potest esse Ecclesiæ: vbi nec prædicatores nec auditores suum satis faciunt officium? His enim duobus,doctrinæ nimirum & vitæ veritate pietatéq; Ecclesia constat & conseruatur. Quomodo enim Christiani ab Iudæis, Turcis, separamus, nisi his duobus? Tolle ab Ecclesia hæc duo, & Turcis meliores non erimus. Quæ cū ita sint,vtiq; vt in pristinū redeāt statum,laborādū est vehementiùs. Et quidem huic rei plurimum conduceret Ioannis exempli obseruatio. In ipso enim exemplum habemus propositum,& Christianæ doctrinæ,& piæ vitæ vtrūq; in summo gradu. Propterea & mihi nōnihil porrò de eo dicēdum est. Nihil enim vtilius fructuosiúsq; in Ecclesia fieri posse arbitror,quàm si exempla eorum, qui prima Ecclesiæ fundamenta posuêre, diligenti cura considerauerimus. Illic enim mox apparebit,quàm infirma sit,quámque ab antiqua illa virtute defecerit Ecclesia, in qua nec doctrinæ veritas, nec vitæ cōspicitur pietas. Qua re pij quíq; ad orādū Deum accendentur,sua vt ille gratia tales viros nostris quoq; temporibus excitet,qui collapsam Ecclesiā erigant, eámque in conseruatione eius, quod bonum dicimus, seueritatē,quam olim plātatores illius,exhibeāt. Sed ipsum Ioannē cōsidere mus. Primò igitur omnium cogitemus, quomodo Christus Euāgelicæ suæ doctrinæ semen nō per leues vilésq; quoslibet homines,sed per cordatos,iustos, sanctos, ac graues viros,primū in terris disseminauerit,transplātauerítq;. Et horū alij quidē licēt scientia,arte,diuitiis pręditi,claríue natalibus orti essent,quæ hìc mūdus miratur & suspicit, magnā ipsis tamē fides dilectio,veritas æquitas, iustitia Dei timor, ídq; genus aliæ virtutes,authoritatē tribuerūt. Et quod mūdanæ maiestatis deerat, Spiritus sanctus abundè gratia sua suppleuit,eámq; æstimationē eorum fecit,vt & mundus eos miraretur,potentes reuererentur,hostes etiam infensissimi laudare cogerentur. Atq; ita fieri necessum erat: neq; enim leues quiq; hominum,eò rem deduxissent,nec fidē in mūdo meriti fuissent. Propterea Paulus ait. Ego in infirmitate & timore & tremore multo fui apud vos:& sermo meus,& prędicatiò mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis,sed in ostensione Spiritus & virtutis: vt fides non sit in

1.Cor.2.

sapie-

sapientia hominum, sed in virtute Dei. Quanquã idem ipse Paulus alibi quidem scribit, quæ stulta sunt mundi elegisse Dominum vt confunderet sapientes. & infirma mundi elegisse, vt cõfunderet fortia & ignobilia mundi & contemptibilia, & ea quæ non sunt elegisse, vt ea quæ sunt, destrueret: minimè tamen stulta hæc atq; infirma de mũdi amicorum stoliditate, vitæque leuitate (id quod moderni prædicatores persuadere conantur) interpretanda sunt. Illi sanè scurrilitatem, petulantiam, imo malitiam lasciuiámque vitæ, infirmitatem illà cuius Paulus meminit, interpretari non erubescunt. Hinc est, quòd si quando ipsos eas ob res arguas, plenis buccis proclament, Deũ infirma mũdi elegisse. Sic voluptuariam vitã suam excusant, defendúntque, ac reliquũ vulgus in nocentissimã persuasionem inducũt, quasi Deus nullam vitæ cuiusque qualitatẽ respiciat, tantùm egregiè voci feretur & prędicet. Sed longè secus sese res habet. Nõ enim eam, quam tu intelligis, infirmitatẽ Paulus intelligit: nec vspiam, quòd Christus eiusmodi infirmos elegerit, nempe leues, mundanos, carnales, sinéque omni timore Dei viuẽtes, scriptum legimus. Matthæus quidem secundum mundum vixit, sed priusquam vocaretur: postea enim multum mutatus, quasi sui dissimilis factus est. Et vt breuissimè dicam, non illa in primis illis Euãgelij prædicatoribus, quam nostrũm aliqui prætendunt & excusant, infirmitas, quam rectiùs malitiam dixeris, fuit. Homines haud dubiè fuerunt, nec perfectè à peccato immunes vixerunt: non tamen carnalis, mundo conformata aut iners otiosáque vita ipsorum fuit, sed planè seuera, grauis, sancta. Cuius sanè rei Ioannes exemplum est luculentissimum: primus ille fuit, qui Christo aperta prædicatione seruiuit, & ad hoc ministerium nõ sese ingessit, sed à Deo vocatus est. Ita enim Scriptura de eo testatur: Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes: hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum. Ecce hic tibi nomen & personam, officium, vocationémque eius. Arduum profectò officium, rectè Christũ præire, ipsum ostendere, viámque eius præparare. Vnde non quilibet ad hoc munus eligi debuit. Nouus quidam & peculiaris homo requirebatur, quem ad hanc rem Deus ab æterno præuidisset, electúmque ordinasset. Ecce, inquit Dominus, ego mitto Angelum meũ ante faciẽ tuam qui prępparabit viam tuam. Ac-

1. Cor. 1.

Matth. 9.

Ioan. 1.

Mallach. 3.

si di

si diceret ante te. Meum, inquit angelũ. Plures quidẽ alios nuntios, angelos, atq; homines habeo, quorũ ministerio in alias res conficiendas vtor. verùm huic negotio singularem quendã quæsiui, quẽ ideò meum dico, quòd præ aliis ipsum elegerim præordinauerímq;. Et hic præter Ioannem nemo fuit. Id quod Christus ipse testatur dicẽs, Hic est de quo scriptum est, Ecce ego mitto angelum meum ante faciẽ tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Vt ergo omnes talẽ eum crederẽt, Deus ab initio ad finẽ vsq; magna in ipso operatus est, miraculísq; cõspicuũ omnibus fecit. Primò em̃ egregia eum familia, piis sanctísq; parẽtibus, nõ sine miraculis, concipi nascíq; fecit. Deinde etiam antequam nasceretur, officium vitæq; modum per angelũ edocuit. Tertiò & nomen illi, tale omninò, vt officio per omnia conueniret, per eundẽ Angelũ indidit. Quartò, spiritu sancto eum adhuc ex vtero matris donauit. Quintò, præclara etiã in natali ipsius signa edidit. Deniq; in pudicitia innocentiáq; eum immaculatum ad finem vsque custodiuit, ita vt omnibus hic, tanquàm nouus aliquis homo, esset mirabilis. Verũ an fortè sine causa factum arbitrabimur, quòd hunc talem, nõ alium, filij sui anteambulonem primúmq; præconem Deus habere voluerit? Minimè. Qui enim nouit corda hominum, vtique nõ ignorauit morum vitæ grauitatem permultum ad verbi doctrinæq; laudem confirmationémque facere. Id quod in Ioanne videre est. Nemo vnquam Prophetarum tanta cum diligentia auditus fuit: nemo hominum mentes, eo quo hic modo, permouit, quin reliqui Prophetæ, vbiq; de obduratis hominum mentibus conqueruntur & clamant. Sic Isaias fecit, cùm ait, Domine, quis credidit auditui nostro? Et expẽdi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona, post cogitationes suas. Et iterum, In vacuum laboraui, sine causa, & vanè fortitudinem meam cõsumpsi. Sic & Ieremias clamat, Væ mihi mater mea: quare genuisti me virum rixæ, virum discordiæ in vniuersa terra? Omnes maledicunt mihi. Et Micheas, Vę mihi, inquit, quia factus sum sicut qui colligit in autũno racemos vindemiæ. Non est botrus ad comedẽdum, præcoces ficus desiderauit anima mea. Et quia Israel audire recusauit, Ionas propheta in Gẽtes prædicaturus mittitur. Idem etiam Ezechieli dicitur, Domus Israel nolunt audire te, quia nolunt audire me. Verùm Ioanne hoc nostro prodeunte, turmatim accurrùnt,

Matt. 11.
Isa. 53.
Isa. 65.
Isa. 49.
Ierem. 15.
Mich. 7.
Ionæ 1.
Ezech. 3.

proce-

Procedúntq; obuiã, ciuis, agricola, Sacerdos, laicus, publicani, stipẽdiarij milites. Queris vnde verbis illius tanta virtus infit? vtiq; Dei opus erat, qui mẽtes hominum ad Christum adduxit, traxitq;, ad quẽ nemo, nisi à Patre tract⁹ venit. Præterea & illud non parum autoritatis verbo addidit: quod omnibus cognitum esset, quanta in ipso Deus ab infantia miracula edidisset, q; ipse piè sanctéq; in deserto vixisset: nemo verò vllius mali in eũ vel suspicionẽ haberet. Alij prophetæ in mundo, in hominum cœtu, vbi nemini sine crimine licet viuere agebãt. Vnde illorũ sermo nõ eundẽ effectũ sortitus est. Cuius enim vita sordidatur, eius sermo facilè despicitur. Id quod in nobis ipsis satis apertè experimur. Quid enim est, q; ea Verbi nõ nunc est virtus, quæ olim esse solebat? Haud dubiè iusto Dei sit iudicio, q; excæcati, nec videmus nec audimus. Deinde & illud non parũ impedimẽti adfert, quòd nullus Ioannes nunc reperitur, hoc est, gratiæ donum amplius in prædicatoribus non lucet. Contritio pœnitentiæ nusquam in illis consideratur: nouus Christianæ nouitatis, homo non apparet: Christi imitatio nulla est in ipsis: & vt vno verbo dicam, diuinus ille Spiritus in iis non videtur, quos spirituales vocitari delectat. Neq; enim quicquam præter mundana, carnalia, superbiam, auaritiam, vitæque turpitudinem in nobis conspicitur. & cur miramur sermonẽ nostrum sine fructu perire? Nostra causa nomen Dei, verbum, honósque negligitur, cõtemnitur, blasphematur. Et procul dubio sine difficultate verbum Dei priorem efficaciam sortiretur, nos si pellẽ Ioannis, hoc est, spiritum vitámque ipsius indueremur. Non sine causa veteres tot statutis piam esse voluerunt spiritualium hominum vitã: imò non frustra Paulus quid Episcopum, quid Diaconũ, & in his omnes Ecclesiasticos ordines deceat præscripsit: nempe Ecclesiam non solùm verbis conseruari, verùm etiam impietate vitæ labefactarier agnouerunt. At nostra ætate nõ modò Canones & statuta, sed ipse etiam Paulus despicitur. Quam autem excusationem prætendes, olim in magna illa iudicij die, quãdo q; tuæ vitæ impietate verbum Dei aliis in risum abierit, te culpa redarguet? Isthæc fratres diligenter cogitemus. neque enim sine causa Deus talem Ioannem initio habere voluit: imò vero te quoque eiuscemodi virum vult, qui si non fueris, periculosissimè habitas. Quæ si nobiscũ cogitaremus, profectò vndique nos premerent angustiæ:

Ioan. 6.

1. Tim. 3. Tit. 1.

nos,inquam,Ecclesiasticos tantæ vndequaq; solicitarent cu ræ,vt nemo hos sibi ordines illo tã graui æris pondere coemeret multóq; minus vi,dolo,tóq; hominũ immerentium cruore in eos sese intruderet. Sed nulla nos huius rei cura tã git,qui honores magnificósq; titulos & cõmoda huius tem
Apocap 3. poris venamur. Sed quid Dei vox clamat? Scio,inquit,opera tua,quia nomẽ habes & viuas,& mortuus es. Esto vigilans, & cõfirma cætera quæ moritura erant,nõ enim inuenio ope ra tua plena coram Deo meo. In mente ergo habe,qualiter acceperis & audieris,& serua,& pœnitentiam age. Si enim nõ vigilaueris,veniã ad te tanquam fur, & nescies qua hora veniam ad te. Hac igitur ratiõe abundè satis dictum esse arbitror de persona Ioannis. Nunc porrò & prædicationem il-
Matth.3. lius cõsideremus. Hãc verò partim in Matthæo,Marco atq;
Marc.1. Luca scriptã legimus,vbi in hæc verba de Christo loquitur.
Luc.3. Nõ sum ego Christus. Ego quidẽ baptizo vos in aqua in pœ nitentiam. Venit autẽ fortior me post me, cuius nõ sum dignus vt soluam corrigiã calciamentorum eius. Ipse vos baptizabit in spiritu sancto & igni. Cuius ventilabrum in manu sua, & permundabit aream suam, & congregabit triticũ in horreum suum,paleas autẽ cõburet igni inextinguibili. Hæc aliáq; id genus multa monet refértq; ad populum. Ve-
Ioan.1. rùm in Ioãne expressiùs aliquantò, & huius viri de Christo testimonium fuerit,describitur. Ecce,inquit,agnus Dei,ecce qui tollit peccata mundi. Hic est de quo dixi, Post me venit vir,qui ante me factus est, qui prior me erat, & ego nesciebam eum. Sed vt manifestetur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizãs. Et testimoniũ perhibuit,dicens,Quia vidi spiritũ quasi colũbam descendentẽ de cœlo,& mãsit super eum,& ego nesciebã eum: sed qui misit me baptizare in aqua,ille mihi dixit. Super quẽ videris spiritũ descendentẽ, & manẽtẽ super eum,hic est,qui baptizat in spiritu sancto. Et ego vidi,& testimoniũ perhibui, quia hic est filius Dei.
Ioan.3. Et iterum, Ipsi vos testimonium perhibetis, quod dixerim, nõ sum ego Christus, sed quia missus sum ante illum. Qui habet sponsam,sponsus est: amicus autem spõsi qui stat & audit eum,gaudet gaudio propter vocem spõsi. Hoc ergo gaudium meum impletũ est. Illum oportet crescere, me autem minui. Qui desursum venit,super omnes est. Qui est de terra, de terra est, & de terra loquitur: qui de cœlo venit, super omnes est. Et quod vidit & audiuit,hoc testatur,& testi-

monium

monium eius nemo accepit. Qui autem accepit eius testimonium signauit, quia Deus verax est. Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur, nō enim ad mensuram dat Deus Spiritum. Pater diligit filium, & omnia dedit in manu eius. Qui credit in filium habet vitam æternam, qui autem incredulus est Filio, nō videbit vitā, sed ira Dei manet super eū. Ecce, hic Ioānis de Christo sermo est, in quo omnia ea quæ rectè ac necessariò de Christo sciuntur atque creduntur, cōprehensa sunt. Agnum eum vocat, quo nomine, & innocentiam eius, & mansuetudinē, & sacrificium innuit. Sed & peccata tollentem & sponsum, & Dei filium ipsum nominat. Quid autē præstātius de Christo expectare potes? Sed quoque considera, q̄ Ioannes non modò Christum prænuntiauerit, verūetiam viam ipsi præparauerit: ídq; partim durioribus verbis, vt superbas elatáſq; mentes, hoc est, Pharisæos in disciplinam attraheret, partim etiā amicis atq; blandis, quibus valles exaltaret, hoc est, pusillanimes, & pro peccatis timidos consolaretur, ita plane vt nimiū securos minis terreret, duros prauósq;, doctrina corriperet, omnes ad pœnitentiā adduceret. Hoc modo Domino viam præparauit Ioānes, non vno dicendi genere contentus, sed pro hominum captu, conditione, atq; ordine sermonem attemperauit. Id quod Angelus de eo prædixerat. Multos filiorum Israel conuertet ad dominum Deū suum. Et præcedet ante ipsum in Spiritu átq; virtute Eliæ, vt cōuertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiā iustorū, parare Domino plebem perfectā. Eiusmodi prædicatores, qui docēdo delectum haberent, etiānum plurima efficere possent. Sed & hac parte laboramus. Nō enim authoritatem personæ Ioannis tantùm non habemus, verumetiā nec sapientiā nec intelligentiam eius, tātúmq; Christum prædicamus, at viam illi non præparamus. At quam viam quæris? peccato sepultis conniuemus nec corripimus, nec reprehendimus, qualescúnq; homines sint, nihil moramur, tantúmq; gratiam egregiè proclamamus, & quid est, quod ad tam paucos Christum venire, obsitis nimirum viis peccatorum repāgulis, tam plenā esse Ecclesiam, Pharisæorum, impiorum, Herodúmque miramur? Ioannes, nēpe, qui Domino viā prępararet, deest. Restat tertium, quod & ipsum in Ioanne considerandum est, nempe, perfectum illum ingenuúmque fuisse Christianum, hoc est, diligentem, imitatorémque Christi, ídque per omnem Luc. 1.

vitam ipsius, ita, vt omnibus nobis, cuiuscúnque conditionis perfectum satis exemplum esse possit. Innocẽs ille puer pudicus iuuenis, grauis adolescens, honoratus sanctúsq; vir, egregius prædicator, martyr denique patientissimus fuit. Hinc quisq; suæ & ætati & conditioni exemplum sumat. Si puer es, innocentiam eius sequere: iuuenis, pudicitiam cole: adolescens, grauitatem imitare: vir, seueritatem, honorificentiam, & sanctitatem: prædicator, virtutem zelúmque: ad crucem vocaris, patientiam, æquanimitatémq; illius sequere. An non fœlix ille Ecclesiæ status, si eiusmodi Ioannes & prædicatores, & auditores haberet: Agitè ergo pro virili pelle nostram mutare, & Ioannis induere studeamus, si modo pacem fœlicitatémq; volumus. Et hæc quidem breuissimè de D. Ioanne nostro dicta sint. Gratia Dei nobiscum, Amen.

SERMO TERTIVS.

DE Ioanne, cuius hodie per omnes Ecclesias magno gaudio celebramus natalem, tanta & tam multa, non modò homines, verũetiam Angeli ipséq: adeò Christus locuti sunt, vt rectè nemo mirari possit, tãtam eius apud nos permanere memoriam. Prius enim quàm in vtero conciperetur, ea de ipso Angelus prædicabat, vt Zacharias futurus pater, si possibilia essent, miraretur. Deinde ipso iam nato recẽs illa diuinorum operum maiestas circa vicinia clarescebat, vt mirarentur homines, atq; dicerent, Quis putas puer iste erit? Postremò etiam iam penè peracto delegato sibi munere, ipse Christus eius deprædicat laudes, Angelũ eũ dicit, & Prophetã, imò & plusquàm Prophetam, palàm, maiorem inter mulierũ natos surrexisse neminem Ioãne Baptista testificans, vt taceam interim, inter impios quoque Iudæos, tantã eius authoritatẽ, existimationémq; fuisse, vt Christus ipse putaretur. Eiusmodi igitur cùm fuit Ioannes, nemo & hîc quædã de eo audire grauetur. Difficilè enim aliũ quemquã in oĩbus aliis, qui vtilior cõmodiórque Ecclesiæ fuerit, sitque etiãnum: inuenies illo. Tria igitur cõsideranda sunt in ipso, persona, officium, ac fructus illius. Personæ quidem proprietatem, Angelus expressit, cùm ait. Erit magnus coram Domino. Sanè magnus nõ secundum exteriorem mensuram, hoc est, longitudinem latitudinémue corporis: sed magnus coram Domino. Magnus in matris vtero, magnus in natiuitate, magnus in iuuentute, magnus in perfecta viri ætate,

Luca 1.

Matth. 11.

Luca 1.

ætate, magnus vita, magnus in passione. In bonã enim terram plãtatus, multò imbræ diuinæ gratiæ irrigatus, magis creuit, séq; ipso maior factus est. Primò enim materna in aluo magnus erat, Spiritu enim Sancto impletus fuit. Et quid præstãtius? Indè enim Christum priùs seipso agnouit, priùs prædicauit, quàm fari posset: imò prius cœlũ apprehendit, quàm terram attingeret. Et quis hanc procacem Ioãnis magnitudinem non miraretur? At quæris, quæ tibi hinc vtilitas sit? Hic, vt & ipse crescas, precare: quin & gratias age iã dudum tibi quoq; Spiritum sanctum dedisse Deum, tum in ipso, vt augeare, labora. Ideò enim Deus sua dona elargitur manifestè, vt alij ísthæc considerantes, ad precandum moueantur. Secus diuites nostri faciunt, qui clam erogant, ne plus postea & aliis erogare, necesse habeant. Hoc ergo primùm in Ioanne considerandum est. Fuit deinde & in natiuitate magnus, ita plenè, vt non solùm parentibus, verùm etiam omnibus aliis hæc videntibus, audientibúsq; admirationi esset. Omnes enim cum ipso manũ Domini adesse intelligebant. Vnde certatim ad laudem Dei erumpebant. Benedictus Dominus Deus Israël: Zacharias clamat. Hæc ergo in ipsa natiuitate contigêre: hæc illa quę angelus prædixerat, gaudia sunt. Atque vtinam in nobis quoq; cõtingerent eiusmodi. Nos mẽsas instruimus, cõuiuia apparamus, natis liberis, his nobis gratulamur leuitatibus, cùm rectiùs & pro merito precaremur benedicereműsq; Deum: vnde liberos nostros, aut nunquã, aut certè serò, corã Domino magnos fieri, sequitur. Tertiò, etiam in iuuentute Ioannes coram Domino magnus fuit. Nam & domum paternã reliquit, & gaudia vana contempsit, & mũdum refugit, séq; ad deserta cõtulit. Animã enim bonã consequutus, corpus immaculatũ custodire studuit. Id quod difficilimè in hoc mũdo fit. Qui enim tãgit picẽ, inquinatur ab ea, & cũ peruerso rũ cõuersatione, facilè peruertitur. &, Corrũpunt bonos mores colloquia praua. Quicquid animã coinquinare potest, omne inuisum Ioanni est, conuenientius atq; salubrius arbitratus, solitariũ, aut cũ feris esse, quàm cũ impiis: id quod vtinã illi cõsiderarẽt, qui liberos suos in mũdi medio, cõmorari cõpellũt, ipsorũq; eo ipso magna, perditionis horrẽdæ, causa sunt. An nõ rectiùs cũ Ioãne, in deserta eos cõmittere mus, vbi magni corã Deo succrescimus? In mũdo deficimus decrescimúsq;. Id quod ipse etiam Dauid rex considerauit,

Sap. 8.
Eccl. 13.
Psal. 17.
1. Cor. 15.
2. Reg. 11.

Exod.3. qui in deserto positus, multos egregiæ pietatis composuit
3.Reg.19. Psalmos, verùm in mundũ rediẽs, in adulterij crimẽ lapsus est. Et Moses quidẽ deserti accola, ita vires sumpsit crescẽs, vt etiã Deum videre atque audire posset, Sic etiam Elias. Et quid multa? quis enim, in quam celsitatẽ ac magnitudinem Ioãnes, in deserto positus excreuerit, nõ videt? Dicere quis potuisset, ecquid in deserto desidet? cui proficit? Sed cũ definitũ illi tẽpus aduenisset, ea authoritate progreditur, vt omnium in se tanquã in nouũ hominẽ raperet oculos. Nunquã sanè, tantus in mundo creuisset. Hac ratione veteres credẽtes, liberos suos ab ineunte ætate, è Mũdo extractos, desertis cõmiserunt, hoc est, iis locis, vbi Dei timorem pietatẽq; addiscerent, quales cœnobia olim fuerũt, tradiderũt. Tum si quãdo requirebatur vnus aliquis Ioannes, deserta illa, nimirũ pietatis scholæ plures dabant. Id quod vehementer è re sua esse, Ecclesia didicit. At nos, quę huius seculi est peruersitas, mundum refugientes, sẽque negotiis tumultuariis abdicantes, diris prosequimur: quasi verò otiosi inertésque sint, nullúsq; præter mundi externáq; impedimenta, labor
Luc.10. supersit. Sic Martha Mariã sororem desidem iudicabat: sed Christus longè secus docet. Verũ, crede mihi, verbo Dei occupari, orare atq; contẽplari, non est otiari. Populus Israëliticus olim ad pugnã procedentes, otiosum esse Mosen arbi
Exod.17. trabãtur, sed plus omnibus laborauit. Et sanè Ioannẽ quicquã mechanici exercuisse non legimus: verũtamen otiosus non fuit, somnolẽtia enim, aut inerti otio, ad eã perfectionẽ nunquã peruenisset. Vigilantia autem, & abstinentia, & oratione is tantus euasit. Sed de hoc satis. Quarto, & in vita Ioannes magnus fuit, maximè q̃ tam validè mundo, ac carni renuntiauit: hoc enim ipso, multo maior illis censendus est, quos aliquãdo mũdus, Magni nomine dignatus est: vt Alexander, Põpeius, & alij, qui licet magni essent, cõcupiscẽtiarum & appetitus tamen erant mãcipia. Fuit autẽ & prædicatiõe Ioãnes magnus: & hæc ipsius magnitudo olim
Malach.3. per prophetas prænũtiata fuit. Malachias enim, Angelũ eũ
Isa.40. dicit: Isaias clamantẽ vocẽ prædicat. Neq; id frustra, tam vehemẽti enim sonitu pertonauit oẽm illa regionẽ, vt etiam omnes accurrerẽt, publicanos, atque peccatores cõuerteret: sed & cedros Libani, hoc est, Herodes, Pharisæósque elatos agitauit, mouit, concussit. Ecce hæc ipsa Ioannis persona fuit, atque modo est. cum nominẽ Deus, Ecclesiæ suę primũ prę

posui,in quo successores sese, tanquã in speculo quodã contemplarentur. Vtinam sæpius ipsum cõtueremur. Sed quod officiũ ipsius? Breuiter idem illi,quod & Legi, officiũ fuit: nempe,pararet Domino viam, atque de Christo testificari. Sed lex hoc modo Christo viam præparauit, vt primò peccata hominib⁹ sua ob oculos proponeret,deinde mox Christum ostenderet. Eadẽ & Ioãnis prædicatio fuit, cuius exordium,pœnitẽtiæ doctrinam habebat, deinde agnũ mundi, peccata tollentem monstrabat. Hanc viã etiamnũ in nobis Ioannes præparat: pœnitẽtiæ enim prædicatio, ad peccatorum agnitionẽ, ad contritionẽ commissorũ vocat. præterea etiam ad medicũ ducit Christũ,tot testimoniis. Atq; vtinã idem fructus nunc sequeretur, qui olim dum ipse prædicaret. Sed à diebus Ioannis Baptistæ,inquit Christus,regnum cœlorũ vim patitur. Et in hodierna lectiõe,Reges videbũt, & consurgent Principes,& adorabũt Dominũ Deum. Hic fructus est, qui ex memoria festóque Ioãnis metiri debuit: nẽpe,vt ardentiùs incũberemus, regnum Dei ad nos attrahere,quando eam ob causam Ioannes missus venit,atq; Dei gratiam vbique prædicare exorsus est. Sustollamus igitur oculos,& natos nos in hæc gratiæ tempora,lætemur. Gratia Dei nobiscum, Amen. *Ioan.1.* *Matth.11.*

QVARTVS SERMO QVANdo hoc festum cum S.S.corporis Christi solennitate coincidit.

MIrè hoc anno festi dies,& mihi quidem,quæ nunc mea est cõditio incõuenientissimè coincidunt. Duæ enim hoc vna die solennitates festiuæ, ambæ celebres obtingunt: prima est ordinati sacramenti cõmemoratio: altera, Ioãnis Baptistæ memoria. Vtraq; plena suauitatis atque consolationis est: vtraq; etiã Euangelius fundata firmissimè. Primò enim haud facilè quicquã in Euãgelio, ab Euãgelistis diligẽtiùs cõsonantiùs, cõformiúsque, præter huius sacramẽti institutionẽ perscriptũ inuenies. Cuius rei cuilibet obuia sunt testimonia,in Matthæo,Marco, & Luca: tum etiam in prima ad Corinthios. Id verò singularem meretur & festiuitatẽ & sermonẽ. præterea & hoc cõstat, post Christũ, hominẽ esse nullũ,cuius vel honorificentior memoria sic, vel maiore cum maiestate describatur natiuitas, quàm Ioannis *Matth. 16.* *1.Cor.11.* *Marc.6.*

Matth. 14. & 11. Baptistæ. Primò enim in Marco legimus, quòd ipse etiam Herodes Ioannem timuerit, sciens eũ virũ iustum & sanctũ Deinde populus vniuersus non iam prophetã eũ, sed ipsum etiam Messiam arbitrabatur, reuerebatúrque. Tertiò & ipse Christus maiora illi testimonia cõtulit, cũ inter natos mulierũ non surrexisse maiorẽ Ioanne Baptista, asserit. Id quod & ipsum proprio sermone explicandũ esset, priuatáque festiuitate commemorandum. Et quidem quod ad vtranque festiuitatem attinet, concurrentibus hoc anno duobus, in vnã diem festis, perappositè factum est, vt cuique propria deputata sit dies, & hodie S. S. corporis & sanguinis Christi memoriam: ac sequenti die Ioannis Baptistæ natalem celebremus. At sermo deerit, vt enim nunc me affectum sentio, vósq; ipsi debilitatũ intelligitis, crastinus sermo prætermittendus mihi erit: si modò Dominica die sermo mihi habendus erit. Quanquam & aliàs quoq; sextis feriis, concionari admodũ parũ volupe mihi est: nimirũ hîc: nõ enim cõueniũt, Euãgelij cõcio, & nũdinæ, Christus & Belial. Verũtamẽ maximus mihi dolor est, si quando (Deum testor) sermo mihi intermittẽdus est: maximè verò cras, ꝙ Ioãni solẽnis dies, meũq; festũ est. nõ solũ ideò ꝙ Ioannes ipse dicat, illóq; die natus sim, verũetiam ac multò magis, ꝙ hoc die primã in hac æde cõcionẽ habuerim. Atque hic quidem septimus annus est. Verũ secus nunc fieri non potest. At ne omninò inconsideratè nobis prætereat Ioannes, huius sermonis exordio deseruiet. Et quis decẽtiùs id Ioanne facit? quísue nouit meliùs? Si Christo viam parare potuit, vt certatim omnes accurrerẽt, publicani, milites, qui antè nec Deũ, nec propriam salutem curabant: profectò & nobis viam præparabit, occasionémq; eorũ quæ ad hanc festiuitatẽ pertinent, dabit. Atque vtinã hac festiuitate eiusmodi Ioannẽ haberemus, qui nõ nudis incederet verbis, sed in Spiritu atque virtute Eliæ præiret: talis omnino hominum mentes accẽdere ad amorẽ reuerentiámque huius sacramẽti posset, vt eodem quo Patres nostri, sensu ambularemus. Imò verò, vtinã vel vnã Ioannis prædicationẽ cõprehẽderemus, quæ sola digna huic festæ diei foret exhortatio. Et quæ illa Ioannis prædicatio? Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Quid autẽ tota hæc festiuitas, nisi acclamatio quæda est huiusce modi? Cur nunc denuo sacramẽti huius pergitur memoria? Cur nõ ipsa institutionis die dictis quiescimus? Imò cur toties

ties nobis oſtẽditur Sacramentũ? Et quã ob cauſam per plateas iuxta domos trãsfertur, niſi vt quaſi dicatur nobis, Ecce agn⁹ Dei, ecce qui tollit peccata mũdi? Admonemur nimirũ cogitemus quãto pretio coẽpti ſumus: quomodo Deus pro ſua miſericordia atque gratia noſtri curã gerens, tã ineffabili Charitate præuenerit nos, & ꝙ oẽs tãtæ gratiæ participes ſimus. Hæc enim omnia Ioannis verba complectuntur, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. His enim Chriſtũ immolandũ, quẽadmodũ olim agnus in Aegypto, ſuóq; ſanguine hoſtẽ ſubacturũ ſignificauit. Ecce Agn⁹ Dei atq; gratia factũ eſſe indicauit. Ecce qui tollit peccata mũdi. Quòd enim nõ vnius hominis, ſed Mundi, dixit: hoc oſtẽdit, ꝙ omnes in ipſo ſaluari poſſint. Et quid nobis magis neceſſariũ, eiuſmodi exhortatione? Tribus hinc mundus vitiis laborat, certiſsimũ toti orbi exitiũ, maximè his partibus allaturis. Primũ eſt, tanta violẽtia abundare iniquitatẽ omniũ. Secundũ, omnẽ erga Deũ diuináque omnia deuotionẽ charitatémq; refriguiſſe. Tertiũ, omnes nos inuicem diſſectos eſſe. Hæc ſunt, inquã, quæ nobis certiſsimã calamitatẽ ſuperinducunt. Extincto enim in nobis deuotionis ardore, ſuã quoq; Deus à nobis manũ ſubtrahit, Abundantem iniquitatẽ pœna ſequitur iuſta, nec tardabit: ſed & diſſidiis animorũ concordiã rũpentibus, peſſum iri omnia neceſſum eſt. Quid verò tanto huic malo rectiùs tẽpeſtiuiúſque obuiare poſſet præter hãc feſtiuitatẽ, atque Ioannis ſermonẽ? An poſsibile eſt, tanta pertinacia, proteruia, impietaſéque nos in varia ſcelera leuitatéſque præcipitaturos eſſe, ſi magno nos coemptos pretio conſideraremus? Ecce agnus Dei, clamabat ille: ecce atque conſiderate Chriſto inaugurati omnes, pro vobis immolatũ agnũ. Deinde an tanta eſſe poterit ingratitudo, tanta irreligioſitas noſtra, tã enormis acedia erga Dei cultũ, tam impudens ſocordia erga omnẽ pietatẽ erit, ſi quã nobis per Chriſtũ dilectionẽ beneficentiãq; præſtitit Deus, diligentiùs cogitauerimus? Ecce agnus Dei Ioãnes ait. Videte & cogitate nõ modò agnũ qui pro vobis paſſus eſt, verumetiã Deũ veſtrum, qui ſic mundũ dilexit, vt filiũ ſuum daret vnigenitum, vt omnis qui credit in illum, non pereat, ſed habeat vitã æternam. Et hoc ſecũdum, Tertiò, an fortè ita nos diſsipabimus, inuicem contemnemus, maledicturíue ſumus, an tantis furiis alter in alterius perditionem cõcitabimur, ſi Chriſtũ pro omnibus ſimul mor-

Ioan. 1. Exod. 12.

Triplex in mũdo vitiũ peſtiferũ Ecclesiæ.

tuum fuiſſe, vt mediũ inimicitiarum parietem tolleret, ex duobus, imò omnibus populis vnam Eccleſiã formaret, in qua vnicus baptiſmus, vna fides, vn⁹ De⁹, vna vocatio, vnáque ſpes eſſet, cogitauerimus? Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Videte atque cogitate, Credentes, ínque huius ſacramẽti aſpectu conſiderate, ſumma vos colligatos dilectione, vt vnus eſſetis panis, qui omnes de vno pane participatis: vnum corpus, qui vnius vos capitis membra agnoſcitis. Ecce quomodo & Ioannis prædicatio, non autem feſtum hoc tantũ à peccatis abſterrere, ad pietatẽ incitare, ínque vera vnitate cõſeruare poſsit. Et quid nobis vniuerſæq; Eccleſiæ obtingere poſſet vel melius vel vtilius? Quando igitur vnà hac die cùm Sacramentũ tum Ioannis feſtiuitas cõueniunt, agè quiſquis ingenuè Chriſtianus es, tu quoque vtrãque coniunge, & quotieſcũq; Sacramẽtũ illud videndũ datur, ſit, quaſi Ioãnes iuxta ſtaret, atque ter accineret, Ecce agnus Dei. Hæc pro peccatis veſtris victima eſt: hæc certiſſima plenæ dilectionis Dei arrha eſt. Hoc vinculũ quo colligimini credentes, in quo mutuo agnoſcitis fratres atque domeſticos, Deum immortalem, ſi hæc teneremus, quantũ hodie didiciſſemus: quàm pulchrè hanc feſtiuitatẽ peregiſſemus? Hęc igitur dicere volui, quòd Ioannes quoque in hac feſtiuitate partem ſuam tuetur.

SERMO QVINTVS COLlatio Ioannis atque Eliæ.

QVod in huius feſtiuitatis ſermone exordiũ lõgè quærã, quũ eſt, Eliæ enim hiſtoria non modò exordiũ mihi, ſed totã etiã vitã Ioannis noſtri docebit. Id ſi quis miratur, primũ Lucæ, vndecimũ & decimũſeptimũ Matthæi capita legat, & nullũ totius anni feſtũ tã aptè Eliæ hiſtoriæ cõuenire, atq; hoc ipſum intelliget. Quî ſic quæris? Priuſquã naſceretur Ioãnes, in Spiritu atq; virtute Eliæ, præceſſurus ante Meſsiã, ipſique viã præparaturus, Prophetarũ, angelorũq; oraculis prædicitur. Tũ Chriſt⁹ ipſum eſſe Eliã apertè teſtatur, nimirũ quem Prophetæ prædixiſſent vẽturum, atque Chriſtum præceſſurum eſſe. Omnes Prophetæ & Lex vſq; ad Ioannẽ prophetauerũt: & ſi vultis recipere, ipſe eſt Elias, qui venturus eſt. Qui habet aures audiendi audiat. Et alibi interrogantibus diſcipulis. Quid ergo dicunt Phariſæi & Scribæ, quia Eliam oportet primum venire? reſpõdit, Elias

Luc. 1.
Matth. 17.
Matth. 11.
Matth. 17.

cum

cùm venerit primũ & restituet omnia. Sed dico vobis, quia Elias iam venit, nõ cognouerunt eum, sed fecerũt illi quæcũq; voluerunt. Et sequitur mox, Et intellexerũt discipuli, quia de Ioãne Baptista dixisset eis. Verũ nemo hic titubet, quòd Ioãnes (vt in alio Euãgelista est) interrogatus an Elias esset, respõdit, Nõ sum. similitudinẽ quidẽ habet repugnantiæ, sed reuera nõ est. Alterũ enim personã respicit, alterũ virtutẽ atq; Spiritũ. Persona quidẽ Elias, non erat Ioannes, verissimè tamen Elias erit officio atque spiritu. Quẽ enim ille quondã exhibebat zeium aduersus idololatras, eundem Ioãnes in conuersione populorũ ad Christũ, suo tempore ostẽdit. Id quod multa demonstratione nõ eget: vtriusque enim historia, pares eos Spiritu atque zelo fuisse præditos manifestat, etiã si nec Angelus nec Christus ipsos cõtuitisset. Quod enim hactenus in Elia videre licuit, idem in Ioanne cõsideramus hodie. Elias Propheta erat, erat & Ioannes, imò plus quàm propheta hic erat. Elias eo ipso tẽpore, cùm idololatria feruẽtissima, impij peruicacissimi essent, mittitur: Ioãnes quoque cùm omnes ferè promissiones Dei in obliuionẽ abierãt, eóq; credẽtes diffidentiores essent, prodiit. Eliæ sermo vt ignis ardebat, Ioãnis verba hominũ mẽtes accẽdebãt, vt Publicani etiã atque milites, gens alioqui impia, cõcalefierent, consiliúmq; & spem quæsitã acquirerent. Elias nihil curabat mundũ, refugiũ quærebat eremi: Ioãnes ab infantia deserti fuit cultor, quousque Deo iubente prædicationẽ suã exordiretur. Elias omnibus viribus impugnabat impios, idẽ Ioãnes fecit, nemini pepercit Elias, ita & Ioãnes. Elias Achab, Ioannes Herodem arguit. Et quid longa collatione vtor? tantum textus verba sensúmq; mihi sumam, quẽ proximè recitaui: illic quomodo Elias atque Ioannes vnius Spiritus, animíque fuerint, non modò erga Deũ, verumetiã erga homines videbimus. Audiuimus ergo superius quomodo Elias Achab, nihil regium diadema veritus, acerbè corripuerit, vt qui eius facti mandatũ illius, qui super omnes Reges est, haberet. Occidisti, ait, insuper & possedisti. Hæc ergo dicit Dominus, In loco in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum. Quibus verbis Achab nihil respodit, nisi quod diceret, Inuenisti me inimicum tibi? quasi diceret, Vt quid mihi repugnas, nunquam à me lacessitus? Vbi rectè colligitur Regem timuisse Prophetã, & non contrà. Propterea ait, Inueni, eo q; venũdatus sis,

Matt. 11.

3. Reg. 21.

tus sis, vt faceres malum in cõspectu Domini. Ac si Prophe ta diceret, Qui Dei inimicus est, etiam meus hostis est: qui Deo reluctatur, amicũ dicere nequeo meum. An nõ similia
Mar.6. quædã in Ioãne inueniãtur? Ioãnes, inquit Euãgeliũ, argue bat Herodẽ, dicens, Non licet tibi fratris tui habere coniugem. Herodes autẽ metuebat Ioannem, sciens eum virũ iustum & sanctum. Vide ergo num vtrobique idem factum, idémque sit Spiritus? Vtrobiq; Spiritus verax, grauitas, constantiáque in his prædicatoribus consideratur. Vtrobiq; diuini verbi virtus cernitur, vtrobiq; filiorum Adæ natura cõspicua est. Quæris quî sic? Ecce veracem Spiritũ grauitatẽ, constantiámque, quæ ita sese in Propheta ostẽderunt, vt re-
Eccles.48. ctè de eo dici potuit, In diebus suis non pertimuit principẽ, & potentia nemo vicit illum: cùm ea verbi Dei potẽtia est, vt etiam impios terrefaciat. Quod si suo commodo impendere nolunt, ad æternum cruciatum audient. Hæc semper Adamo genitorum natura fuit, nullũ dei ictorum correctorem amicum putauerunt vnquam. Sic impius Achab fecit. Quod si Elias tacere, conniuere, ac blandiri potuisset, sanè Achab amicus fuisset reputatus, sed quia arguit, inimicus habetur, imò nullius sibi rex impius hostibus facinoris in Eliã cõscius, iniuriã fieri sibi, dũ à Propheta corripitur, autumnat. Sũma enim in mundo iniuria est, corripi atque moneri. Idem Ioanni euenit. Et quid peruersius? Achab Eliam inimicum suũ iudicabat, eo qnòd argueret: verus tamen amicus illius erat, tantum si amici consilium secutus fuisset, impius. Alios in impietatem instigãtes, séque strenuos iniquitatis augendæ adiutores offerentes, intimos amicos putabat suos, cùm reuera essent inimici, quòd ad certissimam perditionem Regem totámque familiam pertraherent, secundũ hæc externa: quod enim ad animam, iam antè perierat. Ita & Herodes, qui cõniuentibus adulterio suo, amicus erat. Quòd quia Ioannes arguebat, carceri inclusus tenebatur, imò capite plectebatur. Sed euentus rerum docuit, quis fidus consilio amicus fuerit. Idem morbus etiamnũ perdurat, nemo vult corripi. Quotidie enim experimur Eliã atq; Ioannem admodum parum inire gratiæ coram mundo, sed propterea cessandum non est, imò hanc ob causam vterque hic proponitur. vterque constantis verique prædicatoris exemplum habet. Non ideò cessandum est, quia mundus audire recusat. Quanquam enim Achab cum sua Iesabel inuitus

audiret

audiret, non tamen Elias destitit, idémq; Ioannes fecit. Cũ igitur tam sibi inuicem cõformes hi duo sunt, simul etiam atque vna eos nobis inculcemus, ipsíque quantum licet conformes fieri studeamus. Gratia Dei nobiscum, Amen.

SERMO SEXTVS.

SI quis Euangelij huius historiam nouerit facilè quidem si modò communi ratione præditus fuerit, quis Ioannes cuius hodie natalem peragimus, quod officium eius, quid in terris effecerit, & quis eius vsus sit, intelliget. Quinimò Ecclesiasticarũ rerum gnarus, primò mox historię illius intuitu, dignã iustámq; hanc illi animã memoriã tribui iudicabit. In ipsa enim historia clarè demõstratur quod de Ioanne prædicauit Christus, nimirũ inter natos mulierũ non surrexisse maiorem Ioanne Baptista. Magnos quidẽ hîc mundus & excellentes viros habuit, prę stãtiores vetò Ecclesia, neutra tamen in parte, maior hoc Ioãne Baptista surrexit. Omnia enim in illo noua, omnia rara, excellentia, sancta: ita vt scriptura veluti de nouo quodã homine, cui similẽ hic mundus nõ viderit, loquatur, qñcúnq; ipsius mentionẽ facit. Fuit homo missus à Deo, Ioãnes ait, cui nomen erat Ioannes. Hic venit in testimoniũ, vt testimonium perhiberet de lumine, vt omnes credẽrẽt per illũ. Sumus quidẽ homines etiã nos: in Ioãne tamẽ illud nouũ est, ꝙ mirabiliter cõceptus, in natiuitate miraculis decoratus est peculiaris quidã homo fuit. Deinde quoq; & alij quidã hoc nomine Ioãnis appellati sint. Sed hoc ipso illi nouum ꝙ nomen hoc, non ab hominibus, sed ab Angelis inditũ accepit, nec nudũ, sed ipsam nominis significationẽ atq; virtutem. Ioannes enim gratiam significat. In quo verò diuina gratia clariùs luxit? aut quis Christũ prædicauit clariùs? Præterea sunt & alij Prophetæ à Deo missi: sed hoc in Ioãne nouũ est, ꝙ nõ modò missus, verum etiã per Malachiã promissus, officiúmq; eius per Isaiã Prophetas vaticinatũ est. Propterea peculiari quodãmodo, missus à Deo dicitur. Postremò & alij Prophetę testimoniũ veritati perhibuerũt: sed hoc in Ioãne nouũ est: ꝙ nõ, vt alij, de vẽturo Christo locutus est, sed præsentẽ digito monstrauit. An fortasse magnus hic Ioãnes, enumeratis his causis indignus erit, cuius honorifica memoria in credẽtibus vigeat cõseruetúrq;? in hoc cardo rei vertitur, vt diuina opera, cùm in cõceptione, tum etiam in nauitate facta diligẽter cõsideremus, de

Ioan. 1.

Malach. 3.
Isaiæ 40.

mus deinde & prædicationẽ illius attẽdamus, deniq; & vitæ cõuersationẽ. In primo certissima diuinæ bonitatis, veritatis, atq; potẽtiæ videbimus signa, idq; nostro bono. In secũdo, Christianæ doctrinæ modũ inueniemus. In tertio, perfectę vitæ exẽplũ habebimus obuiũ. Si quæ tibi de Deo sperãda sunt, hæ sitas, qd in Ioãnis natiuitate cõtigerit, vide. Normã veræ doctrinæ petis, Ioãnis prędicationẽ obserua. Quæ vitæ rõ sequẽda sit piis ignoras, Ioãnis vitã aspice. Hæc qui fecerit, prędicentẽ festiuitatẽ rectè celebrauerit. Gratia Dei nobiscũ, vt Ioannis adhortationẽ sequẽtes ad eũ perueniamus securè, quẽ ipse prędixit, Iesum Christũ Dñm nostrũ, Amẽ.

SERMO SEPTIMVS.

PRæter alia, illud quoq; in hoc Euangelio ostẽditur, qꝑ ea diuinorũ operũ in Ioãnis Baptistę natiuitate fuerit maiestas, vt nõ modo ꝓpinqui ac vicini, quicquid de nato infante futurũ esse, mirarẽtur, verũetiã alij, quorũ fines hæc pueri fama percrebuisset, obstupefacti inuicẽ quærerent, Quis putas puer iste erit? Quin hodie etiã admirari quis posset, quę Dei hoc ipso facto fuerit intentio, vt hoc ipso puero, & in ipsa quidẽ natiuitate, tot signa fecerit, nusquã cũ simile legatur in vlla historia: nẽpe, tot in vnius natiuitate hominis signa facta fuisse, excepto Christo. Est alioqui minimè rarũ, Deũ mirabilia in sanctis suis fecisse: facit etiãnum, noméq; tenet in sanctis esse mirabilẽ: sed hic tantũ de Ioannis natiuitate loquor, in nulla aliqua historia eiusmodi, tot signa inuenio. Mirabile erat Isaac atq; Samuelem senio cõfectis, & antea sterilibus genitos fuisse matribus. Mirabile etiã Hieremiã in matris vtero fuisse sanctificatum ínq; Prophetã electum. Mirabile erit, Mariam sine originali peccato cõceptam fuisse. In Ioanne vero nõ vnum aliquod, sed multa simul cõsiderantur miracula. Annuntiatur, proprio ac inusitato nomine vocatur, ad præstãtissima peculiariáq; munia ordinatur ab Angelo: anicula & nunquã prius fœcũda matre cõceptus in hãc lucẽ editur. Mirabilis Deus in patre, qué pro incredulitate sua quasi elinguẽ fecit: mirabilis in matre, qꝑ repletã spiritu sancto, præsentiã Domini adhuc in virginea aluo clausi cognoscere docuit: mirabilis in Ioãne, adhuc maternis visceribus abscõsum exultare faciẽs in gaudio. Rursus in Zacharia mirabilis, linguæ eius vinculũ nato infante soluẽs. Hæc admirãda erãt, cunctísq; ad stuporẽ adactis, in hanc vocem erumpe

Luce 1.

Psal. 67.

Gene. 17.

1. Reg. 1.

Hiere. 1.

Luc. 1.

erumpere fecit. Quis putas puer iste erit? etenim manus Domini erat cum eo. Posset quis nõ ab re etiamnum secum mirari, ac q̃rere. Ecquid tot in infante exhibitis signis Deus voluit? Sanè sine graui & vrgente causa factũ non est. Ipsum munus cui Ioannes destinabatur, eiuscemodi signa Dei in ipso postulabat. Et quod officiũ? Ipse Deus in Malachia dicit: Ecce mitto Angelũ meũ, qui præparabit viã ante faciẽ meam. *Malach.3.* Et in Isaia legimus, Vox clamãtis in deserto. Parate viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri in solitudine. *Esa.40.* omnis vallis exaltabitur, & omnis mõs & collis humiliabitur. Ioannis primo legimus, hominẽ à Deo fuisse missum, nomine Ioannẽ. Venisse hunc in testimoniũ, vt testimoniũ perhiberet de lumine, vt omnes crederẽt per illũ. *Ioan.1.* Tũ Angelus Lucæ primo capite sic de eo refert: ipse præcedet ante Dominũ in Spiritu & virtute Eliæ. *Luc.1.* Deinde ipse etiã pater Zacharias ipsum alloquitur dicens, Et tu puer Propheta Altissimi vocaberis: præibis etiam ante faciẽ Domini parare vias eius, ad dandam scientiam salutis plebi eius, in remissionem peccatorũ eorum. Ecce Ioannis officiũ, præire ante Christum, vt fortem anteſignanum decet, vt Prophetam ac clamantem vocem. Christo parare viam in hominem mẽtibus, testificari de vero æternóq; lumine, quo omnes illuminamur, conuertere corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iustorũ, dare scientiam salutis plebi eius in remissionẽ peccatorũ eorum, & sic Domino perfectã tandem parare. Hæc omnia officij sunt Ioãnis. Hic magna corã mũdo autoritas requirebatur, qua sine quid horũ effeciſſet? Præstans esset persona decebat, tãta expediturus negotia. Ecce, eam ob causam, tanta Deus in ipso ante póstq; natiuitatẽ effecit: ideò etiã à Spiritu sancto à iuuẽtute ad deserta, deserta inquã lõgè ab hominũ cõuersatiõe, ad eã vitæ asperitatẽ ad actus est, ideò etiã tot retro seculis officiũ munúsq; eius prænũtiari Deꝰ voluit: ideò ipse Christꝰ tã de eo honorificã mẽtionẽ fecit, vt cũ mũdo manifestaturus eũ esset, maiore æstimatione in vulgus ꝓdire faceret. Et qdẽ sperato successit euẽtus, & tãta qui strenuus grauitate prædicaret, regnique cœlestis negotiũ ꝓmoueret, solo excepto Christo, alius inuẽtus nemo est. Vnde factũ est, vt nemo tã desesperatus, qui tãtũ virũ corãm videre atq; audire non laboraret, nemo tã impius qui ab eo cõsiliũ nõ quæreret, nemo tã pusillanimis, qui in ipsius sermone hęsitaret: nemo tam magnus, qui nõ inquire

ret: ne

ret nemo denique tam potens, qui ipsum à propositi semita retrahere t. omnes ipsum Messiam esse iudicabant, susce pis sentq; tanquã promissum saluatorẽ Regem, nisi ab ipso fuis
Matt. 11. sent prohibiti, se non esse Christũ cõfitẽte. Vnde nõ immerito de eo Christus ait, Inter natos mulierũ nõ surrexit maior Ioanne Baptista. Sanè verò, Magnus & admirabilis puer erat, nõ modò animã bonã, sed corpus etiã incõtaminatum nactus. Magnus vir, vt qui cùm egregia effecit, tum multa quoq; passus est. Magnus Propheta, nã & præteritorũ & præsentiũ, & futurorũ mysteria rationésq; patefecit. Magnus Doctor: verbo enim atque opere docuit. Magna lux, ar sit enim atq; luxit: magna vox, nam & pœnitentiã, & gratiam, saluatoréq; proclamauit. Ecce tibi Ioãnẽ, cuius tanta hodie apud omnes credẽtes memoria celebratur ídq; nõ immeritò. Nã & hodie multũ cõmodare põt. Quã enim ob causam gaudẽdũ sit, ipsius nos docet natiuitas, nimirũ in Deo eiúsq; laude. Ioãnis vitã respice, & pro tua negligẽtia rubore suffunderis, ꝙ tuam vitam illius vehemẽter cõsideraueris dissimilem. Ioannes enim mundum refugit: tu cõtrà, totũ mundum ad te atrahis. Ille in labore: tu verò in otio viuis. Ille in ieiunio vixit: tu cõtrà in luxuria. Ille corpus suum castigauit: tu voluptatibus seruis. Ille sine vino: tu in ebrietate. Ille in camellorum pilis: tu in mollibus vestibus. Ille in deserto: tu in aulis principũ. Ille paucis cõtentus: tu insatiabilis. Vides ergo quomodo Ioãnis vita nostram arguat? Posset ergo ipsius nos hoc modo ad Deum vita cõuertere. Maximè verò hoc prędicatio eius posset, quã breui ac succincto modo præteritorũ cõmissorũ pœnitẽtiã, deinde etiã fidẽ in Christũ tã quã vnicũ mediatorẽ docuit. Agè ergo hunc nobis Ecclesia hac die Baptistã ꝓponit, si quo modo cõuerti voluerim⁹ ad dñm Deũ nostrũ. Ipsum ergo intueamur: ipsũ sequamur: tũ haud dubiè eã apud Deũ mirabimur laudẽ, quã hic Ioãnes noster præ cæteris adeptus est. Gratia Dei nobiscũ, Amen.

SERMO OCTAVVS COLlatio Iosiæ & Ioannis.

QVod in hesterna tractatione dicebam postremum, illud hodierni sermonis erit exordiũ. Inter cætera verò quæ in ea Regum historia sunt, cogitandum proposueram, quo modo præter omniũ expectationẽ gratiã suã Deus abundãter in Iosia ostẽdisset. Id quod proculdubio hominũ vulgo

go nõ exiguã admiratione, piis verò & ingẽs gaudiũ attulit: nimirũ cũctis cogitãtibus quam nihil virtutis in parẽte ſuo Ioſias poſſet vel cõcipere vel imitari, eóq; pro Rege impiũ paternæ iniquitatis imitatorẽ ſeu hæredẽ expectãtibus: de carne enim caro naſcitur, & placidã nõ lupus rapax ouẽ pro creat, nec à degenere maláq; arbore bonos quis fructus expectat. Vide maior oĩm & admiratio & gaudiũ fuit, tã diui tẽ & veluti procacẽ in puero Ioſia Dei luxiſſe miſerãtis gratiã. Et ipſum illud eſt, quod feſtiuitati huic atq; Euangelio perappoſitè cõuenit. Quid enim in Ioãnis noſtri natiuitate vel videtur vel auditur, præter admirandã gratiæ factorũq; Dei excellẽtiã, quæ ita ſeſe in hoc puero exhibet, vt cũ præſentes, iuxta angeli vaticiniũ exultarẽt, tũ etiã famã eĩ⁹ rei audiẽtes admirarẽtur, altíſq; omnia mẽtibus reponerẽt, inuicẽq;, quiſputas puer iſte erit diſquirerent? Etenim manus Domini erat cũ eo, hoc eſt, gratia atq; oĩpotẽtia Dei ſeſe præſentem in eo, & nõ ſolũ in eo, verũ etiã in vtroq; parẽte manifeſtauit. Tria enim miracula in patre, tria in matre, totidẽque in Ioãne filio omnibus erãt cõſpicua. Patri enim apparuit Angelus prænũtians promittẽnſque filiũ, Sed Angelo diffidẽs pater obmutuit, poſtea verò vbi natũ infantẽ aſpexit, rurſus loqui cœpit. Mater Eliſabeth ſterilis iámq; ſenio cõfecta anicula erat, concipit tamẽ ac parit, inſuper Spiritu ſancto repletur. Ipſe verò Ioãnes infans ſanctificatur in vtero: necdũ nat⁹ Chriſtũ cognouit, nomẽq; ſuũ nõ ab homine inditũ, ſed ab angelo prædictũ ſuſcipit. Et hæc illa eſt, quæ cũ puero erat manus Domini. Hoc modo gratia ſe Dei in natali pueri oſtẽdit. Quid ergo miramur ſi nõ modò pij gaudiſi ſunt, verùm etiã alij hæc audiẽtes ſtupefacti? Verùm in tã tenera pueri ætate Deo tã tẽpeſtiuè operãte, egregia quæ dã ſubſecutura fuiſſe etiã nemo dubitabat. Nec mirũ tã diuite diuina gratia cœlitus tã citó rigatũ, in eã præ cæteris ſuccreſcere altitudinẽ, quẽadmodũ & Ioannes ea quã ab initio habuit gratia, in eã ſublimitatẽ accreuit, vt nõ tantũ Angelo prænuntiante, magnus corã Domino fututus, prædicaretur, verũ etiã ipſo Domino teſtãte, inter natos mulierũ maiorẽ illo nõ ſurrexiſſe prædicatur. Quid ſi quis quærat, qua in re hæc Ioãnis magnitudo ſiue præſtãtia, qua cęteros antecellit, cõſtiterit: huic ipſe Chriſtus reſpõdet, Non ea qua in Ioanne prædicamus, præſtantia eſt, quaſi corpore, diuitiis, amicis, aut ętate reliquos antecelluerit maiórque fuerit: ſed

Ioan. 3.

Matth. 11.

hæc fuit: Principio q̃ fide ſua nõ vti arũdo, ſed quaſi cedrus nullo vento motus perſtitit. Secundò, q̃ nullius hominis fauorẽ, nulláque mundi gaudia quæſiuit. Tertiò, q̃ ita omniũ illius religionis mentes prædicatione ac baptiſmo ſuo permouit, vt omnes accurrerẽt, corámq; eiuſcemodi hominem videre atq; audire, ab ipſo etiã doceri cuperent. Quartò, q̃ nõ ſolùm Propheta, ſed & pluſquam propheta fuit, hæc omnia ipſe Chriſtus de eo prædicat. Et quod illi maius, vtilius, certiúſq; teſtimoniũ dari poſſet? & quidem ea omnia in ipſo certa atq; cõperta ſunt. Quid homines vel ad faciendũ, honore, vel ad prætermittẽdum, timore magis incitat prohibétq;? Quid Abſalõ, in impiũ illũ, pulſandi regno patrẽ impulit conatũ, præter honores? Vtrumq; Ioãni ad manus fuit nihilominus tamẽ in cõſtãtia perſeuerat, vulgus eum Chriſtũ æſtimabat, eúmq; pro Meſsia ſuſcepiſſent, qui maximus illius
Ioan.1. gẽtis honos erat, ſed noluit, ſed cõfeſſus eſt, & non negauit: Quia, inquit, nõ ſum ego Chriſtus. Cõtrà Iudęorũ primores
.6. imperioſè quærebãt, quid baptizaret, cũ non eſſet Chriſtus, ſed minimè cõtritus eſt. Herodes Rex in carcerẽ incluſit: at
Luc.3. ipſe in veritate profeſſa cõſtitit. Tũ Lucas ab ineunte ætate
Matth.3. deſerta incoluiſſe eum teſtis eſt. Alij verò locuſtis ac melle ſylueſtri pro cibo vſum fuiſſe referunt. Id quod clarè demõſtrat, nec gaudiũ in mũdo, nec amicitias hominũ quæſiuiſſe eum, aut ambitioſè cõcupiuiſſe. Deus illi & fundamẽtũ erat & finis. Tum verò ita clarè in Euãgeliis qua grauitate nullius cuiuſlibet ſortis hominis timore, prædicauerit perſcriptũ eſt, vt lõgiore probatiõe non ſit opus. Deniq; etiã & propheta & pluſquã propheta fuit. Quæris quomodo pluſquam propheta fuerit? Ecce monſtrauit corã quem oẽs prophetæ alij vẽturũ eſſe prædixerãt. Deinde etiã prophetauit adhuc in matris aluo poſitus, exultãs & geſtiens. Tertiò tantá propheticæ gratiæ abũdantiã cõſecutus, vt ipſius parẽtes etiam inde participarint propheticũ ſpiritũ. Ad hæc omnia illius prophetarũt. Nã & natiuitas eius mox futũræ Chriſti natiuitatis præſagiũ erat. Quẽadmodũ & aurora propinqui ſolis ſpẽ affert. Nomen Ioãnes, adeſſe Dei gratiã indicio erat: Ioãnes enim gratia dicitur. Prędicatio eius ſequẽtis prędicatiõis, peccatorúmq; ablutiõis vaticiniũ erat. Admirãda vita ipſius futurũ oſtendebat, vt cõuerſis mortalibus ad meliora, vera bona conquiſituros, falſa verò contempturos eſſe homines. Hac ratiõe propheta maior Ioãnes eſt, alioqui enim quid deſertũ incolere oportuit? Propterea igitur Chriſtus ait,

Inter natos mulierũ, nõ ſurrexit maior Ioanne Baptiſta. Et ipſum q̃dẽ credentiũ Eccleſia hodie cõmemorat. Miratur & exultat in præſtãti illa Dei grã, quã in Ioãne, & q̃dẽ ab ipſa natiuitate manifeſtauit. Eſtq; ſufficiẽs cogitãdi materia huius diei. Id ergo vt faciam°, gratia nos Chriſti adiuuet, Amẽ.

SERMO NONVS SVPER D. Chryſoſtomi verba, Tom. 2. ſermone de natiuitate Ioannis Baptiſtæ.

VNde feſto huic nomen origóque data ſint, cõmemorare neceſſe non eſt. Neq; enim Chriſtiani tantùm verùm etiã Iudæi atq; alij circa nos Ioãni noſtro hãc diẽ ſacrã eſſe, illiúſq; hodie natalẽ celebrari norunt. Verùm quid in eo piè atque commodè meditari, aut qua ratione Chriſtianè celebrari poſsit, nõ omnibus apertũ eſt. Quanquã & illud longè petitũ addiſcere neceſſe nõ ſit. Ipſe enim Euangeliſta Lucas duobus Euãgeliis hæc oſtẽdit, quorũ alterũ heri alterũ hodie legimus. Et tãta quidẽ ille támq; magnifica de pueri huius natiuitate cũ circũſtãtiis præſcripſit, vt facilè cuiuis attẽto ſit cognoſcere quãta cũ pietate celebrãda ſit feſtiuitas. Sanè maioribus noſtris primíſq; Chriſtianis ſatis magnã pietatis occaſionẽ hæc hiſtoria dedit. Imò verò in ipſis Eccleſiæ proceribus nõ modò quod mireris, verũetiam quo delectari poſsit videre eſt. Tanta enim diligẽtia Ioannis hiſtoriã hãc cõſiderauerũt, tã profundè perquiſierũt, omniáq; ac ſingula verba librarũt, tã ſuauibus meditatiõibus ſemet in ea oblectarũt, tã multa pietatis plena inde & ipſi ſumpſerũt, & aliis propoſuerũt tã præclara eius rei monumẽta poſt ſe reliquerũt, vt mirari quis poſsit quo tandẽ modo tã lõgè deflexerimus nos, quibus Ioannis hæc ſolẽnitas tantũ in laſciuia vocũ pedúmq; ſaltatione, in cõmeſſationibus cõpotationibúſque, in inſanis clamoribus vociferationibúſq; peragitur. Nec hiſtoriæ maieſtatẽ attendimus, nec in eam patrũ meditationibus mouemur. Vide enim vel ſolius Chriſoſtomi præclarã illã tantũ in prima Euãgelij verba locupletẽ exercitationẽ, cũ hæc ſibi verba ſumẽs Eliſabeth impletũ eſt tẽpus vt pareret: primũ, illud ipſum Eliſabet tẽpus circa ſolſtitiũ æſtiuale fuiſſe. Deinde à natiuitate Ioannis ad cõceptionẽ recurrẽs, per nouẽ illos mẽnſes, quibus in vtero matris erat Ioannes, circa autumnale æquinoctium ab angelo prædictum fuiſſe inuenit. Hinc tertiò à Ioannis natiuitate ſex menſibus enu- *Chryſoſt.*

meratis,ad illud tempus quo incarnatio filij Dei ab Gabriele virgini prænuntiatur,procedit,atque vernale illic æquinoctium cõperit. Denique inde nouem illos mẽses, quibus virginea carne latebat Christus enumerãs,circa solstitium brumale natum ipsum fuisse inuenit.Hinc tandẽ concludit, Ioannem autumno conceptum,verùm æstate natum: Christum verò veri tẽpore cõceptum,sed natũ fuisse hyeme,qui sanè quatuor anni partes sunt.Nec sine causa duorũ Ioannis ac Christi cõceptiones natiuitatésq; quatuor illas anni partes occupauisse opinatur.Postea etiã quid sibi velit obseruati temporis ordo exponit,cur Ioannes non solùm remeante sole natus,verùm etiã accrescente nocte adeoque diem minuente cõceptus sit,Christus verò nõ solùm sole superiores circulos ascendente natus,verùm etiam vernali solstitio crescente die atq; noctẽ abbreuiãte in virginis matris vtero cõceptus sit.Ioannes intelligitur Lex, vereríque Testamenti, omniúmq;,quæ illud cõplectebatur,ac humanũ genus grauabat illo tempore molestiarum imperfectionis inopięque figurã gerebat.Christus Euangelium significat,& nouũ Testamentũ cum omnibus gratiæ donis libertate atq; gaudio ipsius,quæ in eo regnant.Quòd ergo Ioannes crescente nocte cõcipitur,remeãte etiã sole natus est, indiciũ erat abrogandæ Legis auferendiq; peccati, mortis,omníq; miseriæ. Quòd verò Christus mense Martio,& post vernale æquinoctiũ conceptus,ac homo natus est solstitio hyemali,quando crescente die nox decrescit,argumentũ erat prodeuntis micãtísq; Euangelij,siue noui testamenti, Lucis ac gratiæ ortus expectandus erat.Cui etiam rei hoc seruit,q̃ matre anicula Ioannes.Virgine matre Christus natus est,Deficere nimirũ Ioannẽ,Christũ verò quæq; per ipsum significata sunt
Ioan.3. adolescere oportuit.Ipso Ioãne dicente,Ipsum oportet crescere,me autẽ minui.Ecce hęc D.Chrysostomi super primã illã huius Euangelij vocẽ meditatio fuit, Et quale tandem tẽpus postularetur,si quid præterea idẽ aliíq; in eam Ioãnis nati recens historiã multa cõsideratione conscripsei int, recitare voluero? Vtiq; minimum hoc in ea historia est quod
Luc.1. Lucas ait.Impletum est tempus pariendi. Si ergo quod minimum est illic, tanta ostendit, quid magis ardua facient? Verùm ipsẽ Christus ait, inter natos mulierum, non surrexisse
Matth.11. maiorem Ioanne Baptista. Idque copiosè demonstrari potest,nimirùm Ioannem ipsum omnibus veteris atq;

noui

noui Testamenti sanctis prestare. Neq; enim, si omnes omniũ tẽporũ historias legeris, tot tantáq; in vnius alicuius hominis natiuitate, Christũ semper excipio, miracula videbitis, præterquã in Ioãnis nostri, ídq; nõ sine peculiari ratione factũ est. Nullũ enim ipse Ioannes per omnẽ vitã miraculum edidit: eóq; maiora Deus exhibuit in natiuitate illius, atq; ita quidẽ fieri oportuit. Ad egregiũ atq; celebre munus Ioãnes seligebatur: ideóq; ab incunabulis celebrẽ eius famã esse decuit. Id ergo Deus in eius natiuitate magnis ac inauditis prodigiis effecit, vt oẽs simul inuicẽq; dicerẽt. Quis putas puer iste erit? Hũc Deus finẽ proposuerat. Quia verò nõ sibi, sed Christo homines colligere debuit, si ipse per vitæ tẽpus suũ miracula edidisset, nihil sanè ꝓfuisset. Sine miraculis eñ Iudæi eũ Christũ opinabãtur, ꝙ si etiã miracula ipse edidisset, vulgus hominũ relicto Christo, omne ad ipsũ reuertisset. Ea propter edẽdorũ miraculorũ virtus, ipsi qdẽ data nõ erat. Deus autẽ illo maiora in natiuitate eius faciebat, imò verò & ante natiuitatẽ, quo sua ipsi maneret authoritas. Quãtus verò hic de iis miraculis cãpus se aperit? Sanè nõ vni⁹, sed plurimorũ sermonũ hęc dicẽdi materia est. Sed quia hęc maxima parte superioribus ãnis docui, nũc in tria verba (quod dici solet) coniungam. Quicúnq; piè Christianus es, Ioannẽ in lucẽ prodiisse lætare: Deum omnia etiam quæ impossibilia videntur facilè posse exequi, mirare: quod idẽ visitauerit plebẽ suã, eámq; redemerit, cũ Zacharia laudes prædica. Hæc sunt quæ propriè ad hãc festam diẽ pertinẽt. Saltationes enim atque choreæ, tum comessationes ebrietatésque ac vociferationes nihil ad rem faciũt, magísq; Ethnica quàm Christiana sunt. Gratia Dei nobiscũ, Amen.

SERMO DECIMVS IN historiam natiuitatis Ioannis.

COnueniẽtius nullũ exordiũ huius video sermonis, præter ipsam natiuitatis sancti viri historiã. Ait Lucas, fuit in diebus Herodis Regis Iudææ sacerdos quidã noĩe Zacharias de vice Abia: & vxor eius de filiab⁹ Aarõ, & nomẽ eius Elisabeth. Erant autẽ iusti ambo ante Deũ, incedẽtes in omnibus mãdatis, & iustificationibus Dñi sine querela. Et non erat illis filius, eò ꝙ esset Elisabeth sterilis, & ambo processissent in diebus suis. Factũ est autẽ, cũ sacerdotio fungeretur Zacharias in ordine vicis suæ ante Deũ, secundũ cõsue-

tudinẽ ſacerdotij, ſorte exiit, vt incẽſum poneret ingreſſus in templũ Dñi ſtans ſa dextris altaris incenſi. Et Zacharias turbatus eſt videns, & timor irruit ſuper eũ. Ait autẽ ad illũ Angelus. Ne timeas Zacharia, quoniã exaudita eſt deprecatio tua. & vxor tua Eliſabet pariet tibi filiũ, & vocabis nomẽ eius Ioannẽ: & erit gaudiũ tibi & exultatio, & multi in natiuitate eius gaudebunt: erit enim magnus corã Dño, & vinũ & ſiceram non bibet. Et ſpiritu ſancto replebitur adhuc ex vtero matris ſuæ, & multos filiorum Iſrael cõuertet ad Dominũ Deum ipſorũ: & ipſe præcedet ante ipſum in ſpiritu & virtute Eliæ, vt conuertat corda patrũ in filios, & incredulos ad prudẽtiam iuſtorũ, parare domino plebem perfectã. Et dixit Zacharias ad angelũ: vnde hoc ſciã? Ego enim ſum ſenex, & vxor mea proceſsit in diebus ſuis. Et reſpondens angelus dixit ei: Ego ſum Gabriel qui aſto ante Deũ, miſſus ſum loqui ad te, & hæc tibi Euãgelizare. Et ecce eris tacens, & nõ poteris loqui vſque in diem quo hæc fiant, pro eo quod nõ credidiſti verbis meis quæ implebuntur in tempore ſuo. Et erat plebs expectans Zachariam, & mirabantur quod tardaret ipſe in templo. Egreſſus verò non poterat loqui ad eos. Et cognouerunt quod viſionem vidiſſet in templo. Et ipſe erat innuens illis, & permanſit mutus. Et factum eſt vt impleti ſunt dies officij eius, abiit in domum ſuam. Poſt hos autem dies concepit Eliſabeth vxor eius, & occultabat ſe menſibus quinque dicens, Quia ſic fecit mihi Dominus in diebus, quibus reſpexit auferre opprobrium meũ inter homines. Ecce hæc illa hiſtoria, quã ideò totã recitari, vt omnes hanc feſtiuitatem, tanto cum omniũ in Eccleſia tripudio, nõ ſine vrgẽti cauſa celebrari videant alioqui enim non immeritò quis miraretur, maximè qui hanc feſtam diem, tantũ natiuitatem illius viri reſpicere intellexerit. Eſt autem hæc Eccleſiæ conſuetudo, vt cum filiis ſuis exultet, non ea qua primũ in hunc mundũ nati ſunt die, ſed qua paſsi ſunt, quare ſanè longè ſecus, atque mundus hic facit. Qui enim mundi ſunt, lætantur cùm naſcũtur, mœrore afficiuntur mortis præſentia. Longè (inquam) alia Eccleſiæ filiorũ ratio eſt, qui natales ſuos in peccatis ad multas exilij huius miſerias nati deflent, at in morte contrà lætantur, vt qua miſeriis peccatiſque exuti ad requiẽ tranſeant. Nullius præter Chriſti, Mariæ atque Ioannis, natalem Eccleſia celebrat, ſed eam potius diem annua memoria repetit,

qua

qua piè ſanctéque hanc vitam finiuerunt, Diabolum Mundúmque deuicerunt, ex tempeſto mari in optatum portum appulerunt, & ex labore huius vitæ in domini ſui requiẽ introierunt, ſecuri in perpetuum permãſuri. Id verò ante obitus diem nunquam contingit. Hîc ergo feſtos dies agendos Eccleſia docet. quanquam enim vel iuſtiſsimi ſint, quandiu tamen in hoc mundo viuunt, timẽdum eſt. Qui ſtat, monet Apoſtolus, videat ne cadat. Et ſapiens ante mortẽ ne, inquit, laudes hominẽ quenquam, ac ſi diceret, finẽ expecta, neſcis enim an conſtans permanſurus ſit. Ne fœlicem iactaueris nautam, antequam littus attigerit. Ne canas triumphũ alicuius, ante victoriam: ſed in Ioanne peculiare quid offertur. Vnde credentium populus, non modò in morte, verũetiam in natiuitate eius cum ipſo gaudet. idque ideò fit principiò, quia tot in natiuitate eius cùm in ipſo, tum etiam parentibus miracula cõtigerũt. deinde quòd ipſa natiuitas tot motus inter homines excitauit, multos in admirationem non paucos etiam in gratiarum actionem induxit: vt illo ipſo etiam tẽpore impleretur in eo quod poſtea Chriſtus teſtatur dicens, A diebus Ioannis Baptiſtæ vſque nũc regnũ cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Omnes enim prophetę & Lex vſque ad Ioannem prophetauerunt. Maximè verò ideò factum eſt, quòd Ioannes quẽadmodum prædicando Chriſtũ prænuntiauit, ita etiam naſcẽdo ſequẽtem ſignificauit. Erat enim ſequentis Chriſti certiſsimum indicium, Ioannis natiuitas. Haud aliter atque ſtella matutina oriente, mox ſolem ſurgẽtem certò expectamus. Hoc verò non exiguum gaudium hominibus attulit. Ipſe enim Deus quondam hoc ſigno dato, homines ſperare docuit, quod viſo aliquãdo auditóque Ioãne, mox ſecuturus eſſet, ínque publicum proceſſurus Meſsias. Ecce, inquit, ego mittã Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam: & ſtatim veniet ad templũ ſuum dominator, quem vos quæritis, & Angelus Teſtaméti, quẽ vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus exercituũ. Et alibi, Vox clamantis in deſerto, Parate viã Domini, rectas facite ſemitas Dei noſtri in ſolitudine. Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & erunt pauca in directa, & aſpera, in vias planas. Et reuelabitur gloria Domini: & videbit omnis caro pariter, quòs Domini locutũ eſt. Hæc olim Deus prædixit, voluitq; his prænonitos homines: ac ſi dixiſſet, Cùm hæc ita fieri vide-

1. Cor. 10.
Eccle. 11.
Matth. 11.
Malach. 3.
Iſa. 45.

ritis,attollite capita vestra,& nõ longa mora venturũ expectare Messiam.Hoc ergo signũ dederat Deus. Vnde quãdiu Angelum hunc nusquam apparentem cernebãt,nec hanc in deserto vocem audiebant,nullam appropinquantis Messiæ spem habebant. Verùm nato Ioanne, & hunc antesignanum esse Regis magni,Angelo prẽmonẽte,venturum mox Messiã certi erãt. Ecce hæc celebrati natalis nostri Ioannis causa est. Quam ea Lucas diligentia præscripsit, vt meritò piè Christianus, quilibet in illa historia occupetur, vt quæ multis modis prodesse queat,maximè verò in eo,quod Ecclesia docente, precamur, nimirum ad spiritualiũ gratiam gaudiorum,& ad dirigendos nos in viam salutis.Hæc enim duo precari iubemur hodie, vt & spiritalium gaudiorũ gratiam agnoscamus,in viã salutis pedes nostri dirigantur. Et quid est, quod nobis ad hanc rem plus commodare potest, præter hanc quam audiuimus historiam,aliáq; quorũ Scriptura,de Ioanne loquens mentionem facit? Nusquam enim eam,quã in hac historia veram, spiritualem diuinámque lætitiam videbimus.Non alia re,quàm hac historia, compendiosius disces, qua ratione pedes tuos in viã salutis æternæ dirigas:id ita esse paucis ostẽdã.Principiò igitur,quod verè spirituale sit gaudiũ quæris? (de hoc enim solo loquor, hoc omnes inquirere æquũ est, hoc etiã Angelus intelligi vult, cũ multos in natiuitate Ioannis gauisuros esse prænuntiat: hoc etiã pij patres nostri in hoc festo quæsierũt, cùm nemo nõ spirituale gaudium expeteret,quod Angelus nuntiasset, quod etiãnum inueniri posset, quẽadmodũ & ab illis inuẽtum est,si tantũ inde abduci nos, ab hoste nostro passi non fuissemus,aut ipsi à spirituali gaudio,ad mentium illã corporũque infamiam, petulantiamque non defecissemus, ita vt nec illius quod Angelus prẽnũtiauit,gaudij recordemur. Id quod Christianos non modò minùs decet, festósque dies nostros Iudæis atq; aliis,risum facit,verũetiã hoc efficit, vt licèt inuiti audire tamẽ cogamur: Væ vobis qui nũc ridetis quia flebitis.Nec mihi propositũ est, mundi illam vesaniã, ab hominibus eximere:q̃ alij multi me multò prẽstãtiores id sæpe frustra tentarũt:sed piis atque credentibus loquor, quorũ de verè spirituali gaudio, quæstioni ex ipsa historia respõdebitur)ipse Zacharias, qui eã historiã no modò mẽtis gaudio,sed & oris cõfessione cõcludit,docebit. Et quomodo ad illud gaudiũ peruenit? Serò quidẽ & no sine mora

Luc.1.

Luc.6.

succesit

ſucceſsit,incœptúq; eſt negotiũ,multi etiã dolores ſe immiſcebãt,præibãtq;. Quãquã enim,ambo iuſti eſſent, Zacharias vxórque Elizabeth,vſq; in ſenectã,tamẽ illa quã nõnũquã & malis,cõcedi videmus,benedictiõe priuati erãt. Nõ erat illis filius,ait Euãgeliſta. Quæ ſanè illorũ temporum, maxima erat miſeria piorũ, ſciẽtes Abrahã hanc à Deo accepiſſe benedictionẽ primũ,futurũ eſſe, vt benedictiõe multiplicaretur ſemen eius,ita planè,vt oẽs populi in illo ſemine benedicẽdi eſſent. Vnde hac prolis benedictione priuati, eiectos ſeſe eſſe à gratia Dei colligebãt, & eiuſmodi planè eſſe, alij iudicabant. Id quod in Anna Samuelis matre videre eſt,cui veluti grãdis calũnia,hac fœcũditatis benedictione priuata eſſe,obiectũ fuit. Hãc ergo & ipſe, quantũuis iuſtus Zacharias ſuſtinuit,& quidẽ in ſenectã vſque, calũniã. Inſuper priuſquã verũ illud cõſequeretur gaudiũ, etiã linguæ vſu orbatur,quo nõ modò priuaretur benedictione illa, præterea etiã pateretur. Id quod amplᵒ, quaſi irati Dei pœna,ſuſpitionẽ augere potuit. Solet enim hoc modo iudicare mũdus, vt eũ maledictũ putet,cui afflictiones à Deo impoſitas eſſe videt. Ita enim & Chriſto & Apoſtolis, & martyribus,& veteris Teſtamẽti patribus,& ipſi huic Zacharię vſu venit. Verũ tandẽ rerũ exitus alia edocuit, quãdo copioſum gaudiũ,cumulatè cõfertur. Primò Angelᵒ apparet: ídq; principium erat gaudij. Neque verò exigua gratia eſt, videre angelũ,eo videre modo,quo Angelũ hunc Zacharias vidit. Enimuerò alia longè hæc apparitio fuit, qua olim cũ vel in Aegypto apparẽs,primogenita occidit: vel in facié Baal educto gladio reſtitit: vel in tentoriis Sennacherib, vna nocte omnẽ exercitũ deleuit,clemẽtiæ hæc apparitio erat, illa verò iræ. Quãquã enim Zacharias turbaretur, mox tamẽ conſolatio conſequitur, Angelo dicente, Ne timeas Zacharia, quoniã exaudita eſt deprecatio tua. Et vxor tua Eliſabeth, pariet tibi filiũ & vocabis nomẽ eius Ioannẽ, & erit gaudiũ tibi,& exultatio,& multi in natiuitate eiᵒ gaudebũt. Et hic gãudium illud ſecundus erat gradus, cùm non modò Angelum videt,ſed & loquentem audit verba Dei,& eiuſcemodi planè,quæ meras promiſsiones cõtinebant. Et quæ promiſſio? illius nẽpe quod in hac vita expectabat maximũ, filium nimirũ,& eiuſcemodi,qualẽ vſque in eum Diem nec mudus quidem vidit: filiũ in quo mortalibus omnibus præſtantis gratiæ ederetur exemplũ. quã ob rem etiam Ioannes dictus

Reg. 1.

est. Et huius rei gratia Angelus multis verbis vsus est: sed quę multum ad rẽ faciant, & quorũ quodque peculiare quid in se cõprehẽdit, de hoc puero. Principiò enim Angelus ait, pariet tibi filium: vocabis nomẽ eius Ioannẽ: & erit gaudiũ tibi & exultatio. Et hæc quidẽ in genere dicta erant, potuisséntq; eã coniugũ horũ, quã tot annis sustinuerant, calũniã leuare. Sed minimè his contentus Angelus quiescit: adhuc enim alias huic infantuli cõditiones enumerat, & tot omnino, vt Zacharias habere dictis fidem vix posset, vt qui eã bonorũ liberalissimi Domini copiã nesperasset quidẽ. Quid ergo de nascituro infante prædicit Angelus porro? Magnus erit corã Domino. Ecce hæc de Ioanne necdũ concepto dicũtur. Et quid præclarius de eo dici potuisset? An nõ lætitia perfundi debuit pater, cui tantus filius prænũtiatur? Quantus iudor est, ad pietatẽ filios erudire? Nõ hoc labore Zacharias, in eruditione filio opus habuit. Deus enim ipse in hoc infantulo operari voluit, imò verò adhuc in matris positũ vtero, Spiritu sancto repiere: vnde nihil, præter magnũ atq; egregium sequitur. Quid enim non potest spiritus ille sanctus? Sanè nõ est quod miremur magnũ fieri corã Domino, nulla mundi huius cupiditate titillari, omnes ad Christum perducere eũ, qui Spiritũ sanctum in se habet. Et quemodo hæc in Ioanne cõsummata sint, omnes Euangelistæ testantur: nullus horũ Ioannẽ nostrum transijt. Et Lucas quidem atque Marcus exordium ab eo Euangelicæ historiæ sumũt, Matthæus non quidẽ ab eo exorditur: verùm mox tamen in illius historiam incidit. Quemadmodum Ioãnes etiã facit.

Marc. 1. Quod ad Lucam iam antè audiuimus. In Marco verò sic legimus, Initium Euangelij Iesu Christi, sicut scriptum est, in

Isa. 45. Esaia Propheta: Ecce ego mitto angelũ meum, ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas eius.

Matth. 3. Matthæus in hæc verba scribit, In diebus illis (nimirum quibus Christus natus erat) venit Ioannes Baptista prædicans in deserto Iudææ, &c. Postremus quidẽ, Ioannes Euangelistarum est, sed omnium grauissimè, nec vno in loco de Ioanne Baptista loquitur. Omnia hæc Zachariæ promissa sunt, & quid miramur, aliud præter Ioanni puero indi nomen prohibuisse? Nequaquam, inquit mater: ipse vero pater cùm loqui non posset, scripsit in eandem sententiã & hoc secundum est, quod Zachariæ patri gaudium attulit.

Tertium

Tertium verò maximum est, quòd filij promissionem accepit, & talis filij, in cuius officij descriptione ipse etiã Christus promittitur. Et ipse præcedet ante ipsum in Spiritu & virtute Eliæ. Hoc maximum erat, neq; Zacharias satis mirari potuit: Et, inquit, tu puer Propheta Altissimus vocaberis, præibis enim ante faciem Domini parare vias eius: imò verò propterea erũpere in hanc exclamationẽ cõgitur: Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitauit, & fecit redemptionem plebis suæ. Hic illud gaudium perfectissimũ est, imò vita æterna est, cognoscere Deum, & quem ille misit, Iesum Christum. De qua re quàm pulchre Zacharias canat ausculta. Nondum Christus redemptionis munus exorsus erat, imò nondum in hanc lucem processerat, tam confidenter tamen ea de re Zacharias loquitur, acsi iam dudum confecta essent omnia. Sed vnde hęc illi certitudo? Ioãnes. Quãdiũ enim hunc habebat, de Christo hæsitare non potuit. Et tu puer. Quis iste verò Dominus est, ante cuius faciem Ioãnes erat præcessurus? Oriens ex alto. Sic Lucas, sic & Zacharias Christum appellat: hoc illi nomen est. Sed quale munus ipsius est, quid effecit? Visitauit & fecit redemptionem plebis suæ, & erexit cornu salutis. Quomodo visitauit? Per viscera misericordiæ. Quomodo & vnde liberauit? Salutẽ ex inimicis nostris, vt seruiamus porrò coram ipso, omnibus diebus nostris sine timore. Quid ipsum ad hæc permouit? Tria. Misericordia ipsius, veritas, & nostra inopia. Ad patefaciendam misericordiã suam, primum est: Ad faciendã misericordiam cum Patribus nostris, & memorari Testamẽti sui sancti, ac iusiurandi quod iurauit ad Abraham Patrem nostrũ atque Dauid. Per memetipsum iurauí, inquit, si Dauid mẽtiar. Et, Iuranit Dominus, Dauid veritatẽ. Et, Iuraui seruo meo Dauid. Tũ per reliquos etiã Prophetas denũtiauerat atq; miserat. Hoc ergo præstare voluit. Traxit verò & nostra inopia. Prospexit de excelso sancto suo. Dñs de cœlo in terrã aspexit, vt audiret gemitũ cõpeditorũ & solueret filios interẽptorũ. Et q̃ nostra inopia? In tenebris & in vmbra mortis sedebamꝰ, pedes nostri à via felicitatis deflexerãt hęc nostra erat inopia. Ille ergo cõtra lucẽ dedit nobis, & reduxit nos in viã salutis. Et qd cõuenięti⁹ sequit, nisi vt dicamus, Benedictꝰ Dñs Deus Israel. Ecce gaudiũ, q̃d Angelus annũtiauit, Zacharias sensit, cui & prçsens festiuitas innitit, & quod publica omnium voce à Deo expetimus: Da Domine spi

Luc. 1.

Psal. 89.

Psal. 131.

Psal. 88.

Psa. 101.

ne ſpiritualium gratiam gaudiorum. Hoc qui nõ concipit, intráque ſe experitur, verè hũc natalem nõ celebrauit: imò qui per Ioannem ad Chriſti agnitionem non venit, ne Ioannem quidem nouit. Non enim ſibi tantũ natus eſt Ioannes, ſed ad parandam viam Domino, ad perducendum homines in agnitionem Chriſti & beatitudinis, in remiſsionem peccatorum ipſorũ. Id quod ſecundũ eſt hodiernæ ac Eccleſiæ orationis, qua Deum precamur, vt omniũ fidelium mentes cõuertat. Huic igitur rei præſens hiſtoria ſeruiat, vt via aperta ſit Deo introeundi in corda noſtra, tum verò pedes noſtri in viam pacis atque ſaluris directi ſint, hoc eſt, Ad hãc rem nobis cõmodabit Ioannis feſtiuitas, ne noſmet in ea quam præſentem tenemus gratiam, impediamus: ſed ipſi quoque futuræ gloriæ acquirendæ ſtudeamus. Gratia enim promerita eſt, ſalus atque gloria promiſſa eſt. Chriſtus præſto eſt. Ego, inquit, ſto ad oſtium & pulſo: & Ioannes quidem digito in ipſum monſtrat: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Hic eſt qui in Spiritu & igni baptizat. Hic eſt de cuius plenitudine omnes accepimus. Hic eſt vnigenitus ille Dei Filius, qui eſt in ſinu Patris, quem manifeſtauit Pater, quem Pater diligit, cui pater omnia in manus dedit. Proinde pœnitentiam agite, quicquid vſpiam impedimenti, quod vos ab ea gratia remoratur, eſt, abiicite. Quicquid commodare poteſt, ſuſcipite. Ne quid confidentius agatis, neq; deſperetis, nolite in factis veſtris gloriari, nec peccatores animum abiicite: Vtrumuis enim horum Chriſto viam præcludit. Peccatores vos agnoſcite, gratiam quærite, diſcedite à prauis viis veſtris, rectã & regiam viam incedite, vt ab hoſtium veſtrorum timore liberati, deinceps Deo & Domino veſtro ſine timore in ſanctitate atq; iuſtitia ſeruiatis, omnibus diebus veſtris. Ita enim Zacharias monet. Propterea liberauit nos, vt non nobis, non mundo: ſed ipſi, nec externo habitu tantùm, ſed in ſanctitate & iuſtitia, nõ ſolùm coram mundo, ſed coram ipſo, nec vno aliquo tempore, ſed omnibus vitæ noſtræ diebus ſeruiamus. hæc via illa ſalutis ac pacis, ad conſequendam peccatorum remiſsionem & æternam cùm pacem, tum fœlicitatem. Hanc viam Ioannes docuit, hanc ipſe cum vtroq; parente iuit. In omnibus iuſtificationibus ambulabant. Propterea etiam primi erant, quos pro Chriſti agnitione, lætitia Deus perfudit. Huic ergo nos quoque ſtudeamus ſecundum Euangelium. Monet quidem Ec-

cleſia

cleſia precari Deum: vt dirigat vias noſtras, tamen etiam quod noſtrum eſt præſtãdum erit. Deus iuſtificat atque ſanctificat nos, ſed non ſine nobis. Non enim otio torpendum eſt. Gratia Dei nobiſcum, Amen.

IN DIE APOSTOLORVM PETRI AC PAVLI EVANGELIVM MATTH. XVI.

VEnit Ieſus in partes Cæſareæ Philippi, & interrogabat diſcipulos ſuos dicẽs, Quẽ me eſſe dicũt homines filium hominis? At illi dixerũt. Alij Ioannem Baptiſtam, alij autem Eliam, Alij verò Hieremiã, aut vnũ ex Prophetis. Dicit eis Ieſus, Vos autẽ quem me eſſe dicitis? Reſpondens Simõ Petrus, dixit, Tu es Chriſtus filius Dei viui. Reſpondens autẽ Ieſus, dixit ei, Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro & ſanguis nõ reuelauit tibi: Sed Pater meus qui in cœlis eſt. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petrã ædificabo Eccleſiã meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Et tibi dabo claues regni cœlorũ. Et quodcũnque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcũnq; ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis.

EADEM FESTA DIE EPISTOLAE LOCO LECTIO ACT. XII.

EOdem tempore miſit Herodes Rex manus, vt affligeret quoſdam de Eccleſia. Occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio. Videns autem quia placeret Iudæis, appoſuit apprehendere & Petrum. Erant autẽ dies azymorum. Quem cùm apprehendiſſet, miſit in carcerem, tradenſque quatuor quaternionibus militũ ad cuſtodiendum, volens poſt Paſca producere eum populo. Et Petrus quidẽ ſeruabatur in carcere: oratio autẽ fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia ad Deum pro eo. Cùm autẽ producturus eum eſſet Herodes,

rodes, in ipsa nocte erat Petrus dormiēs inter duos milites, vinctus catenis duabus: & custodes ante ostium custodiebāt carcerem. Et ecce Angelus domini adstitit, & lumē refulsit in habitaculo, percussoq; latere Petri, excitauit eum, dicēs. Surge velociter. Et ceciderunt cathenæ de manibus eius. Dixit autem Angelus ad eum, Præcingere, & calcia caligas tuas. Et fecit sic, & dixit illi, Circunda tibi vestimentū tuum, & sequere me. Et exiēs sequebatur eum, & nesciebat quia verum est, quod fiebat per Angelum: Existimabat autem se visum videre. Transeuntes autem primam & secundam custodiam, venerunt ad portam ferreā, quæ ducit ad ciuitatem, quæ vltrò aperta est eis. Et exeuntes processerunt vicum vnū & continuò discessit Angelus ab eo. Et Petrus ad se reuersus ait. Nunc scio verè quia misit Dominus Angelū suum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorum.

SERMO PRIMVS.

QVOD nuper ante paucos dies dixisse me memini, idem nunc in hac festa die dico: nimirùm commodè iustóq; ordine fieri, vti præter Euangelij doctrinam illud quoque ac iuxta doceatur, qui primi illius doctrinæ & susceptores & prædicatores fuerint. Ita enim plerúnq; in mūdo vsu cōparatum est, vt quæuis doctrina gratior reddatur, non iam quòd vera ac bona, sed quòd per graues bonósq; viros prædicata, amplectanda proponatur. Iam verò apertissimum est, nostram Euangelij doctrinam, quam Christo Deo dante accepimus, non modò per se bonam, certam, ac indubitatam, verumetiam ab initio per eiuscemodi homines prædicatam esse, quos ipse etiam mundus prædicare ac magni facere cogitur, vtique cùm nihil habeat, quod verè obiicere possit. Id quod suprà in Ioanne, atque hîc in ipsis Petro atque Paulo videmus, qui ideò pariter nobis hac die proponuntur, non quia vna passi sint, sed vt clariùs aliquanto perspiciamus, quos Ecclesia primos, duces pastoresque habuerit. Hi enim duo inter eos qui primùm Ecclesiam plantauerunt, facilè fuerunt principes. Quicquid etiamnum Christianissimi maximè in Europa supereſt, per alium neminem, præter hos duos Apostolos, horúmque successores plantatum fuit. Vnde propriè etiam nostri Apostoli dicuntur. Nunquid ergo iniquum est eorū vel semel quouis anno nos meminisse? Vehementer arbitror necessarium esse id, maximè cùm sint tales quorum

non

non pudendum nobis est, sed magis lætandum in iis est: idque rectius quàm de Philosophis olim suis Græcia, vel de belli magnanimis ducibus suis Roma gloriabatur. Quid enim hi omnes erga nostros sunt? Quid simile effecerunt? Et illi quidem, quorum summa virtus ac sapientia fuit trucidare ac circumuenire homines, æterna suorum memoria celebres erunt, nos verò nostrorum ducum obliuiscemur? Longè à nobis, qui Christo Iesu militamus, hoc absit, ne vnquam Apostolorum in Ecclesia, maximè horum amborum memoria sepeliatur. Quod enim maius robur fidei nostræ tum supererit? Quod præstantius certæ atque viæ vitæ exemplum, præter horum duorum relinquetur? Quòd si hi duo ad Christum non traxerint, nemo sanè trahet: qui horum à peccatis ad pietatem exemplo ducti nõ fuerint, haud facilè quouis mouebuntur. Et vt breuiter dicam, si quis necdum Christianus effectus esset, si tamen quorum opera Euangelij verbum primùm inter homines, atque fides disseminatum sit, cogitauerit, adhuc Christo nomen daret. Ecce hæc causa est, cur tanta cum honorificentia duorum horum memoriam Ecclesia repetit. Nec secus ac dixi se res habet. Atque vt necessarium, ita quoque pulcherrimum esset, sæpè præsertim hac tempestate, eorum meminisse. Proinde non possum quin pauca de ipsis dicam: neq; enim vnquam, quid nobis ad veram pietatem desit cõsiderabimus, nisi primos fidei ductores intuiti fuerimus. Id vt fiat, tu Domine, oculos cæcutientium aperias oro. Sunt igitur in his Apostolis nostris tria perpendẽda, persona, doctrina, ac vita. Quod ad personas, magnæ autoritatis ac reputationis fuerũt: quod ad doctrinam, indubitatæ fuerunt veritatis: quantũ verò ad vitam attinet, plenæ perfectionis fuerũt. Hæc sunt Christianorum ornamenta, quæ etiam omnibus vehementer necessaria sunt. Authoritatem personæ habebant Apostoli, inquam, non secundum originis aut mundanæ scientiæ, aut diuitiarum, multò verò minus ostentationis respectum, his enim rebus atque formis seculi huius filij autoritatem sibi conciliare consueuerunt imprudentium, nihil eò præstantiores coram sapientibus iudicati, nisi cæteris virtutum ornamentis claruerint. Nam & Neronis, hodie eius causa recordamur, parua admodũ ipsius laude, at veluti primi Christianorũ persecutoris, atq; crudelissimi tyrãni, qui primus

primus post Pilatum, Romanam Christianorum sanguine sedem cõsperserit. Hic, inquam Nero, omnia habet, quibus carnales homines populi fauorem sibi conciliare consueue runt. Erat enim Cæsareo genere, illo tempore facilè præstantissimo oriũdus. Matrem Agrippinam Caij Cæsaris sororem, Tyberij verò Cæsaris neptim habuit, Germani filio Drusi fratre. Adde quòd & adoptiuus erat Claudij Cæsaris, tandem ipse quoque in fastigium rerum subuectus fuit, tantis diuitiarum copiis, tanta doctrina præditus, tanto fastu tumidus, vt Suetonio teste, nũquàm vnam vestem bis indutus sit. Hęc aliáq; multa id genꝰ Nero copiosè habuit. Quã autem apud homines authoritatẽ obtinuerit vis scire? Oderunt omnes, calumniabantur, ad nominis etiam appellationem, pro destinatione conspuebant, deniq; interitum ipsius efflagitabant. Contrà verò Apostoli nostri horum nihil habuerunt, nec diuitias possederunt, nec voluptatibus dediti fuerunt: nihilominus tamẽ ea ipsorũ apud pios omnes erat authoritas, vt ab omnibus magni haberẽtur, venerarentur, suspicerẽtur. Vis authoritatẽ ipsorum cognoscere? In Actis Act.5. legimus plurimos infirmos in lectulis suis in plateas fuisse positos, vt veniẽte Petro, saltem vmbra illius obumbraret quenquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis. Sed & multi finitimi Hierosolymam venientes, attulerunt ægrotos suos, & qui vexabantur à spiritibus immundis, cu- Act.9. rabantur. Et in Ioppe quidẽ tantum Petri erat desiderium, vt missis ad eum duobus legatis orarẽt, vt ad se venire non grauaretur. Quò cùm peruenisset, duxerũt eum in cœnaculum, & circunstiterunt illum omnes viduæ flentes, & ostendentes ei tunicas & vestes, quas faciebat illis Dorcas. Eiectis autem omnibus foras, Petrus ponens genua orauit: & conuersus ad corpus dixit, Tabitha, surge. At illa aperuit oculos, & viso Petro resedit. Sic cùm ab Herode in carcerẽ missus esset, oratio fiebat sine intermissione ab Ecclesia pro eo ad Deũ. Tãtæ ergo apud omnẽ credentiũ Ecclesiã æstima Act.14. tiõis erat. Similis est Pauli ratio. hic enim Lystris nõ homo Act.19. sed Deus habebatur aliquis Corinthi sudaria ipsius super Act.21. malè affectos, pro remedio ponebant. Cùm Epheso Hierosolymam pergeret, osculabantur eum omnes seniores in signum dilectionis. Comitabãtur eum Tyri cũ vxoribus atq; liberis, cùm ab eis recederet. in Cæsarea, cùm Agabus ligã-

dum

dum esse eum Hierosolymis prædixisset, omnes pro sua in- Act.21.
columitatis ipsius cura ne ascenderet illuc, obtestantur. Sic
cùm naufragiũ passus esset, atq; Mitylenã veniisset, breuissi-
mo tẽpore tantã cõsequebatur gratiã populi, vt pro Deo ha
beretur, humaniúsq; socij, sui causa, ac mitiùs tractarentur:
deinde Romã aduentans, occurrerint ei fratres vsq; ad Apij
forũ & tres tabernas. Et quid multis? Tãtæ autoritatis erãt
hi nostri Apostoli, vt primi etiã Cæsaris aulici illis coniun-
gerentur: vt testis est Linus in ipsorũ passionis historia: imò
verò ipse etiam tyrannus Nero admiraretur ipsos. Sed vnde
hæc illis autoritas venit? nõ aliũde, nisi quòd Deus in ipsis
operaretur. Loquebatur Deus per eos, ipsiúsque gratia luce-
bat in verbis ipsorũ atque factis. Hoc ergo ipsis parabat ad-
mirationẽ atque autoritatẽ apud oẽs. Agè huc adsis ac disce,
quicúnq; nominis gloriã immortalitatémque in mũdo au-
cuparis. Quòd principũ fauorẽ appetas, argentum reponas,
auro gẽmísque te ornes, necesse non est. Tũ etiã columnas,
imagines, ædificia, nomẽ, & cũ armis galeã erigas, aut pari-
tibus allinias. Hoc studeas potiùs, quo Deus intra te opere-
tur, per te loquatur, ínq; vitæ tuæ modo, sese ostendat sic, sic
inquã, maximã, eãque verã tibi laudẽ conciliaueris, pij qui-
que diligẽt te, mali admirabũtur, atq; reuerebũtur. His me-
diis Apostoli nomen decúsque consecuti sunt. Priusquã e-
nim diuina illa in ipsis gratia luceret, satis ignobiles mũdo
erãt. Verùm cũ accepto in Pentecoste Spiritu sancto, loqui Act.3.
inciperẽt, magnificentiámq; Dei variis linguis prædicarẽt,
tum demũ eam autoritatẽ consequebantur, quæ sanato, vno Act.14.
verbo Petri, claudo, cumulatè creuit. Vti etiam Paulus no- Act.28.
minis sui gloriam Lystris consequebatur, q̃ claudum erige
ret: & Mytilenæ, quòd viperam à manu sua in ignem excu-
teret. Hæc aliáque his similia Dei opera tantùm ipsis au-
toritatẽ pepererunt. Atque hinc cõsiderare licet, cur nõ hæc
nostra ætate etiã sacerdotes ac cęteros Ecclesiarũ ministros
tãto honore reuereãtur, quo olim veteres illos Ecclesiæ pa
stores atq; episcopos. Vis nosce causam? Nõ illa Dei facta in
nobis inueniũtur, nulláque vera in nobis apparet pietas, nul
la gratia Dei lucet in nobis, imò verò his planè contraria v-
bique sunt obuia. Et quid causæ prætendemus, quia cõtẽni-
mur? Impietas, luxuria, vitæque impietas in causa sunt. Atq;
his quidẽ nõ nominis gloriã cõparabimus, verũ multò ma-
gis ignominiã prouocabimus. Quòd si Apostolos imitare-

mur, haud dubiè lõgè præstantiorem nominis famam cõsequeremur. Atq; hæc de Apostolis eorũq; personis sint dicta: nunc porrò quod doctrinæ genus promouerint. Id quod breui sermone dici nequit. Verùm non diffido de vobis, atque planè mihi rẽ actã agere videbor, si diutiùs hac in parte laborauero. Neq; enim vlli ipsorũ incognita doctrina est, nisi qui fortè & ipsum Christũ nesciat. Nihilominus tamen vel tria solũ verba de ipsis cogitãda vobis libet proponere, quibus quis finis quæue doctrinæ ipsorũ intentio sit, facilè erit perspicere. Petrus in cõcilio Iudæorũ sic loquitur. Non est, inquit, aliud nomen sub cœlo datũ hominibus in quo oporteat nos saluos fieri. Idẽ & Paul⁹ dicit in noĩe Iesu omne genu flectetur, cœlestiũ, terrestriũ & ĩfernorũ. Ecce tibi Christianæ atq; Apostolicæ doctrinæ exordiũ, caput, atq; intentionẽ, quẽadmodũ illud in oĩbus eorum scriptis atq; sermonibus videre licet. Hoc exordiũ perpetuũ erat, nunquam ab ore eorũ discessit. Vis huius doctrinæ successum videre? vt inquit Petrus, diuina eius virtus oĩa nobis largita est, quę ad vitã ac pietatẽ pertinẽt, per agnitionẽ eius, qui vocauit eius propria gloria & virtute, per quem maxima & pretiosa nobis promissa donauit, vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ, fugientes eius, quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionẽ. Adhæc & Paulus sic loquitur, Obsecro vos fratres per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiã viuẽtẽ sanctã, Deo placentẽ, rationabile obsequiũ vestrũ. Ecce hæc cõsequentia sunt Apostolicæ doctrinæ. Nunquid & finẽ vis? Gloriari absit mihi, Petrus, cũ ad suppliciũ Crucis raperetur, ait, nisi in cruce dñi mei Iesu Christi, cui ego seruio. Et Paulus corã Nerone, Exiguo admodũ tẽpore patior inquit, postea cũ Deo meo viuẽte, & cum Rege meo Iesu Christo æternum victurus. Habes ergo Apostolicæ intẽtionis summã. Exordium eius siue caput, Christus est, siue quæ in ipsum est fides, consequentia siue successus, via pia ac Christiano digna finis siue conclusio, crux & in persequutione patientia, & de hac doctrina pulcherrimus D. Bernardi sermo extat. Docuerunt nos sancti, inquit, Apostoli, nõ Platonẽ legere: docuerunt me viuere. Putas parua res est scire viuere? magnũ aliquid, imò maximũ. Non viuit qui superbia inflatur, qui luxuria sordidatur: quoniã hoc nõ est viuere, sed vitam cõfundere, & appropinquare vsq; ad portas mortis. Bonã autẽ vitã puto cognoscere Deum, & quem ille

Act. 4. *Phil. 2.* *2. Petr 1.* *Rom. 12.* *Bernard.*

misit

miſit Ieſum Chriſtũ,deinde & voluntatẽ eius implere, Poſtremò,per ſecundã atq; aduerſam fortunã ad vitã properare æternam.Hoc eſt viuere,& mala pati,& bona facere, hãc Apoſtoli noſtri docuerũt.Vtinã eãdẽ doctrina omnes cathedræ perſonarent, vtinã oẽs mortales hæc cuperent diſcere. In nullo enim negligentiores ſumus, cùm tamẽ hoc ipſum maximè neceſſariũ eſt.Sint ergo hęc de Apoſtolorũ doctrina dicta:nũc porrò & vitã ipſorum cõſideremus.Hîc autem de ambobus id dico,quod olim Chryſoſtomus de altero horũ ſcripſit.Si quãdo Pauli vitã cõſidero,tãquã in ſpecioſum omnis generis virtutum proſpicere mihi videor.Hoc igitur de vtroq; hîc loquor:oẽs enim ſanctorũ virtutes,in his duobus ſunt obuia Apoſtolis.Abel laudatur, q̃ Domino ſacrificauerit. Id quod tantùm pecudum & vnicum ſacrificiũ fuit. Apoſtoli noſtri ſemetipſos immolabant,non ſemel tantùm ſed quotidiè,Paulo dicente, Quotidiè morior propter gloriam veſtram,fratres, quam habeo in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Et iterum,Ecce tertiò paratus ſum ad vos venire, & nõ ero grauis.Non enim quæro veſtra,ſed vos. Et mox:Ego autẽ libentiſsimè impendã,& ſuperimpendar ipſe pro animabus veſtris, quin nec hoc cõtenti,totum etiam mundum Chriſto cupiẽtes adducere.Noe iuſtus ſenex tandem arcam extruxit,in qua reliquos mortalium in diluuio conſeruauit. At multò præſtantiorẽ arcam ædificarunt, in qua non octo animæ tantùm,ſed totus hic mundus conſeruari poſsit. In arca enim Noe nemo, quàm antè fuiſſet, melior factus eſt: Coruus emiſſus euolabat aduolabátq;.In hac verò quã Apoſtoli ædificarunt arca,ex coruis colũbæ,ex lupis efficiuntur oues. Abrahã patriam ſuã & omnem cognitionem reliquit, Deo iubẽte,poſtea etiam pro defenſione Lot fratris ſui filij diſcrimini ſeſe expoſuit. Apoſtoli itẽ oĩa relinquerũt. Omnia,inquit Paulus exiſtimo detrimenta eſſe, & arbitror vt ſtercora,vt Chriſtum lucrifaciã,deinde ſuo etiam periculo, nõ vnũ aliquẽ,ſed multa hominũ millia è ſeruitute liberauerunt. Iſaac prædicatur, q̃ Philiſtęorũ malitiã æquanimiter ſuſtinuerit,atq; ipſorũ furori ceſſerit: hi verò non modò ceſſerunt hoſtibus, verumetiam ad vitam pertrahere eos ſtuduerunt. Quatuor enim annis Iacob pro Rachel ſeruiuit: hi verò omni vitæ ſuæ tempore pro Eccleſia miniſtrauerunt, non modo æſtum frigúſque, ſed flagella & carceres deniq; ipſam etiam mortem pertulerunt. Ioſeph pu-

Ioan.17.

Geneſ.4.

2. Cor.1.

Gene.7.

Gene.12.

14.

Phil.3.

Geneſ.26.

Gene ſ.30.

dicitiæ laudē obtinuit,& quid niſi eādem præſtantē in Apo
Exod.32. ſtolis cōſideramus? Moſes Pharaoni reſtitit,hi diabolo. Mo
ſes ne populus perderetur,demeritáq; pœna extingueretur,
Rom.9. deleri ipſum ſe de libro viuētium poſtulauit:idem de Paulo
legimus,qui anathema pro fratrib⁹ à Chriſto eſſe voluit. Io-
ſue,eūq; ſuccedē tes pro populoDei certauerūt:&quid aliud
Apoſtoli noſtri Dauid ingenti zelo domum Dei ædificare,
cultúmq; verū diſponere arſit: idē & Apoſtoli fecerūt. Elias
Act.5. pro zelo quē habuit,laudē obtinuit:& q̄d aliud in Petro vide
1.Cor.5. re licèt in morte Ananiæ;quid aliud in Paulo cū fornicatorē
Corinthiū excludit? Vides ergo verè de Apoſtolis dici,q̄ ip-
ſorū vita ſit veluti cāpus virtutū humanarū oīum. Et eiuſce
modi quidē duces fidei noſtræ habuimus, & quid miramur
iis ducibus Eccleſiā adoleuiſſe atq; ſtetiſſe? Deū immortalē,
quæ noſtra tā diuerſa ratio eſt? Attamē miramur Eccleſiam
nobis ducibus quotidiè labefactari viliorémq; fieri. Cōſide-
remus hæc fratres,ſequamur Apoſtolos, precemúrq; hodie
cum Eccleſia dicente, Deus qui hodiernū diē Apoſtolorum
tuorum Petri & Pauli martyrio cōſecraſti: da Eccleſiæ tuæ
eorum in omnibus ſequi præceptū,per quos religiōis ſum-
pſit exordium per dominū noſtrum Ieſum Chriſtum,Amē.

SERMO SECVNDVS.

VT nunc ſunt tempora, ſingulis feſtiuitatibus, ſingulis
denuo rationes cur inſtitutæ ſunt,cur in Eccleſia ſeruē-
tur oſtendere neceſſarium arbitror:tam negligentes ſumus,
atque quotidiè viliores reddimur,his temporibus nouiſsi-
mis,in iis quæ magno nobis cōmodo eſſe poſſent: vnde quā
deuiauerimus,longéq; à patrū deuotiōe ac charitate diſceſ-
ſerimus facilè cognoſci poteſt. Sit hodierna feſtiuitas exem
plo. Et quidē Antiquis nihil perinde atq; per illud Apoſto-
lorū omnibus fuerunt cogniti,vbicúmq; enim homines cre
dentes erant,illic & horū duorū magnifica frequentata fuit
feſtiuitas, Omnes Petri admirabantur virtutē,omnes Pauli
prædicabant ſapiētiam. Vnde in omnibus libris,in omnibus
Eccleſiis,in omnibus templis,ipſorum memorias legimus,
canimus, conſideramus. Quæ ſanè dilucidè ſatis indicant,
quæ ipſorū ſemper & vbiq; fuerit authoritas, atq; dignitas
apud omnes Chriſtianos. Et verè Chriſtianus non eſt, qui
ipſos honore non dignatur. Quanquā hoc ſeculo inuenias,
qui nec ipſum Chriſtū magnopere curēt,nedum Apoſtolos.

Quid

Quid autē maiore reprehensione dignius hac nostra leuitate, si quæ nobis maximarū diuitiarū opulētia, per hōrū manus tradita sit, cogitauerimus? Dauid propheta cū olim in oratione suáq; deuotione, susp̄enso teneretur animo, secū primæ rerū creationis factū cogitaret, non potuit quin prorūperet, atq; de quolibet diuinę pietatis omnísq; potētię facto proclamaret dicēs, Cōfitemini Domino, quoniā bonus. Cā tate nomini eius, quoniā suaue est. Et iterū: Cōfitemini Dō mino, quoniā ille est, qui fecit luminaria magna solus, Solē in potestatē diei, lunā & stellas in potestatē noctis: quoniā in æternū misericordia eius. Agē igitur si Dauid hoc fecit, quātò rectiùs nos idē facimus, quorū vtilitati tāta Deus Ecclesię suę p̄fecit luminaria. Quid em̄ Ecclesia sine vel Petri potestate vel doctrina Pauli? Petrus diei præfuit, lucēs in ea, hoc est, Iudæis, quibus vel exiguū lucis erat, ipse p̄dicauit. Paulus in nocte, hoc est, inter Gētes, quibus nulla veritatis lux erat, euāgelizauit. Petrus, inquā, vetustate desertum, ac infœcundū agrū sub legis vmbra à solis veri calore tectū in lucē producere laborauit: Paulus nouā terrā Crucis aratro scidit, frugūq; nesciā seminauit. Petrus olim in Plā tata laborauit vinea: Paulus nouā vineā in Gētibus, quæ non fuerāt vinea, fodit, excoluítq;. Petrus oliuā purgauit: Paulus oleastrū cōtra naturā in verā oliuā inseruit. Petrus Iudæorū duritiā mitigauit: Paulus Gētiū ignorātiā illuminauit. Petrus saucios Iudæorū oculos sanauit: Paulus à natiuitate cæcorū Gētiū oculos aperuit. Et vt succinctè dicā, hi duo sunt, quorū opera Ecclesia, in qua nos viuimus, fundata atq; ædificata est, quíq; peculiari modo nostri dicendi sunt, vtiq; singulari gratia nobis missi. Christus em̄ ipse in Oriētē, vbi ortus solis est, prædicauit. Occasum solis nō venit. Verū ne qd desit nobis, hos præcipuos Apostolorū in Occidentē misit. Iustum igitur est, vt ipsos nostros iudicemus: tantùm rectè vtamur illis. Hic verò iustus ipsorum vsus erit, si doctrina ipsorū fidē nostrā cōfirmauerim⁹: vitę verò eorū exēplo vitā nostrā emēdauerimus. Quę ambo nostro hoc seculo quidē maximè necessaria sunt. Primò, inquā, fidei nostræ cōfirmatiōe opus est nobis. Quotidie enim magis magísq; claudicamus, & quouis doctrinæ vento agitamur. Nouis mūdus opinionibus atq; sectis vbique plenus est, quorum alij aliis suam fidē anteferunt, déq; vera Ecclesia iactitāt: vnde factū est, vt multi dubitent etiam, vbi vera fides, vera Ecclesia sit.

Psal. 135.

Act. 2.

Isa. 5.

Rom. 11.

Propterea fidei illa iactãtia ſatis non eſt, ſed magis quo fun
Ephe.2. damẽto innitatur atque inſiſtat, videndũ eſt: Id quod Paulus quoque docet, qui ea quoque ob cauſam ciues nos atq; domeſticos Dei vocat, q̃ ſuperædificati ſumus ſuper fundamẽ tũ Apoſtolorũ & prophetarũ. Tũ & illa vera fides, veráq; Ecclesia erit, q̃ fundamẽto Apoſtolico innititur. Quanquã aũt oẽs Apoſtoli in ponẽdo Eccleſiæ fundamento laboraueruũt,
Apoc.21. alius in India, alius in Aethiopia, alius in Aſia, alius in Europa (teſtis enim eſt Ioãnes cœleſtem Ieruſalẽ duodecim fundamentis inſiſtere, in quibus ſcripta ſunt noĩa Apoſtolorũ) nullius tñ fundamẽtũ perſtitit diutius quã horũ duorũ Petri & Pauli. Non q̃ malè ædificarint alii, (vnus idẽque in omnibus fuit Spiritus) ſed quia Deo ita viſum fuit. Vbi enim alij Apoſtoli ædificarũt, ad tẽpus fides ſtetit: poſtea verò deficit, iuſto proculdubio Dei iudicio. Vbi verò hi duo fundamentum poſuerunt, illic & fides & Eccleſia vſque ad noſtra tẽpora perdurauit. Quæ ergo certior fidei noſtræ cõfirmatio eſſe poſſet, quã q̃ ſuper fundamẽtũ duorũ horũ ædificati ſumus, quorũ ẽdificatio ad nos vſq; perſtitit, ſcire? Hęc fidei norma, quã in Romana Eccleſia poſuerunt Apoſtoli, nũquã niſi in noſtra hæc tẽpora rupta fuit, ſemper licèt extenſa ſit. Id quod de nulla alia fide dici põt. Nec quiſquã oĩm hæreticorũ demonſtrare poteſt, ſuã fidẽ atq; Eccleſiã ab vllo Apoſtolorũ per verã rectaq; lineã inconcuſsè ad ſe deſcendiſſe. Quemadmodũ nobis id docere de noſtra fide atq; Eccleſia difficile admodũ nõ eſt. Atq; ideò hanc Deus vnicã lineam ſiue normã (meo iudicio) cõſeruare voluit, vt, ſi qua hæreſis orta fuerit, vbi vera ſit Eccleſia, videre liceat. Quẽadmodũ & in veteri Teſtamẽto factũ eſt: licèt enim multa oriantur, infracta tamẽ ſuã fidẽ Deus ſemper cõſeruabat linea. Sic ab Adã ad Seth fides deſcẽdit vera linea, à Seth ad Noe, verùm in linea Cain fides occidit. A Noe porrò vſq; ad Abrahã in linea Sem, poſtea manſit in linea Iſaac atque Iacob. Ab hoc omnes duodecim illi tribus ſuſceperunt fidẽ, tandem verò in ſola tribu atque linea Iuda permanſit. Aliæ enim tribus
3.Reg. 2. ab Iuda atque tẽplo deficientes ſeſe abſciderunt. Atq; hæc admirabilis turbatio, horrendũq; diſsidiũ erat. Alij, in Dan vitulo aureo ſupplicaturi dilabebãtur: alij, in Hieroſolymorum templũ concurrebant. Idque Sãmaritani ipſius terrę incolæ cõſiderãtes, & ipſi ſibi priuatũ locũ erigebãt orationi
Ioan.4. commodũ, nimirũ montẽ in quo Iacob orauerat. Atque in

hoc

hoc quidē diſsidio quæque pars, ſibi videbatur verā ſe fidem verūque cultū Dei habere, habebātque omnes ſuos quæque Prophetas, qui ſua dum cōfirmarent, alios dānabant. Cū tamen nulla illarū partiū verior certiórque eſſet, quā quæ tēplum Hieroſolymitanū ſequebatur. Vtique hoc freti, q̄ eā fidē à patribus ſuis per manus accepiſſent lōga ſucceſsione. Id quod aliæ partes minimè poterāt. Eadem quoque horū tēporum ratio eſt. licèt enim ſuā fidē pleno ore prædicēt hæretici: nobis tamē hoc priuilegiū manet, q̄ ſoli inter omnes demōſtrare poſſumus, noſtrā fidē atque religionem inde ab Apoſtolis, tanquā per certiſsimā inconcuſsámque regulam vſque ad nos ſeſe protendere. Aliæ enim ſi reſpicere libet, decem, aut maximè viginti annis plerūque perdurauerunt ſectæ. Attamē Arriana hæreſis etiā centeſimū exceſsit. Tū Turcica rabies aliquot etiā ſeculis durauit. Nulla tamē harū partiū Apoſtolos attingit. Noſtra verò linea ad Apoſtolos ſe extendit, licétque nobis dicere: Sic docuit Petrus, ſic Paulus vixit. In hac linea patres ieiunauerunt, orauerunt: & cur mihi idē nō licebit? Neminē verò ſi quos abuſus in hac linea irrepſiſſe videat, remoretur. Multa quidē in Eccleſia mala videmus, plurima in hac linea obuia ſunt mala: omnia tamē arguuntur per fidē. Nō eā ob cauſam Eccleſia fugiēda eſt. ſi enim peccata voluerimus fugere omnia, è mundo excedēdum erit, q̄ quoquo nos vertamus, vbiq; peccata ſunt obuia, nulláque firma nobis erit māſio: id quod in Anabaptiſtis videre eſt. Dauid & Auguſtinus ſuo etiā tēpore multa in Eccleſia mala conſiderabāt: nō tamen ideò refugerunt eā, imò verò malū quod videbant, tollere atque cōprimere: bonum verò quod deſiderabant, plātare & prouehere laborabāt. Nā & Chriſtus dixit ſemper cū tritico zizaniam creſcere: & Paulus quidē impietatē fugere docet. Propter quod inquit, exite de medio eorū & ſeparamini, & immundū ne tetigeritis, & ego recipiā vos, dicit Dominꝰ. Alibi tamē in aliam ſententiā de Chriſtianorū peccatis, loquitur dicens, corripite inquietos, conſolamini puſillanimes, ſuſcipite infirmos, patientes eſtote ad omnes. Tum alibi induratorum pertinaciūque pœnæ, hoc eſt, anathematismodū prę ſcribit. Quod ſi magiſtratus huic Pauli doctrinæ nō obſequitur, & quod ſuū eſt officium nō facit, ideóne Eccleſia dānāda erit? An ideò boni fugiendi erunt, atque maledicēdi, q̄ malos inter permiſtos habent? Minimè: infirmus fugiendus non eſt

Matth.13. 2.*Cor.1.* 1.*Theſ.5.* 1.*Cor.5.*

at potiùs qua ratione ſanari poſsit, videndũ eſt. Si ergo in-
ualiditatem Eccleſiæ vides, hoc age, nõ vt deſeras, ſed vt ad-
iuues & cures. Ecce hoc modo fidẽ noſtram Apoſtolorũ eo-
rum reſpectu confirmare licebit. Neque tamen id ſatis eſt.
1.Cor.4. fuerũt illi quidẽ doctores fidei, ſed tñ & pædagogi iſti fue-
rũt. Hinc illa vox Pauli, Imitatores mei eſtote, fratres, ſicut
& ego Chriſti. Agè igitur, quos pędagogos habeamus audi:
Luc.5. Ex multis enim paucula adferã. Superiore Dominica audi-
uimus Petrũ dicẽtẽ, Exi à me Domine, quia homo peccator
ego ſum. Ecce veræ humilitatis vocẽ. In hodierno Euãge-
Matth.16. lio idẽ ait, Tu es Chriſtus filius ille Dei viui. Ecce fidei vo-
Matth.19. cem. In Matthæo idẽ quoque: Ecce, inquit, nos reliquimus
omnia, & ſecuti ſumus te: atque hæc veræ obediẽtię vox eſt.
Ioan.21. In Ioanne verò, Tu ſcis Domine quia amo te. ecce veræ in
Act.3. Deũ dilectionis vocẽ. In Actis ad claudum loquens dicit, Ar
gentũ & aurũ nõ eſt mihi: ſed quod habeo, tibi do. ecce con-
Act.4. dolentię affectum. In eodẽ volumine ait, Nõ eſt aliud nomẽ
ſub cœlo datũ hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri,
Matth.17. præter nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti. & hæc cõſtantiæ
Ioan.6. vox firmæ eſt. Tum in Matthæo: Domine, inquit, bonũ eſt
nos hîc eſſe. Et in Ioanne, Domine, quò ibimus? verba vitæ
æternæ habes. Et hæc ſunt, quæ in Petro diſcẽda ſunt. Haud
minora his & in Paulo legimus: ille enim quanquã pro ge-
neris dignitate atque ſcientia nomen ſibi cõparaſſet, omnia
tamen vt ſtercora exiſtimat, neminẽque præter Chriſtum
Philip.3. Ieſum diligit. Qui non diligit Dominum Ieſum, anathema
1.Cor.16. ſit, ait. videbatúrque ſibi prædicãs nihil ſcire ſe præter Chri
ſtum, & hunc crucifixum. Vita Chriſtum imitari ſtuduit: Vi
uo, inquit, iam non ego, ſed viuit in me Chriſtus. Officio pa
trẽ ſe exhibebat omnium, omnia factus omnibus. Ecce eiuſ
1.Cer.2. cemodi patres habemus horum ſtudio in fidem ædificati ſu
1.Cor.9. mus. His ergo adhæreamus, hos ſequamur, ſi modò commo
dis noſtris conſulere voluerimus. Id ergo vt faciamus, præ-
ſtet in nobis Dei gratia, Amen.

SERMO TERTIVS QVANdo feſtum hoc ſecunda poſt quintam Trinitatis Dominicam feria incidit.

PVlchrè atque commodè hæc Petri atque Pauli Apoſto-
lorũ feſtiuitas in hanc diem incidit hoc anno. Heſterno
enim Euangelio reſpondet ita, quòd illic dictum eſt Euan-
gelicis

gelicis verbis,hîc Apoſtolicis verum demonſtretur exemplis.Inter cætera autẽ dicebã,Eccleſiam,quã Petro Chriſtꝰ commendauit,quæ etiam à Petro ad nos vſque inconcuſſa linea deſcendit,ſempiternã illam nauim eſſe,qua tutò turbidum mũdi huius mare tranamus, vnde audenter ſine metu noſmet ipſi cõmittere, intrepidè etiã in ea perſtare poſſumus,nũquam ab ea vllis perſuaſionibus defecturi,vtut alij nouã ſuã quã neſcio Eccleſiã iactitent egregiè.In hoc verò Euãgelio Chriſtũ dicentẽ audis,Tu es Petrus, & ſuper hãc petrã ædificabo Eccleſiã meã, & portæ inferi non præualebũt aduerſus eã. Quis autẽ nõ cupidè huic ſe cõmitteret nauiꝰQuẽ nõ vehemẽter etiam in ea Eccleſia, quę ſuper petrã ædificata eſt,iuuaret inhabitare? Vtique quæ promiſsionẽ, eámque firmã habet,nihil vnquã aduerſus eã, vel ipſas etiã inferni portas poſſe,quæ claues etiã regni cœleſtis habens, ligandi atque ſoluendi poteſtati præeſt. Et hoc quidem primum eſt,in quo præſens feſtiuitas heſterno Euãgelio conuenit.Deinde hãc quoq; promiſsionẽ Petro Chriſtus dedit, nempe hominẽ illũ piſcatorẽ fore, tot homines capturum, quot antè cœpiſſet piſces.Id ipſum ergo in Petro hodie,nec ſolũ in Petro,ſed in Paulo etiã cõſideramus.Qui enim cooperatus eſt Petro,idẽ & Paulo, vel ſeipſo teſte cooperatus eſt.Hi illi piſcatores ſunt,quos Chriſtus Euãgelicæ doctrinæ commiſſo rete,in ſpacioſum hoc mundi pelagus emiſit. nimirũ vt homines in profundũ peccatorũ ſubmerſos, ínq; erroribus ſuffocatos extraherẽt, extractos ad veritatis ſempiternæque vitæ lucem adducerent. *Petrus*, inquit Eccleſia *Apoſtolus & Paulus Gentium doctor*, Petrus ipſa Pẽtecoſtes die omnibus Hieroſolymitanis, ob rei nouitatem concurrẽtibus,& quod in Apoſtolis factum eſſet cognoſcere deſiderantibus,quid rei nouitas ſignificaret,vnde & quo autore factum eſſet ſuſcitatibus,primũ hoc rete iecit. Tũc, inquam, primũ iecit Petrus,& euge quã benè cecidit, vno iactu duo hominũ milia cõuerſi ſunt.Eiuſcemodi deinde & alios plures iactus fecit,imò ab illo die id facere nunquã deſtitit,nec in caſſum,quẽadmodũ Acta Apoſt.fusè teſtantur. Et Paulus quidẽ poſtea cœpit tandẽ, ſed quod neglectũ erat tempore, abũdè reſarciuit diligẽtia,aſsiduo indefeſsóque labore, ita, vt verè dicere potuerit,Ego ſum minimus Apoſtolorũ, qui nõ ſum dignꝰ vocari Apoſtolus,quoniã perſecutus ſum Eccleſiã Dei.Gratia autẽ Dei ſum,id quod ſum,& gratia eiꝰ in

Cor.15.

Euangelici piſcatores.

Actor. 2. 3. 4.5.

1.Cor.15.

me vacua nõ fuit,sed abũdãtiùs illis omnibus laboraui.Nõ ego autẽ, sed gratia Dei mecũ.Sanè nõ aliũ Apoſtolorũ tot vrbes,regiones,inſulas atque regna, Euãgelica tuba pertonuiſſe,atque Paulũ cõſtat:nimirũ ab Hieruſalẽ per Iudæam vſque Romã peruenit,vbique Euãgelium annuntians.Imò verò per illud Apoſtolorũ audebat & ſe extremis periculis cõmittere,vbi & mare profundiſsimũ, & Satã fortiſsimus, & mundi poteſtas validiſsima atque terribiliſsima erat: & ſummum magiſtratum, cui totus hic mũdus incuruabatur, & maxima deferebat, Romã cunctis mortalibus inuictam, adoriri:& ipſos quidẽ rerũ dominos,qui oẽs ditiones,omnia regna cœperat, ínque ſuã poteſtatẽ ſubegerãt,capere & ſub Chriſti regis iugũ domare poterãt. Quare minimè cuiquã mirũ videatur,de ipſis nos canere,quod ipſi Principes Eccleſiæ,ſuæ fidei virtute,ſpei certitudine, dilectioníſq; Chriſti plenitudine principẽ terrę deuicerint. Et iterũ,*Ianitor cœli, doctor orbis pariter. Iudices ſecli,vera mundi lumina:per crucẽ alter,alter enſe triumphans,vitæ ſenatum, laureati poſſident.* Et quid honorificentius de ipſis dici poſſet?Quod nomẽ præſtãtius,quis titulus ipſi dari poſſet celebrior? Et quidẽ oĩm horũ titulorũ digni ſunt. Principiò enim ſine dubio Eccleſiæ fuêre Principes, vt qui maxima ex parte eam & ædificarint,& ſartam tectámque conſeruarint: deinde & verè triũphantes duces ſpiritualis militiæ fuêre,vt qui etiam adhuc in terra poſiti dicere poterant: Quis nos ſeparabit à charita
Rom. 8. te Dei?tribulatio,anguſtia,fames,nuditas? Et alibi,Perſecu-
2.Cor.4. tionem patimur,ſed non deſtituimur. Et iterũ,Bonum cet-
2.Tim.4. tamen certaui,curſum cõſummaui. Tertiò & ſeculi ipſi Iudices ſunt,qui in terris adhuc poſiti dixerunt, Noſtra con-
Phil. 3. uerſatio in cœlis eſt: Et,Scimus quoniã ſi terreſtris hæc domus noſtra diſſoluatur, ꝙ ædificationem ex Deo habeamus domum non manufactam ſed ęternã in cœlis.Quartò ſunt etiam vera ipſi mundi lumina,vt qui ſua doctrina omnes errorum tenebras fugarunt è mundo, verúmque lumẽ in quo Deꝰ videtur,& quem ipſe miſit, per quẽ & omnia impertit Ieſum Chriſtum,Hos igitur vna vice ambos nobis Eccleſia proponit.Nec immeritò,Quemadmodũ enim ſe in vita dilexerunt,ita & in morte nõ ſunt ſeparati. Et quis non videt quã ſpacioſus hic dicẽdi ſe cãpus aperit? Quid laude magis dignũ, illa Petri tã cõſtantis voce,Tu es Chriſtus filius Dei viui?Quid honorificẽtiꝰ reſpõſo Chriſti,Tu es Petrꝰ?Quid præſtantius

præstantius Petri verbis in hesterna lectione. Argentum & aurum non habeo, quod autem habeo, hoc tibi do. In nomine Iesu Nazareni surge? Quid magis cõsolatorium iis quæ hodie lecta sunt, quanto Deus Petrum miraculo è carcere liberauerit, quòd catenæ de manibus ipsius sua sponte ceciderint, & immunis ipse, imò aliis incõsideratibus per vtranq; custodiam abierit, quòd prima porta vltro illi aperta fuerit: vnde & vox illa ipsius nomine in ipso Sacri introitu cãtata est, Nunc scio verò quia misit Dominus angelum suum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorum. Et quæ dicendi materia, si Paulum respicias offertur? Quanta Lucas de eo in Actis à nono cap. vsque ad finem perscripsit? Sed quia legẽtibus hæc sunt obuia, & simplicioribus multa id genus superioribus annis dixisse me memini, diutiùs nunc iisdem immorari superfluũ arbitror. Cuiq; vestrum precationem illam Ecclesiæ tantùm commendo, vt ea corde atque ore ad Deum Patrem precemur. Id quod rectè hanc festiuitatem celebrasse erit: *Deus qui hodiernum diem Apostolorum Petri & Pauli martyrio consecrasti, da Ecclesiæ tuæ eorum in omnibus sequi præceptum: per quos religionis sumpsit exordium, per Dominum nostrum Iesum Christum, Amen.*

Mat. 16. Act. 3. Act. 12.

SERMO QVARTVS, QVANDO festiuitas hæc in quartam Dominicam Trinitatis incidit.

PErappositè præsens festiuitas, qua duobus illis Petro & Paulo Apostolis nostris parentamus, cum Dominicali Euangelio conuenit. In hoc enim vt misericordes simus, Christus initiò admonens, multis deinde quomodo misericordiæ vocem intelligere debeamus, annectit, nempe ne iudicemus, neque condemnemus, sed ignoscamus atq; dimittamus. Tum pleno Ecclesia ore de Apostolis nostris canit. Hi, inquit, sunt viri misericordiæ, quorum pietas non defecit. Cum semine eorum permanent bona, hæreditas sancta nepotes eorum. Quid autem rectiùs coniungitur, quid pulchriùs cõuenit fido præceptore cum non ignauo discipulo? quis vnquam maiore fide docuit Christo? quis auditor diligentior discipulis? Domine, inquiũt, verba vitæ æternæ tu habes, & quò abibimus, tui vt similiẽ inueniamus? Paulus verò, Imitatores mei estote, inquit, sicut & ego Christi. Vt ergo

Eccles. 44. Psal. 6. 1. Cor. 11.

ergo diligenter Christus in Dominicæ huius diei Euange-
lio misericordiam docet: ita etiã nõ incõueniẽter Apostoli⁹
tribuitur fuisse viros misericordiæ, hoc est eiusmodi hom¹
nes, in quibus omnis generis misericordia cõspiciatur. Mi-
sericordiã em à Deo consecuti, ex misericordia Ecclesiæ à
Deo dati sunt, misericordes semper fuerũt. Ita enim D. Ber
nardus exponit, atq; hęc tria in Apostolis nostris demõstrat.
Vide, inqt, quã misericordiã cõsecuti sunt. Paulũ interroga
1.Cor.15. de seipso, vel magis spõte cõfitẽte auscultа: Qui blasphem⁹
fui & persecutor & iniquus, sed misericordiã cõsecut⁹ sum.
Et iterũ, Fidelis sermo & omni acceptione dignus: quoniã
Dñs Iesus venit in hũc mũdũ peccatores saluos facere, quo-
rũ primus ego sum. Verũ apud Petrũ aliud habeo qđ appo-
nã, abũdãtiore modo ĩ illo se misericordia Dei exhibuit, dũ
nõ modò in gratiã, posteaquã tã horrẽdè cecidisset, rediit,
sed & pristinũ honoris gradũ recuperauit. Nã peccauit Pau
lus, sed ignorãs fecit, in incredulitate: Petr⁹ eũ cecidit, aper
tos habuit oculos, eóq; maius delictũ habuit: non enim vt
Rom.6. Paulus ex ignorãtia aut incredulitate peccasse se dicere po-
Luc.22. tuit. Vbi verò abũdauit delictũ, superabũdauit & gratia. Cõ
uersus Dñs respexit Petrũ: vtiq; misericordiæ respexit ocu
lis. Post resurrectionẽ enim hoc primũ dicebat angelus mu
Mar.16. lieribus: Ite, dicite discipulis eius & Petro: qa præcedet vos
in Galilæã. Deinde nõ iã primus, sed solus erat, cui Christus
Ioan.21. dicebat, Pasce oues meas. Ecce hoc modo Apostoli nostri vi
ri misericordię dicũtur: nẽpè, qa tãtã misericordiã suã Deus
in illis ostẽdit, idq; ad cõsolationẽ omniũ peccatorũ. Si em
ex ignorãtia peccasti, Paulũ: si post agnitionẽ veritatis & vo
lũtariè lapsus es, Petrũ respice: Nã vt Paulũ suscipit, sic nec
Petrũ excludit, modò quẽadmodũ Petr⁹ per Galli cãtũ, hoc
est, per Legis prędicationẽ: ita nos quoq; ad cor redierimus,
à peccato surrexerimus, ipsúmq; defleuerimus, & firma fide
gratiã Dei & consolationẽ expectauerimus. hi sunt viri mi
sericordię. Quòd si qs vel nescit vel nõ credit, Deũ esse mi-
sericordẽ atq; peccata hominũ remittere, hos ambos Apo-
stolos respiciat. Sed nõ modò misericordiã eos cõsecutos, ve
rùm etiã ex misericordia nobis datos, & ad nos missos cogi
Matth.9. temus. Ita enim legimus Matthæo referente, Videns Iesus
turbas, misertus est eis, quia erãt vexati, & iacẽtes, sicut oues
non habentes pastorẽ. Tunc dicit discipulis suis, Messis qui
dem multa, operarij verò pauci. Rogate ergo dominũ mes
sis,

sis,vt mittat operarios in messem suam. Mox verò sequitur, ꝙ misis duodecim Apostolis,præceperit dicẽs, Euntes prædicate,dicẽtes,quia appropinquabit regnũ cœlorum. Et hæc secunda ratio est,cur dicantur viri misericordiæ ꝙ ex misericordia Dei ad nos missi,misericordiam prædicarint. Vnde dixerunt. Posuit in nobis verbum reconciliationis. Et quis non videt,quàm præstans hoc diuinæ misericordiæ donum sit,& quàm nos ad gratias referendas Deo obligamur? Eramus peccatis obnoxij,sed abluti,sed sanctificati sumus. Eramus tenebræ,& sine Deo,& ecce ciues sanctorum & domestici Dei facti sumus. Et cui id debemus? Deo ipsiúsq; gratię Et qua via ad nos isthęc gratia venit? vtique per Apostolicã prædicationem. Hi ergo sunt viri misericordiæ: misericordiam consecuti sunt, misericordiam prædicauerunt, pleni miseratione & dilectione fuerunt,pro eadem sua miseratione & dilectione,serui nostri permanebunt vsque in finẽ. Argentum & aurum,inquit Petrus,nõ habeo, quod autem habeo,hoc tibi dò. Et Paulus: Testis,inquit,est mihi Deus,quomodo cupiã vos omnes in visceribus Iesu Christi. Et itetũ, Ego autem libentissimè impendam, & superimpendar ipse pro animabus vestris: licèt plus vos diligens,minus diligar. Tam pleni enim misericordia erãt,vt nulli labori parcerẽt, nullum periculum timerẽt,tantum à perditione eximerent. Salus hominum atque conuersio, vnicam imò & summum ipsorum gaudium atq; bonum erat, quod quærebant & cuius causa tãtopere laborabant. Nam & Petrus summè lætabatur, intelligens quomodo & Gentibus annuntiandum esset Euangelij verbum. In veritate,inquit,comperi,quia non est personarum acceptor Deus,sed in omni gente,qui timet eum,& operatur iustitiam,acceptus est illi. Et in Paulo quidẽ multas id genus voces legimus. Gaudium meum & corona mea,ad Philippenses scribit. Et ad eosdem, Implete gaudium meum. Et ad Thessalonicenses, Quæ est,inquit,nostra spes aut gaudium,aut corona gloriæ (nónne vos? Et ad Corinthios, Multa mihi fiducia est apud vos,multa mihi gloriatio pro vobis: repletus sum consolatione,superabundo gaudio. Quæ omnia satis declarant,plena eos misericordia atq; dilectione affectos fuisse. Non igitur immeritò viri misericordiæ dicuntur: ideo etiam iustitiæ eorum obliuionem non accipient. Corpora eorum in pace sepulta sunt,nomina autem eorum viuunt in seculum seculi, Sapientiam eorum prædi-

Matth. 10.
1.Cor.6.
Act.3.
2.Cor.12.
Act.10.
Phil.4.
Ibidem 2.
1.Thess.2.
2.Cor.7.
Eccles.44.

prædicent populi,& laudem eorum omnis Ecclesia narret. Quæ verba si vspiam impleta sunt,certè in his duobus impleta sunt Apostolis. Si igitur & nos sempiternam memoriam volumus,si obliuionem refugimus, si nominis gloriã apud Deum atque homines appetimus, ad misericordiam Dei festinemus,gratias Deo agamus, quòd misericordiam nobis suam exhibuit,atque quotidiè offert. Exhibeamus verò & ipsi erga proximum nostrum misericordiam:idque Apostolorum nostrorum exẽplo. Estote misericordes, inquit Christus. Atque hoc modo præsens festiuitas cum Dominicali Euangelio conuenit. Quæ omnia piè Christianus penitus secum examinet. Quotidiè enim par illud Apostolorum nobis loquitur,ita vt integrum sermonem inde contexere necessarium non sit. Deus Opt. Max. qui per ipsos religionis dedit exordium ipsorum, nos sequi doctrinam largiatur, Amen.

IN DIE VISITATIONIS MARIAE EVANGELIVM LVCAE I.

EXurgens autem Maria in diebus illis,abiit in mõtana cum festinatiõe in ciuitatem Iuda,& intrauit in domũ Zacharię,&salutauit Elisabeth. Et factũ est,vt audiuit salutationem Marię Elisabeth,exultauit infans in vtero eius,& repleta est Spiritu sancto Elisabeth, & exclamauit voce magna,& dixit:Benedictatu in mulieribus,& benedictus fructus vẽtris tui. Et vñ hoc mihi,vt veniat mater Dñi mei ad me? Ecce enim,vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis exultauit in gaudio infans in vtero meo, & beata quæ credidisti, qm̃ perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Dño. Et ait Maria Magnificat aĩa mea Dñm. Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Quia respexit humilitatẽ ancillæ suæ,ecce enim ex hoc beatam me dicẽt omnes generatiões. Qui fecit mihi magna

magna, qui potẽs eſt, & ſanctũ nomẽ eius. Et miſericordia eius à progenie in progenies timẽtibus eũ. Fecit potentiã in brachio ſuo, diſperſit ſuperbos mẽte cordis ſui. Depoſuit potẽtes de ſede, & exaltauit humiles. Eſurientes impleuit bonis, & diuites dimiſit inanes. Suſcepit Iſraël puerũ ſuum recordatus miſericordię ſuæ. Sicut locutus eſt ad patres noſtros, Abrahã & ſemini eius in ſecula. Manſit autem Maria cum illa, quaſi menſibus tribus, & reuerſa eſt in domum ſuam.

EODEM FESTO EPISTOLAE LOCO LECTIO CANT. II.

ECce, iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliẽs colles. Similis eſt dilectus meus capreæ hinnuloq; ceruorum. En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum reſpiciens per feneſtras, proſpiciẽs per cãcellos. Et dilectus meus loquitur mihi, Surge, propera amica mea, columba mea formoſa mea, & veni. Iam enim hyẽs tranſit, imber abiit, & receſſit: flores apparuerunt in terra noſtra, tẽpus putationis aduenit: Vox turturis audita eſt in terra noſtra, ficus protulit groſſos ſuos, vineæ florentes odorem dederunt ſuum. Surge, propera amica mea: ſpecioſa mea & veni, columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ. Oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, & facies tua decora.

SERMO PRIMVS.

IANTA diligentia à Luca Euangeliſta conſcriptum hoc Euangelium, tam grauidum exemplis pulcherrimis eſt, vt nemo tam ſit ſimplex, qui quàm piè iuſtéq; factum ſit, dum peculiarem illi feſtam diẽ Eccleſia inſtituit, nõ videat. Neq; enim tam lapideus quiſquam eſt, qui ad huius Euãgelij auditũ nõ molleſcat. Nemo tã incõſideratæ mẽtis eſt, qui hoc Euãgelio, cùm in Deũ ipſum, tũ erga eos in quibus Deus miraculosè operatus eſt, nõ incitetur. Totũ enim Euãgeliũ nihil prẽter gratiã atq; opera Dei ſonat. Vnde hos ipſos quorũ Euãgeliũ meminit, in Deo exultare, ſuũq; gaudiũ tũ corde, tũ etiã verbis atq; opere oſtẽdere, nemo dubi-

tur. Præ exultatione enim psallit Maria, præ nimio gaudio clamat Elisabeth. Et ipse etiã Ioãnes adhuc in materna clausus aluo, in gaudio exultat, cùm psallere atq; clamare nõ potuit. Hęc festa dies, hoc gaudiũ cũ iubilatione tũc tẽporis in Zachariæ celebrabatur ædibus. Omnia autẽ in Deo atq; ex eodẽ pro cuiusq; & pietatis ardore ac zeli feruore. Mũdanũ enim gaudiũ, & quicquid hic mũdus egregiũ habet & æsti
2.Cor.10. mat, illic locũ nõ habuit: sed Deus ipse omnia erat in omnibus. Propterea nõ absurdè Ecclesia, nec immeritò, huic solẽnitati, Arcę Dei in Obed Edõ domũ inuectæ historiã, cuius gratia Deus ita ipsius viri domũ omnẽ benedicebat, vt ipse
2.Reg.6. deinde Dauid in sua palatia arcam introducere moueretur, cõparat. Annõ simile in hoc Euãgelio videmus hodie? annõ Arca atq; thalamus, in quo vnigenitus Dei filius requieuit, Maria fuit? Huic enim rei plurimũ seruit, q: quẽadmodum tribus mẽsibus Archa Dei in ædibus Obed Edom requieuit, ac totam eius familiam omnis benedictionis genere cumulauit: ita virgo maria Zachariã & Elisabeth fœliciter inuisit, atque in domo eorum tribus mensibus habitauit. Qua ex re Zacharias omnísque domus eius parem Dei benedictionem suscepit. Nam & ipse, & Elisabeth, & Ioannes, ac sui, spiritu sancto repleti sunt: nec quicquam tam exile tãq; abiectum in tota illa familia, quod hanc Dei benedictionem non censerit: atque hæc omnia propter Archam, imò per & propter eum qui in archa latebat, vt nõ immeritò Elisabeth exclamauerit, Vnde mihi hoc, vt veniat mater Domini mei ad me? Rectiùs verò deinde dixisset, Venerunt mihi omnia pariter cũ illa. Iã verò si nobis Dauid spiritus adesset, vtiq; quemadmodũ Dauid, ita nos quoque loqueremur atq; faceremꝰ. His ergo postquã audiuisset Archã Dei intrasse in domum Obed Edom, dixit, Ibo, & reducam Arcam cum benedictione in domum meam. Et quidem fecit, quod dixerat. Hîc ergo Zachariæ felicitatem quã ab illa die habuit, qua Maria domum suã intrauit, cogitemus. Atque hæc nos deceret diligẽtia, vt ipsi participare diuina gratia studeremꝰ. Id quod facili opera possemus efficere. Neq; enim quicquã vel in Deo, vel in Dei deest donis. Diues enim est in misericor-
Ephe.2. dia. Et quod illo tẽpore fecit in Zachariæ ædibus, non quatuor illarũ personarũ causa tantũ factũ est, quẽadmodũ nec paucorũ hominũ causa in mundũ venit: sed vt omnibus vbique populis quantum quidem in se est, eiusmodi gaudia propo-

proponeret,parémque gratiã conferret. Id quod omnes ſem per pij,nóſque etiãnũ experiremur, niſi ipſi diuinæ gratiæ obicé opponeremus. Ego inquit,ſto ante oſtium,& pulſo,ſi quis audierit vocem meam,& aperuerit mihi ianuam,intra bo ad illum & cœnabo cũ illo & ipſe mecũ. Si quis ergo ea quæ Zacharias in cordis ſui domo,nõ inuenit,ſibi imputet. Stat enim ſententia firma,dicente Deo, Quicúnque honorifi cauerit me,glorificabo eum,qui autẽ cõtemnunt me, erunt ignobiles. Propterea dignius atque honeſtius nobis agendũ eſſet, vt quã vult Deus gratiã ſuã nobis exhibere poſsit. In nobis enim & maxima ex parte ſitum eſt, vt à Deo glorifice mur. Nec multa inquiſitione hîc opus eſt, an ad eã prædeſti natus ſis. Lata eſt hæc ſententia, Si honorificaueris Deũ,glo rificaberis ab eo. Verũ illud quoque diligenter atq; ſolicitè cogitandũ erit,nõ ſufficere ſi Deum labiis externóque quo uis cultu honorificaueris: ſed quemadmodũ Sapiens,ſenio res docet honorandos,verbo,opere,& omni obedientia: ita etiã Deus honorari vult,corde,lingua,atque manu,hoc eſt, fide, confeſsione,mandatorúmque ipſius perfectione. Deũ enim honoramus,quando ipſum bonũ,potentẽ, veracẽ,piũ, iuſtúmque credimus. Sic enim Abraham honorificauit eũ. Propterea etiam ſcriptum legimus, Credidit Abrahã Deo, & reputatũ eſt illi ad iuſtitiã. Sic & Maria,vndeaudit,Beata quæ credidiſti. Hæc enim,nẽpe fides, ante omnia Deo placet: vnde & iuſtitia illi tribuitur. Cõtra verò vehemẽter Deo diſplicet,ſi minꝰ crediderimus,ſperauerimus, timuerimus, dilexerimus. Poſt fidẽ Deus etiam lingua prædicandus eſt. Sacrificium laudis,inquit ipſe, honorificabit me. Hinc Petrus nos vocatos eſſe ait, vt annuntiemus virtutes eius, qui vocauit nos de tenebris in admirabile lumẽ. Et huius quidẽ laudis pulcherrimũ ſanè exemplũ ſuo cãtico Maria edidit. Deniq; etiã opere,hoc eſt, vita,atque mandatorũ Dei perfectione honorificatur. In quã ſenſum Chriſtꝰ loquitur. Quouſq; dicitis mihi,Domine Domine,& non facitis ea quę dico? Et ipſe quidẽ ſuo exẽplo Deum nõ ſolùm verbis, verùm etiã,ac multò magis mãdatorũ ipſiꝰ obediẽtia,honorificari docuit. Pater, inquit, ego te glorificaui ſuper terrã. Quæris quomodo? Manifeſtaui nomẽ tuũ hominibus, quos dediſti mihi. Sed nũquid prætereà effecit? Opꝰ,inquit,cõſummaui. Ecce quod & opera Deo placeãt. Huc etiã pertinet quod in Iſaia ſcriptũ eſt,ꝙ qui honorificat Deũ,nõ pro ſuę volũtatis

Apocap. 3.
1. Reg. 3.
Gen. 15.
Luca 1.
Pſalm. 49.
1. Pet. 2.
Luc. 6.
Ioan. 17.
Iſa. 58.

arbitrio viuat, sed esurienti panē suum frangat, nudósq; vestiat, &c. Propterea toties Christus testatur Patris se voluntatē impleuisse. Meus cibus est, inquit, vt faciā voluntatem
Ioan. 4. Patris mei. Et descēdi de cœlo, nō vt faciā volūtatē meā, sed
Ioan. 6. eius qui misit me Patris. Et, Sicut māda tū dedit mihi Pater,
Ioan. 14. sic facio. Ecce breuissimè ostensum est, quomodo Deus honorificetur fide, nēpe cōfessione atq; vita. Cauendū ergo nobis est sedulo, ne quid horū negligamus. Contrà verò & illud memoria tenendū est, quomodo Deus contēnatur, nimirum incredulitate, abnegatione, ipsiúsq; volūtatis contēptu. Et quid scriptura dicit? Qui me honorificauerit, glorificabo eū. Iā verò interne Deus eos qui honorāt se, glorificat, quādo eos sanctificat, iustos, veracésq; efficit. Et huius rei exēplis Scriptura plena est. Tū etiā honoratos conspicuósq; facit, & tandē in regno suo æterna beatitudine honorificat. Contrà verò contemptores suos contemnit, internis bonis eos spoliat: externè obscuros linquit, atq; in æternum arguit. Agitè ergo, hæc consideremus atq; cogitemus. In Mariæ virginis matris respiciamus exēplū, quę summè Deū honorificauit, & vicissim ab ipso summè glorificata est: ita vt omnes dicere oporteat, Benedicta tu inter mulieres, nec sub sole habes similem. Hoc sequamur. Gratia Dei nobiscum, Amen.

SERMO SECVNDVS SVPER Canticum, *Aue præclara.*

EVangeliū quod hac festiuitate in Ecclesia legimus pulcherrimū, eorum me verborum admonet, quæ olim dehonestissima Iudith dicebantur, quādo in mediū Assyriorū sese ingerebat dolo circunuentura Holoferne, eóq; mundo suo omniū pretiosissimo ornata esset, vt verba cora ipso Rege faceret. Non est, aiebant, talis mulier super terrā in aspectu, in pulchritudine, & in sensu verborū. Adeò pulchritudinē eius, decus, atq; facundiā admirabātur: sed quæ suo ipsorū damno erāt, per eadē enim ipsa decepti, cōfundebantur. Multò verò rectiùs nobis hæc de Virgine nostra dicere licet. Id quod non modo damnum nullum, verumetiam in-
Eccl. 9. et 15. gens nobis adferet cōmodum. Monet quidem & rectè Scriptura, ne quis alienam speciem respiciat, quòd multi in illa perierint: vt videre est ante diluuium, in Sichen: postea verò in Dauid, in Amon, ac duobus presbyteris in Babylone.

Verùm

Verùm nullum hîc periculum timendum eſt, tuto atq; cùm magna ſecuritate Virginis huius dicendi ſuauitatẽ admirari licebit, ſine metu illius faciem intueri poteris. Nõ enim in carnalẽ te ſolicitabit amorem, ſed in Dei inflãmabit charitatem, niſi fortè omnino lapis fueris. Imò verò ideò hoc Euangelium perſcriptum eſt, ideò hæc feſtiuitas inſtituta eſt, ideò etiam ipſa virgo proponitur, vt ornamenta illius ac decorem, atq; verba, cum omni diligentia cõſideremus, admiremur, atq; in iis oblectemur. Neque verò decus illius, à momentanea faciei aut corporis eſt gratia: ipſius ornamenta nõ mundus muliercularum faſtuoſarum eſt. Tum nec verba illius fruſtranea, inanis, doloſa dicacitas eſt, ſed decus ipſius, decus Deo placens eſt: ornamenta illius ornamenta animæ ſunt: verba illius, verba veræ pietatis ſunt. Quæ omnia in hoc Euangelio conſiderantur, & ita, vt quicúnq; tandem legerit attentiùs, huic Virgini ſimilẽ in toto orbe eſſe, vel forma, vel decore, vel verborum prudentia, faeilè ſit negaturus. Idq; nõ multa demõſtratione eget. Principiò enim ſi mores modeſtiámue aſpexeris Virginis, videbis decorem, ipſius non in extraneo ornatu, aut capillatura aut circũdatione auri, aut inanibus, aut indumento ſuperfluo ſitũ fuiſſe. Minimè. Verùm hoc ipſius fuit, non ſublime ſapere, nec ſuperbire pro acceptis Dei donis: ſed mox audita gratia, quã Deus Eliſabeth cognatę ſuę exhibuiſſet, quomodo & ipſam viſitaſſet, prolíſq; fœcunditate donaſſet, ſui oblitam planè alterius congratulatum abire fœlicitati: deinde mox ſurgere, non, nec labore nec difficultate deterreri, & qua ratione aliis, dilectionis ſanctæ obſequia exhibeat cogitare. Tertio in mõtana feſtinare, vt cuius mẽs ſenſúſq; nõ ad infima, ſed magis ſurſum ad cœleſtia erecti ſint. Quartò, non morã in vicis, in hominũ frequentia trahere, nõ omnia ſcrutari, non circumſpicere, ſed properare. Quintò, non ad leues, ſuſpectóſue: ſed ad pios, ad iuſtos, ſanctóſq; diuerti. Sextò, Eliſabeth, longè ſanè apud Deum inferiori ſeruire, ídq; nõn vno aliquo die, ſed tribus integris menſibus. Poſtremò Deo ſoli omnia aſcribere. Hoc ergo decus Virginis noſtræ eſt. Nec aliã facilè inuenias, in qua omnia hæc tãta perfectiõe cõſpicere liceat. O beatã te, quę credidiſti, clamat Eliſabeth. Hęc formę ſpecies & pulchritudo eſt, de qua & Dauid loquitur, Audi filia, & vide, & inclina aurẽ tuã, & obliuiſcere populũ tuum & domũ patris tui, hoc eſt, ſi Deo placere cupis, audi, *Pſal. 44.*

crede,ipſiq; adhęreſce:& ſic cõcupiſcet Rex ſpeciem tuam, quoniam ipſe eſt Deus tuus,& adorabis eũ,ipſius enim fides longè præſtantior eſt fide Abrahamica, & ea credidit quæ cunctis ſeculis inaudita erant, imò quæ ſecundum naturæ curſum impoſsibilia erant. Vis tertio quoq; videre:quia in terra omni,talis mulier in ſenſu verborum non ſit? quid in Cantico ſuo canat,vide. Fuerunt quidẽ & aliæ fœminæ,quę compoſitis canticis Dei laudes cantauerunt: vt Moſi ſoror Maria,Delbora,Anna mater Samuelis,Iudith, & aliæ. Sed hæc cæteris ſua cantione longè præſtat. Illa enim principiò quid ſit Deus, nẽpe Dominus, indicat,dominus omniũ hominum,ſalutare eorundem,Deus potens,cuius nomen ſanctum eſt. Deinde quodnam illud diuinæ pietatis factum ſit, quod in ſe Deo authore peractũ eſt,cõfitetur. Reſpexit, inquit,humilitatẽ ancillæ ſuæ:fecit mihi magna. Duo facta, vtrumq; egregium,quorum illud ſpiritus bona,quibus eam Deus dotauerat: hoc incarnatione Chriſti, ad quã eam ipſe Deus præ cũctis ſelegerat,reſpicit. Tertiò & illa enumerat facta,quæ in vniuerſum Deus in mundo operari conſueuit, vt ſunt timentibus miſericordiã præſtare,ſuperbos diſperdere,potentes deponere,humiles exaltare,eſurientes bonis implere,diuites inanes relinquere. Hæc opera cõſueta ſunt. Quartò etiam in ſpecie Virgo noſtra, quid priuatim Deus in Iſraele operatus fuerit, nimirùm & miſericordiã ſuã atq; veritatem in illis oſtenderit,recenſet. Pro ſua enim miſericordia Chriſtum illis promiſit, pro veritate ſua eundem ad ipſos miſit. Ecce hæc omnia Virgo noſtra hoc in Cantico perſtrinxit. Annõ igitur mihi licebit dicere,eiuſcemodi fœminam in terram nõ eſſe? Vides ergo quàm multa & quàm varia nobis hîc cogitãda proponantur? Et ſanè hæc hodiernæ meditationi abundè ſufficerent,nec quicquam meditabimur vtilius. Sed tamen præterea ac pręſtantius quid audiendum nobis eſt. Canticum ergo, cuius exordium eſt ſalutatio, *Aue praclara* conſiderare libet, ídque breuiſsimè, tantùm vt quod vobiſcũ conſideretis, habeatis vel aliquid. Tria autem in illo Cantico facit Eccleſia. Principiò oculos, mentem cogitationéſque omnes ad hanc virgunculam conuertit tantùm præ admiratione eorum, quæ in ipſa Deus omnium noſtrum bono operatus eſt. Atque huc prima illa verba reſpiciunt, *Aue præclara*. Mox ipſa opera, quæ per eam Deus fecit recenſet, atque veteris teſtamenti figuras

Exod.15. 1.Reg.1.

horum

horum operum inferit: atque hic multi respiciunt versus a primo vsque ad duodecimum. Postea precationem subdit, quēadmodum in omnibus quicquid boni de Deo intelligimus, precibus concludendū est, atq; hic quiescimus. Est aūt illa Ecclesiæ perpulchra oratio. Principiò Mariā, vt quā proximā gratissimámq; esse Deo non diffidat, alloquitur. Sed nec hoc cōtenta, sed considerato, q̄ nec ipsi sancti omnésq; angeli cœlestes ex se quicquā possint, mox ad Christū sermonem cōuertit, vt qui nō homo modò, sed & ipse Deus sit & cui omnia Pater in manus dederit, quæ in cœlo quæq; in terris sunt. *Audi nos* (Mariā alloquitur) *nā te filius nihil negās honorat, Salua nos* (ad Christū cōuerso sermone ait,) *Iesu pro quibus Virgo mater te orat.* Et hic videre est illā, quā etiā in Litaniis suis obseruat differētiā. Ab hominibus quidē & angelis tantū intercessionē petit, verū à Christo auxiliū atq; salutē. Et qua meliore via posset cōfiteri? Nulla siue angelica, siue humana creatura tā per se præstans est, vt auxilium ex se præbere, aut saluare possit. Domini est salus, & super populū tuū benedictio tua. Aptè igitur positæ sunt orationes Ecclesiæ: Audi nos, Salua nos. Magna differētia distāt, audire & saluare. Omnes quidem audire preces: sed non omnes exaudire & opitulari pōt. Vnus est Iesus, hic potest: ideóq; in hoc auxuliū salúsq; quærenda est: & alios quidē vt preces miseriásq; nostras respiciant, vt vnà precentur nobiscū, orare possumus. Et hanc qui animaduertit differētiam, nō vspiā aberrabit. Interea tamen neminē moueat, aliquas precatiūculas, ab ipsa etiā Maria auxiliū opémq; videri petere: cū dicimus, *Da fontē boni.* Nā illa voce, Salua nos Iesu, illi opinioni præuētū est. Verū qua ratione pro nobis Sancti orēt, In Ioanne satis abundè docui, atq; ea præteriēs, & quid in hoc Catico precari doceamur, indicabo: ídq; maximè nostra refert. Omne bonū à Deo nobis manat, & ab ipso petendū illud est, nihilominus tamē illi, suæ volūtatis beneplacitū relinquētes, velit per se ipsum an p alias, quasi media q̄ rogatur præstare. Iā verò hoc Cātico multa & præstantia à Deo petere docemur. omnia Scripturarū testimoniis fundata: primò vt nudis sine calceatu pedib⁹, puris labiis mūdóq; corde liceat appropinquare ad ignē sanctū, quē Maria virgo mater portauit, quēadmodū olim rubus in igne flāmáq; Mosi videbatur, sed nō comburebatur. Et hoc primùm precari docemur, quo etiā ad veteris Testamenti historiā, quæ *Psal. 3.*

Moſes tyrannidem Pharaonis fugiſſe commemorat, reſpi-
Exod.3. cere monemur. Moſes enim fugiēs Pharaonē, Ietro ſoceri ſui oues paſcēs in deſerto, videbat quòd rubus arderet & nō combureretur, dicebat ergo, Vadā & videbo viſionem hanc magnam: vbi autem propiùs acceſsiſſet, videbat nō eſſe naturalem ignem: ſed Deum loquentē ſibi in rubo audiebat: Moſes Moſes, non approperes huc. Hanc igitur hiſtoriam, precatio illa reſpicit. Et bene. Nā & nobis tyrannus eſt, qui vitæ noſtræ inſidiatur, ipſe nimirū Satan. Et ipſum ſanè tutò fugere nō licet, niſi ſacrum ignem acceſſerimus, ad eſſentiale Dei verbū, ipſum filium, quē Maria virgo mater portauit, & virginitate integra genuit. Hunc enim ignē quicūque viderit atque acceſſerit, ſine dubio vocem illam plenā cōſolationis audiet: Ego Dominus Deus tuus, vidi afflictionem tuā, deſcēdi vt liberem te. Et quid magis conſolatoriū in hoc deſerto, in hac inquā lachrymarū valle audire poſſemus? Ecce hac ratione precari monemur, vt cōſecuti gratiā hūc ignē videre, ad ipſum accedere, hoc eſt, Chriſtum Dei filium agnoſcere, & ad ipſum venire poſsimus. Non enim cuiuis hoc datum eſt. Nemo venit ad eum niſi Patre trahēte. Vt ergo trahamur à Patre precari docemur: ſed & quid noſtra parte faciendum eſt admonemur. Deus quod ſuum eſt, facit: omnes trahit. Calciamenta pedum ſoluenda ſunt, mortua peccati opera deponenda ſunt, mundis labiis puróque corde accedendum eſt. Alioqui enim plus incommodabit hic ignis, quam ſperaſſemus. Deus noſter, inquit Moſes,
Leuit.10. ignis conſumens eſt. Et Dominus ipſe, Sanctificabor in iis qui appropinquant mihi. Non ergo quid precandum nobis ſit tantùm, verùm etiā quid orantibus præſtandum ſit hoc cantico docemur, quòd ſi exaudiri volumus per Chriſtū, vt Moſes ita nobis etiā accedendū eſt: accedendū inquā, ſalutis calciamētis, mūdo corde puríſq; labiis: eo planè modo quo Paulus viros in omni loco, & puras manus leuare præcipit. Et hac primùm ratione precari hic docemur. Deinde etiā vt fontē ſuauem per petram deſerti figuratum plena ac pura fide guſtemus, hoc ipſo Cātico docemur. Qua re iterum
Exod.17. in veteris Teſtamenti hiſtoriam reſpicere monemur: quæ
Num.20. Deū ſitibundo populo è petra duriſsima in deſerto aquam præbuiſſe cōmemorat. Petram illam Moſen accedere Deus iuſsit. Hac ratione vt & ipſi ſuauem de petra aquam guſtemus, docemur orare. Eſt autem hæc aqua nihil niſi Spiritus

ſanctus

ſanctus, imò omnis generis gratia & conſolatio. Petra autem, Paulo docente, Chriſtus eſt. Petra, percutiente Moſe, aperta eſt: Iudaico populo Chriſtum occidente, varia dona gratiarum veluti è fonte ſuauiſsimo fluxerunt, nec fluere deſinent. Sed hæc aqua non omnibus datur, niſi pura fide accedẽtibus. Qui credit in me, inquit Chriſtus, flumina de vẽtre eius fluent aquæ viuæ. Vt igitur hunc fontem pura fide guſtemus, Dei gratiam expetimus. Semel verò deguſtatus, ſine dubio ſui deſiderium excitat, Domine, inquit Petrus, quò ibimus? verba vitæ æternæ habes. Et, Bonũ eſt nos hîc eſſe. Tertiò & hoc precamur, vt loti in mari, renibus cõſtrictis, anguem æneũ in cruce ſpeculemur. Et hoc rurſus, veteris Teſtamenti libros reuoluere monemur. Moſi enim præceperat Deus, vt liberandis populis à ſerpentum morſibus, ſerpentem æneum in ſignum erigeret, quo viſo viuerẽt. Recte igitur hîc orare docemur, vt à Diabolo per peccatũ læſi, exaltatum ſerpentem, ipſum crucifixum Chriſtum liceat aſpicere. Habebat enim æneus ſerpẽs, figuram Chriſti, ipſo dicente, Et ſicut Moſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet Filium hominis, vt omnis qui credit in eũ, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Et quid in hoc deſerto rectius precari poſſumus? Percuſſi ſumus omnes, omnes præcipitati in peccata, nec vllum contra hanc peſtem remedium, præter crucifixum Ieſum, nec licet hunc niſi baptiſmate loti, & poſt baptiſma ſuccinctis lũbis ambulantibus, hoc eſt, in puritate ac pietate vitæ, & non in carnis deſideriis incedentibus, aſpicere. Et hæc tertia oratio. Hæc quarta eſt, *Da fontem boni viſere, da puræ mẽtis oculos in te defigere. Da non modò fontem deſerti deguſtare, verùm etiam omnis boni fontem videre.* Et qua ratione id fiet? *Da puræ mentis oculos, in te defigere.* Soli enim mundi corde Deum videbunt. In hũc verò finem, boni fontem viſere cupimus. Chriſtum agnoſcere petimus: non tam vt ſcientes credentéſque de ipſo multa loquamur, verùm etiam vt ſapientiæ hauſto, ſaporem vitæ valeat mens intelligere. Et quid ſapientia vera, niſi Euangelium gloriæ Dei, per Chriſtum manifeſtatum: in ipſo & ex ipſo ſaporem vitæ intelligimus, Chriſto dicente, Qui ſermonem meum ſeruauerit, mortem non guſtabit in æternum. Ideò Chriſti agnitionem petimus, vt ipſius ſermonem audientes, hoc ipſo ad vitam animæ pertingamus: deinde etiam Chriſtianiſsimi fidẽ operibus redimamus. His rebus

1. Cor. 10.

Ioan. 6.

Matth. 17.

Num. 21

Ioan. 12.

Matth. 5.

Ioan. 14.

Luc.6. Christi agnitio commodat. Quousque, inquit Christus, dicitis mihi, Domine Domine, & nō facitis quæ ego dico vobis? Matth.7. Nō omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei. Et Phil.4. quibus operibus fides Christianismi redimēda est? Audi Petrum, Vos autē, inquit, curam omnem subinferentes, ministrate in fide vestrā virtutē, in virtute autē scientiā, in scientia autē abstinentiā, in abstinētia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate amorem fraternitatis, in amore fraternitatis charitatem. 1.Pet.4. Hæc enim si vobiscū adsint, & superent, non vacuos, nec sine fructu vos constituent, in domini nostri Iesu Christi cognitione. Philip.4. Idem Paulus facit, cùm ait, Fratres, quæcunque sunt vera, quæcunque pudica, quæcunque sancta, quæcunque amabilia, si qua virtus, si qua laus disciplinæ hæc cogitate, quæ & didicistis & accepistis, & audistis, & vidistis in me, hæc agite, & Deus pacis erit vobiscum. Hæc vera fidei redimicula sunt, sine quibus omnis fides in semetipsa mortua est. Tertiò denique Christi agnitio huic rei seruiet, vt beato fine ex huius incolatu seculi ad Deum patrem nostrum transeamus. In hunc enim finē creati sumus, huc omnes tendimus, non vt hîc perpetuò maneamus, sed vt æternum cū Deo viuamus. Et hoc ipsum à Deo petendum est, vt mediante fide optatum finē consequamur, quandoquidem soli beati sunt, qui in Domino moriuntur. Tum demum hoc nobis præstat fides quādo in se perfecta est. Apoc.14. Qui enim credit in Christum, in iudicium non venit, sed transit à morte in vitam. An non igitur Ecclesia Canticum hoc suum, quo cum admiratione Virginem matrem sibi proponens, Deique in ipsa gratiam commemorat tam piis precationibus pulchrè concludit? Omnes enim precationes illæ Deum, & quem ille misit Iesum Christum, respiciunt, ita tamen vt hæc Dei cognitio per bona opera in nobis sit fructifera, vt tandem aliquando ad clarissimum lumē pertingamus. Quam enim hîc habemus Dei Christique agnitionem, perexigua & ex parte est. Modò enim per speculum videmus in ænigmate, illic autem facie ad faciem videbimus. Deus optimus Maximus faxit, vt his precationibus rectè ac piè vtamur, inque his exaudiamur. idque vt faciat gratiam suam omnibus nobis præstet, Amen.

In dedica-

IN DEDICATIONE ECCLESIAE EVAN. LVCAE IX.

Et ingressus IESVS perambulabat Iericho. Et ecce vir nomine Zachæus, & hic princeps erat publicanorum, & ipse dives. Et quærebat videre Iesum quis esset, & non poterat præ turba, quia statura pusillus erat. Et præcurrens ascendit in arborem sycomorum, vt videret eum, quia inde erat transiturus. Et cùm venisset ad locum, suspiciens Iesus, vidit illum, & dixit ad eum: Zachæe festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. Et festinans descendit: & excepit illum gaudés. Et cùm viderent omnes, murmurabant, dicentes, quòd ad hominem peccatorem diuertisset. Stans autem Zacheus dixit ad Iesum, Ecce dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus, & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum. Ait Iesus ad eum, Quia hodie salus huic domui facta est, eò quòd & ipse sit filius Abrahæ. Venit enim filius hominis quærere & saluum facere quod perierat.

EODEM DIE EPISTOLA

APOC. IOAN. XXI.

ET ego Ioannes vidi sanctam ciuitatem Ierusalem nouam descendentem de cœlo, a Deo paratam sicut sponsam ornatam viro suo. Et audiui vocem magnam de throno dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis. Et ipsi populus eius erunt, & ipse Deus cum eis, erit eorum Deus. Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum: & mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltra, quæ prima abierunt. Et dixit qui sedebat in throno, Ecce noua facio omnia. Et dixit mihi, Scribe, quia hæc verba fidelissima sunt & vera.

SERMO PRIMVS.

IOTIES hoc Euangelium quotannis, maximè in hac ciuitate, quæ vt multa tẽpla habet, ita plurimas dedicatiões frequentat, prædicatur, vt verisimile sit (vt nunc sumus ad pietatẽ omnẽ negligẽtes ad nugas leuitatémque prõpti) nõ fieri modò, quin multi fronte corrugant, imò ridiculè hoc Euangelium excipiã: cũ tamen ea ipsius dignitas est, vt satis deprædicari possit minimè, & pro meritò rectiùs quotidie in Ecclesia sanaret, quo nemo in Christianis discèret atque agnosceret, quæ spei copia nobis in Domino Iesu sit reposita. An enim nõ est plenũ cõsolationis ac spei, Christum tam citò Zachæi affectum respicere, tantum peccatorem affari, amicitiam promptè offerre, ad peccatorẽ diuertere, & mox ex publicano filium formare Abraham? An nõ illud gratissimum est quod ait, Venisse filiũ hominis quærere, & saluũ facere quod perierat? Et quod in omnibus Euangeliis magis consolatoriũ inueniri possit? Quis hoc audito vel in peccatis desperat, vel non ad gratiæ sedem accelerat? Quis non & ex intimo affectu Deo gratias agere, hoc Euãgelio ob oculos proposito, velit? Tanta ergo consolatione confertum nemo sanus contẽpserit ideò, quod sæpiùs quotannis in Ecclesia sonet. Quod si adhuc quisquam est, quod ipsum Euangelium contẽnendum ducat, seipsum prodit: q; nec Deum, nec Dei vel amet, vel magnificer gratia. Et sanè eiusmodi quicúnque tandẽ ille est, vt probè sexũ examinet qualis sit Christianus, necesse habet. Quẽ enim tantũ gratię diuinæ factum nec trahit nec mouet, quo alio medio trahi moueríque possit non video. Dauid enim eiusmodi hominibus quàm ipsi periculosè habitent indicat dicens, Omnem escam abominata est anima eorũ. Et quid sequitur? Et appropinquarunt vsque ad portas mortis. Et quidem necessario id sequitur, non enim minus periculi est, si stomachus omnẽ cibum nauseat atque reiiciet, quàm si esuriẽs quod edat nõ habeat, Vtrobique mors proxima est. Hæc igitur præfari libuit exordij loco, ad cohortãdos nasutos quosdã, qui præter nouum quodcúnque, nihil curant, hoc frustrati, cætera contemnunt omnia. Verùm quod de Euangelio dictum est, idem & de hodierno festo intelligi volo. Nihil communius huius festiuitatis concionibus: sed nihil etiã contemptibili

Psa. 106.

temptibilius est. Neque tamen ideò tacendum est: Paulum discipulum suum admonentem audi: Testificor, inquit, coram Deo, & Iesu Christo, qui iudicaturus est viuos & mortuos, & per aduentum ipsius & regnum: prædica verbum insta oportunè, importunè, argue, obsecra, increpa, in omni patientia & doctrina. Erit enim tempus, cùm sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros prurientes auribus, & à veritate quidē auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. Hanc prædicandi normā Paulus discipulo suo præscripsit. Præuidebat enim mundum ad Euangelij prædicationem languidum fore. Neque tamen ita apertè & clarè ista hæc prædicere potuit, vt nos ante oculos nostros, & veluti ī foribus videmus omnia. Vt ergo superioribus annis, semper proprio sermone huius festi memini, quídque nobis necessarium atque conueniens in medium proposui, ita etiamnum faciam: veruntamen & nouum quid inferam. Quemadmodum enim duobus proximè elapsis annis quomodo non Salomon tantùm, verùm etiam Christus ipse dedicationem templorum celebrauerint, indicaui: ita hoc sermone quæ patrum Ecclesiæ in hac festiuitate fuerit pietas deuotióque, libet proponere: si fortè ipsorum verba plus quàm mea effecerint. Tamen hoc se quuturum spero, vt non tam miserè despiciantur Patres, quasi nihil de Christo nouerint: quemadmodum nunc vulgò traducuntur. Si enim eo modo ipsorum scripta legerentur, quo modernorum, longè alia, de ipsis nostra essent iudicia. Vnicum igitur hodie diui Bernardi de dedicatione sermonem in medium proferam. Illinc enim poterimus discere, num quid de Christo sciuerint Patres, num ipsum prædicauerint. Vtinam eiuscemodi & nunc haberet Ecclesia prædicatores: profectò ipsa & quicquid eius est, rectiùs starent, atque modó. Agitè igitur Bernardum audiamus. Sed sensum ipsius tantùm indicabo: longum enim fieret, si omnia verba recitare voluero. At principiò quidem nemo scandalizetur, veteres non magnis & superbis elatæ mentis se verbis titulisque prodidisse, sed purè & apertis verbis Christianam veritatem docuisse. Propterea enim tutiùs illis possumus fidem habere. Nō enim veritas vllo prætextu indiget, vt quæ præclara & lucida est. Mendacio verum vmbraculo opus est, quo sub veri specie diuēdi possit. Et hic q-dē egregiis titulis nominibúsq; autoritatis, opinionē venari

1. Thessa. 2.

opor

oportet ſimpliciúmq; oculos Prophetæ, Euangeliſtæ, Apoſtoli, Prædicantíſque appellationibus perſtringere. Deinde etiam nouorum ſpirituum, viſionúmque priuatas conſuetudines iactitare: blandiloquentia indoctos perſuadere: cõminationibus calumniiſq; prudentiores terrere: tãdem etiam ne mendacium prorẽpat ac manifeſtum fiat, diligentiſsimè cauere. Hæc Arrianorum, Montanorum, Donatiſtarum, cæterorúmque omnium hæreticorum conſuetudo fuit. Quanquam nihil tandem potuerũt, quemadmodũ & hodie eiuſcemodi artes nihil cõmodant. Poteſt quidem ad tempus abſcondi ſub leoninam pellem Cumanus aſinus, poteſt & conterritare homines, perindè ac ſi verè Leo eſſet: tandẽ tamen lõgioribus auribus, quas nequit obtegere, proditur: & quod ſit aſinus, declaratur. His pręſtigiis non indiget veritas: ipſa in lucem procedit, veretur neminem. Id quod in antiquioribus Eccleſiæ videmus Patribus. Atque huius rei hic nobis Bernardus exemplum exhibebit. Etiã hodie, fratres, inquit, *Bern. ſer. 5.* ſolennitatem agimus & præclaram. Atq; id quidẽ facilè dixerim. Videmus enim id omnes: ſed pergitis quærere, cuius ſanctiillud fortè iam nõ ita. Iã verò indignũ Eccleſiaſticis eſt, ignorare cui honorẽ deferant: nec prudentes decet, venerari incognitum. Quærendum ergo primũ eſt, in cuius ſancti, aut quorũ honorẽ hunc diẽ ſolennẽ agimus. Et in aliorũ quidẽ Martyrũ atque Apoſtolorũ feſtis, cuius memoriã frequentemus ſancti dicere, difficile nõ eſt. Verũ hic non ita facilis eſt reſponſio. Et omnes quidẽ externam hanc domum, vnde feſtiuitas nomẽ habet, videmus. Sed quod honoremus aut etiã honorare cogitemus noſtris feſtis, ligna, lapides, & alia, Chriſtiana profeſsio nõ patitur. Licebit quidẽ & externam hanc domum ſanctam vocare, quòd ſanctis Epiſcoporum manibus in honorem cultúmq; diuinum dedicata eſt, quòd in ea ſancta Scripturarum volumina leguntur, ſancta ſacramenta adminiſtrantur, ſancta Chriſtiani populi Eccleſia in ea cõgregatur, ſanctę preces Deo offerũtur, ſancti hîc nos viſitãt, & nobis adſtãt, ſanctorũ hîc corpora requieſcũt, Et deniq; ſanctus ſanctorum præſentem ſe hic exhibet, cũ preces ipſe noſtras exaudit, largitur ſuam gratiam, ſuúmq; in nos effundit Spiritum. His rationibus hæc domus non immeritò ſancta dicitur. Sed quod ipſorum ſanctitas, ipſorum cauſa honoretur, tam nõ eſt credendum, quàm certum eſt, ipſorum cauſa nõ eſſe ſanctificatã. At multò magis do-

mus

mus hæc ſancta eſt, propter corpora, corpora verò propter animas, animæ verò propter inhabitãtem Spiritum. Quam ergo externam videmus domum, in dedicatiõe eſt minimũ: nos iſthæc reſpicit feſtiuitas, nos domus, & familia Dei: nos templum Dei, ciuitas Dei, nos ſponſa Dei. Hi ſancti illi, quorum hodie feſtiuitatẽ celebramus. Sancta enim domus Dei eſt, & templum ſanctum eſt, ciuitas ſancta eſt, ſancta eſt & ſponſa Dei, quam filij ſui ſibi ſanctificauit ſanguine. Videntur quidem hæc quatuor eſſe, ſed vnum re vera ſunt. In externis quidem diuerſa ſunt, domus, templum, & longè aliud quid eſt ciuitas, quàm domus & templum, at lõgè diuerſiſsimum eſt ſponſa à ciuitate, domo, aut Dei templo. At hîc omnia idem ſunt, quiſquis enim domus Dei eſt, ipſius etiam templum eſt: & quiſquis domus templúmq; Dei eſt, idem & ciuitas eius eſt: & deniq; quiſquis domus, templum & ciuitas Dei eſt, etiam ſponſa ipſius eſt: ſed omnia hæc ſumus nos. Circunſpicere igitur hic opus eſt, vt verè intelligamus & cogitemus, quæ domus patriſſamiliàs huius, quod templum Dei, quæ ciuitas Regis, quæ deniq; ſponſi ſit, atq; dicatur ſponſi. Optimè enim hoc modo videbimus quid per nos ſimus, & quid in Deo cognoſcamus. Videbimus, inquã, ad quam dignitatẽ quóſue honores à Chriſto conſeruati ſimus. At ego ſuper hoc non parũ vereor loqui, quid ſentiam, ne quis forſitan ab hoc auditorio diſcedat, aut elatus præ magnitudine gloriæ, aut incredulus præ puſillanimitate ſpiritus ſui, vtrobiq; enim periculũ eſt, ſi aut elati, aut increduli his effecti fuerimus. Vbi enim gratiæ fit mentio, humilibus atque credẽtibus opus eſt. Vtrumque enim requiritur. Deus ſuperbis reſiſtit, inquit Petrus, humilibus autem dat gratiã. De alio verò Paulus loquitur. Sine fide impoſsibile eſt placere Deo. Opto igitur & omnibus modis cupio, vt & paruulos vos & magnos, imò vt plus miremini, nihil aliud quàm grãde aliquid ei vos exhiberi curetis. Neque enim ſine magno animo bona illa tã magna capere, aut vim facere poteris regno cœlorum, nõ plus quã idem regnum cœlorum intrare, niſi conuerſi fueritis & efficiamini ſicut paruuli. Non ſum homo profundi ſenſus: nõ poſſum vobis quod non guſtauerim eructare: dicam tamen quòd interdum in me ſentiam actitari, vt ſi quis fortè vtile ſibi iudicauerit, imitetur. Quia enim olim perſuaſum eſt mihi, vt miſerear animæ meæ, placiturus exinde Deo meo, frequenter de eo recogi-

1. Petr. 5. Hebr. 11. Matth. 18. Eccleſ. 30.

to,

to, vtinam autem magis ſemper liceret. Erat quãdo id actitari minimè libebat, nempe quòd minus, ſi tamen minus, & nõ magis minimè diligerem eam. Quomodo enim quis
Pſal.14. amat, cuius mortẽ amat? Quod ſi vt verum eſt, & indubitabile mors animæ iniquitas eſt, abſolutã proinde liquet eſſe ſententiam, quòd iniquitatem qui diligit, odit animam ſuã. Oderam ergo eam, & odiſſem adhuc: niſi hoc mihi quodcúnque amoris initium eius, is qui prior eam dilexerat, cõtuliſſet. Ipſius proinde beneficio ſubinde de ea cogitans, videor mihi in ea (fateor) velut duo quædam contraria inuenire. Si ipſam prout in ſe eſt, ex ſe, iuxta rei veritatem intueor: nihil de ea verius ſentire poſſum, quàm ad nihilum eſſe redactã. Quid modo neceſſe eſt ſingulas eius miſerias numerare? quàm ſit onerata peccatis, effuſa tenebris, irretita illecebris, pruriens cõcupiſcentiis, obnoxia paſsionibus, impleta illuſionibus, prona ſemper ad malum, in vitium
Eſa.64. omne procliuis, poſtremò totius ignominiæ & confuſionis impleta. Nimirùm ſi ipſę quoque iuſtitię noſtræ omnes ad
Matth.6. lumen veritatis inſpectæ, velut pannus menſtruatæ inueniuntur, iniuſtitiæ deinceps quales reputabuntur? Si lumen quod in nobis eſt, tenebræ ſunt, tenebræ quantæ erunt? Facile eſt cuique noſtrum ſi ſua vniuerſa melius, & ſine diſsi-
Gal.6. mulatione veſtiget, & iudicet ſine acceptione perſonæ, atte-
Iob 7. ſtari per omnia Apoſtolicæ veritati, liberè proclamare. Qui ſe putat aliquem eſſe, cùm nihil ſit, ipſe ſe ſeducit. Quid eſt homo, quia magnificas eum (ait fidelis & deuota confeſsio) aut apponis erga eum cor tuum? Quid? ſine dubio vanitati ſimilis factus eſt homo, ad nihilũ redactus eſt homo, nihil eſt homo. Quomodo tamen penitus nihil eſt homo, quem magnificat Deus? Quomodo nihil, erga quem appoſitum eſt cor diuinum? Reſpiceremus, fratres: & ſi nihil ſumus in cordibus noſtris: fortè in corde Dei poteſt aliud latere de
Matth.6. nobis. O Pater miſericordiarum, O Pater miſerorum: quid
Iſa.40. apponis erga eos cor tuũ? Scio, ſcio, vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum. Quomodo ergo nihil ſumus, ſi theſaurus tuus ſumus? Omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt apud te, & tanquam nihilum & inane reputabuntur. Siquidem apud te, & ſed non in affectu pietatis tuæ. Nimirum vocas ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt. Sic nimirùm ſic conſolaris in tua pietate, quem in veritate tua humiliaſti, vt magnificè dilatetur in tuis qui meritò anguſtiatur in viſce-

ribus

ribus suis. Siquidem vniuersæ viæ tuæ misericordia & veritas, requirentibus testamentum tuum, & testimonia tua. Testamentum vtique pietatis, & testimonia veritatis, lege homo in corde tuo, lege intra temetipsum, de teipso testimonia veritatis, etiam hac communi luce iudicabis te indignum. Lege in corde Dei Testamentum, quod firmatũ est in sanguine Mediatoris: & inuenies quàm longè aliud spe possidere, quàm re tenere videris. Quid est, inquit homo, quia magnificas eum? Magnus vtique: sed in illo: si quidem magnificatus est ab illo. Aut quomodo non magnus apud illum, cui tam magna cura est de illo? Ipsi enim cura est de nobis, ait Apostolus Petrus. Et Propheta, Ego autem mendicus sum & pauper homo: Dominus solicitus est mei. Planè artificiosa connexio vtriusque considerationis, qua velut vno momento descendens pariter & ascendens, se & paupe rem & mendicum, & Deum pro se solicitum vidit. Quod autem de se Dauid testatur, idem nobis contingit. Annon solicitum se Deus nostri ostendit, quòd immeritos in domum suam in domesticos suos susceperit? In templum suum, quod inhabitet, nos sanctificauit? In ciuitatis suæ ciues, in quibus in perpetuum regnare vult, incorporauit? denique in spõsam suam, cum qua omnia communia habere velit, elegit? Vtique hæc tanta bona humanus animus concipere non potest. Vnde non absurdè cum Nicodemo dixerim, Quomodo possunt hæc fieri? Et cum Apostolis, Si ea hominum conditio est, quis poterit saluus fieri? Et quis hæc de Deo sibi polliceri possit? Sed quid Christus ait? Apud homines quidem hoc impossibile est, sed non apud Deum. Hæc tota fiducia nostra, hæc vnica cõsolatio nostra, hæc tota ratio spei nostræ. Sed de possibilitate iam certi, de voluntate quid agimus? Quis scit si est dignus amore an odio? quis cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? Hic iam planè nobis fidem subuenire necesse est: hic oportet succurere veritatem, vt quod de nobis latet in corde Patris, nobis per ipsius Spiritum declaretur, & Spiritus eius testificans, spiritui nostro persuadeat quòd filij Dei sumus. Proinde Scripturas, hoc est, testimonia Spiritus sancti in his rebus audi, Omnem curam vestram proiicientes in eum, inquit Petrus, quoniã ipsi cura est de vobis. Et, Nolite soliciti esse, scit enim Pater vester cœlestis quia his om

Iob 7.

1. Pet. 5.
Psal. 39.

Ioan. 3.

Matt. 19.

Eccles. 9.
Rom. 11.

1. Pet. 5.
Matt. 6.

Ioan.16. his omnibus indigetis. Et ipſe Pater amat vos, quia vos me
Luc.12. amaſtis. Et alibi, Noli timere puſillus grex, quoniam complacuit Patri veſtro, dare vobis regnũ. Annon hæc certa te-
1.Cor.3. ſtimonia ſunt, quia Domeſtici Dei ſumus? An neſcitis, Pau-
2.Cor.6. lus ait, ℣ templum Dei eſtis vos, & Spiritus ſanctus habitat in vobis? Et iterũ, Vos eñ eſtis tẽplum Dei viui, ſicut Deus
Leuit.26. dicit, Quoniã inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & ipſi erunt mihi populus: & Ioannes, Ecce tabernaculum Dei & hominibus, & habitabit cũ eis.
Apoc.21. Et ipſi populus eius erunt, & ipſe Deus cum eis erit eorum Deus. Annon & hæc certa teſtimonia ſunt, quia templũ Dei
Hebr.12. ſumus nos? Sed & de reliquo accipiamus, Acceſsiſtis ad Siõ montem & ciuitatem Dei viuentis Ieruſalem cœleſtem, & multorum millium Angelorum frequẽtiam. Annon & hæc verba, quia nos ciuitas Dei ſumus ſatis demonſtrant? Et in
Oſea2. Oſee Dominus ait, Deſponſaui te mihi in fide deſpoſaui te, in iudicio, & iuſtitia eius non tuam intellige, deſponſaui te miſericordia & miſerationibus. Et hæc quidem teſtantur, etiam ſponſam nos eſſe. Hoc modo hodierna celebritas duo nobis meditanda docet: quid in & ex nobis ſimus, & quid in Deo. Si in nos ipſos reſpicimus, nihil ſumus: ſi verò ſecundum fidem nos iudicauerimus, magni ſumus, nimirùm domus, templum, ciuitas & ſponſa Dei. Hæc omnia ſumus, ſed non in nobis: ſed in corde Dei, inquam, ſumus, ſed gratia Dei, & non ex dignitate noſtra Non ergo abutamur illo quod Dei eſt, nec præſumamus noſmet magnificare. Alioqui enim & Deus quod ſuum eſt facier: efferos ſuperbóſque humiliabit, & ſublimia deiiciet. Quandoquidem ergo iſthæc demonſtrauimus, nunc porrò ad ea quæ reſtant, tranſcendamus. Nimirũ vt dignè ambulemus in ea vocatione & dignitate, qua vocauit nos, & in quam prędeſtinauit nos Deus. Si ergo domus Dei ſumus, & domeſtici eius, Deum patremfamiliãs agnoſcamus, & ab ipſo omnia petamus, & expectemus. Cùm oraueritis, in-
Matth.6. quit, dicite, Pater noſter qui es in cœlis, Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Et Dauid ait, Venite adore-
Pſal.94. mus & procidamus ante Deum, quia ipſe eſt Dominus Deus noſter: nos autem populus eius. Et hæc domum Dei
Leuit.20. docent. Deinde, ſi templum nos Dei ſumus, ſanctitati ſtudeamus. Domum enim Dei decet ſanctitudo. Eſtote ſancti, ait Omnipotens, ſicut & ego ſanctus ſum, Dominus

Deus

Deus vester. Vnde Paulus ait, Si quis templum Dei violauerit, disperdet illum Deus. Præterea, si ciuitas nos Dei sumus, pacem vnitatémque sectemur. Deus enim nō est Deus dissentionis sed pacis. Hinc & Paulus monet dicens, Pacem sectamini cum omnibus, cum sanctimonia, sine qua nemo Deum videbit. Hæc enim est, quæ facit habitare vnius moris in domo. Vbicúnque enim sine vinculo pacis, sine legis obedientia, sine disciplina & regimine, sine capite populus congregatur & confluit, non iam populus, sed turba: non ciuitas, sed promiscua inquies est, Babyloni nō Ierusalem similis. Postremò, si nos sponsa Dei, quæ sponsæ sunt, hoc est, dilectionem fidémque illi præstemus (eadem enim & ipse nobis primùm præstitit) si ergo per abundantem refectionem magni patrisfamilias domus esse probamur: si templum Dei per sanctificationem, si ciuitas summi Regis per socialis vitæ communionem, sponsa immortalis sponsi per dilectionem: puto iā non esse, quod dicere vereor, nostram solennitatem. Collætemur ergo angelis Dei, & in Domino gaudeamus, inque gratiarum actione præsens solennitas transigatur: Ecce hoc modo Veteres de dedicatione prædicauerunt. Et quis non videt etiam Christi Dei gratia ipsos prædicauisse? Sanè si hos assiduò reuoluerimus, præstaret, quàm alios, nescio quos legere atque audire. Quòd si his prædicandi in Ecclesia locum daremus, vtique multorum, qui nunc omnium sibi ascribere scientiam non verentur, ora obturarent. Quòd si hos in consilium aduocassemus, certè non in eam leuitatem deuenissemus. Et hæc de prædicatoribus vetustioribus dicere hac vice volui.

1. Cor. 3.

Heb. 12.

Psal. 67.

SERMO SECVNDVS. QVAE olim patrum in hac festiuitate fuerit deuotio, & quomodo nobis eadem celebranda sit.

SI quis ignorat quanto studio Satan iam inde ab initio rerum vsq; in hæc nostra tempora, quicquid vspiam salubre, quicquid bonum, quicquid pium, sanctum atq; diuinū est, aut omnino tollere ac disperdere, aut saltem labefactari nitatur: vel ex sola hac festiuitate, quæ cùm in veteri, tum in nouo Testamento, tum firmum fundamentum atq; principium habet, facilè intelliget. Verùm eiusmodi festa penè

apud omnes aut in abusum, aut omninò in nihilum deuenerunt, atque redacta sunt. Veteris Testamenti historia tradit qua exultatione, quo gaudio populus ille Israeliticus festam diem celebrauerit, quando Moses tabernaculum fœderis Domini erexisset, nempe per hoc omnia bona sibi à Deo pollicebantur, ducebantq; argumentum esse, q̃ Deus in ipsis habitare elegerit. Lõgè verò maius gaudium ostendebant, quando ædificatum recens templum Salomon sanctificabat. Idque meritò: quandiu enim tabernaculo pro templo vtebantur, ac sæpe mouebant, vtique adhuc timere poterant nondum certò statuisse Deum, inter ipsos perpetuò habitare. At ædificato templo, tum demum perpetuam Dei præsentiam sibi polliceri poterant. Ea propter magis in Templi, quàm in Tabernaculi dedicatione exultauerunt. Cæterùm occupato deinde templo, & profanato ab Antiocho, postea verò à Machabæis recuperaretur purgaretúrq; denuò populus turmatim aduolat, templum rursus dedicaturus, perinde ac si recens fuisset ædificatum: itaque pristinum innouabant gaudium. Idem patres nostros fecisse, testis est Eusebius, qui multis ostendit Christianos post persecutiones, desolata templa repetiisse, repurgasse, atque dedicasse. Defuncto eo, inquit, qui erga Christianos nũc inaudita credulitate, nũc simulata venia agebat, aperta indulgentia legitimorum principum, & absque vlla iam suspicione, Ecclesiarum status multò etiam clarior quàm prius fuerat, reparari cœpit. Verbum verò Dei & doctrina Christi lõgè glorioſius & liberiùs propagabatur. Tum verò inimicis pœnitudo vltima atrocitatis & crudelitatis suæ, ita vt pudefacere eos aspectus ipse publicus, nec eleuare oculos in hominum faciem auderent. Et mox, Interea festiuitates à nostris frequentissimè gerebantur cum omni lætitia & exultatione, per vrbes & loca singula Ecclesiarũ dedicationibus celebratis. Congregabantur in vnum sacerdotes: nec pigebat lõgè positos conuenire, quia nullum longum videbatur spatium charitati. Ecce hoc dedicationum nostrarum initium, atq; eo quidem modo celebratæ sunt. Verùm mox deinde dormientibus agricolis, venit inimicus ille Diabolus, & malum semen conseminauit: id quod ita excreuit quidem, vt vix quicquam boni seminis superſit, ita planè, vt & nostræ etiam dedicationes, nihil ferè præter comessationes & nundinæ sint. His rebus nostro seculo occupantur

Num. 9.

3. Reg. 8.

1. Mach. 4.

Euseb. libr. 9. cap. 10.

nomi-

homines,& quidem tanto ſtudio, vt ne ſemel quidem quid dedicationum ſit ſolēnitas,cogitare libeat. Atq; huius peruerſitatis nobis ipſis exemplum ſumus. Et Moguntina dedicatio non modò longè latéque cognita eſt, verumetiam ab omnibus honoratur, nec dubito quin multi pij hæc ſecum cogitent,Ecce & nos Moguntinam dedicationem celebramus: quāta igitur huius feſtiuitatis ſolēnitas Moguntiæ erit? quàm illic plena omnia gaudiis,plena deuotione? Ipſe ergo eò me cōferam,vt cōmuni gaudio tantæ ſolennitatis participem. Hac ratiōe,inquam, non dubito plurimos motos,atq; hac aduenisſe, ſpirituale gaudium internámq; lætitiam viſuri, & tam frigidè nos quidem, tam etiam negligenter agimus, vt ſi extranei illi in templo circunſpiciant, vix vnum atque alterum in concione videant. Alij enim foris ventri & Baccho inſeruiūt: alij famulantur Mamonæ,itaque fit vt in templo præter exteros videatur nemo hi dedicationis noſtræ feſtiuitatem celebrant, nobis interea aliis rebus occupatis. Annon hoc ingens nobis imò ſempiternum dedecus? Quòd ſi toto anno negligentiores fuiſſemus, vel hoc ſaltem die diligentiùs maiorique pietate tamen omnia agere,quo exteros noſtro exemplo ad pietatem moneremus,oportuit. Sed contrarium agimus: quid ergo exterorū de nobis fama loquetur? & quomodo noſtro exemplo meliores efficientur? fit ergo vt qui huc pietatem deuotionémque ſuā aucturi aduenerant,nihil præter pigritiā, in omni pietate frigidiores damnum reportent,ne dicā interea de ſcandalo,quod in vitæ noſtræ impietate haurire poſſunt. Et omnes quidem vicinos noſtros,noſtro exemplo diſcere oportebat,quò diligentiùs verbum Dei audirent,maiori pietate diuinis honoribus inſiſterent, promptiores orationi vacarent,cōſtantiùs pias cæremonias ſeruarent, tum etiā ſuas priuatas feſtiuitates maiori deuotiōe celebrarent. Sed omninò contrariū in nobis conſiderant. Et quid tādem ſummo iudici reſpōdebimus, quos ad pietatē noſtro exēplo trahere decebat, à vera pietate atq; deuotione detrahimus? Nō hæc via,non hoc conſeruandæ Religionis mediū eſt. Quòd ſi ita perrexerimus,nunquā ſanè ad antiquum reuocabimus,qui ab Eccleſia diſſipati ſunt. Neceſſariū igitur iudicaui,rurſus aliquid de feſtiuitatis huius vero vſu nōnihil dicere, ſi fortè aliqui expergefacti,quod ad rē faciat, cogitare cœperint: idq; vt fiat,ſua gratia Deus præſtet. Princi-

pio igitur nemo miretur festiuitatem hanc nomen suum ab externa hac domo sortiri. Inter ea enim quę hodie in Ecclesia cantantur, quædã etiã inducuntur ea authoritate, vt ipsa quoq; in hãc festiuitatem pertinere, nemo possit dubitare. Id verò iam per exẽpla docebo: certũ est: Euãgelium hoc in omnibus dedicationibus legi, neq; tamen vel Ecclesiæ, vel domus huius minimo vocabulo meminit, tantúmq; de interna Zacchæi domo, cui salus facta est ex Christi præsentia, loquitur, neq; tamẽ incõgruè hîc monemur, hac in festiuitate cõscientiam quenq; suã perscrutari; idq; nõnihil diligentiùs, quàm aliàs consueuimus. Quid enim alioqui hoc Euangelio hac die opus fuisset: deinde nec in Epistola templi externi fit mentio, sed tantùm de sancta ciuitate Ierusalem loquitur, Ierusalẽ, nunquam quæ ciuitas Regis magni, Deiq; viui, in qua ipse Deus cum suo populo habitat. Vnde liquet in tẽplorum dedicationibus, etiam catholicę hoc est, vniuersalis Ecclesię, locũ habere meditationẽ. Prętera, sunt & alię cãtiones, quæ nos cœlestis Ierusalem cõmonefaciũt, vt quæ in Vesperis in hymno cecinimus: Vrbs beata Ierusalem dicta, pacis visio, quæ cõstruitur in cœlis viuis ex lapidibus, & angelis coornata, vt spõsata comite. Hæc, inquam, nec de externo tẽplo, nec de huiꝰ tẽporis Ecclesia, sed de cœlesti patria intelliguntur. Sic ergo præsens festiuitas ab externa domo incipit, simúlq; iis quæ modo recẽsui, dictis, & cõscientiã, & Ecclesia militante, & futurã patria cõprehendit. Et sanè non absurdè mirari quis possit, cur tot vna vice meditanda proponantur. Sed nihil hîc nouũ fit, iis qui diuina diligenter indagare norunt. Hi sæpè ab vna meditatione in aliam transeunt, planéque ad maxima transcendunt, nempe ab infimis exordiuntur, & vsq; ad summum pertingunt. Id quod in prophetis videre est, maximè verò in Dauide, qui omnibus ferè Psalmis, hoc studet, vt à minimis occasione sumpta, summa attingens meditetur. Agè igitur, vnico id vnius dicti exemplo discamus, conueniet autem & huic festiuitati nostræ. Ait ergo Psalmista, Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi; in domum Domini ibimus. Hoc in Psalmo Propheta exorditur à templo, non quidem ædificato, sed promisso. Quando impleti fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de vtero tuo: & firmabo regnum eius, ipse ædificabit domum nomini meo, & stabiliam thronum

Psal. 122.

2. Reg. 7.

regni

regni eius vsq; in sempiternum. Hanc igitur diuinam promissionem tam gratanti animo Dauid suscipit, vt non posset, quin & aliis eam manifestaret. Lætatus sum, inquit, in his quæ dicta sunt mihi, ac si diceret, Quàm ingentis ego verba lætitiæ, audiui fratres. Patres nostri quadringentis annis peragrarunt vagis sedibus, nunc in terra Chanaan, nunc in Aegypto, nunc in deserto nulla consolatione freti, nisi quod fide Dei promissa de futuro apprehenderent. Pro rogatis verò promissis, tabernaculũ in medio ipsorum erigi iussit, nẽpe q̃p ipse inter eos habitaret significãs: verũ nũc in promissa terra positis nobis maiora suæ beneficentiæ signa edidit, domũ nomini suo ædificari vult, vel ideò, vt agnoscamus nõ iam vagam sedem, sed manentẽ locũ in sempiternum inter nos habitare velit: & hanc domum Salomõ filius meus extruet. Huius rei grata ad me promissio facta est, Lętatus ergo sum: neq; enim optabiliùs quicquam mihi posset cõtingere. Quòd si & vestras mentes vlla insedit pietas, simul & ipsi mecum gratantibus psallite vocibus. Ecce hoc Psalmi huius initiũ Dauid fecit: his cogitationibus circa externum templum, quod tamen nondum videbat, occupatur, tantúmque promissione ipsius fretus, exultat. Præterea quæ ad ædificationẽ templi huius necessaria videbantur, parat. Leuitarum qui templi ministerio incũberẽt, ordinem disponit, haud secus se in omnibus gerens, quàm si iã ædificatũ fuisset tẽplum, instat omni diligẽtia, vt omnia rectiùs succederẽt. Et quãquã ipse nũquã eiusmodi tẽplum esset visurus, particeps tamẽ eius esse voluit, & omnibus innotescere, quantę sit beneficentiæ diuinæ, firmã inter ipsos domũ habere. Et hic primi versus sensus est, quo ait, Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi. In secundo versu externæ domus non meminit, de sancta ciuitate Dei tantùm loquens Ierusalem: & hanc exquisitissimis verbis ita describit, vt quam ciuitatem significet, cuiuis sit facilè colligere: ac si diceret, Quid de vna solùm domo per Salomonẽ ædificanda loquor? est quidem & illud gratia, qua pusillanimitatem nostram Deus consolatur: sed maiora ego præuideo. Non de vna aliqua domo dictum mihi est, sed de magna ac celebri ciuitate, quæ vocatur Ierusalem, nec de ea quæ olim extructa est loquor: adhuc ædificanda est, imò iam nunc ędificatur, quã dico. Neq; tñ oculis expositа erit corporeis: sed quẽadmodũ hæc est ciuitas, habitura est similitudinem,

imò verò omnes absolutæ ciuitatis conditiones, Illic nemo quod suum est tuebitur, sed partes in commune conferentes totum facient vnũ. Nec vlla illic videbitur leuitas, sed ascendent omnes ad confitendum nomini Domini. Denique nulla etiam illic dominabitur iniquitas, sed omnes sedebũt sedibus iudicij & veritatis. Hęc dicta sunt mihi: propterea lætatus sum. Vt ergo certissimũ est, filium meum Salomonem ædificaturũ esse templum, ita etiã indubitató filius pariter atque Dominus meus Messias, hanc nobis ciuitatẽ extruet. Si ergo lætitia nobis est, certa sede inter nos habitare Deũ, quod gaudium, quæue omniũ exultatio erit, vbi ipse Deus eam ciuitatẽ extruxerit, priúsque fundamẽtis superædificauerit? Quapropter quæ ad huius ciuitatis conseruationẽ faciunt, quæ ad pacẽ sunt Ierusalem, precor & abundantia diligentibus eam. Fiat pax in virtute tua, & licèt ipse hanc tuã gloriam videre non potero, propter tamen fratres meos & proximos meos loquor pacem de te, imò propter inhabitatorẽ tuum Deum meum, quæro & precor omnia bona tibi. Ecce hunc vobis hîc libuit proponere Psalmũ, vt nemo miretur, non vnum aliquid tantũ considerandum hodie nobis proponi. Nam & Dauid vnico Psalmo à domo Dei incipit, sed postea tam graphicè tantáque de ciuitate Dei loquitur, vt planè eius quod de domo Dei seu tẽplo proposuerat, oblitus videatur. Quod si hunc ipsum cũ festiuitatis huius cantionibus cõparauero, nõ possum nisi vnum eundémq; vtrobique adfuisse Spiritum iudicare. Qui enim Dauid vno illo psalmo non modò de domo verũm etiã de ciuitate Dei loqui permouit, idẽ quoque patres Ecclesiæ sua inspiratione docuit, vt nos in externi tẽpli consideratione, etiam animarum nostrarũ, simúlque cùm militantis tum triumphantis Ecclesiæ recordari admoneant. Præterea etiam peculiaris quædam, & sæpè repetita fit mẽtio scalæ, quam prius quondam Iacob in somnis in Haram vidit, cuius summitas cœlos tangebat, in qua Angeli Dei ascendebant & descẽdebãt. Et meo quidem iudicio hos firmissimos scalæ gradus arbitror, quibus cœlũ conscenditur. Principiò nihil læuissimorum hominum curare dicta, sed cũ Dauid dicere, Dilexi decorem domus tuæ Domine: non sedi cum concilio vanitatis. Et, Introibo in domum tuam, simúlque quæ Dauid erga externam domum pietas fuerit, quos sumptus eius causa fecerit, quo ordine omnia instituerit, cogitare. Tũ verò quid

Gene. 28.

Psal. 25.

alij in hãc rem contulerint, vt Ezechias, Iosias, Esdras, Zorobabel, Iudas Machabæus, postremò etiam quid ij qui ante nos fuerũt patres nostri fecerunt, quid etiãnum multi pij in templum cultúmque Dei cõferant, memoria colligere. Hæc quisquis cogitauerit, modò vel guttulam virtutis in se habuerit nostrã modò non irreligiositatem arguet, qui nõ, vt ita dicam, similia facimus, verùm etiam sacrilegis manibus, quæ alij maximo sumpto instituerũt, demolimur, & rapimus. & hîc iam primus gradus scalæ nostræ esset. Tũ verò si quis secum cogitauerit, quã patres & externã tẽpli domum polite custodiuerint, quã exquisitis ornamẽtis instruxerint: impossibile est, quin hæc apud se musitet. Si ea externi templi, in quo verbum Dei prædicatur & sacramenta administrantur, est mundities, quæ mentium erit puritas, in quibus ipse Deus inhabitat? Si ea ergà externa Templa est diligentia, quæ non ita necessaria Deo sunt, qua solicitudine animas, quas ipse Christus liberauit, curandæ sunt: O fœditatem domus meæ, ô impuritatem conscientiæ meę, si ad ea quæ in externa domo hac video, comparauero. Ignosce Domine, ignosce negligentię meæ, qui tanta ignauia cordis mei domum tibi in habitaculum præparare negligo. Et hic secundus gradus est scalæ nostræ. Iam verò si quis hoc etiam cogitauerit, licèt multi in vnam domum conuenerimus, omnes tamen vno tecto obtegi, omnes in vna domo orare, omnes vnum Deum eandémque salutem quærere, vnam denique Euangelij doctrinam audire, iisdem Sacramentis vti, aut, quemadmodum Paulus ait, omnes de vno pane participare, déque vno calice bibere, ideóque vnum panem idémque corpus fieri, perinde atque in externis rebus multæ domus vnam ciuitatem, multi ciues vnam Rempublicam cõstituunt, omnes tamen vnius domini imperio subesse, iisdẽ legibus, priuilegiis, eodem iure ciuili vti, hæc, inquã: si quis cogitauerit, iam tertium gradum conscendit, eámque ciuitatem, cuius Ioãnes in Epistola, & Dauid in hoc Psalmo meminit, cõspicit, Hic, inquam, ex plurimis vnũ fit. licèt enim multi simus, qui credimus, vnum tamen in Christo sumus: & quælibet licèt ciuitas suam propriam Ecclesiam communionémque habeat omnem, tamen vna est Ecclesia. Et vt in summa dicam, quemadmodum multi homines domũ, multæ domus vna Kemp. statuũt: ita & omnes multi in vnum congregati, Pater, inquit Christus, rogo vt omnes sint, sicut

& tu pater in me & ego in te, vt & ipſi in nobis vnum ſint, vt credat mũdus, quia tu me miſiſti. Et Eſdras, Dominator domine ex omni ſylua terræ & ex omnibus arboribus eius elegiſti vineam vnicã, & ex omni terra orbis elegiſti tibi ſo ueã vnã, & ex omnibus floribus elegiſti tibi liliũ vnũ, & ex omnib⁹ ædificatis ciuitatibus ſanctificaſti tibimetipſi Siõ, ex omnib⁹ creatis volatilibus nominaſti tibi colũbam vnã, & ex omnibus plaſmatis pecoribus prouidiſti tibi ouẽ vnã, & ex omnibus multiplicatis populis acquiſiuiſti tibi populũ vnũ, & ab omnib⁹ populis probatã legẽ donaſti huic, quẽ deſideraſti, populo. Ex quibus ſanè facilè videmus quid ſit Eccleſia & qualis. Duo ſunt, quę ciuitatẽ faciũt, muri & portæ: tria verò quæ exornãt eã atque conſeruant: concordia ciuiũ, pietas religionis, iuſtitia legum. Et vbi hæc vnquã quã in Eccleſia pleniùs fuerũt? Ergo ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu. Et in Ioanne, Ego ſum, inquit, oſtiũ. Videmus ergo quia in Eccleſia rectus mur⁹ eſt, nimirũ ipſe De⁹, hîc iuſtæ portæ ſunt, nimirũ Ieſus Chriſtus, Dei filius, De⁹ & homo, per quem ſi quis introierit, ſaluabitur, & ingredietur & egredietur, & paſcua inueniet. hic verus amor, verus Dei cultus, iuſtáque iudicia. huic Ciuitati nomen eſt Ieruſalẽ. hic enim veræ pacis eſt viſio: hic pax inueniri atque haberi poteſt. At perpetuò hæc ciuitas cõſtruitur tõſionibus & preſſuris, expoliti lapides ſuis coaptantur locis, per manum artificis, diſponuntur permanſuri ſacris ædificiis. Architectus perpetuò incũbit ſtructuræ, nec feriatur, nec ceſſat per crucẽ afflictionẽſque expolire lapides, coaptat, quemque in ſuum locum diſponit per legitimam vocationẽ & munus. Hæc cogita, & haud dubiè niſi planè impiùs, pro huius ciuitatis pace rogabis ipſe, & alios ad precãdum Dauidico exẽplo hortaberis, imò & ingemiſces & eiulabis, hanc ciuitatẽ tam miſerè inteſtinis diſſidiis laceratam, atque dirutã eſſe, tum etiam collapſam erigere, reſtituere, inſtaurare conaberis, quocũque poteris ſtudio: ídque propter fratres & proximos tuos, imò propter domum Dei noſtri, quæ in hoc fundata eſt. Et hic tertiꝰ ſcalæ noſtræ gradus eſt. Quòd ſi poſtremò & illud cogitatiõe ſedula ruminauerimus, quòd omnia ea, quę hic habemus ac facimus ſiue in externo templo, ſiue in Eccleſia, nihil præter imaginem eſſe verorũ bonorum, quæ in cœlis expectamus, iam ſummum gradum conſcen

Zach. 12. *Ioan. 10.*

di mu

dimus,& Ierusalem quæ sursum nos est, attigimus, vbi omnia plenius perfectiúsque videbimus, habebimus atque peragemus. Hic vmbram, illic verum lumen videre dabitur: hîc quidem diuinas, sed ad tempus: illic sempiternum audituri, laudes audimus, hîc Deum in verbo suo ac sacramẽtis præsentem habemus, illic ipsum vti est habituri, imò ipso fruituri: hîc requiescunt corpora, illic vtrũque corpus requiescet & anima. Et vt breuissimè comprehẽdam quod sentio, si imago tam suauis est, quæ dulcedo veritatis erit? Hæc considera, hæc meditare: & cum Dauid cõpellêris dicere, Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum, cõcupiscit & deficit anima mea in atria Domini. Ecce hi quatuor illi gradus sunt, per quos cœlum ascenditur. Vt primùm in externa domo in laude diuina gratiarúmq; actione inueniamur: deinde cõscientiæ nostræ secretiora ingressi, illic emundauerimus domum mentis. Tertiò calamitates cladésque Ecclesiæ consideremus, próque virili nostra instaurandæ incumbamus: ac quartò denique omnium quæ retro sunt obliti, ad solam supernam cœli patriam cupidè anhelamus. Sic sic angelo propinquos haberemus, imò ipse se nobis Deus & videndum & audiendum offerret: iisdémque verbis qúibus olim Iacob alloquebatur, affabitur: Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, & Isaac. terram, in qua requiescis, dabo tibi. Sanè omnes vicini in hanc vocem erumpétes, dicerent, Terribilis est locus iste: hic aliud profecto nihil est, nisi domus Dei, & porta cœli. Hinc omnes pij emundarentur, omnes inimici nostri confunderentur: imò verò Deum in nobis habitare fateri compellerentur. sed quis non videt, quantum ab his distemus? Vtinam vel infimum gradum daretur cõscendere, tantúmque in externis aliquanto honestiùs exhiberemus nos. Verùm, quia nec hunc attingimus, nihil cæterorum in nobis certum est, & quales tandem sumus, qui Christianum nomen nobis vindicamus? Quo tandem modo cæteros exuscitabimus? quẽ ratione hostium nostrorum ora obturabimus? Agitè ergo, in hoc incumbamus, vt iam non modò professione nuda, verũ etiam ac multò magis facto Christiani simus: vt hoc in externa domo tempus ita impendamus, quo in supernam recipiamur Ecclesiam, in cœlestem Ierusalem, vbi perpetuũ gaudium, sempiternáque exultatio est. In hoc nostros pios conatus misericors adiuuet Dominus, Amen.

Psal. 83.

Gen. 28.

SERMO TERTIVS.

VT hic, quem inſtitui, plus aliquando ponderis habeat ſermo, exordio illius quædam D. Auguſtini verba, quibus olim in hac feſtiuitate ad ſuos credentes vſus eſt, proponã. *Auguſt. ſermo. 5. de dedicatione.* Celebritas, inquit, huius congregationis dedicatio eſt domus orationis. Domus ergo noſtrarum orationum iſta, domus autem Dei noſipſi. Si domus Dei noſipſi, nos in hoc ſeculo ædificamur, vt in fine ſeculi dedicemur. Aedificium, imò ædificatio habet laborem, dedicatio exultationẽ. Quod hîc fiebat, quando iſta ſurgebant, hoc fit modò cùm congregantur credentes in Chriſtũ. Credẽdo enim quaſi de ſyluis & mõtibus ligna & lapides præcidũtur: cũ verò catechizantur, baptizãtur, formãtur, tanquã inter manus fabrorum & opificũ dolãtur, colliniãtur, cõplanantur. Verũtamen domũ Domini nõ faciũt, niſi quado charitate cõpaginantur. Lingua iſta & lapides ſi non ſibi certo ordine cohærerent ſi non ſe pacificè innecteret, ſi nõ ſe inuicẽ cohærendo ſibi quodã modo amarẽt, nemo huc intraret. Deniq; quãdo vides in aliqua fabrica lapides & ligna benè ſibi cohærere, ſecurus intras, ruinam non times. Volens ergo Dominus, nõ diſſentionis, ſed vnitatis Deus & Dominus Ieſus intrare, & in nobis *Ioan. 13.* habitare, tanquã ædificando dicebat, Mandatũ nouũ do vobis, vt diligatis vos inuicem. His D. Auguſtini verbis hunc exordiri libuit ſermonẽ, duabus potiſsimũ rationibus. Primò, vt videam⁹ nihil nos nouũ facere, cũ dedicationẽ annuã celebramus, nẽpe, cuius ipſius etiã Auguſtini tẽporibus magna fuerit celebritas. Deinde, vt qua multa hoc nobis feſto cogitanda proponãtur, cogitemus. Et quidẽ ab externa illa orationis domo Auguſtinus orditur, mox tamẽ ad eã, quæ nos ſumus, domũ tranſit, nimirũ magna differẽtiã inter domũ orationis, & domũ Dei ſtatuens, orationis enim domũ, hominũ ædificarunt manus: q⁹ autẽ nos Dei domus ſumus, diuina operatio fecit. In hoc Deus pater creauit nos, in hoc Deus filius redemit nos, in hoc Deus Spiritus ſanctus dedicauit atque ſanctificauit nos. Vnde cũ Iſaia, q⁹ nos omnes o- *1. Cor. 3.* pus manuum Dei ſimus, ſimul confitendum eſt omnibus, & pro ſe quiſque dicere, neceſſe habet, Manus tuæ Domine fecerũt me. Id quod ipſe etiã Paulus vult cũ ait, Nos Dei agri cultura ſumus. Hæc ſanè differẽtia inter domũ orationis & domũ Dei diligenter conſideranda nobis eſt, ne, quod Iudæi,

externam

externam hanc domum respicientes, nostrimet ipsorum ob liuiscamur. Neq; enim quia orationis domum habeamus, satis est, fratres, vt nos quoque Dei & simus, & maneamus domus laborandum est. Hic rei cardo versatur, huc quoque in hac festiuitate patres respexerunt: id quod in omnibus ipsorum sermonibus videre est, iis nimirum quos de hac celebritate & conscripserunt, & post se posteritati reliquerũt. Et horum ipse quoque exemplum sequar, atque hunc quem modò institui sermonem, cum diuo Augustino ab orationis domo exordiar: tandem verò nobiscum, hoc est, cum domo Dei spirituali cõcludam. Vtrobiq; enim vitiũ est, vtrobique cùm animaduersione, tum emẽdatione opus est. Quòd si vere Christiani nos sumus, consilio haud dubiè atque labore, tum precibus atque votis, vtrobiq; vt pro voluntate res succedat fœliciter, instabimus. Agè igitur, succinctè quod vitij genus, & vbi sit, deinde qua ratiõe mederi possit iudicabo, quo omnibus innotescat piis, quàm nunc cùm in orationis, tùm etiã ipsius in Dei domo periculosè habitemus: tum admoneantur quid cuique facto opus sit, spe futurũ esse, vel alii quis tantum ex omnibus rectiùs afficiantur, vt tantùm ardentiùs precemur Deũ, qui ruinosam domũ suã instauret, vt qui vnus optimè, qua id ratione cõsiteri possit, nouit, ipsã que tẽporis opportunitas exigit. Ergo principio cũ Aggæa Propheta propono, qui ait, Quis in vobis est derelictus, qui vidit domũ istã in gloria sua prima? & quid vos videtis hãc nunc? nũquid nõ ita est, quasi nõ sit in oculis vestris? His verbis Aggæus populum Israëlem in instauratione templi à Chaldæorum Rege desolati atque exusti alloquitur: ideò tamen, vt hinc cõsolãdi eos sumeret materiã. Cùm enim nõ nulli superstites essent, qui primum illud templũ viderant, ac postea nunc præ inopia nõ posse se pristinũ templo decorem inducere facilè animaduertebant, pusillanimes facti, eiulabant ac miserè sese excruciabant, quẽadmodum in Esdra videre est. Hinc iam Aggæus occurrit, Scio, inquit, primum illud templum eiúsque decorem in memoriam reuocantibus, nullam huius videri comparationem, eóque abiectis esse animis. Sed quæ Dei sit intentio, intelligite. hæc enim dicit Dominus exercituũ, Pergite ædificantes, nec vlla argẽti auriue acquirendi cura afficiemini: meum est argentum & meum est aurum. Nec vos huius templi terreat vilitas: magna enim erit gloria domus istius nouissimè, pluſquam pri

Agg. 2.

1. Esd. 3.

Agg. 2.

mæ,dicit Dominus exercituum. Hoc modo Aggæus populum conferẽtem huius ſecundi templi vilitatem cum prioris illius gloria atque magnificentia, nõ vt pudefaceret aut culparet,ſed vt conſolaretur & erigeret. Quanquã ipſorum culpa non erat,qui eandẽ ſecundo templo, quæ fuerat olim primi,optabant: tamen inopia laborabant, & quod volebãt efficere,facultas nõ erat. Propterea Deo poſsibile eſſe,Propheta ait, quod hominibus erat impoſsibile. Secus noſtræ res habent. Si enim apertis oculis diligẽtiùs voluerimus attendere,facilè videbimus domũ Dei,ſiue orationis ędem,ſiue ſpirituale Dei templum reſpicias,priſtinæ magnificẽtiæ multũ eſſe diſsimilẽ,at noſtra id culpa: poſſemus enim nos id,ſi modò voluntas adeſſet,emũdare. Proinde nõ nunc ego iſta prophetica voce,quemadmodum Aggæus, pro cõſolandis vobis vſurpare poſſum,ſed per ea noſtrã arguere negligentiam cogor,qui longè aliter quàm illi viuimus. Illi quidem libenter templi decorem magnificaſſent,ſi potuiſſent: nos poſſumus,ſed nolumus: ideóque ipſi quidem conſolari merebãtur,nos repræhenſione digni ſumus. Ad omnes igitur pios loquor, Quis in vobis eſt derelictus, qui vidit domum iſtam in gloria ſua prima? Quis tam ſimplex, qui, dũ hanc domum aſpicit,quomodo extructa, decorata, dotata, quàm pulchrè ſtatutis ordinationibúſque inſtructa ſit, non fateatur, patribus noſtris maiorem in Deum charitatem, honeſtate deuotionem,in oratione ardorẽ, in verbo deſiderium,tum etiam omnes in bonum ardentiores alacriorésq; fuiſſe,quàm nos in hac noſtri tẽporis domo? Ad hæc ipſi fatemur,ſerò nos eam,ſi non iam & extructa & decorata,dotatáq; eſſet,vel ædificaturos vel dotaturos eſſe. Et quid hoc, niſi apertiſsimum indicium eſt,eam vel dilectionẽ,vel deuotionem,vel alacritatem,Deíque timorem iam non in nobis? quæ olim in patribus,eſſe? imò quid, niſi quod ipſi palàm,quàm in noſipſos affecti,nec Deũ nec diuina curamus, loquimur? Et quid domum,quam illi ædificarunt,nobis ſupereſſe,cùm nulla pietatis adſit ſimilitudo,prodeſt? quid externè hanc domum exornare iuuat, & vera ornamẽta nihil curare? Tum verò optimè ornatum eſt templum,quãdo turmatim in illud cõcurrimus,diuino cultui ſincerè inſiſtimus ardẽter oramus, cupidè verbum auſcultamus, diligenter ſacramentis participamus. Tum, inquam, verè decorata eſt, quando vigilantibus miniſtris grauibus ſacerdotibus, ſeueris præ

ris prædicatoribus, deuotáque plebe conferta est Ecclesia. Tum ornatè omnia dispositá sunt, quãdo omnes ingredientes templum, vna domus Dei facti sunt, præter Deum nihil quærunt, amant, cogitant, parati séque suáque omnia Deo offerre. Tales fuêre Patres: ídque etiamnum ipsorum ostendũt vestigia, quibus nulla pecuniæ sumptuúmque vel parcitas vel pœnitudo aderat, quãdo si quid Deo impendendum erat, nemo postremus esse volebat, quisque ne Christianum quidem se putaret, si vel ea in re negligens fuisset, vel quicquam charius in omni sua facultate habuisset: annon hæc vehementer desiderantur ornamenta hac nostra tempestate: Cõsideremus, quomodo vel in Ecclesia, vel extra eã nos geramus, & quid tadem futurum sit cogitemus. In Ecclesia, exigua omnium deuotio: & si quid tamẽ facimus, ingenti id fit negligentia: vt taceam quæ in ea mala fiunt, ita vt nõnullis, & sanè non paucis, nil nisi nugarum, negotiationum, impietatis domus, & spelunca latronum sit, & quidem extra eam nil præter apertam manifestámq; impietatem videre est, vbi planè obliuioni traditum est omne quicquid in Ecclesia sanæ doctrinæ propositũ est, quicquid pium exemplis ostẽsum est, nempe volucres cœli comedunt illud. Illic quàm vulgus hominum sit fide, dilectiõe, fructu, omníque pudore vacua colligitur verbis atque factis, illic, inquam, quàm grauia: impiáque vitia, quàm immania peccata, facinora perpetrentur, abundent, regnent: & vt in summa dicã, totus hic mundus omninò solutus in omne malum est. Vitia atq; dedecus nihil æstimantur, quòd omnes iis submersi sint: cõtrà, beneficentia, fides, simplicitas, sobrietas, pudicitia, cõcordia nunquam perinde atq, modò rara inter Christianos fuêre. In Ecclesia locus est Euangelio, scilicet: foris nec locus illi, nec vacat tempus, nec minus absurdum est extra Ecclesiam Euangelij meminisse, quàm si in œnopolio de ieiunio verba facias: aut in taberna de contemptu mundi, in lupanari de pudicitia prædices: ita omnium propè mortalium mores gestus, vita, consuetudinéque in temporaneam carnalémq; concupiscentiam propensæ sunt, nimirum Ethnico more. Merito ergo cũ Aggæo dico, Consideremus fratres quomodo in hac se domo patres nostri gesserunt, qua ratione in ea commorati sunt, tum quàm nos illis dissimiles simus videamus. Quàm non hæc dissimilitudo nos deceat, quis propterea finis expectandus sit, cogitemus: Agg. 2.

omni

omni qua possumus diligẽtia, hoc agamus, vt pristinam hæc domus gloriam suam recuperet, ne nosmet confundamus, omnia in ea vt sint decora ordinatáq;, nos contrà deformes & nudi. Propellite famam iniquam, quod præ cęteris plures ad pietatem occasiones habeatis, omnibus tamen pigriores & sitis & maneatis, imò verò in huius domus cõsideratione quàm omnia in spirituali domo Dei sint deformata, cogitemus. Si quis in vobis, qui vidit domum istam in gloria sua prima, hic proculdubiò facilè quàm diuersi nostri mores sint cum patrum vita intelliget. Sed quis mihi prioris Ecclesiæ decorem enarrabit, inquis? Lege igitur Acta Apostolorũ, lege patrum scripta: Deum immortalem, quàm hæc domus
Thren. 4. deformata? quàm est ruinosa Ecclesia? Quomodo obscuratum est aurũ, mutatus est color optimus, & nemo afficitur? non est qui consoletur eam: quisque suam domum ædificat: omnes momẽtaneum hoc tempus in clamoribus, in furiis, adhuc in mortali corpore, mox vermibus esca futuro, positi voluptuosè transigunt: nemo quomodo piè consummet cogitat, tantúmq; quæ cõmoda sunt, non quæ honesta inquirimus: cùm tamen apertè videmus, ipsáq; experientia docemur, nihil nos proficere. Seminamus multum, inferimus pa-
Agg. 2. rum, per terras conquisitas mercedes in sacculum pertusum mittimus, inferimus in domos multa, & dominus exufflat in ea: annõ hæc multis iam annis edocti sumus? Et quid causæ est? quia Domus Dei deserta est, eius curã omnes in vetum abiiciunt: cùm alius, Quid mea refert, inquit? tantúmq; soluendo vt sit, curat: alius, Hæc mihi minima omniũ cura est, modo panem in domo mea habeam, ait: tertius deinde, Eho sacrificium, atque monachorum res atque contentio est, quidum alterutrum inuicem satis fuerint cõuitiati, sponte cessabunt, clamat. Tum principes rerũ nihil agunt, omnes quidem vitiatam domum cognoscunt, nemo manum applicat: ac tãtùm Christiani fidei cura tangimur: hæc, quę nostra est
Exod. 36. pietas, Ecclesiæ impẽdimus. Olim cùm Moses tabernaculũ erigeret, omnis populus contribuebat, cui aurum non erat, pilos caprarum conferebat: ísque omnis erga Dei honos ac cultum ardor erat, vt abundantibus, quæ ad tabernaculi structurã requirebãtur, omnibus, Moses per præconem, ne quis
2. Paral. 29. prętereà quicquã offerret, prohibere cogeretur. Dauid quo-
2. Reg. 7. que præparante ea, quæ ædificando templo per Salomonem necessaria erãt, tam prõptus erat populus, vt sublatis in altum ma-

tum manibus, Dauid ad Dominum precaretur, vt isthæc in populo voluntas conseruaretur æterna. Sic Aggæa populũ pro sua negligẽtia corripiẽte, Scriptura Zorobabel omnẽq; populum confortatũ fuisse cõmemorat. Sic & Ezechias Leuitas conuocatos alloquitur, dicens, Audite me Leuitæ, & sanctificamini, mundate domũ Domini Dei patrũ vestrorũ, & auferte omnem immunditiã de Sanctuario. Deinde etiã cohortans eos, addit, Tradite manus Domino, & venite ad Sanctuarium eius, quod sanctificauit in æternum. Sic deniq; recuperato per Machabæos tẽplo, quod Antiochus dissiparat, omnis multitudo gratãter instaurationi incumbit. Nos soli Ecclesiasticarũ nostrarũ domos collapsas negligimus: nemo illarũ causam suscipit. Et quidem possemus, si voluntas adesset, omnes auxiliari, quando singuli vel vnum tantũ emendare possemus, omnésq; ad Deũ cum Machabæis clamare, vt desolati templi sui causam suscipiat, nec posthac ita illud erui permittat, nósue eo modo in alienæ gentis potestatem deuenire concedat, sed potiùs si quando labi contigerit, clemẽter corripiat, ac rursus in gratiam recipiat. Putasne, eiuscemodi oratio, è corde procedens ac vehemens aliquid efficeret? Hæc, inquã, ipsi etiam pauperes conferre possent nempe nec aurum nec argentum impendere, sed voluntatẽ bonam, orationẽ sedulam, vitam innocentẽ, piúmq; coram liberis suis exemplum exhibere. Sed quanta potẽtes huic rei cõmodare possent, seculares pariter atq; ecclesiastici? Sed hic laboratur, quòd nemo manũ rei applicat. Adhuc tamen ipsorũ officij est, domus Dei cura tãgi, nec vnquam hæ res tam in abiectis, perditis, atq; desperatis esse possunt, quin, coniunctis duorũ horum Magistratuũ auxiliis, restitui possint. Magnũ quid Moses moliebatur, ac coniuncto fratre bene successit. Sed quis nos huc suo sermone inducet? Aggæus clamat, Ascendite, & ligna afferte. Ezechias ait, Sanctificamini Leuitæ. Paulus Timotheo suo, & per hũc omnibus in Ecclesiastica eminentia constitutis, scribit, Prædica verbũ, insta opportunè, importunè, argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina. Sed frustra hæc omnia. Ecce hoc vult Aggæus, cùm ascendere, atq; ligna cædere iubet. At peculiari Iosue atque Zorobabel admonitione hortatus, hoc est, Ecclesiasticum atque secularem magistratus affatur, horum id requirit officium, præ cæteris vt super domũ Dei intendãt atq; vigilent, horu etiã coniunctis auxiliis opus

Agg. 1. et 2.

2. Para. 29.

2. Para. 30.

2. Timot. 4.

eit, si

est, si modò tandem aliquãdo effectũ voluerimus. Sic Moses & Aaron, Dauid & Nathan, Ezechias & Leuitæ, Ioas & Ioiada, Iesus siue Iosue, & Zerobabel, auxilia consiliáque cõmunicabãt. Ecclesiastici prælati nostri iustũ zelũ, diligẽtẽ curã, verũ ardentémq; amorẽ, cõstantes & sedulas prædicationes, vitã piam, sua violẽtia exẽpla, sciẽtiã atq; sapiẽtiã in mediũ adferãt. Seculares Magistratus timorẽ, humilitatem auxiliũq; in regnũ Dei cõferãt, quò super omnia exaltetur. Deum immortalem, quàm facilis esset collapsæ Ecclesiæ instauratio, sic omnibus opem ferẽtibus. Hæc igitur cogitemus, horũ enim præsens nos admonet festiuitas, nẽpe qui se patres nostri in Ecclesia gesserunt, & quę aliquãdo totius Ecclesiæ fuerit gloria. Considerandũ est quã longè vtrinq; deflexerimus, vt restituantur omnia, opitulandũ est. Ne nos his postremis tẽporibus derelinquat Deus rogandus est: verè enim aduesperascit. Ipsum orare decet, Mane nobiscum. Id ergo vt faciamus, diuina nos adiuuet gratia, Amen.

SERMO QVARTVS HAC festa die in secundam Dominicam, post Trinitatem incidente.

VTrumq; Euangelium cùm Dominicale, tum Dedicationis festiuale cõuiuij mentionem habet. Et in Dominicali quidẽ Christus opiparã cœnã, ad quã multi sunt vocati, proponit, hîc verò in festi huius Euãgelio Christus Zacchæi conuiua cõmemoratur. Atq; vtinam eo, quo Zacchęus, modo conuiuia instituerẽmus, ille enim inuitat pauperes. Ecce, inquit, dimidiũ bonorũ meorũ do pauperibus. Quibus debebat, inuitabat. Et si, ait, aliquẽm defraudaui, reddo quadruplũ. inuitauit Christũ, & cũ gaudio suscepit. Hoc nemo cogitat: sed hoc solũ cõsideramus, quòd cõuiua fuerit Christus. Sic etiã in alio Euãgelio exẽplum conuiuiorũ venãtur. Id quod fortè cõcedendũ esset, si famuli nostri iussi ad exitus viarũ & sepes pauperes vocarẽt, atq; discũbere facerent. Sed rarò id fit: eóq; minus ad defendẽdas crapulã & cõmessationes nostras, hæc euangelia faciunt. Aliud quiddã Christus requirebat, dum Cœnæ parabolam proponebat, nõ externa conuiuia, quemadmodum hodie dixi, tum etiam non commessandi gratia, sed vt quæreret quod perierat, Zacchæi domum ingressus est. Nõ suis cõmodis illic inhiabat,

aut

aut corporis voluptatem, requirebat: sed spiritualia cõmoda, æternãq; salutẽ intulit. Hodie salꝰ huic domui facta est, inquit. Hoc Christus quæsiuit: ob hoc Zacchæus exultauit. nihil aliorum murmurationes horrescebãt: neque enim propterea vel Christꝰ quod inceperat, implere desistit, vel Zacchæus à cõcepto piæ voluntatis proposito relabitur. Huius rei Dedicatio nostra nos admonet: hoc considerandum est, eóq; modo hæc frequẽtanda est celebritas. Propterea enim hoc Euangelium legimus, vt & ipsi domorũ nostrarũ salutem quæramus. Quæris quarum? primùm animæ atque cõsciẽtiæ. Et quæ salus illarum? esse filios Abrahæ. Et quomodo id potest fieri? per fidem. Quæ verò fides illa Abrahæ? q̃ in suo semine omnes populi benedicendi essent. Et quid est benedici: nempe ab æterna maledictione absolui. Hæc conscientiarũ animarúmq; nostrarũ salus est: sed vbi hanc quærere necessum est? illic vbi Zaccheus & quæsiuit & inuenit, quæsiuit videre Iesum. Neq; id per nosmet possumus: neq; vlla creatura eã salutẽ cõferre potest. Nisi enim Dominus ædificauerit domũ, in vanũ laborãt, qui ædificãt eam. hunc prima fundamẽta locare oportet, qui nisi incipit, omnia nostra recidũt. Quòd si salutẽ nostram apud eum, qui potis est dare, quæsierimus, etiam illa domui nostrę continget, quod quærimus, inueniemus. Vis autẽ adhuc aliã videre domũ, cuius salus quærẽda est, Sãctã, Catholicã, Christianã, atque Apostolicã Ecclesiam cogita: hæc vera Dei viui domus est. Quæ autẽ huius salus est? nẽpe, quãdo verè de ea dici potest, Ecce tabernaculũ Dei cũ hominibus. Hæc ipsa Ecclesiæ salus est, tũ securè atq; optimè homines in Ecclesia habitãt, quãdo Deus in ea cõmorãs agnoscitur, creditur, laudatur, timetur, amatúrq; vti Deꝰ, quãdo ipsum solũ Deũ nostrũ esse nos ipsius populus manere studemus, quãdo ipsius cõsolationẽ internè, auxiliũ defensionẽq; eius externè experimur, hæc, inquam, salus Ecclesiæ est. Et vbi quærenda hæc est? apud Christũ. Nisi Dominus custodierit ciuitatẽ, frustra vigilant qui custodiunt eam. At quomodo illa quæritur. Id Dauid verbis atque exemplo docet, cùm ait, Rogate quæ ad pacem sunt Ierusalẽ, & abundantia diligẽtibus te. Nihil enim ita atq; pax Ecclesiæ necessariũ, maximè verò in turribus eius. Si enim illic discordia, dissidiúmq; fuerit, nẽpe in doctrina fidei, consistere ciuitas illa non potest. Rogate ergo quæ ad pacẽ sunt, maximè ad pacem turriũ. Atquæ hæc illa

Luc. 19.

Psal. 127.

Psal. 121.

Dauid doctrinæ vox est, Fiat pax in virtute tua & abundantia in turribus tuis. propter fratres meos & proximos meos loquebar pacem de te. propter domum Dei nostri quæsiui bona tibi. Ecce hoc esset salutem quęrere totius Ecclesię domus nostræ. Sed hæc externa domus silentio prætereunda non est, quia & ipsa, licèt alio modo, salute indiget. Est autẽ illius domus salus hæc, quando verè ac grauiter in ea verbũ Dei prædicatur, Sacramenta rectè administrantur, Deus toto mentis affectu in ea benedicitur, illius gratia atque mirabilia cogitantur, ignitæ ardentésque in ea preces afferũtur. Hæc enim & nubes penetrant, quando in ea meditamur & incipimus, quę in cœlis in æternum facturi sumus: breuiter, quando domus illa orationis est, nemo eam speluncam latronum faciat: quando Dei domus est, nemo negotiationis tabernam faciat: si imago cœlestis est Ierusalem, hoc est, si in ea meditanda, auspicanda quæ tãdem in æterna patria cõsequi speramus, pia sanctáque conuersatione ornanda est. Hæc huius domus salus, verùm vbi hęc quærẽda est? Id modo atq; forma Salomõ docet, qui perfecto tẽplo, quod Hie-
2. Par. 6. rosolymis extruxerat: pretiosissimo coram altari, in populi totius frequentia expansis in cœlum manibus, dixit, Domine Deus Israel, nõ est similis tui Deus in cœlo desuper & super terram deorsum, qui custodis pactum & misericordiam seruis tuis, qui ambulant coram te in toto corde suo: qui custodiui seruo tuo Dauid patri meo, quę locutus es ei. Ore locutus es, & manibus perfeciſti, vt hæc dies probat. Nũc igitur Domine Deus Israel, conserua famulo tuo Dauid patri meo, quæ locutus es ei, dicẽs. Non auferetur de te vir coram me, qui sedeat super thronum Israel, ita tamẽ, si custodierint filij tui viam suam vt ambulent coram me, sicut tu ambulasti in conspectu meo. Et nunc Domine Deus Israel, firmẽtur verba tua quæ locutus es seruo tuo Dauid patri meo. Ergóne putãdum est, quòd verè Deus habiter super terram? Si enim cœlum & cœli cœlorum capere te non possunt, quomodò domus hæc, quam ædificaui tibi? Sed respice ad adorationem serui tui, & ad preces eius, Domine Deus meus. Audi hymnum & orationem quam seruus tuus orat coram te hodie, vt sint oculi tui aperti, & aures tuæ intentæ super domum istam nocte ac die, super domum de qua dixisti, Erit nomen meum ibi, vt exaudias orationem, quam orat in loco isto seruus tuus: vt exaudias deprecationem

serui

ſerui tui & populi tui Iſrael, quodcúnque orauérit in loco iſto,& exaudies in loco habitaculi tui in cœlo,& cùm exaudieris, propitius eris. Si peccauerit homo in proximum ſuum, & habuerit aliquod iuramentum, quo teneatur adſtrictus,& venerit propter iuramentum coram altari tuo in I
domum tuã,tu exaudies in cœlo,& facies, & iudicabis ſeruos tuos,cõdemnans impium,& reddens viam ſuam ſuper caput eius,iuſtificánſque iuſtum,& retribuens ei ſecundum iuſtitiam ſuam. Si fugerit populus tuus Iſrael inimicos ſuos (quia peccaturus eſt tibi) & agentes pœnitentiam & cõfitentes nomini tuo venerint & adorauerint, & deprecati te II.
fuerint in domo hac:exaudi in cœlo,& dimitte peccata populi tui Iſrael,& reduces eos in terram,quam dediſti patribus eorum. Si clauſum fuerit cœlum,& non pluerit propter peccata eorum, & orantes in loco iſto, pœnitentiam egerint, nomini tuo, & peccatis ſuis conuerſi fuerint propter III.
afflictionem ſuam: exaudi eos in cœlo, & dimitte peccata ſeruorum tuorum, & populi tui Iſrael, & oſtende eis viam bonam per quam ambulent, & da pluuiam ſuper terram, quam dediſti populo tuo in poſſeſsionem. Fames ſi oborta fuerit in terra, aut peſtilentia, aut corruptus aer, aut æru- IIII.
go, aut locuſta, vel rubigo, & afflixerit eum inimicus eius, portas obſidens, omniſque plaga & infirmitas præſſerit, cuncta deuotio & imprecatio quæ acciderit omni homini de populo tuo Iſrael, ſi quis cognouerit plagam cordis ſui, & expanderit manus ſuas in domo hac,tu exaudies in cœlo in loco habitationis tuæ, & repropitiaberis: & facies vt des vnicuiq; ſecundũ omnes vias ſuas,ſicut videris cor eius:quia tu noſti ſolus cor omniũ filiorũ hominũ,vt timeant te cunctis diebus quibus viuunt ſuper faciẽ terrę quam dediſti patribus noſtris. Inſuper & alienigena, qui non eſt de populo tuo Iſrael, cùm venerit de terra longinqua propter nomen V.
tuum (audietur enim nomen tuum magnum,& manus tua fortis, & brachiũ tuum extenſum vbiq;) cùm venerit ergo, & orauerit in hoc loco, tu exaudies in cœlo, in firmamento habitaculi tui, & facies omnia pro quibus inuocauerit te alienigena: vt diſcant vniuerſi populi terrarum nomen tuum timere ſicut populus tuus Iſrael: & probent quia nomen tuum inuocatum eſt, ſuper domum hanc, quam ædificaui. Si egreſſus fuerit populus tuus ad bellum contra VI.
inimicos ſuos, per viam, quocúnque miſeris eos, orabunt

te contra viam ciuitatis, quam elegisti, & contra domum quam ædificaui nomini tuo, & exaudies in cœlo orationes eorũ, & preces eorũ, & facies iudicium eorum. Quòd si peccauerint tibi (non est enim homo, qui non peccet) & iratus tradideris eos inimicis suis, & captiui ducti fuerint in terrã inimicorum, longè & propè & egerint pœnitentiã in corde suo in loco captiuitatis, & conuersi deprecati te fuerint in captiuitate sua dicentes, Peccauimus, iniquè egimus, impiè gessimus, & reuersi fuerint ad te, in vniuerso corde suo, & tota anima sua, in terra inimicorum suorum, ad quã captiui ducti fuerint & orauerint te, cõtra viam terræ suæ, quam dedisti patribus eorum, ciuitatis quam elegisti, & templi quod ædificaui nomini tuo; exaudies in cœlo in firmamento solij tui orationes eorum, & preces eorum, & facies iudicium eorum, & propitiaberis populo tuo qui peccauit tibi: & omnibus iniquitatibus eorũ, quibus præuaricati sunt in te, & dabis misericordiam coram eis qui eos captiuos habuerint, vt misereantur eis. Populus enim tuus est, & hæreditas tua, quos eduxisti de terra Aegypti, de medio fornacis ferreæ, vt sint oculi tui aperti ad deprecationem serui tui, & populi tui Israel, & exaudies eos in vniuersis, pro quibus inuocauerint te. Tu enim separasti eos tibi in hæreditatem de vniuersis populis terræ, sicut locutus es per Mosen seruum tuum, quando eduxisti patres nostros de Aegypto, Domine Deus. Factum est autem cùm complesset Salomon orans Dominum omnem orationem & deprecationem hanc, surrexit de conspectu altaris Domini. Vtrunque enim genu in terram fixerat, & manus expanderat in cœlum. Stetit ergo & benedixit omni Ecclesiæ Israel voce magna, dicens, Benedictus Dominus, qui dedit requiem populo suo Israel, iuxta ómnia quę locutus est. Non cecidit, ne vnus quidem sermo, ex omnibus bonis, quæ locutus est per Mosen seruum suum. Sit Dominus Deus noster nobiscùm, sicut fuit cum patribus nostris, non derelinquens nos, neque proiiciens, sed inclinet corda nostra ad se, vt ambulemus in vniuersis viis eius, & custodiamus mandata eius, & cæremonias & iudicia quæcúnque mandauit Patribus nostris: & sint sermones mei isti, quibus deprecatus sum coram Domino, appropinquantes coram Domino Deo nostro die ac nocte: vt faciat iudicium seruo suo & populo suo Israel per singulos dies, & sciant omnes populi ter-

2. Paral. 6. Eccles. 8. 1. Ioan. 1. Dan. 10.

ræ,

ræ,quia Dominus ipse est Deus,& non est vltra absq; eo, sit quoq; cor nostrũ perfectũ cũ Domino Deo nostro, & ambulemus in decretis eius, & custodiamus mãdata eius,sicut & hodie. Igitur Rex & oĩs Israel cũ eo immolabant victimas corã Domino. Mactauítque Salomon hostias pacificas,quas immolauit Domino,boum viginti duo millia,& ouiũ centum viginti millia, Et dedicauerunt templum Domini Rex & filij Israël. In die illa sanctificauit Rex medium atrij, quod erat ante domum Domini. Fecit quippe holocaustum ibi, & sacrificium, & adipem pacificorum: quoniam altare æreum quod erat coram Domino, minus erat, & capere non poterat holocaustum & sacrificium, adipem pacificorum. Fecit ergo Salomon in illo tempore festiuitatem celebrem,& omnis Israël cum eo, multitudo magna, ab introitu Hemath vsque ad riuum Aegypti, coram Domino Deo nostro septem diebus, & septem diebus, id est, quatuordecim diebus, & in die octauo dimisit populos, qui benedicentes regi,profecti sunt in tabernacula sua, lætantes,& alacri corde, super omnibus bonis, quæ fecerat Dominus Dauid seruo suo, & Israel populo suo. Ecce hoc est planè & vbique domui nostræ salutem quæsiuisse. Et hic quidem facile est cuiuis videre quæ piis cogitanda hodie proposita sint. Atque vtinam eiuscemodi cogitationibus occuparemur. Quid enim vtilius, quid magis necessarium maximè his temporibus, quando admodum inualidè domus nostra perstat,intus exteriúsq;, tẽporaneè spiritualiter priuatim atq; in genere? Et quid multis? Securis ad radicem arboris posita est. Propterea quæcúnque arbor non facit fructum bonum,excidetur, & in ignem mittetur. Salutem,fratres,domus nostræ quæramus,dum Christus adhuc in via est,inuocemus eum dũ propè est. Sanè eiusmodi materia dicendi digna est præsens celebritas: tum multa satis mihi illa Salomonis historia occasio dicẽdi offertur, quãdo omnino eum locum attigimus,vbi diligẽtiæ, qua templum ædificarit,commemoratur. non inconueniens nostræ dedicationi materia. Sed periculosæ hæ motiones bellorúmque rumores in causa sunt,vt nihil prẽter lamẽtari ac queri possim. Propterea & hunc ipsum sermonem cum Dauidis querela cõcludam. Et fortè eiusmodi querela faciet,vt propriæ inopiæ agnitionem,commissa scelera cognoscamus. Hinc pro vitæ emendatione ardenter orare discamus: id enim

Matth.3.

Phil.4.

maximè neceſſarium erit. Ionæ enim prædicatio conſiderari vult. Illi quidem populo quadraginta dies pœnitẽtiæ cõtulit, an idem tẽpus nobis detur, incerti ſumus. Et quæ illa
Pſal. 79. Dauid querela? Domine Deus quouſque iraſceris ſuper orationem ſerui tui? Cibabis nos pane lacrymarum, & potum dabis nobis in lacrymis in menſura. Poſuiſti nos in contradictionem vicinis noſtris, & inimici noſtri ſubſannauerunt nos. Deus virtutum conuerte nos, & oſtende faciem tuã & ſalui erimus. Hæc illa Dauid querela eſt, in qua neceſsitatẽ, qua ipſe, atque populus ſuus illo tempore premebatur, enumerat. Tres ver ſus ſunt, quibus quicquid in hac terra pios premere poteſt, comprehenditur, ſed nos eadẽ iam dudum experimur: Propterea non indigna nobis illa erit querela. Vbiq; enim & in omnibus iratũ nobis Dominũ offendimus. Si enim Germaniæ iam per mille annos certa atq; præſens incubuit exterminiũ, iam certè incumbit. Proinde cuiq; veſtrum hanc Dauid querelam breuitatis ſtudio conſiderandam relinquo, quò quiſq; ſecum quàm periculosè habitet cogitans, cum Dauid precari moueatur: Domine Deus virtutum conuerte nos, & oſtende nobis faciem tuam & ſalui erimus. Gratia Dei nobiſcum, Amen.

IN DIE S. MARGARETAE
EVANG. MATTH. XIII.

SImile eſt regnum cœlorum theſauro abſcondito in agro, quem qui inuenit homo abſcõdit, & præ gaudio illius vadit, & vẽdit vniuerſa quæ habet, & emit agrũ illum. Iterũ ſimile eſt regnũ homini negotiatori quærenti bonas margaritas. Inuẽta autẽ vna pretioſa margarita, abiit & vẽdidit vniuerſa quæ habuit, & emit eã. Iterũ ſimile eſt regnũ cœlorũ ſagenæ miſſæ in mare, & ex omni genere piſciũ congreganti. Quam, cũ impleta eſſet, educẽtes, & ſecus littus ſedẽtes, elegerũt bonos in vaſa ſua, malos autẽ foras miſerũt. Sic erit in cõſummatione ſeculi. Exibũt angeli, & ſeparabunt malos de medio iuſtorũ, & mittẽt eos in caminum

minum ignis. Ibi erit fletus & ſtridor dentium. Intellexiſtis hæc omnia? Dicunt ei, Etiam. Ait illis, ideò omnis Scriba doctus in regno cœlorum ſimilis homini patrifamiliâs, qui profert de theſauro ſuo noua & vetera.

EODEM FESTO EPISTOLA
II. COR. V. & XI.

FRatres, Qui gloriatur, in Domino glorietur. Non enim quẽ ſeipſum cõmendat, ille probatus eſt: ſed quẽ Deus commendat.

CAP. XI.

Vtinam ſuſtineretis modicum quid inſipientiæ meæ: ſed & ſupportate me. Æmulor enim vos Dei æmulatione, deſpondi vos vni viro, virginem caſtam exhibere Chriſto.

PRIMVS SERMO ET VNICVS.

Diligite dominum omnes ſancti eius, quoniã requirens eſt Dominus veritatem, & abundanter retribuet faciẽtibus ſuperbiã. PSAL. XXX.

EXTERNARVM rerum experiẽtia atq; vſu videmus, munitas vrbes etiã pacis tẽpore excubias habere ſuas, ne inſperato damnũ accipiãt: bello verò exorto, cõſuetas excubias roborare, omnia diligẽtiùs explorare: ſed & quiſque pro ſe quod poteſt in cõmune cõfert & cõſulit, ali⁹ alium hortatur & incitat: nec ciuis habetur bonus, qui illic domi deſidet. Quod ſi & nobis cordi eſſet, nomini atq; vocatiõni noſtrę reſpõdere, proculdubiò eandẽ in ſpiritus negotio exhiberem⁹ ſolertiã, parẽq; oſtenderemus diligẽtiã. Sanè, quod Chriſti ducis noſtri eſt, prudenter vt vigilemus, & parati ſtemus, qui, qua hora Fili⁹ hominis vẽturus ſit neſciam⁹, admonet. Tũ verò & anteſignanus ille noſter Petr⁹ Apoſtolus adhortatur, dicens, Sobrij eſtote & vigilate: quia aduerſarius veſter Diabolus tanquã leo rugiẽs circuit, quæ rẽs quẽ deuoret. Cui fortes in fide reſiſtite. Idẽ & Paulus fa-

Luc. 12.

1. Pet. 5.

cit, dicēs, State ergo succincti lumbos vestros in veritate, &
Ephes. 6. induti loricam iustitiæ, & calceati pedes in præparationem
Euāgelij pacis. In omnibus sumētes scutū fidei, in quo pos-
sitis omnia tela nequissimi ignea extinguere: & galeā salu-
tis assumite, & gladiū Spiritus, quod est verbū Dei, Induite
armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias Diaboli,
quoniā nō est nobis colluctatio aduersus carnē & sanguinē:
sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rec-
tores tenebrarū harū, cōtra spiritalia nequitiæ, in cœlestibus.
Si igitur secundū doctrinā Christi, parati: secundū admoni
tionē Petri, sobrij: secundū Pauli acclamationē, armati eri-
mus semper, quid nunc faciendū est, quando vndique Satan
tanta violentia Ecclesiā impugnat? Sanè ipsa experiētia do
Apoc. 21. cet, adesse nunc tēpora, quæ olim Ioannes prædixit: Væ, in-
quit, habitatoribus terræ & maris: quia descendit Diabolus
ad vos, habēs irā magnam, sciens q̄ modicū tempus habetis
Quisquis ergo ingenuus Christianus esse cupit, amplꝰ hoc
nequam seculo vigilet, ne vel vrbs nostra euertatur, vel ci-
ues affligantur, vel bona per Christum parta diripiātur, vel
deniq; nos ad Diaboli tyrannidē, qua Christi sanguine re-
dēpti sumus, cōpellamur. Si igitur vnquā cū aliqua pietate
Martyrū festa celebrauimus, si vnquā ipsorū exēpla confide
rauimus, nūc id studiosiùs maioriq; cū zelo faciamus, æquū
est. Neque enim quisquā ad multa nobis Martyrū exempla
prodesse posse negauerit, maximè verò in iis rebꝰ, in quibꝰ
nostra ætate, Ecclesia vehemēter laborat. Quorū exēpli cau
sa nōnulla in mediū proferā. Principiò inuenias, & quidēnō
paucos, qui in apertissimis criminibus iaceant, atque perse-
uerent, contenti quòd baptizati sint, & credant. Alij quidem
nō ita publicis criminibus impij: nimiū tamen, quā æquū
est, temporaneis dediti, prēter modū hunc mūdum diligūt.
Alij neutro horum reprehēsibiles sunt quidem, tamē pigri
ac negligentes in omni bono, in nouū nostri seculi Euāge-
lium sperāt, q̄ omnia bona opera, non necessaria, nec vtilia
ad salutem esse, tantūque fidem saluare docet. Alii quidē bo
no intendunt, sed pusillanimes sunt & modicæ fidei: vnde
etiam sæpe deficiunt. Alij verò ita in suis operibus inanibus
Apoc. 3. superbiant: vt nō modò quicquā sibi prætereà necessariū iu
dicent, verū etiā corā Deo stare audeant & dicere, Gratias
Luc. 18. ago tibi, q̄ non sumus sicut cæteri hominū. Vt ergo hęc ma
la, hisque alia similia tollantur, diligenti sanctorū, qui Deo

ante

ante nos placuerũt, cõsideratione opus est. cõsideratis enim diuorũ exẽplis, facilè, qui publica impietate criminosi sunt, intelligẽt, nõ esse vitã suã Christianis dignã, qꝫ oẽspij ac sancti summo semper studio peccata deuitarint, iustitiãq; apprehẽderint. Et licèt nõnulli eorum grauissimè hallucinati sint, & Dauid, Petrus, & alij, iterũ tamẽ resipuerunt, & cõmissa magna & seuera pœnitẽtia diluerũt. Quòd si rursum Diuorũ exẽpla cõspexerimus, mox etiã seculi huius filij pudefierent: qꝫ tanto sudore ea quærant, quæ pij semper veluti stercora æstimauerunt. Quòd si adhuc in Diuorũ exempla oculos intenderimus, inuenient pigri ac negligentes, Christiani quomodo nõ ad otiũ, sed ad laborem & pietatis opera vocati sint, sicut & vineæ & operariorũ docet parabola. Inuenient & pusillanimes modicæque fidei homines, quomodo magnæ fidei magnæque spei magnum robur cõsequi valeant. Sed & Pharisęus superbiẽs fastu, illic mox intelliget, quã nihil sint omnia sua opera, collatione eorũ quæ sancti nostri fecerunt & passi sunt, desinétq; facilè deinceps efferri animo. Vides ergo quid crebra diuorũ veluti perfectorum exẽplorũ cõsideratio possit: nimirũ vt nulla publica crimina maneãt, nullus tẽporaneorũ amor subsideat: nõ pigritia aut negligẽtia, nõ pusillanimitas: nõ superbia aut iactãtia foueatur, sed cõtrà innocẽtiæ studiũ, cœlestiũ amor, terrenorũ contẽptus, bonorũ operũ studium, fidei perfectio, humilitatis denique profunditas. Et qua via, si hęc in Ecclesia salua starent, aduersum nos insurgere posset Diabolus? Sed quorsum inquis, ista hæc tã longè repetito exordio ingeminas? nẽpe vt festum hoc maiori attẽtione ac studio cõsideremꝰ, atq; ingẽs nobis exẽplũ D. virginis huius martyriũ statuamꝰ. Paucis igitur historiã eiꝰ libet perstringere: deinde qd hinc eruditionis capere possimus, enucleare. Et sanè apparebit qꝫ nõ sine causa thema ex Psalmista proposuerim. Diligite, inquit ille, Dñm oẽs sancti eiꝰ: quoniã Dñs requirit veritatẽ, & retribuet abũdanter faciẽtibus superbiã. Iam verò sic habet historia. Fuit Margareta, cui hãc festam diem celebramus, Theodosij Antiocheni Idoli sacerdotis præcipui filia, tempore Marcelli Romanæ Ecclesiæ põtificis, ac duorum sæuissimorũ tyrannorum, Diocletiani quidem in Oriente, & Maximiani in Occidente: qui sæuissimam sanè persecutionem exercebant in Christianos, à quo tempore plus mille ducenti anni fluxerunt. Cũ verò puella hæc ado-

Philip. 3.

Matth. 20.

Psal. 30.

leuisset, Spiritu sancto illustratur, cœpitque præter parentũ volũtatem Christiana esse. Mortua matre à nutrice suscipitur, & huic ipsi Christiana fides non magnopere displicuit. concessit aliquando rus cum coæuis suis, & inter agnos ludens ab Olibrio Asiæ præside Antiochiã proficiscẽte fortè conspecta, per nuntiũ colloquẽdi gratia adducitur. Tum illa trepida licèt, Dei tamen inuocato nomine, accedit. Laudare eam ille, & genus nomẽque inquirere incipit. Verùm cũcta ex ordine recensens, ita sermonẽ instituit, vt nomine licèt vocaretur patrio, Christianam tamen esse se innueret, ac baptizatã soli Deo Domino suo Iesu Christo seruire ostenderet. Olibrius turbatus virginis cõstantia, vinctam abduci atque inedia torqueri iubet, si fortè mutata sentẽtia, ab inuisa Christianorum religione deficeret. Verùm ita in proposito cõstans perseuerat, vt in publicum producta, si fortè rubore confusa à Iesu seruatoris confessione recedere velit, egregiè ac grauissimè nomẽ, fidémque Iesu profitetur. Olibrius ad hæc pœnas, tormentáque ac mortis infamiam minatur. Cui illa confidenter & liberè respõdit, Agè viriliter, vre, assa, tantũ in Christo maneam. Ergo mox suspẽsa crinibus fustibúsque miserè cæsa, omnium oculis miserandum prodibat spectaculum, Vtut autem sæuissimos cruciatus sustineret, testimoniũ tamen cõstantis animi prodidit historia, quæ pœnas eã pro nihili duxisse commemorat. Hac cõstantia tot immania sæuissimi tyranni tormenta suscipiens tandem à Malcho gladio truncata in Christo obdormiit. Reliqua eius historiæ, vt quæ draconis mentionẽ faciũt, & alia, in doctissimi præstantísque viri Domini Georgij Vicelij Choro sanctorum licet inquirere. Ea historiæ series est, vt quisquis vel per se eam legerit, vel ab aliis cognouerit, mox cum sponso in Canticis sit dicturus. Quã pulchri sunt gressus tui, filia principis, in calciamẽtis tuis? Incessit enim hęc
Can. 1. virgo nostra ornatè calceata. Rectè piorum sequuta vestigia, & tempestiuè sequuta nunquam ab iis deflexit. Verè enim Paulum dixisse, hìc intelligimus: Infirma mundi elegit Deus, inquit ille, vt confundat fortia. sed & hoc vi-
1. Cor. 1. demus, quomodo Deus adsit nobis, & quomodo confirmet, atque in requiem suam introducat. Quapropter Dauid non incongruè monet, dicens, Diligite Dominum, omnes sancti eius. Neque verò ad vita hac defunctos sanctos, vt qui in gratia confirmati sunt, nullísque admonitionibus egent,

hæc

hæc Psalmistę verba torquēda sunt,sed nobis dicta sunt,qui sanctificati per baptisma, à sancto sanctorū Christo nomen sortiti sumus,& ad sancta opera vocati,Petro monitore, cū ait annuntiandam esse per nos virtutē eius,qui nos vocarit. 1.Pet.2. Sumus deniq; ad vitæ sanctimoniā vocati,& hos sanctos,ni mirùm nos,Psalmista hic vult intelligi. Iam verò nihil molestum aut graue manet nos:tantū vt diligamus Dominum hortatur. Quantum & quid hoc sit, Margaretæ exemplo licet cognoscere. Adhęsit illa tota anima totóque corde Deo, maiorem illum præstantioremq; omnibus rebus æstimauit Deúmq; apertè cōfiteri non puduit:omnia illius causa contempsit:voluntati illius obediuit: tormentis propter illum non cessit. Hoc est Deum verè diligere. Non illud Deū di- Isa.29. ligere est,ore sine mente Deo velle appropinquare,aut vnà cum ipso facultates diuitiásque appetere,diligere,nō enim Deo potestis seruire & Mammonæ. Neque verò ille Deū di Matth.6. ligit,qui ipsum cōfiteri timet,aut illius iussa tēnit aut crucem refugit. Qui enim vult venire post me,inquit Christus abneget semetipsum,& tollat crucē suā,& sequatur me. Rectè igitur nos Dauid hortatur,vt sancti diligamus Dominū. Ipse enim vnus & rectè diligēdus est. Principio em ipse veritatē requirit,hoc est,eos qui immaculatæ, puræ iustæque viæ sunt,aspicit,hos & ipse diligit. Hinc Psalmista ait,Quā Psal.3. magna Deus multitudo dulcedinis tuæ, quā abscondisti timentibus te. Et sequitur,Abscondes eos in abscondito faciei tuæ,à cōturbatione hominū. Amplius adhuc Deus requirit veritatē,hoc est,in promissionibus nō fallit. Id quod in hac virgine cōsideramus,Christus credētibus dixit:Dabo vobis Luc.22. os,& sapiētiā,cui nō poterūt resistere omnes aduersarij vestri. Dabitur vobis in illa hora quid loquamini. Et,Nō relin Ioan.12. quam vos orphanos:alium Paracletū dabo vobis. Et,Quic- Ioan.12. quid petieritis Patrem in nomine meo,dabit vobis. Et,Qui mihi ministrauerit vbi ego sum,illic & ipse erit,& honorificabit eū Pater meus. Omnia hæc in hac virgine nostra impleta sunt. Veritatē igitur Deus requirit. Tertiò & hoc modo veritatē requirit Deus,vt suo tempore rursus manifestetur. Licèt enim nōnunquā primas iniustitia teneat,tandē tamen aliquando veritas iustitiáq; victrix erit, atq; triumphabit. Idem quoque in hac virgine videmus. Agitè ergo diligite Dominum,quoniam ipse requirit veritatem, sed & retribuet abundanter facientibus superbiā. Id quod exēpla innumera

mera teſtantur, In Pharaone, Saul, Sennacherib, Nabuchodonoſor, Antiocho, Iudæis, & aliis: tum hic in Diocletiano, & Olibrio. Nos igitur hæc duo ad amãdum Deum virginis exemplo, meritò mouent. Non enim ſine ratione Dauid cõcludens ait, Viriliter agite, & cõfortetur cor veſtrũ, omnes, qui ſperatis in Domino. Idem fere Paulus monet: Bonũ, inquit, facientes, non deficiamus, tempore enim ſuo metemus non deficiẽtes. Et rurſum, Nõ deficimus. Licèt enim is, qui foris eſt homo noſter corrũpitur: is tamen qui interior eſt, renouatur de die in diem. Et, Scimus, quoniam ſi terreſtris hæc domus noſtra diſſoluatur huius habitationis, quòd ædificationem ex Deo habeamus, domum non manufactã, ſed æternam in cœlis. Ecce, hæc ex iſthac addiſci poſſent hiſtoria. Quòd ſi nos his rebus meditandis occupauerimus, ſanè non ſine fructu hunc diem trãſigemus, nec indignam Deo per Margaretam martyrem ſuam laudem impendemus, & ipſe quidem non abſimilem gratiam exhiberet nobis. Id vt fiat, gratia nos Ieſu Chriſti adiuuet, Amen.

Gal. 6.

2. Cor. 6.

2. Cor. 5.

IN DIE MARIAE MAGDALENAE EVANGELIVM,

LVCAE VII.

ROgabat Ieſum quidam de Phariſæis, vt manducaret cum illo. Et ingreſſus domum Phariſæi, diſcubuit. Et ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit, q̃ Ieſus accubuit in domo Phariſæi, attulit alabaſtrũ vnguenti, & ſtãs retro ſecus pedes eius, lachrymis cœpit rigare pedes eius, & vnguẽto vngebat. Videns aũt Phariſæus, q̃ vocauerat eũ, ait intra ſe, dicens, Si hic eſſet Propheta, ſciret vtiq; quæ & qualis eſſet mulier quæ tangit eũ, quia peccatrix eſt. Et reſpõdẽs Ieſus, dixit ad illũ, Simõ, habeo tibi aliquid dicere. At ille ait, Magiſter dic. Duo debitores erãt cuidã fœneratori: vnus debebat denarios quingẽtos, & alius quinquaginta. Nõ habẽtibus illis vnde reddereẽt, dona

donauit vtriſq; quis ergo eum plus diligit? Reſpõ dẽs Simõ, dixit, Aeſtimo quia is, cui plus donauit. At ille dixit ei, Rectè iudicaſti. Et conuerſus ad mulierẽ, dixit Simoni, Vides hãc mulierẽ? intraui in domũ tuam, aquam pedibus meis non dediſti: hæc aũt lachrymis rigauit pedes meos, & capillis ſuis terſit. Oſculũ mihi non dediſti: hæc autem ex quo ĩtraui, nõ ceſſauit oſculari pedes meos. Propter quod dico tibi, Remittũtur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autẽ minus dimittitur, minus diligit. Dixit autẽ ad illam, Remittũtur tibi peccata. Et cœperũt qui ſimul accũbebãt, dicere intra ſe, Quis eſt hic, qui etiam peccata dimittit? Dixit autem ad mulierem, Fides tua te ſaluam fecit, vade in pace.

EODEM FESTO EPISTOLA

I. TIMOTH. I.

Fidelis ſermo & omni acceptiõe dignus: quia Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum: ſed ideò miſericordiã conſecutus ſum, vt in me primò oſtẽderet Chriſtus Ieſus omnẽ patientiam, ad informationem eorum qui crediturĩ ſunt illi in vitã æternã. Regi autẽ ſeculorũ immortali, inuiſibili, ſoli Deo honor & gloria in ſecula ſeculorũ, Amen.

SERMO PRIMVS.

HISTORIA Euangelij huius tam grauis támq; conſolatoria eſt, vt non immeritò eam omnes, quãdo omnes peccatores ſumus, quiſque in ſuæ mentis ſecretiora infigat, quotidiè ob oculos habeat, & Deo eleuatis ſurſum manibus, gratias agat, qui, vt præſens hæc lectio teſtis eſt, tam omnibus numeris abſolutam doctrinam, tam certam conſolationem nobis tradidit. Ecce enim doctrinam pariter atq; exẽplum hîc pro cuiuſq; peccatoris voluntate, pœnitentiũq; cõſolatione proponũtur. Nã quod fœlix illa peccatrix egit, exemplo nobis factum atque relictum eſt, quod Chriſtus locutus eſt, noſtra conſolatio eſt. De peccatrice quid locuta

ſit non

sit non legimus: quę autē fecerit magna, hæc legimus auersionem à peccatis, perfectā ad Deū cōuersionē, humilitatē profundam, cordis cōtritionem veram, strenuā castigationē pœnitentiam præteritorum cōmissorum, & denique in bono perseuerantiam. Et quidem super hæc omnia, fidē ingentem, dilectionem admirabilem. Hæc sunt exempla, quæ in peccatrice illa cōsideranda Euāgelium proponit. Et quis tam ligneus, qui his auditis, quid sibi facto opus sit nō intelligat? Hæc ipsissima consequendæ misericordiæ Dei sunt media. Quomodo enim Deus, cuius naturā bonitas est, hominē tam afflictæ mētis, tam grauiter peccata sua castigātem, nō potest respicere: aut qua ratiōe potest nō suscipere? Atq; hac ipsa causa tam facilem piúmq; se Christus hîc exhibuit, nihil Pharisæi moratus calūnias: Tibi, inquit mulieri, remittūtur peccata, & mox, Fides tua te saluam fecit, &, Vade in pace. Et quid illi magis consolatorium respondere potuisset? quis vnquam hac lętior muliere, domum repetit? quis aliquādo præstantiora ad suos reportauit? Anxia mœroríq; plena conscientia ad Christum venit (id quod & lacrymę & gemitus ostēdunt) exultanti animo discessit ab eo. Et quis est, qui hoc exēplo cōsequendæ misericordiæ spem nō concipit? quis eadē sibi obtingi non & quidem vehemētissimè velit? Quis piè Christianus gratanter nō canit, quēadmodum ab Ecclesia præscriptum videt? *Laus tibi Christe, qui es creator & redēptor, idem & saluator, cœli, terræ, maris, Angelorum, & hominum, quem solum* Deum cōfitemur & hominem. *Qui peccatores venisti vt saluos faceres, Sine peccato peccati assumēs formulam. Quorum de grege vt Chananæam Mariam visita sti* Magdalenā. *Eadem mensa verbi diuini, illam micis hanc resouēs poculis. In domo Simonis leprosi cōuiuis accubās typicis.* Murmurat *Pharisæus, vbi plorat fœmina criminis cōscia.* Peccator contemnit *cōpeccantem, peccati nescius, pœnitentem exaudis, emūdas, fœdā adamans vt pulchrā statuas.* Pedes amplectitur *dominicos, lacrymis lauat, tergit crinibus, lauādo, tergēdo, vnguento vnxit, osculis circuit. Hæc sunt cōuiuia quæ tibi placēt,* O *Patris sapientia. Natus de virgine qui nō dedignaris tāgi à peccatrice à Pharisæo es inuitatus, Maria ferculis saturatus. Multū dimittis multū amāti, nec crimen postea repetenti. Dæmoniis eam septem mundās septiformis spiritus. Ex mortuis resurgētem das cunctis videre priorē, hāc Christe proselytā signans Ecclesiam, quam ad filiorum mensam vocas alienigenam, quam inter conuiuia legis & gratiæ*

spernit

spernit Pharisaicus fastus, lepra vexat haretica. Qualis sit tu scis tangit te, quia peccatrix, quia venia optatrix. Quidnã haberet ægra, si non accepisset, si non medicus adesset? Rex regum diues in omnes, nos salua, peccatorum tergens cũcta crimina, sanctorũ spes & gloria. Hanc nobis cantãdi formam Ecclesia præscripsit, simúlque occasionem dedit diuinam misericordiã non modò laudandi, verùm etiã impetrandi eam spem auget. Fidelis enim sermo & omni acceptione dignus, quia Christus Iesus venit in hunc mundũ peccatores saluos facere. Peccatores, inquam, nõ in peccatis veterascentibus, sed huius exemplo fœminæ peccata corrigentes, deflentes, & inde desistentes. Hæc ergo docemur. Sanè si hoc Euangeliũ in eum finẽ susceperimus, multorum bonorum causa erit. Id ergo vt faciamus, Christi Iesu gratia faciat, Amen.

SERMO SECVNDVS. COMPAratio huius festi & octauæ Dñicæ post Trinitatẽ.

QVia hodierna festiuitas in hãc Dominicã hoc anno incidit, nihil me vel vtiliùs vel decẽtiùs facturũ esse existimaui, quàm si vtrũq; Euangeliũ cõparauero. Idq; eo, vt maiorem piæ mentes ad consequendã pietatis virtutẽ habeant occasionem, & collatione duorũ quomodo appositè coincidat festum & Dominica dies, meliùs possit intelligi. Vtrobique sanè nostra culpatur negligẽtia, vt qui aut nũquã aut seriùs vitæ emendationẽ proponimus, cũ tamẽ vtrunq; Euãgeliũ grauẽ eius rei exhortationẽ, alterũ verò etiã præstantissimũ exẽplũ habet, ita vt seueriùs quã hoc modo ad pœnitẽtiã hortari nõ possimus. Omnis arbor, quæ nõ facit fructũ bonũ excidetur, inquit Christus in Dñicali Euãgelio, & in ignẽ mittet. Et mox, Nõ omnis qui dicit mihi, Dñe Dñe, intrabit in regnũ cœlorũ, sed qui facit voluntatẽ Patris mei q̃ in cœlis est. Eodẽ planè modo etiãin festæ diei Euãgelio clamat ad Pharisæũ otiosum atq; inertẽ: Vides, inquit, hanc mulierẽ? Enumerat quoq; opera ipsius ex ordine, quorũ nullũ Pharisæus fecerat. Veni in domũ tuã, aquã pedibus meis nõ dedisti: hæc autẽ lacrymis suis lauit pedes meos, & capillis capitis sui tersit. Sanè si quis hęc verba dextrè examinauerit, facilè videbit quorsum spectẽt quæ in Dñicali Euãgelio Christus loquitur. Ex operib⁹ eorũ cognoscetis eos. Magna cõtrouersia hodie, q̃ sint boni isti fructus, ex q̃bus arbor hominem credẽtes cognosci possint, disceptat. Et quidẽ eiusce

Matt. 7.

modi

modi negotium in cõtrouersiam vocari necesse non est, tantum beatæ huius fœminæ exemplum statuamus ob oculos. Nulla præsumptionis iactantia, hic paucula magnarum rerum verba audiuntur, imò in ipsa quidem nullum verbum consideratur, verè tamen præstantia conspiciuntur opera. Quæris, quæ? Perfecta conuersio à peccatis ad Deum, ingés humilitas, vehemens cruciatus mentis, seuera pœnitentia, & commissorũ pœna, constans perseuerantia, & super hæc omnia insignis fides, vehemẽs dilectio. Hi veri fructus sunt ex quibus arbor potest cognosci, & ipsi quidẽ omnes in hac vna muliere leguntur. Licèt ergo à Pharisæo reiiciatur, & tanta gratia indigna iudicetur, Christus tamen eam, qui rectè inter fructus nouit discernere, inter bonas arbores annumerat, cùm ait primò: Remittuntur tibi peccata: secũdò, fides tua te saluam fecit, tertiò, Vade in pace. Et quis lætior domum rediit vnquã hac muliere, quæ tam pretiosum thesaurum domum refert? cui nõ vel summa voluptas esset, eo modo iustis annumerari? cui verò hoc exemplum spem consequendæ misericordiæ non porrigit? Et quis non auidissimè Pauli hodie nos acclamantis verba concipit? fidelis, inquit, sermo & omni acceptione dignus, quia Christus Iesus venit in hunc mundũ peccatores saluos facere. His, inquam, Paulus nobis hodie loquitur, non ideò vt solũ in seipso, aut Magdalena, quam vterq; habet misericordiã prædicemus, verumetiam ac multò magis, vt eandem ipsi consequi studeamus, qua bonæ arbores efficiamur, & non vt steriles in ignem coniiciamur. Cui rei & illud seruit quod idem Apostolus in Dominicali Epistola monet. Debitores sumus, inquit, non carni vt secundum carnem viuamus, si enim secũdum carnem vixeritis, moriemini. Si verò Spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Qui enim Spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei. Ecce quomodo hæc Epistolę verba vtrique Euãgelio seruiãt. Vult Christus doctrinæ suæ verbũ bonũ in nobis germinare fructũ. Quo sensu Paulus debitores nos esse dicit, qui Spiritũ Dei accipimus, & in filiorum Dei sortẽ adoptati hæredes sumus. Verũ aliud Euangeliũ ostendit, mulierem ingenti dolore peccata sua deflentem, iustitiámque quærentem. At Paulus quid nos vt idem faciamus mouere debeat, exponit. Si, inquit, secundum carnem vixeritis, moriemini. Hoc superest, vt tam insignem, grauémque exhortationem auidis animis complexi, operi insistamus,

1. Tim. 1.

Rom. 7.

mus, alioqui nihil profuerit multa audire, in nullo verò nobisipsis meliores fieri. Terra enim sæpe venientem super se bibens imbrem, proferens spinas & tribulos, reproba est, & maledicto proxima. Oremus igitur, vt gratiam Christi suscipiamus, Amen.

IN DIE SANCTI IACOBI APOSTOLI, EVANGELIVM MATTHAEI XX.

TVnc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi, cum filiis suis, adorans & petens aliquid ab eo. Qui dixit ei. Quid vis? Ait illi, Dic vt sedeant duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & alius ad sinistram, in regno tuo. Respondēs autem Iesus, dixit, Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicē quē ego bibiturus sum? Dicunt ei, possumus. Ait illis, Calicē quidē meū bibetis, sedere autē ad dextram meam, vel ad sinistram, non est meū dare vobis, sed quibus paratū est à patre meo. Et audientes decē indignati sunt de duobus fratribus. Iesus autem vocauit eos ad se, & ait, Scitis quia principes gentiū dominantur eorum, & qui maiores sunt, potestatē exercent inter eos. Nō ita inter vos erit: sed quicúnque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister: & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus. sicut Filius hominis nō venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam in redemptionem pro multis.

EODEM FESTO EPISTOLA EPHES. I.

BEnedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali, in cœlestibus, in Christo. sicut elegit nos in ipso ante mūdi cōstitutionē, vt essemus sancti & immaculati in cōspectu eius in charitate. Qui prædestinauit nos in adoptionē filiorū per Iesum Christum, in ipsum secundū

propoſitũ voluntatis ſuæ in laudem gloriæ gratiæ ſuæ, in qua gratificauit nos in dilecto filio ſuo, in quo habemus redemptionẽ per ſanguinem eius, remiſſionem peccatorum: ſecundum diuitias gratiæ eius, quæ ſuperabundauit in nobis.

SERMO VNICVS. QVANDO hoc feſtum in quintã Trinit. Dominicã incidit.

EVANGELIA cùm Dominicæ diei, tum feſti huius perappoſitè cõueniunt. Eſt enim hic ipſe ille Iacobus, quẽ nos maiorẽ & Zebedæi filium dicimus qui in piſciũ illa miraculoſa intererat captura, ſuóq; Petrum trahẽtem labore iuuabat. Lõgius ergo quis hic Iacobus fuerit, quærere neceſſariũ non eſt, etenim ſi nihil ipſius hiſtoriæ ſupereſſet, hoc ipſum tamen Euangelium deſcriptioni illius ſufficeret. Vtiq; illius artis gnarus fuit, quam hic cũ aliis collegis ſuis exercuiſſe deſcribitur. Piſcatores erant officij genere, & à Chriſto, vt homines non ad perditionem, ſed ad ſalutem capiant, vocantur. Eadẽ autem ipſorum diligẽtia in piſcandis hominibus poſtea fuit, quæ antea fuerat in capiendis piſcibus. Petro quidem piſces cœpiſſe & rete cõclusos tenere, ſatis non erat, qua ratione extrahere poſsit, mox ſecum cogitat: ſed quia ſolus non poteſt, ex tempore cõſilium capit, vocat ſocios, hi ſua præbent auxilia, nihil morantes rete rũpi, pergunt, & extrahendis piſcibus incumbunt, etiam cum ſuo ipſorum periculo. Hæc vera & notiſsima Apoſtolorum hiſtoria eſt, Prædicauerunt illi & docuerunt: ſed non hoc ſolùm, quinetiam qua ratione homines ex aqua, hoc eſt, veteri præcedentis vitę conſuetudine eriperent, íno; lucem traherent, diligentiſsimè incubuerunt, nihil cúrantes, in quod ſe vitæ diſcrimen cõiicerẽt, propterea quòd hæreticorum impugnationes perſecutionéſque ſequerentur. Et quid etiamnum profuerit multos cœpiſſe piſces, ipſos tamen notis relinquere in aquis, etiam irretitos? quis, inquam, fructus erit multis prædicare, non tamen ex vetuſta viuendi conſuetudine extrahere? Ille ille verus Apoſtolus & hominum piſcator eſt, qui vt ex pernicioſa conſuetudine eximat, nec labores refugit, nec timet pericula, ac tales certè noſtri fuêre Apoſtoli. Sed quæ nunc tempora ſunt, inuenias quidem non paucos, qui magno animo Apoſtolorum ſibi nomen vendicent, rete expandant latiſsimè, & multos capiant,

piant, nempe inescare norunt, vltro currentes venantur callidè, sed ad littus trahunt nullum, in peccati consuetudine linquunt, puluinaria consuunt, mendacia prædicant, pacem loquuntur: hoc solùm contenti, quòd stultam irretitam multitudinem teneant, nimirum fugam aliorum timent, suóque periculo præuident. Propterea molliter & callidè blandiuntur, quò teneant quod habent. Apertè dico, quid iuuat Euangelium audire & vitæ impietatem non relinquere? quid iuuat clamare cõcionatorem, & nihil ad lucem pertrahere? & quis hoc Apostolicum esse dixerit? lõgè secus Apostoli fecêre. Exemplum ex hodierna Petri Epistola cape: Omnes, inquit ille, vnanimes estote, compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti. Et hic Apostolicæ prædicationis modus est: idq; non modò capere, verũetiam ad terrã pisces attrahere est. Ecce quid ad rei summam pertineat, quid requiratur, vt homines ad salutem attrahantur. Principiò, fidei requiritur vnitas, vbi enim fidei error est, nunquam ad littus peruenitur. Huc pertinet quod dicitur. Vnanimes estote. Hoc vnum in primis requiritur, sed sufficiens non est. Et quid amplius quæritur? vt dilectionem mutuam foueamus. Sint licèt in fide vnanimes: si tamen in charitate fuerint discordes, impedimento graui à littore arcentur. Vnde Ioannes, Hoc, inquit, mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum. Et huc respicit quod Petrus ait, Compatientes, fraternitatis amatores. Hoc secundum est, sed nec ipsum sufficit. Quid ergo? alia optanda vita est, iubemur enim exire è domo patris nostri. Huc illud Psalmistæ pertinet, Qui vult vitam, diligit dies videre bonos coerceat linguam suam à malo, & labia sua ne loquantur dolum. Post hæc & patientia requiritur, ne quid nimium trepidemus, inuenias enim qui nec fide, nec charitate, nec vitæ pietate deficiant, verùm nimium & sine causa timent. His dicitur, Quis est qui vobis noceat? Et, Timorem eorum non timueritis, vt non conturbemini: dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris. Hoc nonnihil ad rem posset facere: hoc, inquam, ad littus posset attrahere salutis, si quatuor hæc, quódq; tamen pro sua dignitate fuerint proposita: Primò fides, deinde charitas, tertiò vita, quartò patientia. Ita enim Apostoli verbi negotium aggressi sunt, ideóque tam fœliciter totum hunc mundum ad beatitudinis portum traxerunt. Hoc modo ergo Epi-

Ezech. 13.

1. Pet. 3.

1. Ioan. 4.

ſtola hodierna cõuenit Diui Iacobi feſtiuitati. Talis omnino ille fuit: propterea eo magis ipſius nobis exemplum amplectendum eſt, nam hac ratione ipſe quemadmodũ & alij nobis imitandus proponitur. Hoc eorum in mundo certamen erat: ideò etiam victoria apud Deum potiuntur. Hos ergo vt ſequamur, ſua Deus gratia præſtet, Amen.

IN DIE ASSVMPTIONIS MARIAE MATRIS IESV, EVANGELIVM LVCAE X.

INtrauit Ieſus in caſtellum quoddã, & mulier quædã Martha nomine excepit illũ in domum ſuã. Et huic erat ſoror nomine Maria, quæ etiam ſedẽs ſecus pedes Domini, audiebat verbũ illius. Martha autẽ ſatagebat circa frequẽs miniſterĩũ, Quæ ſtetit & ait: Domine, nõ eſt tibi curæ, q̃ ſoror mea reliquit me ſolã miniſtrare? dic ergo illi, vt me adiuuet. Et reſpõdens dixit illi Dñs, Martha Martha ſolicita es, & turbaris erga plurima, porrò vnum eſt neceſſarium. Maria optimã partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

EPISTOLAE LOCO LECTIO ECCLESIAST. XXIIII.

IN omnibus requiẽ quæſiui, & in hæreditate Domini morabor. Tũc præcepit & dixit mihi Creator omnium, & qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo, & dixit mihi, In Iacob inhabita, & in Iſrael hæreditare, & in electis meis mitte radices. Ab initio & ante ſecula creata ſum, & vſq; ad futurũ ſeculũ nõ deſinã, & in habitatione ſancta coram ipſo miniſtraui. Et ſic in Sion firmata ſum, & in ciuitate ſanctificata ſimiliter requieui: & in Ieruſalẽ poteſtas mea. Et radicaui in populo honorificato, & in partes Dei mei hæreditas illius, & in plenitudine ſanctorum detentio mea. Quaſi Cedrus exaltata ſum in Libano, & quaſi cypreſſus in mõte Sion. Quaſi palma exaltata ſum in Cades: & quaſi plãtatio roſæ in Iericho. Quaſi oliua ſpetioſa in cãpis, & quaſi platanus exaltata ſum, iuxta aquam in plateis. Sicut cinnamomũ & balſamum arom-

aromatizans odorem dedi, & quasi myrrha electa dedi suauitatem odoris.

SERMO PRIMVS, QVANDO hoc festum, in secundã feriam post nonam Dominicam à Trinit. incidit.

HODIERNA festiuitas pulchrè per omnia hesterno succedit Euangelio. Nam quod illic postremum erat, hîc primo loco ponitur, & quod hesterni sermonis erat epilogus, hîc exordij loco sumitur. Heri, inquam æternorum tabernaculorum, vt piarum animarum huius vitæ peracta fabula, receptaculorũ postremò meminimus. Qui hac festiuitate requiritur finis, est, vt sublatis mentibus cum mentis exultatiõe cœlestia sursum meditemur tabernacula, in quæ & Maria Iesu mater assumpta hodie est, nósq; assumendos aliquãdo iuxta promissiones Christi, indubitatò credimus. Pater, inquit Christus, volo vt vbi ego sum, illic & hi sint, quos dedisti mihi. Hęc primò omniũ præsens à nobis exigit festiuitas, nec immeritò, neq; sine causa. Neq; enim nos, qui hîc manentẽ locũ non habemus, sed futurã ciuitatẽ inquirimus, rectiùs, aut maiori cum fructu facturi sumus: nihil, inquam, fructuosiùs nos, qui cõscripti ciues & domestici illius ciuitatis sumus, quã Maria hodie ingressa est, faciemus aliquando, quàm si semper, etiã super flumina Babylonis sedentes, cœlũ, in salicibus in medio eius, beatã Ierusalem cogitemus. Idq; eò magis hodie, quò maior illius offertur occasio. hodie enim terra nostra pretiosum donum ad cœlos præmisit, cùm tamen è cœlo omne nobis perfectũ donũ defluat. Vide ergo an non sit inges causa, cur lętemur, nępe q̃p per Christũ longè diuersissima, Deus & homo, cœlũ & terra, sublime, infimũ, tã arcto necessitudinis vinculo cõiũcta sunt, vt mutuò dent accipiántq;. Et cœlo gratiæ abundantiã recipimus, rursus iidẽ cœli nos recipiũt, quemadmodũ hodie Virginẽ matrẽ assumpserunt: & alibi Lazarũ in sinu Abrahæ ab angelis deportatũ legimus. An nõ hæc nobis magnę sint causa lætitię? An nõ sequi hos ęquũ est, póstq; ipsos clamare, Trahe nos post te? Quis hoc in nobis improbaret? Laudatur Daniel, q̃p adhuc in Babylone positus, ter quotidie versus Ierusalẽ conuersa facie orauerit. Tum Dauid noster diris se deuouet, si Ierusalẽ oblitus fuerit, si nõ & principio

Ioan. 17. *Heb. 13.* *Ephe. 2.* *Psal. 136.* *Luc. 16.* *Cant. 1.* *Dan. 6.* *psal. 136.*

Tob.13. lætitiæ illius recordatus fuerit. Sed & Tobias iustus, beatos planè prænuntiat instauratores Ierusalem. Eia igitur & nobis laudi ducetur, si sæpius cœlestis Ierusalē recordati fuerimus, inque eius lætitia atq; pace gloriati. Tum neq;, quòd Iudith. 13. Hest. 8. hodie etiã Virgini matri cõgratulamur, vitio nobis vertetur. Si enim Iudæorũ gens olim truncato Holoferne cũ Iudith, & suspenso Aman cũ Hester triumphabant, tum etiam Iudith. 15. cũ Delbora ac Iaël deuicto Sisara lætabantur, nec id illis vitio datũ est: quid obstat, quo minus & nos cũ Virgine matre Iudic. 4. hodie lætamur, maximè verò cũ eam Deus illis mulieribus longè anteposuerit? Licèt enim illæ Iudaici populi laus & corona fuerint, Maria tamen longè præstantior est, quæ nõ vnius gentis, sed totius Ecclesiæ Christianiq; populi decus & gloria est. Per illos quidẽ Deus magna in vnius populi salutem operatus est, at per hãc lõgè maiora effecit. Hoc tantũ agamus, vt rectã viã aggrediamur. Id quod minimè frustra moneo, magna enim ex parte minus quã oporteat facimus, tũ etiã sæpe iam in hãc iam in illã partẽ deflectimus: éstque hoc nõ difficile videre. Vt enim permultũ olim honoris sanctis perhibitum fuit, ita nunc plus illis detrahitur. Olim minus videbatur, quicquid eorum cultui impendebatur: nunc minus est quocúnque modo detrahas. Olim hæc beata Virgo & mater præferebatur filio, nunc propè communibus mulierculis vix anteferenda ducitur: omnia quæ humanorum defectuum sunt, illi imputantes, incredulitatem, ignorantiam, diffidentiam, ad peccata propensionem: & id genus alia. Quæ quia peccata sunt, quid aliud faciunt, nisi quod ipsam peccatricem statuunt? itaq; vtrinque delinquitur. Idololatria & abusus minimè laudari possunt, neque verò debent: sed neque tamen illud aspernandum est, quod Scripturæ sacræ non repugnat, multò minus quod cũ Iere. 6. ea conuenit, imò ipsa tueri atque defendi potest. Vnde rectè Ieremias propheta, vt verã rectámq; viam inquiramus, monet. Erit autem media via, quæ neq; idololatriã superstitionémq; neque contemptum habet. Media, inquam, via est, & Deo dare quod Dei est, & sanctis tribuere quod sanctorum est. Deinde nihil ab his quod dent, sed vt simul nobiscum rogent, postulare. Quã etiam Ecclesia in supplicatione solẽni differentiam obseruat. Tertiò, discrimẽ, quod 1. Cor. 3. Paulus posuit, cõsiderare. Omnia vestra sunt, inquit, vos autem Christi: Christus verò Dei, Deus autẽ omnia in omnibus

bus. Quartò, ſanctos quidé vti Dei amicos venerari & prædicare, ita tamen, vt omnis laus in vnum Deum coincidat, ipſéque ſolus in omnibus honorificetur & magnificetur, vbicũque ipſius gratiam cõſideramus ac intelligimus. Hæc regia tutiſsimáque via eſt, de qua alibi copioſiùs cùm ſit dictum, hîc ſupersedeo pluribus loqui: méque ad ipſum feſtũ recipio. Principiò igitur neminẽ moueat, Scripturã ſacram de Virginis matris aſſumptione nihil expreſsè loqui. Sufficere enim debet nobis, q̃ ſanctorum mors ſacris literis atteſtãtibus ſancta dicitur, ipſorúmque ſanctitas deuicta morte nobis cõmendatur. Atque hinc occaſione ſumpta, Eccleſia hodie canit: Maria aſſumpta eſt in cœlũ, gaudẽt Angeli. laudantes benedicant Dominũ. Hæc vnica antiphona dextrè examinata, quid pia mẽte voluendũ hodie, præſtandũq; ſit, ſatis indicat. Cõplectitur enim in ſe, & perſonã, & opus, & fructũ. Perſona quidem, cui hæc dies feſta eſt, ipſa virgo mater eſt, quã cùm nomine, ſummam atque caput omnium virtutũ in ipſa comprehẽdo, ipſa verò Eua mater omnium viuentiũ eſt, quæ non mortis inuectrix, ſed vitæ in mũdum eſt genitrix. Illa, illa verè prophetiſſa eſt, quæ ſuo cãtico nõ ſemel, vt olim Moſi ſoror, nec vnã gẽtem, ſed ſemper & omnes populos ad diuinas laudes incitat. Ipſa eſt vrna, in qua nõ Moſes, ſed Deus ipſe, non vetus manna, ſed verũ de cœlo panem conſeruauit. Ipſa eſt virga Aaron, quę repugnãte natura, florens germinauit. Ipſa eſt Ieſſe radicis ſanctæ virgula, ex qua ſalutis noſtræ flos Chriſtus pullulauit. ipſa vera mater Saluatoris. ipſa vas electũ, vas honoris, vas gratię, vas ab æterno præparatum & ornatum, ab ipſius manu Sapientiæ. ipſa eſt flos de ſpina, ſine ſpina, imò totiꝰ ſpineti gloria. Ipſa eſt clauſa porta Ezechielis. ipſa eſt thymiama odorifera. ipſa eſt turris Salomonis, in qua diuini amoris aurũ fulget, & ebur virgineæ caſtitatis irradiat. Sed quid illius conditioni enarrandæ immoror? Omniũ horũ nos Virginis cõmonefacit appellatio. Et quis hoc ipſius nomine audito ad laudes Dei non accenditur? quis non exultat, cùm tãta Deus naturæ noſtrę dona cõtulerit? quis nõ feliciſsimã iudicat, in qua illa tam grandia impleta videt? quis pro eius gratiæ vel minima parte impetrãda Deo non ſupplicat? Ecce, quæ cõmodè ex Virginis matris huius perſona cogitare poſsit. Et quid ſequitur? Aſſumpta eſt in cœlum. Hæc propriè hãc feſtiuitatem reſpiciunt, & quæ ſit differentia inter iuſtorum

Gen.3. *Exod.15.* *Exod.16.* *Num.17.* *Iſa.11.* *Ezec.44.* *3.Reg.10.*

impiorúmque mortes oſtendunt. Omnes morimur, iuſti cœ
Pſal. 36. los aſcendunt, impij ad tartara deſcẽdũt. Ait enim Propheta, Noli æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem. Quia tanquam fœnum velociter arefcent, & quemadmodũ olera herbarũ citò decidẽt. Et mox, inimici Domini. mox vt honorificati fuerint & exaltati, deficiẽtes quemadmodũ fumus deficient. Et rurſum, Vidi impium ſuperexaltatũ & eleuatũ ſicut cedros Libani, & tranſiui, & ecce non erat: quæſiui eum, & nõ eſt inuentus locus eius. Et
Ezech. 8. in Ezechiele, Finis venit, venit finis, ſuper quatuor plagas terræ, Nunc finis ſuper te, & immittam furorẽ meũ in te, & & iudicabo te iuxta vias tuas, & ponam contra te, abominationes tuæ in medio tui erunt, & ſcietis quia ego Dominus. Ecce quã graphicè Scriptura impiorũ mortes perditionẽq; deſcripſerit. Principiò non ſemel, ſed quater repetit. Venit finis: idq; eò vt penitus mentibus impiis, futuri iudicij horrorem inculcet. Secundò addit, Nunc finis ſuper te: ne ſcilicet longiorem vitam ſperent. Tertiò, Et immittam furorẽ meum in te. Et quid his cõminationibus grauius? Ergo Da-
Pſal. 6. uid orans ait, Domine, ne in furore tuo arguas me. Quartò, Iudicabo te ſuper vias tuas, minatur hîc non ſolũ inſperatam mortem, ſed & iudicium. Quintò, Ponam cõtra te abominationes tuas: id verò, ne quis Deum latere poſſe peccata hominũ exiſtimet. Sextò, id quod omnium grauiſsimũ eſt, Non parcet tibi oculus meus, inquit, nec miſerebor. Poſtremò, Et ſcietis quia ego Dominus qui percuſsi vos. Et hæc quidẽ de impiis dicta ſunt. Vnde rectè à Propheta dicitur,
Pſal. 33. Mors peccatorũ peſsima: & qui oderũt iuſtum, delinquent. Sed longè ſecus hodie canimus, Maria aſſumpta eſt in cœlũ. Hæc propriè iuſtorũ, & Dei amicorũ mortib⁹ cõueniũt,
Pſal. 115. De quibus etiã Dauid loquens, ait, pretioſa in cõſpectu Do-
Ioan. 2. mini mors ſanctorũ eius. &, Recipiam vos in æterna taber-
Num. 14. nacula ad me. Et Paulus, Siue viuimus, ſiue morimur, Domi-
1. Cor. 5. ni ſumus. & rurſum, Scimus quoniã ſi terreſtris domus noſtra diſſoluatur huius habitationis, quòd ædificationem ex Deo habeamus, domũ non manufactam, ſed æternam in cœlis. Et quid amplius optare poſſumus, quã quod Mariæ obtigit? Præterea in hac Virginis matris aſſumptiõe, Deus quoque verax probatur in ſuis promiſsionibus eſſe, qui etiam abundanter ſuos remunerat. Maria aſſumpta eſt in cœlum, quibus ſanè verbis ineffabilem ſanctorum gloriam includit. quid

dit. quid tutius cœlo? quid remotius ab omni incursu hostium? quid iucundius, quàm inter angelos viuere? quid locupletius, quid amplius, quid gloriosius quàm cœlum habitare, regnúmque Dei incolere? quid beatius quàm Deum videre? Hæc omnia vno illo verbo cõplectitur, Assumpta est. Et ipsum quidem est, quod olim Abraham Deus promiserat, dicens, Noli timere, ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis. & Ieremias, Quiescat vox tua à ploratu, & oculi tui à lacrymis, quia est merces operi. Et Christus, merces, inquit, vestra, copiosa est in cœlis. & iterum, Nolite timere pusillus grex, quia placuit patri vestro dare vobis regnum. Et alibi, Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater regnum. Et Paulus, Existimo quòd non sint cõdignę passiones huius temporis ad futurã gloriã, quæ reuelabitur in nobis. &, Quos iustificauit, hos & glorificauit. Et quid, fratres dicemus ad hæc? Vtique videmus quam nobis huius festiuitatis consolationem adferat, omnia enim completa atq; peracta esse compertum habemus. Cur igitur Deo, qui tanta liberalitate suos remunerat, seruire grauamur? tum etiam qua fiducia hæc virgo mater nobis accinat, Deposuit potentes, & exaltauit humiles. Ad hunc modum, cùm personam, tum opus, seu factum, in quibus festiuitatis huius cardo vertatur, considerare licebit. Nunc porrò & fructus considerandus est. Gaudent angeli, (canit Ecclesia) & laudantes benedicunt Dominum. Id verò ita esse multa probatione non eget. Lucas enim angelos super vno peccatore pœnitentiam agente lætari docet: tũ etiam Angelorũ propriũ officiũ est, Laudare Deũ. Id quod in sexto Isaiæ capite legimus, vt & apud Dauid 102. Psalmo. Plurimum nostra intererit, vt Angelos imitemur. Deũ in Virgine matre laudemus: sitq; hoc huius principiúmque festi huius. Id verò vt possumus, audi quid optima quondam Iudith ad suos illæsa rediens, dixerit moueritque, Laudate, inquit dominũ Deũ nostrũ, qui nõ deseruit sperantes in se, & in me ancilla suã adimpleuit misericordiã suam, quã promisit domui Israel. Hæc enim verba, cur in hac virgine laudandus sit Deus, innuũt. Primò, quòd ipsam, cùm in hunc mundum nasceretur, à peccato conseruauit originis: deinde etiam in mundo positam, ab ius custodiuit peccatis, quę sunt ad mortem. Tertiò morientem & ab hac vita emigrantem à mortis horrore, communi omnium maledictione, & tabe corporis conseruauit: quarto, quòd

Gen. 15.
Ierc. 31.
Matth. 5.
Luc. 12.
Luc. 22.
Rom. 8.
Luc. 1.
Isa. 6.
Iudith 13.

eam ad se vocauit, quintò quòd misericordiam suam, quam hîc in terris incepit, hodie consummauerit in cœlis. His ergo piis animis hodie occupari debemus, & sic quidem fides, deuotio, dilectio, oratio, Deíque desiderium in nobis excitari possint. Sophismata, argutiæque nihil proderunt vnquam. Id quod cuique secum cogitandum permitto. Gratia Dei nobiscum, Amen.

SERMO SECVNDVS.

CVm diligentiùs mecum recogito, quam Ecclesia Catholica lætitiam deuotionémque huic festiuitati impendit antiquitus, eámque nostra hac tempestate, hei nimium infelici, ita deperiisse, vt in quibusdam nullum omnino, in aliis verò vix aliquod eius vestigium inueniam, iusta de causa hunc sermonem querelis exordirer, partim id in audaces quorundam conatus, quã quæ minus suo palato sapiũt reiicere & aspernari propria tumulentia nituntur, partim etiã in multimodum abusum, in quem festi nostri dies miserè deuenerunt, maximè verò in Ecclesiasticorum ac prælatorum, qui iã omnia ferè, quę ab illa Patrũ primæua Ecclesia ad nos fluxerunt, interire patienter nimium aspiciunt, negligentiam. Et huic rei conuenientem materiam Scriptura rum mihi suppeditarent eloquia: sed quia accepto damno querelarum locus non est: & reprehensio, quæ non auditur, frustratur omnis, Deo ipsi hæc committo atque Magistratui, & hunc meum sermonem lætis cum Augustino vocibus, si quo modo vel aliquorum mentes Deus excitauerit, exordiar. Hos igitur quondam Augustinus de hac solennitate prædicauit. Adest nobis, dilectissimi fratres, dies valde venerabilis, dies omnium Sanctorum solennitates præcellens. Adest, inquam, dies inclyta, dies præclara, dies in qua è mundo migrasse creditur virgo Maria. Et ideò laudes intonat vniuersa terra cum summa exultatione tantæ Virginis illustrata excessu, quia indignum valde est, vt illius recordationis solennitas sit apud nos sine maximo honore, per quam meruimus autorem vitæ suscipere. Satísque præposterum iudicãdum est, vt cùm sanctorum celebramus victorias Martyrum, illius solennitatem illis non præferamus, quæ huic mundo edidit principem martyrum. In hac si quidem die competenter sponso illi cœlesti proclamat beata Virgo, Tenuisti manu dexteram meam, & in volũtate *Psal. 72.*

tua

tua deduxisti me,& cum gloria assumpsisti me. Hodie, inquam,& ipsa à sponso filio & Domino cõgruè audiuit. Iam hyems transiit,imber abiit & recessit.Surge proxima mea, sponsa mea,columba mea,& veni.Hæc ideò dicimus, fratres,quia,sicut iam in consuetudinem suscepit Ecclesia,hodierna die ad cœlos assumpta fuisse creditur virgo Maria. Sed quo ordine hinc ad superna transierit regna, nulla catholica narrat historia.Non solùm autem respuere apocrypha, verùm etiam ignorare dicitur hęc eadem Ecclesia. Siquidem sunt nonnulla sine autoris nomine de eius assumptione conscripta, quæ vt dixi, ita cauentur, vt ad confirmandam rei veritatem legi minimè permittantur. Hinc sanè pulsantur nonnulli, quia nec corpus eius in terra inuenitur,nec assumptio eius in carne, vt in apocrypha legitur, in catholica reperitur historia. Quibus dicendum est, quia si Mosi corpus non inuenitur ab homine in terris, cum quo locutus est Deus facie ad faciem, illius quærere dementiæ est, per quam idem maiestatis Deus incarnatus effulsit in terris.Sunt quidem qui per passionem assumptam arbitrentur.Sed nec inuenitur apud Latinos aliquis tractatorum de eius morte quippiam dixisse aperte. Et quid de aliis loquor, cùm nec ipse, qui hanc accepit ante crucem Domini in suam,id est,Ioannes Euangelista,de hoc posteris aliquid retinendum scriptis mandauerit? Nullus enim hoc fideliùs narrare potuit,si illud Deus manifestare voluisset, quã ille vtique,qui hanc nutriendam suscepit, nec contra morem filius matrem reliquit.Restat ergo, vt homo mendaciter nõ fingat apertum,quod Deus voluit manere occultum. Vera autem de assumptione sententia hæc esse probatur,vt secundum Apostolum,siue in corpore,siue extra corpus ignorantes,assumptam super angelos eam esse credamus. Hæc ille. Atq; hoc modo de hac festiuitate prædicãs, quid nobis hodie cogitandũ,dicendũ,faciendũq; sit abũdè docuit. Proinde ipsa hæc verba pœnitiùs aliquãtò indagare operepretiũ arbitror.imò iis immorari libet. Neq; enim oberit quicquam videre qua ratiõe veteres hac celebritate vsi sint. Atq; vtinã veterũ vestigiis insistere possemus.Nõ em̃ sine causa subin de cũ Hieremia moneo antiquã vt qramus semitã.Nunquã enim cõueniemus,nisi sepositis mũdi huius desideriis,veteres,nobis quid dicendũ,credendum,quaque ratione viuendum sit,loqui permittamus. Agitè ergo,vt æquum iudico,

Cant.2.

2.Cor.12.

Hier.6.

Augu

Augustinum loquentem audiamus. Primò enim ipsius verbis, non nouum huius festiuitatis figmentum esse intelligimus, vtquæ ipsius etiam tẽporibus frequentata est, ipséque apertè testatur, nõ in vna aliqua ditione aut ciuitate, sed per totam Ecclesiam vsu receptam fuisse. Iam vero & illud non ignoramus, Augustinum vbicúnque Ecclesiæ mentionẽ facit, non de priuatis aut clandestinis conciliabulis, sed de catholica, per totum orbem diffusa loqui Ecclesia. Præterea plures huic rei dies requirũtur, vt in consuetudinem abeat, sit enim vno aliquo in loco sine mora, vsu recipiatur, tamen hunc vsum in omnes mũdi partes peruulgari, atq; ab omnibus recipi, plus moræ postulatur. Si ergo ipsis Augustini tẽporibus hęc festiuitas in vsu fuit, si in vniuersa Ecclesia celebrata tum fuit, vtique & ante Augustini tempora fuit. Sed ab Augustino vsque ad Christum supra quadringentos annos reciproco gradu non numeramus: vnde hanc festiuitatem aut ipsis Apostolorum temporibus, aut non multo tempore postea, natã fuisse manifestè colligitur. Atque hîc quisque secum cogitet, quomodo excusetur, quosdam priuatos propria peruicacia ac vi hanc tot seculis receptam, atq; huc ad nos deductam festiuitatem ridere, calumniari, abrogare, atque nihil pendere: quàm nos deceat, istis, quàm catholicæ Ecclesiæ, in qua nati sumus atq; educati, magis obedire. Et hoc primum. Deinde & illud videmus, quanta antiquitus in Ecclesia de mortibus atque emigratione credentium credita, dicta atque cõscripta sint. Augustinus, vti audiuistis, Mariam in cœlis esse, nihil dubitat, nõ autem hic solus: nam si veteres cùm historias tum Ecclesiæ doctores perlegere libet, hanc fidem ab ipso statim Ecclesiæ exordio viguisse inueniemus: nempe, credentes non mori, sed transire à morte in vitam. Id quod exemplis ostendam. Cyprianus martyr ad Cornelium, qui & ipse martyr fuit, inter alia, in hæc verba scribit. Memores, inquit, nostri inuicem simus concordes atque vnanimes, vtrobique pro nobis semper oremus, pressuras & angustias mutua charitate releuemus. Et si quis nostrûm prior diuinæ dignationis celebritate præcesserit, perseueret apud Deum nostra dilectio, pro fratribus & sororibus nostris apud misericordiam Patris non cesset oratio. Ecce martyris constantiam, consolatur sese, atque vt viuus, sic mortuus diligere vult credentes, próque ipsis orare, idémque dilectionis fraternæ officium à Cornelio suo postulat.

Cyprianus Epistol. 1. li. 3.

Sed &

Sed & Eusebius aliud huius rei exemplum adferens, Potamienam, cùm ad supplicium innocens raperetur, Basilidi carnifici pro sua sibi exhibita humanitate, apud Dominum suum remunerationem promittentem describit. Sunt id genus innumera, quæ quàm honorificæ diuorum mortes siue emigrationes fuerint veteribus, apertè satis ostendunt: qui indubitatò & crediderunt & docuerunt esse eos atque viuere apud Deum, próque nobis orare. Id quod inde etiam liquet, quod in diuorum exitu nulla mœroris, at multa lætitiæ signa præbuêre, eorúmque mortes nisi Natales aut Natalitia non appellarunt, nimirum quod tum demum per mortem ad veram vitam nati essent. Huic ergo conferamus, quomodo plurimi nostro hoc seculo, tam ridiculè, tam contumelioſè, nonnunquam cum quadam etiam blasphemia de Sanctis ganniant, tùm verò & nomen Sanctorum ipsis inuideant: scilicet dormire & mortuos esse, nihil resci re, nihil posse coguntur, cùm tamen videant, nec ignorent Scripturam sacram vbique de eorum obitu quàm honorificentissimè loqui. Dauid enim testatur, Quia pretiosa in cõspectu Domini sit mors Sanctorum eius. Et Sapiens, Iustorum animæ in manu Dei sunt, inquit. Christus ipse Abraham, Isaac, Iacob in mortuorum librum non ascribit. Et Paulus habere nos in cœlis domum ædificationis commemorat. Tùm etiam vbicúnque Scriptura Diuorum mentionem facit, mortis vocabulum euitare solet, pro quo aliud quiddam ponit: vt, Appositus est ad patres suos, Obdormiuit in Domino, & id genus alia, sic vbique honorificè de Diuis Scriptura loquitur. Et cui in hac controuersia adhibenda est fides? Communíue vniuersalis Ecclesiæ consensui, an verò aliquorum erroneorum opinioni? Superioribus diebus docui quid causæ diuum Augustinum mouerit, vt catholicæ Ecclesiæ, quàm Donatistis magis assentiret. Si quis verè Christianus est, haud dubiè in hoc diuum Augustinum, imò ipsam catholicam Ecclesiam sequetur, sítq; hoc secundum. Iam tertiò & illud in Augustini verbis consideramus, qui se patres nostri in Diuorum celebritatibus gesserint. Et in hoc quidem loco ad laudes Deo dicendas hortatur, alibi etiam eum in spiritus feruorem rapitur, vt ipsis colloquatur, necessitatémque suam aperiat, hauc secus atque coràm astantes videret alibi, vt cùm Psalmos explicat, Diuorum memorias veneratur: alibi etiã ad pietatem inflammat, Hoc quon-

Eusebius.

2. Cor. 5.

dam

dam piorum in Diuorum ſolemniis exercitium erat: atque etiamnum genuinus eiuſmodi vſus eſſet. Hinc emendatio ſperari, hinc collapſæ Eccleſiæ inſtauratio atque conſeruatio ſperari poſſet. Sed quis omnium hæc cogitat? quis imitando ſequitur? De nobis, qui hîc præſentes ſumus loquor: quid enim mihi de iis qui foris ſunt, nec audiunt? Atqui perbellè feſta noſtra celebrare nobis videmur: & quid noſtrum celebrare, niſi externa quædam ſuperſtitio eſt? non dico in foro, cœnopolio: ſed illic vbi rectiùs decuit. In Eccleſia, inquam, vbi hi feſti dies peraguntur, pauci illic, qui ex Diuorum memoriis fidem ſuam confirment, pauciores verò, qui vitam ſuam diuorum ad exempla inſtituant, tãtùm neceſsitate compulſi, eorum aliquando recordamur, cúmque ipſis eſſe deſideramus: nempe, quẽadmodum Balaan olim ſummè quidem Iſraelem deprædicabat: ipſe tamen in impietate ſua perſeuerabat, mori ſanctorum more deſiderabat, ſed viuere eorum exemplo nolebat. Longè ſecus patres noſtri fecêre: vt hîc in Auguſtino videre eſt. Etenim Diuorum exẽplis memoriáq; ad laudes Dei, ad confirmationem fidei ad orationem, & vt ad maiorem vitæ pietatem impellerentur, vſi ſunt. Ea conſuetudo vbi non obſeruatur, ſanè Chriſtianè non agitur. Atque hoc tertium eſt. Quartò denique hîc mihi Auguſtini in dicẽdo vide prudentiam. Quæ Deus occulta eſſe voluit, rimari non vult. Verùm omnes, ne id tentet quis, præmonet. Idem diuus Hieronymus in huius celebritatis ſermone facit. Et quid ſanctos hos viros mouit, tanto timore tantóque iudicio diuina tractarent? quia ſcriptum legerant, Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus ſueris: quoniam qui ſcrutator eſt maieſtatis, opprimetur à gloria. Sed, quàm diuersè agimus nos? nihil tam abſconſum, quod non conemur indagare, nihil tam ſummum, quod non ſcrutemur: quóque ſublimior res eſt, eò magis iudicamus friuolè. Et quam ex hoc labore mercedem reportamus? nempe vt ſæpe media in luce Andabatarum more palpitemus manibus, nec conſideremus: conſiderant alij, rectiúſque intelligent & iudicabunt poſteri. Cum timore & reuerenter in diuinis agere, Chriſtianorum eſt, & quidem Auguſtinus is fuit, cuius ſimilem Eccleſia nõ habuit: neque tamen ſibi fidit, quin & antequam ex hac vita excederet, quæcúnque ſcripſerat, rurſus perluſtrat, ac ſicubi plus minúſue poſuiſſet, corrigit: atque hi veri Eccleſiæ fuêre doctores.

Num. 23.

ctores. Et hoc quartum. Quintò & illud maximè considerandum est, quòd Augustinus certam assumptionis Virginis matris nullam conscriptam historiam esse ait, attamen constantem omnibúsque probatam sententiam esse refert, quòd super omnes Angelos assumpta sit, eiúsque rationem tradit alibi, vbi etiam illos tangit, qui palàm condemnant quicquid in Scripturis clarè non legimus. Duo ergo Augustinus hodie nobis cogitanda tradit, vtrumque ex Scripturis: alterum quidem Virginis, alterum verò est Christi persona. Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria assumpsisti me. his verbis Virgini loqui licuit. Tum verò si vlli vnquam hominum diuina pietas loquuta est, Surge proxima mea, &c. certè huic loquuta est. Verùm hic quisque secum reputet, quæ sit gratiæ magnitudo, vbi Deus ipse manum tenet, suscipit, atque deducit. Quæ sit lætitia cogitate, vbi Deus in morte hominis animæ loquitur, Veni amica mea, veni dilecta mea. Hæc meditare hodie, & erit quo tota hac die & occupari & recreari possis. Quòd si quis Ecclesiæ cantiones inspicere velit, inueniet potissimùm in hæc duo contemplationes suas direxisse Patres. Ecce autem num paucis his verbis Augustinus quæ dignè hic meditari possint, non ostenderit, atque olim quoque, fratres, prædicatores fuerunt: quòd si minus sua, vt nunc fit, iactitarunt, eò sanè fideliores æstimandi sunt. Atque hæc de Augustino, déque hoc festo sint dicta: cum Euangelio concludendum est. Illud enim quibus modis vtendum sit omnibus illis, docet. Læta quidem atque magnifica sunt, quæ cùm Augustinus, tum Ecclesia de Mariæ assumptione personant: sed quid hæc sonare solùm prodest, Assumpta est Maria in cœlum: cùm tamen ipsi mentibus defixi in terris maneamus? quid est, Angelos illius causa gaudere, cùm nostrorum peccatorum causa adhuc tristentur? quid est, omnes pios laudare Dominum, nisi ipsi quoque idem præstiterimus, atque ita, vt per nos nomen Dei blasphematur, viuimus? Perappositè ergo in hanc festiuitatem hæc Euangelica lectio ordinata est, in qua principium, medium atque finis salutis proponitur. Suscipere Dominum ipsi ministrare, tandémque in ipso quiescere, hæc via, hi nostræ salutis gradus sunt. Sic Maria ascendit. Suscepit Christum, ministrauit Christo, ideóque nunc requiescit in Psal. 72.

Chri

Christo. Si postremum cupis, à primo incipe. Id vt possimus, gratia Dei præstet, Amen.

SERMO TERTIVS TEMpore belli, Anno 1546.

SOlennis isthæc festiuitas, vt nunc sunt tempora, prouerbij quo non modò Philosophi, sed ipsa etiam Scriptura
Eccles.22 vtitur, me admonet: Musica in luctu, importuna narratio. Neq; enim solẽnis festiuitas, ac mœsta tẽpora bene conueniunt. Non conueniunt in templis Gaudeamus, & foris in plateis classicũ canere simul. difficilimè sanè simul eodẽq; tempore canimus atque ploramus. Tum etiam longè diuersissimos affectus generat, beatorum gaudij, & perditorum damnationis consideratio. At nobis hac ipsa die cõtraria hæc simul obueniunt. In tẽplis enim hodie merum vbiq; gaudium, foris autem calamitosa & periculosa sunt omnia. Si quis enim quid sibi præsens festiuitas velit, non obiter, sed diligenter inspexerit, haud dubiè Gaudeamus in mente secum cantabit, hoc est, mentis ac conscientiæ suæ gaudium
Ioan.3. atque consolationem persentiet. Atque hæc instituti huius causa est. Hîc enim non modò Christum, tanquam, præpotentem Deum, & qui de cœlo descẽdit, antè ad cœlos ascendisse videmus, verùm etiam nobis, qui in Christum credi-
Luc.12. mus, ipsos cœlos apertos esse, & impletum esse, atq; etiam-
Luc.22. num impleri intelligimus quod dixit atque promisit. No-
Ioan.12. li timere pusillus grex: placuit enim patri vestro, dare vo-
Ioan.17. bis regnum. &, Ego disponam vobis regnum, sicut dispo-
2.Cor.5. suit mihi pater. &, Accipiã vos ad meipsum. &, Pater volo vt vbi sum ego, & ipsi sint, quos dedisti mihi. Et Paulus. Scimus, quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis
Philip.3. dissoluatur, quòd ędificationem ex Deo habeamus, domum
Ephe.2. non manufactã, sed æternam in cœlis. &, Nostra autẽ cõuersatio est in cœlis, vnde etiam Saluatorẽ expectamus Dominum nostrum Iesum Christum. &, Iam non estis hospites & aduenæ, sed estis ciues Sanctorũ, & domestici Dei. An non hæc pio magna lætitiæ causa sunt? maximè si quã post Adæ lapsum, lõgo tẽpore cœlum clausum, cõtrà infernus latissimè hominibus patuerit, secũ cogitauerit? Si quòd non mo-
Isa.5. dò Deus Cherubin flammeúmque gladium ante Paradisum ordinauerit, verùm etiam quòd ipse Diabolus, qua po-

tuit

tuit vi, manibus pedibúsq; obstiterit, ne quis cœlũ, ex quo ipse ceciderat, ascenderet: quemádmodum Amalec olim obsepandis viis incumbebat, ne in promissam intraret Israel terram secum perpenderit? Hæc, inquam, quisquis secum cogitauerit, multa lętitia, Gaudeamus hodie canet. Deo gratia, inquit Apostolus, qui dedit nobis victoriam per Dominum Iesum Christum. Quam victoriam? quòd liberè liceat dicere, Vbi est mors stimulus tuus? Et Moses quidem fugauit Amalec, ne Israelem ab introitu Palestinæ impediret. Christus verò sua passione effecit, vt nobis cœlum apertum sit. Serò quidem, nisi Moses orasset, Iosue Amalec fugasset. ait enim Scriptura, cùm Moses eleuaret manus ad orationem vincebat Israel. Quo ostendit, Mosen oratione sua plus effecisse, quàm Iosue cum omnis populi multitudine. Quòd si non Christus è cœlo descendisset, próque nobis passus fuisset, nemo nostrûm vel hodie cœlos ascẽdere posset. Christi ascensio causa est assumptionis Mariæ. Illud nisi præcessisset, hæc festiuitas nunquam sequuta fuisset. Nunc autem, quemadmodum indubitata fide confitemur Christũ in humana forma ascendisse, ita quoque certò dicere possumus, Scimus quoniam si terrestris hæc domus nostra huius habitationis dissoluatur, & ædificationẽ ex Deo habeamus, domum non manufactam, sed æternam in cœlis. Ecce tibi hodiernum nostrum Gaudeamus. Hac ratione solennem Diuæ virginis matris assumptionis diem peragimus. Ideò considerandum nobis proponitur, quòd summa cum exultatione beata virgo Christi mater hûc mundum linquens in cœlos assumpta sit, vt & ipsi eò perueniendi spem concipiamus, atque in illius vnguenti odore viam mandatorum Dei curramus. Hæc causa hodiernæ festiuitatis est, atq; lætitiæ. Atque hîc latissimus isthæc ornandi campus patet, vt fiat omnium commune gaudium, ex communi consolatione, vtq; hac tota die nihil nisi merum gaudium, in omnibus audiatur atque consideretur. Sed (dolor) hoc anno id non licet, tantúmque intra templi parietes restat Gaudeamus: foris: vbique antè atque à tergo, imò & intra nos, nil nisi classicum audimus: itavt non iniquè liceat dicere quod olim Israel in Babylone, Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? Et cum Ieremia, Veni finis gaudij nostri: Væ nobis, quia peccauimus. Et quid ergo prædicandum mihi hodie est? Si de festo loquar, Musica in

1. Cor. 15.

2. Cor. 5.

Psal. 136.

luctu, at taceam? sed nec hoc licet. Debuit quidem Euangelium nostra esse prædicatio: sed & ipsum in lamentationem versum est, & Væ. Quemadmodum etiam Ezechieli quondam liber, in quo nihil præter lamentationem & Væ scriptum erat, non modò videndus legendúsque offertur, verumetiam comedendus traditur, vt ea de re postea maiore cum seueritate posset prædicare. Quod ad me, sanè dicere libet, Tædet animam meam vitæ, ac sine spiritu vitæ esse me velim. Eiusmodi enim in me deuolutum est tempus, quo non licet Euangelizare. Væ omnibus, quorũ causa festorum nostrorum lætitia, in luctum atque mœrorem versa est. Væ, qui vtrinque ad tanti belli immanitatem concitarunt. Væ, qui suæ auaritiæ causa pacis concordiæque media impediuerunt. Misereor super turbam. Neque enim hoc verbũ sensus meos, quos totos occúpauit, vult relinquere. Miseret me ab vtraq; parte populi. In eos enim summa calamitatis recidit. Neq; verò dubiũ est, quin vtrinq; multi pij sint, quorũ nemo miseretur. Sanè olim in Romanis erãt, qui sese deuouere, ínq; mortem tradere, pro populi patriæq; salute nõ dubitarint, sic ambo Decij, sic Curtius, sic aliquãdo Moses, nostérq; Paulus. Imò sic Christus fecit, vt nos ab æterna morte eriperet, sese suáq; spõte in mortem tradidit. Sed quis nunc isthæc exempla cogitat, vbi Euangeliũ pacis? vbi charitas nostra, quã tantopere Christus suadet? sed quis locus querelæ accepto damno? Vtinam prudentiores fuissemus, & consequentia præuidissemus. Atque hæc ideò dico, quod nec ipse satis sciam, in quem scopum hic mihi instituendus sit sermo. Decet quidem festiuitatem hanc suus peculiaris sermo, ísque iucundus, sed temporum horum isthoc non permittit calamitas. Quod igitur eligam nescio, at vtrunque simul coniungam, vtrunque enim nostris commodis seruiet, cùm alterum huius vitæ pariet nauseam, alterum futuræ incendet desiderium. Tum sanè perappositè Euangelium, qua ab hac in alteram transeundum est vitam, ostendit viam. Agè igitur, de hac re pauca audiamus. Principiò igitur, quando demeritam peccatorum nostrorum pœnam iusto Dei iudicio nobis imminere videmus, nec fieri potest, vt non expectemus, ex bellis calamitatibúsque, quas ob oculos positas vndique cernimus, famem atque inediam: necessarium omnino est, vt qua via hanc cladem in spirituale animæ lucrum con-

Tob. 10.2.

Marc. 8.

uertam

uertamus, ſolicitè conſideremus, ne ſimul & corpus, & res, atque anima perdantur. Si corporis facultatiſque noſtræ direptioni obſiſtere non poſſumus: animam tamen vt conſeruemus, danda eſt opera, & hanc ſanè qui ſeruat, cæteris amiſsis, exiguum damnum ſuſtinuit. Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere. *Matth.10.* Etenim præſens tribulatio ſpirituali animæ vtilitati commodabit: nimirum quum hac ratione huius vitæ nauſeam concepimus, vt tædeat vitæ, aut certè nullo illius tangamur deſiderio. Hoc initium eſt, in quo ſi acquieuerimus, facilè ad altiora inducemur. Sed hîc maximè remoramur, hoc in cœno hæremus, vnde difficilimè nos explicamus, ſcilicet mundi ac vitæ huius, & quicquid eius eſt, deſiderium atque amor limus ſunt mordicus ſeruans. Quandiu autem terrenarum & præſentium amore intrincati ſumus, nullo cœleſtium deſiderio tangimur, nec quicquam iis quæ vel audimus, vel ipſi legimus, afficimur. Contrà verò, quid ſub ſole, huius nos vitæ maiorem nauſeam parit, atque tribulatio? Quæ niſi ita præſto ſit, vt cùm videri, tum ſentiri poſsit. nemo mortem appetit, neminem huius vitæ tædet: cùm tamen & aliis quibuſdam veluti mediis, vt tædium atque nauſeam hanc nobis ingerat, Deus vtitur, Offert nobis Euangelium vitæ æternæ, vbi plena ſecuritas, omnium bonorum abundantia, non dolor, non lacrymæ, non vlla triſtitia eſt, hanc nobis paratam eſſe, regnúque cœlorum noſtram eſſe poſſeſsionem affirmat. Quæ omninò eiuſcemodi ſunt, vt meritò nobis huius vitæ tædium pariant. Verùm, cui iſthæc cordi ſunt? nemini. At bello, peſtilentia, fame, preſſura ingraueſcentibus, cùm vndequàque impetimur, aliis deuorantibus, quæ nos in ſudore vultus noſtri collegimus, ſemel vnóq; impetu eliminantibus, quæ nos multis annis congeſsimus, deniq; nos, vxorem atq, liberos noſtros calumniantibus, corpus trucidantibus: tum demum his vocibus prorumpimus. Vtinam mors nos abſorberet. O fœlices mortuos, qui his exempti ſunt malis, hæccine ſpes noſtra huius vitæ eſt? Mirum ſanè in modum miſerabilis lamentatio, vbi eiuſcemodi voces audiuntur, adhuc miſerabilius quid eſt, cùm has voces audire in aliis, tum cauſam eiulatus huius experiri in ſe ipſo. Verùm hæc ipſa tamen magnum æternæ momentum adferunt vitæ, æquum ſi adhibueris iudicium. Nam

que hac vna causa sæpe Deus immittit plagas, sine quibus alioqui, vt dictum est, perpetuò adhæresceremus his momentaneis. Et huius quidem non pauca exempla Scriptura tradit. Clamauerunt ad Dominum, cùm tribularentur, inquit Dauid, & de necessitatibus eorum eripuit eos. *Psal.106.* & , In tempore tribulationis suæ clamauerunt ad te, & tu *Nehe.9.* de cœlo audisti. Ecce hoc modo periculosa hæc tempora nobis ad spernandam hanc vitam adminiculantur: sed non hoc plenè sufficit. Nam & eum, qui desperans sibiipsi cruentas manus infert, huius vitæ tædet, & quæ hic geruntur, non sine nausea videt, sed non hæc illi ad fœlicitatem quicquam prodest nausea. Propterea mox vbi huius vitæ tædium nos inuadit, ad futuræ & immortalis vitæ considerationem mens erigenda est. Sic Paulus faciebat, cùm diceret, Cupio dissolui & esse cum Christo. Ni- *Phil.1.* mirum nullo se huius vitæ desiderio teneri ostendit: attamen mox addit, Et esse cum Christo, quo alterius vitæ desiderium suum manifestat. Sic Elias animæ suæ petiuit, vt moreretur, sed addit, Domine, tolle animam meam. *3.Reg.19.* Atque hic iustus ordo est, quando beatitudinis futuræ in nobis desiderium eò plus augetur ac crescit, quò magis huius vitæ amor decrescit. Huc ergo hæc festiuitas vehementer commodat. Et ipsa quidem natura docet, eos qui paupertate præmuntur, aliorum copiis visis, eandem sperare & appetere fortunam. An non autem pauperiem patimur nos? Rursus, An non in Maria, quæ cœlos habitantium beatitudo sit, consideramus? nunquid non ergo eius in nobis desiderium crescceret, scientes, quia vnius tantùm alicuius hominis causa cœlum factũ est? Venite ad me om- *Matth.11.* nes, Christus ait, qui laboratis & onerati estis: ego reficiam vos. Et qua ratione conueniẽtiore in nostram vtilitatẽ conuertere possemus festiuitatem hanc, nisi vt Mariæ exemplo in boni vnguẽti odore curramus: & vana falsáque esse omnia, in quibus in mundo speramus, agnoscentes, alacriùs & attentiùs æternum permansuram patriam consideremus? Huc ergo Iosue vocem, qua Iordanẽ transiturum populum alloquitur, adducere possem. Quadraginta annis per deserti inuia huc, illuc, incertis sedibus circunacti fuerant: semper tamen consolabantur promissione terræ, quã daturus esset Deus, terre, inquã, omnium bonorum copiis abundantis, lacte & melle fluentis: vnde summo eos terræ huius promissiæ

desi-

desiderio tentos fuisse, nemo rectè dubitat. at vbique impedimenta remorabantur eos, imò ipsi impedimenta struebant. Tandem etiam iam proximi facti, Iordane obstante, ab eius introitu prohibebantur, nullum remigij genus, non pontes aderant, nec quisquam sese flumini audebat cõmittere, tum nec circumire per ambitum poterant. Et quid hic Iosue? Dei mandato sacerdotibus arcam tollere, & per Iordanem præcedere populum iubet. Tũ per præcones ædicit, Quando videritis arcam fœderis Domini Dei vestri & sacerdotes stirpis Leuiticæ portantes eam, vos quoque consurgite, & sequimini præcedentes. Hac via populus per Iordanem terram illam introiit, videtes nimirum aquam ante arcam diuidi, & sacerdotes siccis pedibus transire, confidentioribus animis sequebantur, nec frustrabantur: stetit vnda, quousq; omnes transiissent. Idẽ nobis obtingit, qui cœlestis patriæ viam incedimus, diu multúmq; pauperiẽ huius viæ perpessis, summè cœlestem patriam desiderantibus, Iordanis, id est, mors, profundus ac torrens fluuius, qui multos suffocat, viam obstipat. hunc propria virtute nemo pertransire potest. Verùm arcam Domini, quæ Dei filium portauit atq; genuit, hodie sine mora præcedentem, videntes confidentiùs sequi audebimus, eóque, quo illa præcessit nos, pertingere, sperare possumus, atq; cũ Dauid dicere, Virga tua & baculus tuus, ipsa me consolata sunt. Igitur si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Ecce hic salutis nostræ secundus gradus est, & huius nos ipsa festiuitas admonet. Quòd si quem, nec temporum horum periculis cõsideratis, huius vitæ tæduerit, nec festiuitatis huius meditatione immortalitatis futuræ desiderium affecerit: hîc qua via duci possit, nõ video. Sed inquis, Nunquid satis est huius vitæ tædere, & futuram desiderare? minimè. Via quæ nos eò ducat, quærenda est, & quo indice hanc certiùs cognoscemus, quàm duarũ in hoc Euangelio sororum? quarum altera Christo externè seruiit, altera verbo Dei occupatur. Ha, si hæc via, inquis, salua res est. Neque enim, quod ad externa officia attinet, quicquàm Marthæ concedimus, nec minus atque illa impensè cantando, legendo, orando, ieiunando, pulsando, & si quid præterea ad eum cultum pertinet, obsequia præstamus. Tum nec minus quàm Maria verbo Dei afficimur: non enim satis nobis est audire, legere, canere & prædicare illud, sed

Iosue 3.

Psal. 22.

& in parietes depingimus, in manicas tela textas circumferimus, & gladio ipsum propugnare parati sumus. Rectè quidem, mi frater, cum Martha Christo inseruis, cum Maria verbo Christi delectaris: sed caue hypocrisis sit ista pietas, fieri enim potest, vt qui Marthæ imitationem fingis, superstitione hypocrisi nō vaces. Sic verisimile est, multā pietatem cum Maria circa Euangelium externè ostendere, intus tamen ab omni pietate longissimū esse. Et quid Christus externum apparatum curaret, qui non ex intimo affectu procedit? Quid me, inquit ille, vocatis Domine Domine, & non facitis quæ dico? Et in Ioannis Apocalypsi, Scio opera tua, quia neque frigidus es neque calidus, vtinam frigidus esses aut calidus: sed quia tepidus es & nec frigidus, nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo. Sic & per Isa iam quondam dixit, Populus iste ore suo appropinquat, & labiis suis glorificat me, cor autem eius longè est à me. Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum. Si steterit Moses & Samuel coram me, non erit anima mea cum populo ad populum istum? Et qui sic: scire vias meas volunt quasi gens, quæ iustitiam fecerit, filij mei dici gaudent, & in omnibus tamen mihi contrarij viuunt: cùm iurant, Viuit dominus, falsò iurant. Propterea non est mihi voluntas ad populum istum. Vbi nulla voluntas Deo est, ibi nec habitat: vbi, non habitat, quid boni sperari potest? imo verò quod mali genus expectari nō potest? Et quid, fratres, cogitare vel possumus vel debemus, tot mala præsentia videntes, plura etiam atque magis horrida expectantes, nisi quòd nulla Deo voluntas in nobis sit, imò nauseat ipsum super nos, nec id immeritó. Vide enim qua ratione cultū Dei peragamus, de quo tamen nostra parte vehementer gloriamur, & sanè præter externū fucum nihil videbis. Externos quidē ritus Deo peragimus, intus Diabolo mēte, ore, atque manu seruimus. Verbum & Euāgelium ore pleno sonamus, contrarium factis exprimimus. Et quid Christo in ea domo negotij est, vbi nec Maria, nec Martha suum satis faciunt officium: quæ ipsi voluntas erit in populo, in quo nec verum cultum, nec genuinum sui amorem inuenit, Sed hic cardo rei versatur: Si pacem atque requiem volumus, Christum domus nostræ inhabitatorem habeamus necesse est, sine illo enim, nec pax nec optata expectatur requies. Si Christus nobiscum manebit, quod Euangelium loquitur,

Apoc. 3. *Isa. 29.* *Iere. 16.* *Luc. 10.*

fieri

fieri neceſſum eſt, Martha ſolicita es & turbaris erga plurima: hoc eſt, ſic tractandus eſt, Euangelij verbi Dei ſermo, vt non in forma, ſed verè & ex animo cuncta procedant. Id ſi fieri debet, quicquid verbo ac cultui Dei aduerſatur, deponendum eſt. Id verò vna præſtat Pœnitentia, hoc eſt Lazarus, qui & ipſe in hanc domum accerſendus eſt, ipſe, inquã, ad trium ſororum ſortem pertinet. Atque hæc demum pulchra domus diſpoſitio eſt, vbi Lazarus, hoc eſt, pœnitentia mundat. Martha, hoc eſt, cultus Dei, ornat domum: Maria verò ſeſe in Chriſto eiúſq; verbo recreat. Quia verò (vt nũc noſtri mores ſunt) hac parte vehementer deficimus, vt Martha noſtra atque Maria, hoc eſt, cultus verbíq; Dei iactantia, plus externæ apparentiæ, quàm internæ veritatis habuerit, in Lazaro rurſus incipiendum eſt. Conuertatur impius ab via ſua, & miſerebitur noſtri Deus. Diuertat à malo, & faciat bonum, & veniat, & arguat ipſum. Bonas & rectas facite ſemitas veſtras, & inhabitabo in vobis. Hęc Deus illis loquitur, qui quidem diſcipuli eſſe eius volunt, quæ tamen diſcipulorum ſunt, facere nolunt. Agitè ergo diligentiùs in poſterum nobis caueamus. adhuc enim nobis iſthæc dicuntur: adhuc vt emẽdati ſequamur tempus eſt. Id vt faciamus Dei in nobis gratia præſtet, Amen. Ezech. 3.

SERMO QVARTVS, QVANDO hæc ſolennitas in ſecundam feriam poſt Dominicam Trinit. decimam incidit.

COnuenientius huius ſermonis exordium video nullum, præter heſterni ſermonis repetitionem. Neque enim dubito, quin hanc feſtiuitatem non modò minus contemptui habituri aut aſpernaturi, verùm etiam rectiùs in noſtram vtilitatem conuerſuri, Tum etiã melius cum Maria in eius aſſumptione lætantes gratulaturi, ſed & maiore deſiderio poſt ipſam mente atque prece aſcenſuri ſimus. Certè tum demum quæuis res rectiùs cognoſcitur atque æſtimatur, laudatur aut vituperatur, ſuſcipitur aut refutatur, quado oppoſitum ipſius è regione iuxtà ponitur. Quid autem diſſimilius huius temporis via atque illa, quam electi apud Deum conſequuti ſunt, vita? Perſcrutare, ac labora noſſe, quæ huius vitæ ſit conditio, & proculdubio futura illa vita magis arridebit, huius ſæpius recordaberis, ipſam

vehementiùs appetes, felices omnes quicúnque eam consequuti sint, prædicatis. Iam verò hesterno sermone non vnum aliquem, sed plures locos audiuimus, qui omnes maximè huius viæ miserias indicant. In ipso enim Euangelio Iudeis Christus futuram ipsorum cladem denuntiat, simúlque cum ipsius illacrymatur, ipsóque deflet: in Epistola verò Paulus, quæ nostra fuerit cæcitas, in æternum ingenti nostro malo duratura, nisi Deus pater, nostri esset misertus. Psal. 66. Sed & in Psalmo quem manè pro concione explico, Dauid ardentissimis votis precatur, vt Deus nostri misereatur, atque benedicat nobis. Denique in Regum nostra historia, pius ille Iosaphat hostium vi ita vrgetur, vt omnis Israel, iuuenes & senes, vtriusque sexus, ieiuniis atque obsecrationibus Dei auxilia postulare cogantur. Atque de his quidem omnibus heri dictum est. Quis autem tam simplex, qui ex his scriptis, historiis, atque orationibus miseriã vitæ huius non videat? & quid in nobis aliud experimur, nisi hæc ipsa quorum illa scripta meminerunt? Nunc in tenebris reptamus, nunc in peccata labimur, nũc hîc agrauamur, illic angustamur, hîc damno afficimur, illic planè perimũr. Et quid multis? nihil in hac vita, præter laborem, exilium, angustias, miserias, pauperiem & inopiam, infirmitates atque pericula, peccatum, onus grauissimum, tandémque etiam in fine mortem videmus atque experimur. Hæc vitæ huius nostra conditio. Hæc meditare, & haud dubiè lætitia afficieris, vbi Mariam hinc in cœlum assumptam esse intelexeris hodie, lætitia plenus dices cũ Ecclesia, Beata quæ credidisti: exclamabis deinde, Trahe me post te, O Maria illic nos attrahe, vbi tu cum filio tuo habitas. Sed & tempestiuiùs viam cœli inies, sempérque te alacriorem in ea conspicuum offeres. Et hæc sunt quæ præsens à nobis exigit solennitas. Hîc in terris atque exilio, patriæ nostræ præconia audire, ingentis nobis causa lætitiæ esse debuit. Peculiaris cuiusdam consolationis energiam habere in mentibus nostris decet, quòd non modò Christus cœlos ascendit, verùm etiam quòd Maria assumpta est, & quòd non solùm caput nostrum cælos habitat, sed & membra ipsius quotidie sequantur illuc, freti promissione dicentis, Vbi ego Ioan. 17. sum, illic & minister meus erit. Hæc, inquam, peculiaris quædam consolatio atque spes nostra esse debuit. Sed & admonere nos debuit, vt eò ardentiùs preces nostras sursum

sum dirigamus: denique etiam calcaria nobis addere, cautiùs & alacriùs viam cœlestis regionis currere. Ecce horum omnium datur occasio, hesternis Euangelio atque Epistola, Psalmo nostro, Regúmque historia, cum hac festiuitate collatis, quæ sanè prudentibus sufficerent, de hac festa die dixisse, sed imprudentium causa porrò nonnihil de vero eius vsu dicere placet. Hoc etiam omnium maximè refert. De gloria enim atque beatitudine virginis, multa dicere ne quimus, vt quæ sensus nostri angustias transcendunt. neque enim auris audiuit. Hîc in inferioribus contenti manebimus, & in paruis per Scripturas apertis, quid nobis commodet, indagabimus. Ac principio quidem nemo miretur, peculiari quadam præ cæteris solennitate hanc festam diem celebrari, & quidem magis esse plorandum videri potest, quòd eiuscemodi personam amiserimus ex hoc incolatu. Verè enim cũctis credentibus magna fiducia illa fuit, dum in his terris vixit. Nam etiamnum quoque Ecclesia de ipsius exultaret atque consolaretur præsentia, si modò nobiscum hîc viueret. fletu igitur quàm festi celebritate magis dignum, hanc non habere corámue audire atque videre, iudicari possit. Sed longè diuersa Ecclesiæ consuetudo est, à mundi huius opinione. mundus illo tempore festos dies agit, quo homines primùm in hunc mundum nati, hanc vitam viuere incipiunt. Ecclesia contrà, missis in cœlum liberis suis, lætatur. Illic enim omnibus malis exuti, in perfecta securitate viuunt: illic Deus omnem lacrymam ab oculis ipsorum abstergit, & mors non erit vltrà, neque luctus, neque clamor, sed nec vllus dolor, quoniam priora transierũt, & noua facta sunt omnia. Hæc propter, Ecclesia lætatur, quando filij eius hanc vitæ fabulam in Domino concludũt, quando quod pro ipsis timeat nihil restat, sciens corpora ipsorum requiescere, animas verò in manu Dei esse, & non tangere illos tormentum malitiæ. & vt vno verbo concludam, tum demum cũ filiis suis Ecclesia gaudet & lætatur, quando eos hinc ex hac calamitate ad cœlestem præmittit patriam. Atque hoc fundamẽtum huius festiuitatis est. iam verò Mariam ex hoc seculo morte solutam esse credimus, secundum naturæ statutum, quo quicquid natum est, mori oportet: ita tamen vt tam non senserit mortis horrorem, quàm in filij sui conceptione Virginitatis non amisit florem. Nec id cuiquam mirandum videatur: qui enim illud Apoc. 12.

potuit, huius quoque potestatem habuit. & qui ita eam in vita honorificauit, vt mater fieret, ac virgo maneret, in morte nulla contumelia affecit, vt vel amaritudinem, vel horrorẽ mortis experiretur, quemadmodum nec in partu communionem muliercularum dolorem sustinuit. Et hoc secundũ.

Ioan. 12. Luc. 23. 2. Cor. 5. Tertiò, Vt certò Christus Apostolis eorúmque successoribus promisit, fore vt vno in loco cum ipso sint, vt etiam latroni in cruce paradisum pollicetur, & Paulus omnes in genere consolatur, quòd si terrena hæc domus nostra huius habitationis dissoluatur, ædificationem ex Deo habeamus, domum non manufactam, sed æternam in cœlis esse dubitare non possumus. Quod enim latroni tam subitò promisit, atque præstitit, sanè matri non denegauit. Et hoc tertiũ. Iam quartò, cûm constat eam ante omnes singularis priuilegio gratiæ dotatam esse, nemo etiam in cœlo apud Christum peculiaribus donis, præ angelis atque hominibus ornatam esse dubitat: imò verò nemo summis honoribus ab cœli ciuibus susceptam esse, quæ tanto affectu cœli terræq; Dominum susceperit, primúmque hospitio dignata sui est corporis, ambigit. Nemo lucere hanc maris stellam, super omnia cœli sydera, quę nobis omnium syderum hominum atque angelorum lumen genuit, hæsitat. Et hoc quartum.

Gene. 3. Quintò, quando hanc solam Deus à generali omnium fœminarum maledictione hoc verbo Dei lata, Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos, &c. liberam siue illæsam præseruauit: credimus nec sine causa, eandem custoditam esse à communi omnium maledicto. quod hac sententia decreuit Deus, in sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec reuertaris in terrã de qua sumptus es: quia puluis es, & in puluerem reuerteris. Certè totum filij honoribus seruit, quicquid honorificentiæ matri detulit, tum diuinæ etiam maiestati conuenientissimum erat, hoc ipsum corpus à corruptione seruaretur liberum, quod filius in peculiare templũ sibi elegerat, atq; sanctificauerat. Ecce, hæc omnia Christianis in hac celebritate meditanda veniũt, præter eã consolationẽ quã in filiorũ suorũ ex hoc mũdo recessu habet Ecclesia. Id quia ita est, certè hodiernũ omniũ nostrum gaudium dignũ iudicamus, maximè quod & nostra cum vtilitate fiat. Sanè omnis Israel redeunti è castris Iudith illæsæ gratulabatur, nẽpe & communẽ omniũ hostẽ truncasset: sed hîc piã

Iudith 13. quàm Iudith. illic Iudæi clamitant, Benedicta es tu filia à Domino

Domino Deo excelso præ omnibus mulieribus super terram: & quanto rectiùs nos dicimus, Benedicta es tu filia quia per te fructum Dei Iesum Christũ, Deum, hominémque suscepimus? Illic dicũt, Tu gloria Ieruſalem, tu lætitia Iſraël, tu honorificentia populi noſtri, quia feciſti viriliter: quantò melius nos, ipſum de Maria prædicamus? Illic etiam hoſti obiiciunt, Iudith filia Merari diſſoluit hoſtem noſtrum: & quantò rectiùs id ipſum diceremus nos? Vbi enim minus effecit, quàm in hac virgine? quis vnquam maiora illi damna intulit? Vtique ipſa eſt mulier, ex qua ſemen ortum eſt, quod caput ſerpentinum conteriturum erat, atque contriuit. Hiſtoria Eſther refert, Iudæos peculiari atq; annua feſtiuitate diẽ, qua à perditione, quam impius Aman parauerat, per Eſther liberati fuerant, celebrauiſſe: & ecce plus quàm Eſther. Illa quidem fontis, qui poſtea flumen factus eſt, ſimilitudinem habuit: vnde etiam generationi iuſtorum gaudium atque exultatio ebulliit. Eſther enim primùm pauperculà, poſtea Regina facta ſuo ſtudio totum populum à clade exemit: & quantò iuſtius hæc noſtra Virgo eiuſmodi fonti comparatur? Nunquid enim paruula illa, cùm diceret, Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ? nunquid ingens flumen, cùm ait, Fecit mihi magna, qui potens eſt, ecce, ex hoc beatam me dicent, omnes generationes? Si ergo illi, quando ex omnibus liberati eſſent, feſtos dies egerunt, cur non & noſtris, nos publica feſtorum lætitia gratularemur, ab omni anxietate exemptis, maximè cùm ſciamus ipſorum liberationem, futuræ noſtræ ſuo tempore libertatis eſſe argumentum? Hic vtrinque conferendum eſt, & quid iuſti hic perferant mali, & quid lætitiæ futura libertate expectent. Quæ duo quis Dauid rectiùs oſtendere poteſt? quid ergo de ſeipſo hic dicat, audi, Sicut ceruus deſiderat ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei. Ecce quæ piorum huius ſeculi exiguitas. & quis hæc ipſa rectiùs Maria dicere potuit? annon ſtatim rerum exordio ipſi oraculo Simeonis vaticinatum erat, animam ipſius gladium penetraturum eſſe? annon hoc ipſum poſtea experta fuit ſub cruce, cùm pateretur Filius? quis dubitat, ſæpè ipſi obiectum fuiſſe, Vbi Deus tuus? & qui illi panes diurni nocti nocturníque eſſe potuerunt, niſi lachrymæ? Tum

Iud. 15.

Iudith 16.

Zach. 2.

Pſal. 14.

etiam

etiam qua ratione consolata est rectiùs, nisi quod dicere potuit maximè verò assumpta, Introibo in locum tabernaculi domus admirabilis: & quare tristis es anima mea? Breuiter, quis dubitat ipsam toto illo post Ascensionem Christi tempore, sic per omnia affectam fuisse, vt verè dicere potuerit, Sicut ceruus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Ecce hæc conditio piorum in hoc mundo omnium assidua tribulatio, multæ lacrymæ, inceſſabilis gemitus in Deum atque beatitudinem. Hæc si quis hominum expertus creditur, Maria certè experta est. Neq; enim non penetrans Simeonis fuit gladius. Quanquam & Dauid
Psal. 39. expertus est satis, aliique pij cum illo plures. Vis iam & hoc scire, quod filiorum Dei piorúmque ex his miseriis liberatorum superſit gaudium, quid idem Dauid alibi dicat, audi: in persona Christi ipsiúsq; membrorum sic loquitur, Expectans expectaui Dominum, & inrendit mihi. Et exaudiuit preces meas, & eduxit me de lacu miseriæ, & de luto fæcis, & statuit supra petram pedes meos, & direxit gressus meos. Iucúdiora hæc verba sunt multò quàm alterius illius Psalmi, ídque non immeritò: illa enim querela siue lamentatio est hominis adhuc in huius vitæ miseriis agentis: hæc verò gratiarum actio canticum atque hymnus, sunt hominis liberati, sed illa præcedere oportuit, hęc vt sequi possint: priùs cum sanctis flendum, sufferendum, gemendúmq; est,
2. Tim. 2. quàm triumphale illud carmen canamus. Si compatimur, inquit Paulus, & cõregnabimus: si socij passionum, erimus & consolationis. Et quæ consolatio ex hac vita emigrantium? audere omnia ea verba loqui, quibus per totum hunc Psalmum Dauid vsus est. Primò, Expectans expectaui Dominum. Et hoc piorum omnium commune est. Expectandum omnino est, qui credit non festinet. Adhuc in fide atq;
Iacobi 5. spe ambulamus, nondum comprehẽdimus quod speramus, sed in patientia expectamus. Agricola expectat pretiosum fructũ terræ: patienter ferens donec accipiat pluuiam tempestiuam & serotinam. Iacob monet, Igitur & vos patientes estote, & confirmate corda vestra: quoniam aduentus Domini appropinquat. Et hoc ipsum est quod Paulus ait, quomodo Deus tentauerit Patres expectatione. Primus Abraham, secundus Isaac, tertius Iacob, quartus Moses, quibus omnibus Deus terrã Chanaan promisit. Et quid Pau-
Heb. 11. lus, Hi inquit, omnes testimonio fidei probati, non acceperunt

runt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid prouidente, vt non sine nobis consummarentur. Odesideriũ sanctæ huius Virginis matris, non modò cum Christo cœlos ascendendi, verumetiam cum ipso in cruce moriendi, sed, Expectans expectaui Dominum, scriptum est. Veruntamen subditur, Et intendit mihi, & exaudiuit preces meas. Et hoc ipsum nos quoque sperare possumus, modò in tribulatione expectauerimus. Quando ergo tempus exauditionis venit, quando Deus vult dare quod dudũ rogatus est, atque exaudijt (citò & statim enim preces piorum exaudit, sed non itacitò præstat: ipse enim nouit tempus oportunum) tùm omnia succedunt, teste Dauid, Eduxit de lacu miseriæ. Et quod huic vitæ conuenientius nomẽ dari potest? verè enim lacus miseriæ est, propter externa: lutum fęcis, propter peccata. In hoc lacu atque luto, omnes immersi sumus, dum hîc reptamus: nemo tam cautus, nemo tam vigilans, qui nõ aut lacum miseriæ, aut in lutum fęcis, id est, peccati labatur. Sed hinc demum discedes pius verè dicere habet, Eduxit me de lacu miseriæ, & de luto fęcis: & quid pręterea? Statuit supra petram pedes meos, & direxit gressus meos. Vt olim immersus in profundo iacebam, sic modò erectus sto altiùs: vt nuper inualidus, ita nunc confisto firmiùs: illic sine fundamẽto vaccillantes tentabam ponere gressus, nunc immobilis pedum meorum fundamentum, petra est. Et quid nisi dicere restat, Immisit in os meum canticum nouum, carmẽ Deo nostro? quid Israel liberatus potuit, nisi cantare? quid aliud pius faciet, à mortis huius corpore, regnóque Satanæ liberatus? Sed longè tamen aliud canticum, quod hîc pij ex vna aliqua tribulatione liberati modulantur, quàm quod illic Sancti ab omnibus securi canunt. Illud enim vetus canticum est, commune in terris, quod & impij sæpe pleno ore personant: hoc verò nouum est, quod nemo, nisi pij norunt, & quomodo piorum hinc emigrantium gaudium aptiùs atque propriùs describi posset, nisi his tribus vocibus, Exaudiuit me, eduxit me, immisit in os meum? Horum nos Virginis nostræ admonet assumptio, & quid hinc colligendum est? quoties Christus in Euangelio regnum cœlorum promisit? quem verò mox facta promissione, in illud locauit? neminem certè. Expectandum est necessariò. Et Petrus quidem citò desiderio illius tangebatur. Domine, inquit, bonum est nos hic esse: si vis, faciamus hîc tria tabernacula, sed *Matth. 17.*

ipse

ipſe de monte deſcendere cogitur. Multi videbunt, & timebunt, & ſperabunt, hoc diſcamus, timere atque ſperare. Atque his Dauid pulcherrimam ſanè vocem ſubdit, quæ noſtrum etiam hunc meritò ſermonem concludit, Beatus vir cuius eſt nomen Domini ſpes eius, & non reſpexit in vanitates & inſanias falſas. Ecce & hoc ipſum eodem in Pſalmo, mox conſequenter Dauid docet, & quid mortalium ſtudia, niſi vanitates & inſaniæ falſæ? Si ergo commodè hanc feſtiuitatem tuis vſibus impendere vis, ſi eò venire, quò hæc Virgo præceſsit, delectat: vide, in Deo vt ſpem tuam ponas, ne in vanitates reſpicias. Qui enim vanitates ſequitur, peribit, qui autem in Domino confidit confirmabitur. In hoc nos gratia Dei adiuuet, Amen.

IN DIE DIVI BARTHOLOMAEI APOSTOLI EVANGELIVM LVCAE XXII.

FActa eſt contentio inter eos, quis eorum videretur eſſe maior. Dixit autem eis, Reges gẽtium dominãtur eorũ, & qui poteſtatẽ habẽt ſuper eos, benefici vocantur. vos autem non ſic: ſed qui maior eſt in vobis, ſit miniſtrator. Nã quis maior eſt, qui recumbit, an qui miniſtrat? nonne qui recũbit? Ego autẽ in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat: vos autẽ eſtis, qui permanſiſtis mecum in tẽtationibus meis. Et ego diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi Pater regnũ, vt edatis & bibatis ſuper menſam meã in regno meo, & ſedeatis ſuper thronos iudicãtes duodecim tribus Iſrael.

EO

EODEM FESTO EPISTOLA,

EPHES. II.

ERgo iam non estis hospites & aduenæ, sed estis ciues sanctorum & domestici Dei: superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu, in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino. In quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu sancto.

SERMO PRIMVS.

APOSTOLO hæc dies sacra est, & omninò eiuscemodi, qui, vt nostis, annumeratus est duodecim. Sanè variis modis hæc nobis festiuitas commodare potest: ídque vt fiat, meritò damus operam, quando tanta vbique de Apostolis Scriptura commemorat, multáque secus eorum quam quorumcúnque aliorum sanctorum meminit. quanquam & aliorum non huius conditionis diuorum honorificam satis mentionem facit: sed peculiare quid Apostolis Scriptura tribuit. Nõ nũc dico, quòd viros eos vocitet Ecclesia: Isti sunt sancti qui pro testimonio Dei sua corpora tradiderunt, & in sanguine agni lauerũt stolas suas. Huius, inquam, nũc mentionem facere malo. Dauid enim adhuc magnificentiùs eos prædicat. Principiò enim cœlos appellat. Cœli, inquit, enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum, & quid honorificentiùs posset iis tribuere? neque tamen hoc facit immeritò: vtique enim Deus in ipsis habitat, in ipsorum verbis auditur, in ipsis per signa lucet, irrorat eos gratia. Deinde etiam Principes eos dicit. Pro Patribus tuis nati sunt tibi filij, constitues eos principes, super omnem terram. Vtique & hæc appellatio planè iucunda: annon autem rectè Principes dicuntur? sanè quod ad nobilitatẽ attinet, à Deo generati sunt: quod ad diuitias, amplis virtutibus fuêre dotati: tum quod ad potentiã, clauiũ regni cœlorum custodes sunt. Et hęc quidẽ omnia amplos merentur honores. Tertiò quoq; Deos appellat: Dij terræ vehementer eleuati sunt. Præterea & ipse Christus lumina mũdi dicit, atque sal terræ, Apostolos, atque amicos. Paulus quoque Dei ministros, & dispensatores mysteriorum Dei nominat.

Psal.18. *Psal.44.* *Psal.46.* *Matt.5. & 10.* *Ioan.15.* *1.Cor.4.*

Ex his

Ex his quidem facile est videre quàm reuerenter de ipsis
1.Cor.4. Scriptura sentiat ac loquatur, quę eiusmodi sunt, vt ad Apo
stolorum memoriam non solùm lætari, sed & præ letitia
Exo.28.25. exultare debeamus. Ipsi enim duodecim Patriarchę sunt, ex
Nume.33. quibus populus Dei natus est. Ipsi duodecim fontes, ex qui-
Apoc.11.12. bus potauimus omnes. Ipsi duodecim nomina sculpta in lapidibus insuperhumerali summi Pontificis. Ipsi duodecim panes propositionum sunt. Ipsi duodecim exploratores, duodecim in corona sponsæ stellæ. Ipsi denique duodecim portæ & munitiones nouæ Ierusalem. Tantis igitur priuilegiis honoratos à Deo silentio transire, nullâue festi diei solennitate celebrare, non sine culpa possumus, maximè cùm festi eorum dies vehementer nostrę vtilitati commodant. Mox enim Apostoli audito nomine, ad eum erigimur, à quo missi sunt, cùm patres nostros eos intelligimus, ad corripiendam prauam naturam nostram conuertimur: cùm doctores nostros eos consideramus, ruditatis nostræ admonemur: cùm denique pastores eos, nobis datos à Deo agnoscimus, perditionis nostræ recordamur, quòd tam fideles pastores sequuti non sumus. Hoc modo si nos in Apostolorum solenniis gesserimus, proculdubiò non minimum fructum hauriremus. Si enim per eos Dei recordamur, vtique ad laudandum eum incendimur. Si ipsorum erga nos conuertimur exemplo, nosmet humiliabimus. Si ruditatem nostram commemoramus, diligentiores in posterum efficiemur. Si denique & perditionem nostram intuiti fuerimus, maiori nobis deinceps cura cauebimus. Hæc ergo Apostolorum celebritates à nobis exigunt. Et licèt eiusmodi aliæque id genus plures virtutes in Apostolis omnibus consideramus, peculiaribus tamen quisque claret dotibus: quemadmodum & in Bartholomæo singularem quandam in obedientia mandatorum Dei voluntatem intelligimus. Nec hoc solùm, sed & singulari studio malas Satanæ artes confundendi, & in inauditis tormentis perferendis eximia tolerantia fuit præditus, quorum primum doctrinæ, alterum exhortationis, tertium verò exempli locum supplet. Atque vtinam hæc tria ex festiuitate hac piis animis infixa manerent. At multi nulla huius cura afficiuntur, nihilominus egregiè sibi de Christiano nomine blandientis. Propterea ne aliquando propheticus ille sermo nobis conueniat, timendum est. Anima

mea

mea odit festiuitates vestras. &, Festi dies vestri in mœrorẽ conuertentur & luctum. Agitè ergo, diligentiùs incumbamus omnes vt bonum faciamus, dum tempus habemus. Idque vt faciamus sua Deus præstet gratia, Amen. *Isa.1.* *Amos 8.*

SERMO SECVNDVS.

APostoli nostri sententia, quæcúnque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam & consolationem Scripturarũ spem habeamus. Iam verò Scripturæ non solùm Diuorum virtutes prædicant, verùm etiam impiorũ vitia, piorúmque imperfectionem describunt. Omnia ad doctrinam seruiunt, vt quàm nihil ex nobisipsis possimus, quàm inconstantes, nisi eius, qui nos creauit, potenti manu confirmamur, consideremus. Constat enim sibi hic sermo. Non sumus sufficientes aliquid à nobis, tanquam ex nobis: sed sufficiẽtia nostra ex Deo est, qui & idoneos nos fecit. Sensus enim nostri omnésque cogitationes in malũ procliues sunt, & cor hominis iniquum & imperscrutabile. Et quis nisi malus fructus ea ex radice nasci potest? vtique mala arbor fructus bonos ferre non potest. sed hoc quoque iam considerandum est, bonum quo claruerunt Sancti, non à seipsis, sed à Deo habuisse. Ipse enim operatur in nobis & velle atque perficere. Hinc est quòd Paulus omnes, Græcos pariter atque Iudæos peccatores esse conuincit: nimirum omnes egere Christo ostendere voluit. Præterea etiam Apostolorum imperfectionem Euangelium ostendit, nempe quòd orta contentione disceptarint inuicem, quis eorum videretur esse maior: & cùm ignem è cœlo deuocare volebãt: & cùm in passione Christi fuga salutem quærebant, & hãc imperfectionem ipsi perscribunt, non quasi gloriantes in malo, sed ac si dicerent, Fugite fratres, superbiam, in humilitate perseuerantes: neque enim homo ex seipso quicquam potest, nisi gratia potentis Dei adiutus. Exemplo nostram, qui tanto tempore cum Christo fuimus, verba eius, ex ipsius ore selegimus, signáque vidimus, respicite imperfectionem. Hoc modo Apostolorũ imperfectio nobis commodabit. Deinde & huc facit, quòd eãdem Christus imperfectionem ipsorum abstulit, vt ipsos simul atque nos in maiorem perfectionem induceret. id quod in Euangelio videre est, vbi Christus mox exorta cõtentione, docet, quid Euan- *Rom.15.* *2.Cor.3.* *Gen.6.& 8.* *Matth.7.* *Phil.2.* *Rom.2.* *Luc.9.* *Luc.22.* *Matth.16.*

gelicum pastorem, imò quemuis Christianum deceat. Ad hæc & Spiritus sancti virtus ex Apostolorum imperfectione probatur, qua imbuti, nihil postea eiusmodi cogitarunt. Antequam enim Spiritus sancti præsentiam contendebant, postea verò omnium vnum cor, vnáque mens erat. ante mortem horrebant, postea dicebant, Obedire Deo magis oportet, quàm hominibus, ante primos ambiebant accubitus, postea omnibus se offerebant ministros, cum Paulo dicentes, Ego libentissimè impendam & superimpendar ipse pro animabus nostris. Et horum in numero Bartholomæus non extremus fuit. Vnde & sua inter credentes non fraudatur memoria. Apertè enim ipsius vitæ historia, qualem se accepto Spiritu sancto gesserit, describitur: nimirum in fide constantem, in spe firmum, in amore ardentem, in patientia vsq; ad mortem immobilem. Et hæc omnia eiusmodi sunt, quæ rectè quemlibet pium, maximè Apostolum decent. His, si vitam nostram probè contulerimus, rectè hanc festiuitatem celebrabimus. Hîc enim quod nobis deest, inueniremus: hîc est, vnde vitam nostram emendaremus. Atque hac ratione manifestum esse arbitror, quomodo ex festis Apostolorum vtilitati nostræ consulere possemus, modò voluntas adesset. Et hanc ergo ipsam Dei nobis præstet gratia, Amen.

Act. 4. et 5.

2. Cor. 12.

IN DIE NATIVITATIS MARIAE EVANGELIVM

MATTH. I.

LIber generatiõis Iesu Christi filij Dauid, filij Abrahã. Abrahã genuit Isaac. Isaac autẽ genuit Iacob, Iacob aũt genuit Iudã & fratres eius. Iudas aũt genuit Phares & Zarã de Thamar. Phares aũt genuit Esrõ. Esrom aũt genuit Arã. Aram aũt genuit Aminadab. Aminadab autem genuit Naasson. Naasson aũt genuit Salmõ. Salmõ autẽ genuit Booz de Raab. Booz autem genuit Obed ex Ruth. Obed aũt genuit Iesse, Iesse aũt genuit Dauid Regem. Dauid aũt Rex genuit Salomonẽ,

ex

ex ea quæ fuit Vriæ. Salomon autem genuit Roboam. Roboam autē genuit Abiam. Abia autem genuit Asa. Asa autem genuit Iosaphat. Iosaphat autem genuit Ioram. Ioram autem genuit Oziā. Ozias autem genuit Ioatham. Ioathā autem genuit Achaz. Achaz autē genuit Ezechiā. Ezechias autē genuit Manassen. Manasses autem genuit Amō. Amon autē genuit Iosiam. Iosias autē genuit Iechoniam & fratres eius in transmigratiōe Babylonis. Et post trāsmigrationem Babylonis, Iechonias genuit Salathiel. Salathiel aūt genuit Zorobabel. Zorobabel aūt genuit Abiud. Abiud aūt genuit Eliachim. Eliachim autē genuit Azor. Azor aūt genuit Sadoc. Sadoc aūt genuit Achin. Achin autē genuit Eliud. Eliud aūt genuit Eleazar. Eleazar autē genuit Mathan. Mathā autem genuit Iacob. Iacob aūt genuit Ioseph virū Mariæ, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.

EODEM FESTO DIE, EPISTOLA

PROVERB. VIII.

Dominus possedit me initiò, in viarum suarum, antequam quicquam faceret à principio, ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret. Nōdum erant abyssi, & ego iam concepta crā: necdum fontes aquarum eruperant, necdam montes graui mole cōstiterant. Ante omnes colles ego parturiebar: Adhuc terram nō fecerat, & flumina, & cardines orbis terræ. Quando præparabat cœlos, aderam, quando certa lege & gyro vallabat abyssos, quando æthera firmabat sursum, & liberabat fontes aquarum. Quando circundabat mari terminum suum, & legem ponebat aquis, ne transirent fines suos. Quando appendebas fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens. Et delectabar per singulos dies ludens coram eo in omni tempore, & ludens in orbe terrarum, & deliciæ meæ esse cum filijs hominum. Nunc ergo filij audite me. Beati qui custodiunt vias meas. Audite di-

ſciplinam, & eſtote ſapientes, & nolite abiicere eam. Beatus homo qui vigilat ad fores meas quotidiè, & obſeruat ad poſtes oſtij mei. Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino.

SERMO PRIMVS.

NOMEN ac originem huius feſtiuitatis neminem ignorare arbitror, etenim natiuitati Mariæ hæc dies ſacra eſt, ſed qua ratione eadem, rectè piéque celebretur, fortè nõ ita omnibus manifeſtum eſt. Id ipſum ergo paucis mihi indicandum eſt. Ac principiò cùm Eccleſiæ cõſuetudo ſit, ſanctorum natales, emigrationis ab hoc ſeculo die cuiuſque celebrare, illud hîc cogitandum eſt, quomodo non ſine
Eccleſiaſt. 1. cauſa factum ſit, vt hanc ingreſſus in hunc mundum Virginis diem totum lætitiæ ſolemni conſecremus. Neque enim alioqui naſci hominem nouum aliquid eſt, generatio præterit & generatio redit, terra autem conſiſtit in æternum. Naſci & mori proprium eſt omnium creaturarum ſub cœlo viuentium: ſed hæc peculiare aliquid natiuitas habet, cuius cauſa merito totus mundus exultat. Id quale ſit quæris? Ecce Dauid Regi electo promiſerat Deus ſemen, cuius re-
Pſalm. 131. gnum perpetuò conſtaret. Dixit enim ipſe de Deo, Iura-
2. Reg. 7. uit Dominus Dauid veritatem, & non fruſtrabitur eum. De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam. Et alio in loco, Fidelis erit domus tua, & regnum tuum, vſq; in æter-
Pſalm. 88. num ante faciem meam, & thronus tuus erit firmus iugiter. Vnde & Dauid ait. Miſericordias Domini in æternum cantabo: Quoniam dixiſti, Diſpoſui teſtamentum electis meis, iuraui Dauid ſeruo meo, vſque in æternum præparabo ſemen tuum, & ædificabo ſemen tuum, & ædificabo in generatione & generationem ſedem tuam. In hac promiſsione non modò Dauid, ſed omnium ſpes credentium acquieuit: nempe ex Dauid proceſſurum eſſe aliquem, qui regeret atq; liberaret Iſrael populum Dei: & hęc ipſa promiſsio Dei pulchrè ſuccedebat aliquo tẽpore. Sic enim hodiernũ Euangelium docet, Dauid Rex genuit Salomonem, Salomon autem genuit Roboam, Roboam genuit Abiam, Abia autem genuit Aſa: & ſic conſequenter vſque ad Iechoniam, aut potiùs Sedachiam. Per multas enim generationes regni ſucceſsio in Dauid hæredibus permanſit. Sic Sedechia in

Baby-

Babylonem abducto, & Ieruſalem regiáq; ſede deſtructis, finem habere promiſsionem hanc æternitatis regni Dauid, videri potuit. Et quanquã nonnulli ſanguinis Dauid è Babylone domum reuerterentur, regali tamen diademate carebant. Poſtea etiam Machabæi rerum potiebantur, quouſque tandem ad alienigenas, Herodem, & Romanos regnum delaberetur. Finem ergo habere Dauid regnum & hæreditatem videri potuiſſet. Reliquiæ enim eius ſanguinis ad eam paupertatem redigebantur, vt victũ manu quærere cogerentur. Id quod in Ioſeph ſponſo Mariæ fabre lignario videre eſt. Finem igitur ſemen regium habebat, ſed verbum Dei finem non habebat, imò verò hoc maximè vigebat atque triumphabat. Verbum Dei impleri oportuit, inquam, atque ſemen Dauidicum ſuſcitari, priſtinámque, imò verò maiorem, quàm vnquam habuiſſet, gloriam recuperare debuit. Atque horum quidem omnium hæc dies initium eſt, in qua hæc virgo noſtra de Dauid ſtirpe nata eſt. Per hanc enim rurſus exſuſcitatum eſt ſemen Dauid, & in huius filio ad amiſſam regalem dignitatem, imò ad multò ampliorem prouectum eſt. Quod enim amiſerat regnum, temporale erat: quod recuperauit, ſpirituale atq; æternum, illud ſuper omnes homines. Hoc modo ſanguis Dauid regius, qui aliquandiu latuerat, Virginis partu exſurrexit. Verùm id nemo illo quidem tempore opinari aut ſperare potuit, alioqui enim omnes turmatim aduolaſſent, tantámq; natiuitatem celebraſſent feſtiui. Nos ergo vt hæc ſe ita habere non ignoramus, ita alacriùs hanc diem frequentiori deuotione celebramus, canentes, *Natiuitas tua Dei genitrix virgo gaudium annunciauit vniuerſo mũdo, ex te enim ortus ſol iuſtitiæ Chriſtus Deus noſter, qui ſoluens maledictionem, dedit benedictionem, & conſundens mortem donauit, nobis vitã ſempiternam.* Hæc ipſa, hoc ſolenni feſtiuitate de Maria eiúſque filio Ieſu Chriſto modulamur. Quæ tamen Iſaias Propheta iam antè dudum apertè ſatis prædixerat: nimirùm defectionem regni Dauid, & pullulationem in Virgine atque filio Virginis. Initio enim prophetiæ ſuæ calamitatem Ieruſalem atque Regum per multa capita docet: tandem verò hanc conſolationem ſubnectit, Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet. Et requieſſet ſuper eum Spiritus domini, Spiritus ſapientiæ & intellectus, Spiritus conſilij & fortitudinis, Spi- Iſa. 11.

ritus scientiæ & pietatis. Et replebit eũ Spiritus timoris Domini: non secundũ visionem oculorum iudicabit, neque secundum auditum aurũ arguet: sed iudicabit in iustitia pauperes, & arguet in æquitate pro mansuetis terræ, & percutiet terram virga oris sui, & Spiritu labiorũ suorum interficiet impium, & erit iustitia cingulum lumborum eius, & fides cinctorium renum eius. Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit. Vitulus & Leo, & ouis simul morabuntur, & puer paruulus minabit eos. Vitulus & vrsus pascentur, simul requiescent catuli eorum, & leo quasi bos comedet paleas. Et delectabitur infans ab vbere super foramine aspidis, & in cauerna reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet. Non nocebũt & non occident in vniuerso monte sancto meo, quia repleta est terra scientia Domini, sicut aquæ maris operiẽtis. In die illa radix Iesse, qui stat in signum populorum, ipsum Gentes deprecabuntur, & erit sepulchrũ eius gloriosum. Et in die illa, adiiciet Dominus secundò manum suam ad possidendũ residuum populi sui, quod relinquetur ab Assyriis, & ab Aegypto, & à Phetros, & ab Aethiopia, & ab Elam, & à Sẽnaar, & ab Emath, & ab insulis maris. Et leuabit signum in nationes, & congregabit profugos Israël, & dispersos Iuda colliget, à quatuor plagis terræ. Et auferetur Zelus Ephraim, & hostes Iuda peribũt. Ephraim non æmulabitur Iudã, & Iudas nõ pugnabit contra Ephraim. Et volabunt in humeros Philistiim per mare, simul prædabuntur filios Orientis. Idumæa & Moab præceptum manus eorum: & filij Ammon obedientes erunt. Et desolabit Dominus linguam maris Aegypti, & leuabit super manum suam super flumen in fortitudine Spiritus sui, & percutiet eum in septem riuis, vt transeant per eum calceati. Et erit via residuo populo meo, qui relinquetur ab Assyriis, sicut fuit Israeli in die illa, quando ascendit de terra Aegypti. Vult ergo Isaias his verbis hoc dicere, Non ita deficiet Dauid progenies, vt planè intereat. Arbor quidem è radice Iesse nata cum ramis succidetur: radix tamen ipsa pullulans florebit. Tenerrima enim virga ex ea egredietur, quæ desolatam stirpem renouabit. Et ipsa quidem exigua iudicabitur, suaueolentẽ tamen florem proferet, cuius odore vel vniuersum genus recreari possit humanũ, talem per omnia super quẽ requiescet Spiritus sanctus, cum omni sua plenitudine, quo regnũ suum nouum ac spirituale, verè

æternum

æternũ manſurũ auſpicetur. Ecce, hæc Iſaias prædixit, atq; ita ſucceſſu impleta ſunt. Prius illud regnum, prima ſcilicet huius radicis arbor, regnũ, inquã, tẽporaneũ, quod in Dauide filio Ieſſe ſiue Iſai exorſum erat, poſtea in multos diuiſum erat, & propter peccata in Zedechia corruit. Sed vbi diuinę volũtati placuit iuſtũ illud germẽ exuſcitare, radicem illã veterẽ Ieſſe, hãc pullulare virgulã effecit. Atq; hinc eſt ꝙ Eccleſia ipſi accinit, *Stirpe Maria regia procreata regem generans Ieſum.* Iſaias verò non modò natiuitatem eius, verùm etiam reliqua eius propria pulchrè deſcripſit. Primò ꝙ virgam eam, deinde, non de ramis, ſed è ſtirpe egreſſum eſſe dicit. Virga enim è terra quidem naſcitur, ſed ſine omni immunditia, omne germen ſupercreſcens, recta aſſurgẽs, perpetuò adoleſcens, ſemper maior ſeipſa efficitur, parua quidẽ collatione cæterarũ arborũ, nec multũ agri occupat, paucis, ſed latè expanſis frondibus ornata, ſine nodis flexibilis, ſed fortis fructúmque ex ſe ſine ſui dãno profert. Talis per omnia Maria fuit, de peccatoribus ſine peccato venit: reliquos omnes ſupercreuit, erecta omnino ſurſum ad cœlos adoleuit Magnificat, inquis, anima mea Dominum, & exultauit Spiritus meus in Deo ſalutari meo. Ita indies de gratia in gratiam de virtute in virtutem aucta, progreſſa eſt, humilis in oculis ſuis, nulla temporanea appetiit, nullos incredulitatis aut differentiæ nodos habuit, obediens atq; in fide conſtans: pauca, ſed planè diuina loquuta eſt: filiúmque Dei, ſine virginitatis macula concepit atque peperit. Vide ergo, an non Iſaias eam propriè depinxit? Et qua meliore forma eam rectiùs magiſque propriè depingere potuiſſet, etiam ſi corã vidiſſet? Et huc quoque pertinet, quod non primò aut veteri ramo, ſed ipſa ex radice ortam ſcribit. Vult enim hoc ipſo eam, vti Dauid filiam, radici, quàm ramis, ſimiliorem fuiſſe: hoc eſt, veras genuinæ virtutis formas Dauidis atque Ieſſe, non dedecus ſuccedentiũ Regum expreſſè innuere. Omnes enim ferè Reges in hac Dauidis linea impiè vixerunt, ita vt præter vnum aut alterum, neminem Dauid virtute inueniamus ſimilem. Hæc verò ipſam originis naturam expreſsit, vnde non ramis, ſed ipſa radice ortã dicimus. Et huc pertinet quod ipſi Eccleſia accinit: Tu (Maria) *pios patrum mores oſtentas in te, ſed excellis eoſdẽ. Patrũ tuũ Salomonis in te lucet ſophia.* Et *Ezechiæ apud Deum correctum, ſed nunquam in te ſorrumpendum, Patrũ Ioſiæ adimpleuit te re-*

Luc. 1.

Iugiositas, summi etiã Patriarchæ tefides totã possedit patris tui.
Atque in his quatuor, sapientia, hoc est, Dei cognitione, iustitia cordis, deuotione mentis, & vera fide, radicis huius consistit natura. Et hæc omnia in Virgine nostra consideramus: & quidem cum aliquo etiam perfectionis augmento, quod in quatuor his patribus non fuit. Salomon enim sapiés fuit: tandem verò furiis agitatus stultus factus est: hæc autem non sic. Sic Ezechiæ quidem cor apud Deũ rectũ fuit: sed non sine flexura. Thesauros enim Babyloniæ legatis ostentans suos, in superbiam mentis incidit: hæc verò non ita: cor enim rectum habuit, & rectum custodiuit. Ita & Iosiæ magna fuit in instaurandis iis, quæ ad cultum Dei, diligentia, verùm nec ipse sine peccato erat. hîc verò nil præter meram pietatem consideras. Sic denique Abraham Deo ex sterili Sarai filiũ promittenti credidit, verùm hæc præstantiorem fidem exhibuit, dum Angelo nuntianti, futuram sẽ virginem sine sterili semine matrem credidit. Veram ergo hanc virginem sanctę radicis habuisse naturam vides. vnde rectè Propheta noster de ipsa radice eximiisse eã perscripsit. Quæ cùm ita sunt, non est difficile videre, cur hanc diem natalem eius virginis festam peragimus. vtique pro infallibili Dei veritate, qua promissionis suæ post tot annos non oblitus, verbum suũ adimpleuit, lætamur. Lætamur & pro omnipotente virtute ipsius, qua collapsam Dauid domum tam potẽter ac miraculosè erigere potuit. Lætamur & pro bonitate ipsius, qua nullius hominis quantumlibet enormi peccato à suo proposito deflecti vult. Lætamur denique atque admiramur, quòd hanc virginem mox natam, ad radicis naturam, ordinauit. Atque hinc vota gemitúsque nostri sunt. precamur enim, vt in nobis etiam veritatem, potentiã, bonitatem, gratiam, amorémque suum ostendat. Hæc huius festiuitatis causa est, quæ qua ratione celebranda sit, Ecclesia vno verbo docet, cùm ait, *Natiuitatem virginis celebremus Christum eius filium dominum nostrum adoremus.* Vides ergo quàm nihil Ecclesia Christi honoribus hac festiuitate detrahere conetur: id quod falsò quidam ipsi impingunt. Manifestam enim diuersitatem inter hanc virginem matrem, eiúsque filium ponit tantúmque illius quidem memoriam peragit, hunc verò etiam adorat. Hanc ergo differentiam hîc atque in aliis omnibus festiuitatibus obseruemus: natiuitatem Virginis celebremus, Christum adoremus. Di-

3.Reg.11.
4.Reg.3.
4.Reg.20.
Gen.15.
Luc.1.
Isa.11.

uersissima

uersissima vtique sunt celebrare atque honorare. Nam etiã aliàs celebrare possumus. Deus autem solus adorandus est. Propter hunc enim pater Deus virgam Iesse florere fecit. Ipse flos est, quem virga Iesse protulit. Ipse benedictus fructus ventris Mariæ. Vnde & ipsi, Ecclesia corde atque ore meras atque solidas laudes decantat. Ecce qua ratione Ecclesia Diuorum memorias celebrat, eorúmque suffragia petat, propriè tamen à Christo pendet. Hunc respicit, adorat vti vnicum Dominum. Sic sequere, nec offendas. Gratia Dei nobiscum, Amen.

SERMO SECVNDVS. IN FESTO nativitatis Mariæ, quo die R. P. Io. Ferus huius postillæ autor, animam quam acceperat, Deo, magna fundi nostri calamitate, tradidit, Anno 1554.

CVm veterum Ecclesiæ procerum scripta reuoluo, non possum nisi peculiari quadam eos deuotione affectos fuisse, quandocúnque de Ecclesiæ solennitatibus scriberent dicerentue, vel considerare vel iudicare: nempe non se solos erga Deum rectè affectos este sciebant, verùm etiam pietatis deuotionísque autoris ardorem in adiutoribus considerabant. Verùm (dolor) nunc planè videas contrarium. vt enim magnam illi ex plebis pietate alacritatem cõceperunt: ita ingens tædium, pertinax vulgi impietas nunc prædicatoribus ingerit. Nuper cùm assumptionem huius Virginis matris celebraremus, dicebam, nunquam plures querelarũ obiurgationũque causas Ecclesiastis obtrudi, quàm festis diebus: imò necessarium video, semper atque de integro in contentionum palæstram descendere, noua nouis insidiis arma opponere, nunc contra hæreticos, nunc aduersus personatos Christianos: nunc contra temerarios, nunc contra hypocritas: nunc contra negligentes, nunc denique contra superstitiosos. Hos enim nunc omnes permixtos videas, & sanè plures malos paucioribus bonis: Et quæ Ecclesiastæ voluptas erit in tanta auditorum varietate? Alij festos dies, planè respuũt, alij manere quidẽ illos, sed non vti decet obseruare volunt, cũ plus Iudaismi inducũt, quã quod Chri-

ſtianũ eſt, ſeruant. aliis etiã plus externa pompa, quã interna pietas ſunt. aliis etiam non tam piũ exercitium quàm reprehenſibile otium ſunt. Atque ita in feſtiuitatibus videas, quæ multum tædij pariant: ſed nõ ideò omninò ſilendũ eſt. Cur peruerſorum abuſus piis fraudi erit? an fortè ideò vineæ coli nõ debeãt, & multo vino inebrientur, multáq; mala moliantur? An ideò bonus ager deſerrus relinqui debet, nonnũquam in bono fructu ſuboriatur zizania? hoc nemo prudẽs approbauerit. Cur igitur in Eccleſia omnia peſſum ibũt, quia quibuſdã pertinacibus quædã diſplicent, quibuſdã abutantur? nemo Chriſtianus hoc dixerit. Agè igitur minus cauſę eſt, vt hanc feſtiuitatem reiicias. Suis enim patres commodis illa vti potuerũt, multa piè meditati ſunt in ea, deuotionem pietatémque hauſerunt ex ea: & ſi in nobis nõ itidem fructifera eſt, non feſtiuitas, ſed noſtra negligẽtia in culpa eſt. Neque enim alia, in quibus ampliùs multò ſitum eſt, noſtris vſibus vtile impendere poſſumus. Quot enim ſunt, quibus nec Sacramenta, nec Euangeliũ, nec ipſe etiam Chriſtus quicquam prodeſt, dum nullam inde nec pietatem nec ſpem concipiunt? Et quid miramur talibus hãc quoque feſtiuitatem parũ adferre cõmodi? ſatis eſt multorum eam olim deſeruiiſſe commodis, atque piis mentibus etiamnum commodare. Atque horum tantũ cauſa fuſiùs aliquanto hac de re libet diſſerere. Et quidem nemo miretur, nos huius Virginis in Eccleſia toties, & cum quadam etiam piarum mentium iucunditate, cum laude, cum gratiarum actione cúmque honorificentia memoriam celebrare. Dauid enim Dei opera cum laude atque admiratione meditari in omnibus etiam creaturis, in quibus nec vita nec intellectus eſt, mandat: & quid in hac creatura, in qua ipſe Deus maxima omnium magnalia ſua irrefragabiliter operatus eſt? Et quidem verè Chriſtianus quiſque Chriſtum ſummam ſpem fiduciámq; ſummúmque bonum ſemper ducit, & qua ratione hîc matrem, Chriſti, niſi omni dignã honorificentia ducet? Qui me diligit (prouerbium eſt) etiam canem meum diliget. Si quis Chriſti amator eſt, ſanè quæ Chriſti ſunt diliget: qui Chriſtum amat, non poteſt eius matrem odiſſe.

Gene. 49. Et in veteri Teſtamento Iuda domus honorifica erat omnibus, eò quòd ex ea Chriſtus naſciturus erat. Iuda, inquit Iacob, te laudabunt fratres tui? & qua reuerentia dignam iudicabimus eam, quæ ſuæ ex naturæ ſubſtantia hunc nobis

Chriſtum

Christum hominem genuit? Quòd si cui ager est vberior bonorum fructuum, vtique eum maiori in pretio,& cariorem habet: & nobis Maria præter alias mulierculas gratior non erit? nempe qui hanc nobis solam cœlestem illum panem protulisse nouimus, qui mundo vitam præstat: & veram vitem, quæ fructuum suorum dulcedine omnem lætificat. Agè ergo minùs diffidam fore, vt si quis piè sentiat Christianus, his rationibus motus hanc festiuitatem nihil arbitretur superfluum esse etiam si sæpiùs in Ecclesia Mariæ celebremus memorias. Et hæc quidem in genere, hæc de celebritate dicta sint: nunc verò ad alia quædam eiusdem generis accingar. Ac principiò quidem, vt rudiores aliquantò rectiùs huius festi causam intelligant, quid vtilius faciam, nisi vt rem ipsam exemplo siue similitudine proponam, nescio. Si cui arbor est ingenua, vnde pretiosos fructus sperat: vtique exultat, cùm eam iam assurgere robúrque sumere, gemmas protrudere videt, fructus expectatos sibi pollicetur: si verò per accidens inexpectatum læsa non augetur, si rami eius arescunt, iam totius arboris interitum timet, déque spe atque expectatione omni labitur, nimirùm si diuturnior fuerit calamitas: quòd si postea longo temporis interuallo rursus virgulam prodeuntem florémque germinantem viderit è radice arboris, certum omnem spem ipsius renouari. & quò antè desperauerit magis, eò amplius exultare, & pro subnascentis virgulæ amœnitate omnis spei recuperationem sibi promittere. Vt enim certum est, perituram esse arborem, cuius rami arescunt: ita spes est vires resumere virescentem. Quòd si oculos attollere libet, similia hîc videbimus hodie. Quid enim hoc Euangelium præter arborem, ex qua Christus nasciturus erat, indicat? Et quis hanc arborem nouissimè aridam factam propè periisse ignorat Scripturarum lector? Hæc præcipua hodierni gaudij causa est. Hodie enim nobilis atque veneranda Dauid Abrahamíque stirps, ex qua quidem exoriri Christus saluator debuit, quæ propè interierat, in Mariæ natiuitate refloruit, florémque nobis exhibuit, ex qua postea fructus salutifer ortus est. Hæc credentibus nobis huius festiuitatis causa est & gaudij: & hic facilè videre est, quàm multa hinc considerandæ veniant. Nemo autem miretur, quòd Abrahami stirpem,

arbori-

arbori: Mariam, flori: Christum fructui comparauerim. Ipse enim Paulus huius rei mihi occasio est, dicens, Et si radix
Rom.11. sancta, & rami. Quòd si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cùm oleaster esses insertus es in illis, & socius radicis & pinguedinis oliuæ factus, noli gloriari aduersus ramos. Quod si gloriaris, nõ tu radicem portas, sed radix te. Dicis ergo, fracti sunt rami, vt ego inserar. Benè: propter incredulitatem fracti sunt, tu autem fide stas: noli altum sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit: ne fortè nec tibi parcat. Manifestum est Paulum his verbis Abrahã stirpem arbori comparare, indicans, Iudæos veluti natiuos ramos, propter incredulitatem ipsorum excisos esse: nos verò ex Gentibus quasi degeneres oleastros, ipsorum loco, in bonam arborem insitas esse per gratiam: ita vt non minus ipsi nunc pinguedinis & promissionis, quàm radix ipsa tenet, capaces simus atque participes, quam si ex ipso Abraham iusta propagine orti essemus. Hac ratione eo in loco Paulus ista collatione vtitur, sed ad institutum nostrum nihil. tantùm enim quòd Paulus Abrahæ stirpem arbori comparet, indicare volui. Sed & aliàs non infrequens Scripturis loquendi mos est, vt hominem arborem dicat. Sic Dauid virum
Psal.1. iustum collatione arboris, fructum suum in tempore
Hiere.17. proferentis, describit. Hieremias hominem in Deum confidentem arbori confert, quæ iuxta aquas plantata, ad humorem mittit radices suas, & non timebit cùm venerit æstas, cuius folium viride, & in tempore siccitatis non sit solicitum, nec aliquando desinit facere fructum. Qui autem confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor eius, erit quasi myrica in deserto, & non videbit cùm venerit bonum, sed habitabit in siccitate, in de
Mat. 27.21 serto, in terra salsuginis & inhabitabili. Et Euangelio fre-
Luc.13 quens id genus dicendi est, de bona, malaue arbore. Tum etiam Philosophi hominem arbori comparant, cùm inuersam eum arborem dicunt. Quemadmodum enim in arbore radix inferior pars est, & ex ea humor sursum surgit, ita conuerso modo in hominis capite veluti radix est, ex qua humores in reliqua membra omnia defluunt deorsum. Atque hæc omnia ideò dico, ne quis miretur Paulum Abrahæ genus arbori comparasse. Hanc verò si quis verè intueri, eiúsque radicem, truncum, ramos, flores, fructúsq; cognoscere velit, hoc Euangelium respiciat, in quo omnia pro volũtate

piorum

piorum veluti ſpectaculum quoddam oſtenſa ſunt. Vidit Dan.4.
quidem & Nabuchodonoſor arborem magnam & fortem nimis, & proceritas eius pertingens cœlos, cuius aſpectus vſque ad terminos vniuerſæ terræ, folia eius pulcherrima, & fructus eius nimius, & eſca vniuerſorum in ea. Subter eam habitabant animalia & beſtiæ, & in ramis eius conuerſabantur volucres cœli, & ex ea veſcebatur omnis caro. Sed hanè vbi in ſomnis Nabuchodonoſor videret arborem, vox de cœlo veniens, dicit. Succidite arborem & præcidite ramos eius, excutite folia eius, & diſpergite fructus eius. Et quæ illic iucunditas eſſe potuit, vbi tam ſubitus finis ſequutus eſt? Illa quidem mundi pompam, in qua Rex conſedebat, ſignificabat. Et huius ſanè gloria magna videtur, ſed coram iudicio non ſubſiſtit: at longè alia res hîc eſt. Hæc ſancta arbor, bona radice, mirabilis in ramis, iucunda flore, gratioſa fructu. Hanc Deus plantauit, ſua benedictione rigauit: vnde tot hyemes rigidæ, tot æſtates ſiccæ, tempeſtates horridæ, venti impetuoſi, tot denique degeneres verminoſique rami hunc naſciturum ex ea arborem impedire non potuerunt. Hi liber (inquit Matthæus) generationis Ieſu Chriſti, filij Dauid, filij Abraham. Abraham genuit Iſaac. Ecce radicem, Iſaac genuit Iacob. Ecce truncum, Iacob genuit Iudam & fratres eius: & ſic conſequenter. Et hi rami arboris ſunt. Poſtremò verò, Iacob genuit Ioſeph virum Mariæ, florem deſcripſit, de quo natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus. Et hic fructus ille eſt. Quæ Matthæus breuiſsimè quidem innuit, nobis tamen reliqua indagandi occaſionem præbent. Etenim citò dixeris, de Abraham genitus eſt Dauid, de Dauid Maria, de hac Chriſtus. Sed longum tempus requiſitum fuit, priuſquam eò ſe extenderet hæc arbor. Ter mille enim annos, hiſtoriographi ab Abraham ad Chriſtum numerant. Interea tot calamitatibus quaſſata eſt hæc arbor, vt meritò grates referamus Deo, tam diu ſtetiſſe, dum hunc florem, & de flore Chriſtum genuinum fructum protulerit. Pius hanc arborem conſideret, à radice vſque ad florem omnia perſcrutetur: & mera Dei magnalia inueniet. Principiò enim Deus loquens Abrahæ dicebat. Egredere de terra tua, & de domo tua, & de cognatione tua: & veni in ter- Gen.12.
ram quam ego monſtrauero tibi, faciámque te in gentem magnam, & benedicam tibi, & benedicentibus tibi

bene-

benedicam, & maledicentibus tibi maledicam, & In te benedicentur omnes gentes terræ. Hæc radix, hinc Matthæus exordium sumit. Lucas verò aliquanto remotiorē perueſtigat, ab Adam exorsus, nec id sine ratione: id quod modò prætereo, nunc enim in Matthæi narratione immorabimur. Hìc Abraham ponit radicem aridam, de qua nemo tantam speraſſet arborem. Qui sic? iam ambo processerant in diebus suis, nec apti ampliùs gignendis proliibus. Septuaginta quinque annorum erat Abraham, Sara his decem minus habebat annos, cùm primùm ipsis Deus loquebatur, seminísque promisionem dabat. Sed adhuc viginti & quinque annos expectare cogebantur, priusquam sterilitate ablata filios gignerent, ita vt & ipsa demum hæsitare inciperet Sara. Vtut autem arida esset radix, vireſcit tamen. Et hoc vndè? ex benedictione & promisione Dei. Hæc, inquam, benedictio humor & pinguedo erat, qua ita augebatur arbor, vt antè etiam, quàm omninò quartam generationem transcenderet, 600000. homines essent. Ita augebatur crescens, sed pleráque ex parte carie erant putridi. Vnde excidebantur, & in deserto moriebantur, quosdam ignis absumpsit: alios, terra, serpentes, gladius abscidit, nihilominus tamen genuinus truncus perrexit auctus. Ab Abraham per Isaac ducta genealogia, ad Dauid vsque intaminata propago mansit. In Dauid promisio renouabatur. Atque hìc spes erat auctioris incrementi, quemadmodum & in Salomone pulchrè inceperat, sed mox in eodem nodos torturásque inflectere incipit, idque virus vires postea magis magísque sumebat in Roboam, Abia, Achab, Manasse, Amon, Ioatham, Iechonia, Sedechia, ita, vt Deum conniuere tæduerit, eóque modo per Nabuchodonosor hanc arborem mutilari fecerit, vt nemo, nisi omnino actum esse de ea cogitaret, id quod Hieremias & alij suis lamentationibus ostendunt. Sed natiuus adhuc radici insederat humor, vnde cùm minimè speraretur, repullulauit. Post transmigrationem Babylonis, inquit Euangelista, Iechonias genuit Salathiel. Salathiel autem genuit Zorobabel. Atque hæc spes magna fuit, cùm genuinum germen permansit, quocúnque tandem modo rami cæteri haberent. Quanquam autem & ipsum germen admodum debile & languidum factum fuerat, cùm quotidiè magis magísque deficeret, nullam potẽtiam, nullámue authoritatem haberet, cùm

rerum

rerum ſumma ad Machabæos, qui ex tribu Leui erant, deuoluta eſſet. Sed & ab his ablata ad Herodem alienigenam deueniebat. Atque hæc ea rerum facies erat, vt nulla ferè ſpes arboris reſidua eſſet. multi Herodis temporibus deſperantes de Dauid atque Abrahæ generatione, ab Iudaiſmo ad Gentiliſmum deficiebant: Pij verò qui pauci erant numero, aliquam adhuc fouebant ſpem, propterea quod Iacob per Spiritum ſanctum dixiſſet, Non auferetur ſceptrũ de Iuda, neq; dux de fœmore eius, donec veniat: qui mittendus eſt. &, ipſe erit expectatio Gentium. Quò igitur magis ſceptrum à Iuda & Dauid auferri magis videbant, eò propinquiorem eſſe Meſsiam ſperabant. id quod rei probauit euentus. Omnibus nihil præter extirpationem arboris cogitantibus, ecce flos egreditur. Maria naſcitur: hoc in tempore hæc virgo mater, cunctorum conſolationi proponitur. Atque hic primùm fuit piis dicere, Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, ex aromatibus myrrhæ & thuris? Ecce, fratres, hæc cauſa huius feſtiuitatis eſt. lætamur etiamnum hodie, & grates perſoluimus, quòd Deus hanc arborem Abrahæ, ac Dauid progeniem tam diu ſeruarit, in tot aduerſitatibus & peccatis cuſtodierit, quouſque tandem flos hic ex ea pullulauit, qui fructum vitæ Chriſtum Ieſum protulit. Vnde non immeritò dicimus. *Natiuitas tua Dei genitrix virgo, gaudiũ annuntiauit vniuerſo mundo, ex te enim ortus eſt ſol iuſtitiæ, Chriſtus Deus noſter, qui ſoluens maledictionem, dedit benedictionem: & confundens mortem, donauit nobis vitam ſempiternam.* Hoc modo pij hãc ſibi hodie proponant arborem, diligentérq; omnia conſiderent, in flore delectentur, fructum apprehendant: & rectè hanc feſtam diem peregerit. Gratia Dei nobiſcum, Amen. Gene. 49.

IN FESTO DIVI MATTHAEI APOSTOLI ET EVANGELISTAE EVANGELIVM MATTH. IX.

ET cũ tranſiret inde Ieſus, vidit hominẽ ſedentem in telonio Matthæum nomine, & ait illi, Sequere me. Et ſurgẽs ſequutus eſt eũ. & factũ eſt diſcum

discumbente eo in domo, ecce multi publicani & peccatores veniẽtes discũbebant cũ Iesu & discipulis eius. & vidẽtes Pharisæi, dicebãt discipulis eius, Quare cũ publicanis & peccatoribus mãducat magister vester? Et Iesus audiens, ait, Nõ est opus valẽtibus medico, sed malè habẽtibus. Euntes autem discite quid est, Misericordiam volo, & non sacrificium: non enim veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.

EODEM FESTO EPISTOLA
EPHES. IIII.

VNicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi. Propter quod dicit, Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descẽdit primũ ad inferiores partes terræ? Qui descendit, ipse est, qui et ascendit, super omnes cœlos, vt adimpleret omnia. Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euãgelistas, alios autem pastores & doctores, ad consummationẽ sanctorum in opus ministerij, in ædificationẽ corporis Christi: donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi: vt iam nõ simus paruuli, fluctuãtes, & circunferamur omni vẽto doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumuentionem erroris.

SERMO VNICVS AC BREVIS.

DVO in hoc Euangelio audimus, quorum alterum quidem Matthæi, cuius hodie festiuitatem celebrem peragimus, vocationem apostolatus, alterum Pharisæorum murmurationem innuit. Vtrumque tamen ad nostram eruditionem, atque cõsolationem facit. Quod ad primum, magna nobis consolatio est, quòd Matthæum licèt plenum & onustum peccatis, Christus contumeliosè tamen non repulit, sed secũdum multitudinem miserationũ suarũ suscepit: nec solùm eius domum ingressus, panẽ fregit, verùm etiam ipsum

ipſum Dominum domus duodecim Apoſtolorum in numerum aſciuit & ordinauit. Et quid hac gratia peccatori maius contingere poſſet? Et qua ratione ſuam Deus gratiam euidentiùs oſtendiſſet? Ergo communicatis affectibus, hãc ipſam gratiam in Matthæo non modò magnificemus, verùm etiam Deo propterea gratias referamus. & hoc ipſum nos, qui Chriſto nomina dedimus, maximè deceret. Hîc enim apertè licet videre, quia vbi abundauit delictum, illic ſuperabundauerit & gratia, vt ſicut peccatum regnauit in mortem, ita & gratia regnet per iuſtitiam in vitam æternam, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Hanc enim vocantis gratiam hæc nobis feſta dies meditandam proponit: qui licèt necdum finem impoſuiſſet vſuris atque publicanis, Matthæum tamen hunc è medio iniquitatis eduxit. Quemadmodum & poſtea ſæuientem Saulum, qui totus in perditionem Eccleſiæ inſaniebat, conuertit. Iam verò Euangelium hoc ſediſſe in telonio Matthæum refert. & quomodo ſedere potuit, cùm lege cautum erat, ne quis ex tribu Iſrael vectigal ſolueret? Huic Tertullianus reſpondet, Matthæum Gentibus oriundum fuiſſe, cúmque ipſis conuerſatum, quouſque vocaretur, teſtificans. Iam verò hinc controuerſia quædam oritur: nempe in duodecim numero Apoſtolorum Chriſtum habuiſſe Gentes: & tamen initio maximè hoc laborauit, ne quo modo labefactaret legem: ſed & poſtea diſcipulis mandauit, in viam Gẽtium ne abirent, nec in ciuitates Samaritanorum intrarent, ſed tantùm ad oues quæ perierant domus Iſrael. Contrà etiam nullum quidem manifeſtum extat teſtimonium, Iudæos ab exteris tributa poſtulauiſſe: ſed multò magis contrarium, nempe ne quem læderent. Alienigenam non contriſtabis, inquit Scriptura, nec affliges eum. fuiſtis enim & vos peregrini in terra Aegypti. idem legimus in Leuitico atque Deuteronomio. idem etiam Zacharias ait, Viduam, inquit, & pupillum, & aduenam, & pauperem nolite calumniari. Et quid de Matthæo ſentiendum eſt, Iudæus an Ethnicus fuit? Agè igitur. ſic ſe res habet. nullũ in Iudæa vectigal exigebatur ante Babylonicam captiuitatem: verùm poſtea vbi è captiuitate domum reuerſi deſertam viderẽt terram, multáque ad inſtaurationem & ſtructuram requirerentur, maximè ad viarum munitiones, exigi atque dari cœpit. Idque ad Chriſtum durauit, qui & ipſe pro ſe atque Petro tributum

Rom. 5.

Act. 9.

Matth. 10

Exod. 22. Leuit. 19. Deut. 26. Zach. 7.

Matth. 17.

dari iussit: non quia debebat, sed ne quẽ scandalizaret. Hoc initium vectigalis in Israel fuit: & huic rei Matthęus hic no ster præfectus erat. Verũ ea omniũ eius generis hominum, apud omnes reputatio erat Iudæos, vt indignos, quibus cum cõuersarentur, iudicarent, id quod vbique Euangelia testantur: Christus verò qui neminem spernit, nec personas accipit, multam huic beneficentiam exhibuit, ex publicano Euangelistam fecit, eáque gratia dotauit, vt postea Euangelij regni Dei in Iudæa prædicator, in toto mundo esset scriptor. Quo sanè Christus hoc maximè docuit, quia non sit personarum acceptor, sed quod abiectum est in mundo, eligat. Et hoc primùm ex hac vocatione Matthæi discendum est. Iam verò & ipsius vocati exemplum respiciendum est, qualem se post vocationem gesserit: hoc enim quid accepta fide præstandum sit, docet. Illud verò in vita Matthæi vel præcipuum fuit, quòd perpetuus ac strenuus Christi testis in mortem vsque esse perseuerauit: nec id in Iudęa tantùm, verùm etiam in Gentibus. Est enim eorum in numero hic, qui non modò illo tempore viuentibus prædicando, sed & nunc credentibus scribendo regnum Dei annuntiauerunt. vnde & ipse cũ aliis quatuor illis animalibus connumeratur quotidiè clamantibus, Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus omnipotens qui erat, qui est, & qui venit. Et hæc quidem alij etiam Apostoli clamauerunt, sed tantùm in die, hoc est, vitæ suæ tempore. Hic verò cum aliis quibusdam etiam in nocte, hoc est, post mortem clamat. Quid enim aliud in Euãgelio suo, nisi de incarnatione Christi, de diuina ipsius maiestate, atque natura, de magnis atque ingentibus miraculis, per ipsum in carne factis, clamat? Sit ergo hoc ad nostram doctrinã dictum, nam & nos vocati sumus, Deus gratiam suam in nobis magnificauit, hoc agamus, vt firmi in ea qua vocati sumus vocatione persistemus, nec indignos nos ea gratia, propria culpa reddamus, verùm semper cum Matthæo ipsi acclamamus, Sanctus, sanctus, sanctus omnipotẽs, qui erat, qui est, & qui venit. Hoc præstare, hanc esset festiuitatem piè celebrare, eóque modo Pharisæorum murmura, & aliorum, quibus hæ festiuitates minus placent, risus non modò nihil obessent, sed & prodessent plurimum. Gratia Dei nobiscum.

Apocal. 5.

IN

SERMO I.

IN DIE SANCTI MICHAELIS ARCHANGELI, EVANGELIVM MATTH. XVIII.

IN illa hora acceſſerũt diſcipuli ad Ieſum dicẽtes, Quis putas maior eſt in regno cœlorũ? Et aduocãs Ieſus paruulũ, ſtatuit eum in medio eorum & dixit, Amen dico vobis, niſi cõuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, nõ intrabitis in regnũ cœlorum. Quicũque ergo humiliauerit ſe ſicut paruulus iſte, hic maior eſt in regno cœlorũ. Et qui ſuſceperit vnum paruulũ talem in nomine meo, me ſuſcipit. Qui autẽ ſcãdalizauerit vnum de puſillis iſtis, qui in me credũt, expedit ei, vt ſuſpẽdatur mola aſinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Væ mũdo ab ſcandalis, neceſſe eſt enim vt veniant ſcãdala: verumtamen væ homini, per quem ſcandalum venit. Si autem manus tua vel pes tuus ſcandalizet te, abſcinde eam, & proiice abs te, bonũ tibi eſt ad vitã ingredi debilem vel claudũ, quàm duas manus, vel duos pedes habentẽ, mitti in ignem æternum. Et ſi oculus tuus ſcãdalizat te, erue eũ, & proiice abs te, bonum tibi eſt, vnũ oculum habentẽ in vitã intrare, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis. Videte ne cõtemnatis vnum ex his puſillis, dico enim vobis, quia angeli eorum in cœlis ſemper vident faciem patris mei, qui in cœlis eſt.

EODEM FESTO EPISTOLA APOCAL. XII.

ET factum eſt prælium magnũ in cœlo. Michael & angeli eius prœliabantur cũ dracone, & draco pugnabat, & angeli eius, et non valuerunt, neq; locus inuentus eſt eorum amplius in cœlo. Et proiectus eſt draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui vocabatur

Diabolus & Satanas, qui seduxit vniuersum orbem, & proiectus est in terram, & angeli eius cum illo missi sunt. Et audiuit vocem magnam in cælo dicentem. Nunc facta est salus, & virtus & regnum Dei nostri: & potestas Christi eius: quia proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante cõspectum Dei nostri die ac nocte: & ipsi vicerũt eum propter sanguinem agni, & propter verbum testimonij sui, & non dilexerunt animas suas ad mortem. Propterea lætamini cæli, & qui habitatis in eis.

SERMO VNICVS.

PRAESENS festiuitas nõ modò per se pia, verum etiam plena consolationis est, eóq; maiori deuotione celebranda. Vtique pias mentes decet in multis ac magnis Dei beneficiis, illa etiam vel semel toto anno meditari, quæ per angelos suos nobis defert, atque propterea ipsum laudare. Imò verò quotidiè id facere non iniquum arbitror, qui quotidiè eiusmodi beneficia accipimus. Sed vtinam (vt nunc hominum mores sunt) semel id tantùm, ea qua decet pietate quotannis efficeremus, cuius tanta vbique occasio, maximè ex hoc Euangelio subministratur. Si enim vel postremam in eo vocem considerauerimus, mox cum *Psal. 120.* Psalmista exclamabimus, Ecce non dormitabit neque dormiet, qui custodit Israel. Nusquã enim certiora indicia inuenies, Deum sine intermissiõe pro nobis vigilare, curámque nostri habere, quàm eo ipso, quòd hîc dicit, *Matth. 18.* Angelos *Psalm. 90.* paruulorum semper in cœlis faciem patris videre. Tum Dauid testatur, quòd Deus Angelis suis mandauerit custodire pios in omnibus viis suis, ne fortè offendant ad lapidem pe- *Hebr. 1.* dem suum. Tum Paulus hoc mandatum non vnum aliquem eorum, sed omnes in genere respicere docet. Omnes ministratorij spiritus sunt, missi in ministerium propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis. Iam verò singulos homines, singulos Angelos habere ex Christi verbis colligi potest. Videte, inquit, ne contemnatis vnum ex his pusillis, dico enim vobis, quia Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est: ac si diceret, Credentis vel paupertatem vel humilitatem conditionis ne respicias, sed hoc magis, quod tanti apud Deum æstimatur, vt proprio ipsum Angelo custodiat, imò ipse Deus eius curam habeat:

habeat: sitq; hoc indubitatum tibi, non teipsum hominem sed eius Angelum, imò ipsum Deum contemnere, si hominem ignominia affeceris: Angeli eorum, inquit, semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est, vbiq; Deum præsentem habent. Quæ sanè verba manifestissimè indicant non dormitare neq; dormire, qui suam nobis promisit tutelam. Ipse enim curam nostri gerit. Quod quantum sit, Dauid alibi ostendit cùm ait: Quid est homo, inquit, quòd memores eius, aut filius hominis, quia visitas eum? Minuisti eum paulominus ab Angelis, gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius oues & boues vniuersos, insuper & pecora campi. Et cui alteri creaturæ tanta Deus, vt homini, exhibuit? imò verò quam creaturam hominis vsibus Deus formauit atque ordinauit, in cœlo & in terra? Et hæc licèt sciamus, ipsi tamen non adhæremus, ab ipso deflectimus. Et quid præterea facere nobis debuit? Cùm nihil essemus, ipse creauit nos: simúlque nobiscum, ante nos, quæ necessaria nobis sunt, fecit: posteà verò propria voluntate deperditos & desperatos, redemit nos & reparauit. Insuper ea securitate muniuit, vt si voluerimus, liceat esse tutis, & quidem sine difficultate. Contra hominum enim impiorum incursus, secularis Magistratus gladij auxilium dedit: contra peccati insultus, spiritualem potestatem contulit: contra inuisibiles hostes, nempe diabolos, inuisibilem Angelorum tutelam proposuit. Vnde rectè ad Deum piis licebit exclamare, Ad te Domine leuaui oculos meos, qui habitas in cœlis. Auxilium meum à Domino, qui fecit cœlum & terram. Tum & confidenter in tribulatione positum fratrem consolabitur: Non dormitabit neque dormiet qui custodit Israel. Dominus custodiat te, Dominus protectio tua, super manum dexteram tuam. Per diem sol non vret te, neque luna per noctem. Dominus custodiat te, ab omni malo custodiat animam tuam Dominus: Dominus custodiat introitum tuum & exitum tuum, & hoc nunc & vsque in seculum. Ecce hanc consolationem hodierna festiuitas confert. Hęc nostra erit meditatio, vt Deo pro magna sua dilectione itq; cura gratias agamus, ipsum pro gratia sua prędicemus: Angelos eius deniq; pro indefesso ac fido ministerio veneremur. Nunc ergo quisque suum angelum appellet, ipsúmque colat, nec aliquē diem, qua ipsum non precetur, aut gra-

Psal. 8.

tias agat. Iacob patriarcham ſequatur, qui tota nocte cum angelo luctabatur: quæ ſanè colluctatio nil aliud præter fletum, & orationem erat, Oſee teſte. Non te dimittã niſi benedixeris mihi. Ante omnia autẽ, ne hæc Dei auxilia amittamus, caueamus: qui enim piis bonos angelos deputat, idẽ impiis malos præponere poteſt, ſicut ſcriptum eſt, Miſit in eos iram indignationis ſuæ indignationem, & iram, & tribulationem, immiſsionem per angelos malos. Sic etiam de Saul dicitur: Spiritus Domini receſsit à Saul, & exagitabat eum Spiritus nequã à Domino. Caueamus ergo ne ſanctos angelos à nobis expellamus: expellimus autẽ, quando contrario modo aduerſus ipſos viuimus: manent autem, cũ quę ipſi diligunt, amamus. ſimilitudo enim affectum cauſa dilectionis eſt. Sunt ergo in ſua natura angeli puri atque caſti, humiles obedientéſque erga Deum, benigni in homines. & tu puritatem caſtitatémque vitæ apprehende, humilitatem atque obedientiam ſectare, maximè proximi benignitatem amoré mq; indue, nõ modò vt ei beneficia præſtes, verùm etiam vt eum à ſcandalo & ira conſerues. ſic bonis Angelis tecum eſſe voluptas erit. Hæc ſunt, quæ hodiernũ exigit Euangelium, in quo Chriſtus paruulorum exemplo ad puritatem vitæque innocentiam: tum humilitatem ſimplicitatémque vocat: deinde etiam ad dilectionem incitat, tandem verò minis à ſcandalo deterret. Hæc hodie & cogitanda & facienda ſunt. Ideò enim hoc Euangelium de Angelis legitur. Quòd ſi contrariũ fecerimus, non iam angelici, ſed dæmoniaci ſumus & mali. Id quod ipſe Angelorum Deus à nobis auertat, Amen.

Gen. 32.

Pſal. 77.

1. Reg. 16.

IN DIE APOSTOLORVM SIMONIS ET IVDAE EVANGEL. IOAN. XV.

HAEc mãdo vobis, vt diligatis inuicẽ. Si mundus vos odit, ſcitote quia me priorem vobis odio habuit. Si de mũdo fuiſſetis, mũdus qđ ſuũ erat diligeret. quia verò de mũdo nõ eſtis, ſed ego elegi vos de mũdo, propterea odit vos mũdus. Memẽtote ſermonis mei, quẽ ego dixi vobis, Nõ eſt

ſeruus

seruus maior Domino suo. Si me persecuti sunt, & vos persequentur: si sermonem meum seruauerunt, & vestrũ seruabunt. Sed hæc omnia facient vobis, propter nomen meum, quia nesciunt eum qui misit me. Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatũ nõ haberẽt. Nũc autem excusationẽ non habẽt de peccato suo. Qui me odit, & patrẽ meũ odit: si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatũ nõ haberent. Nunc autem & viderunt, & oderunt, & me & Patrem meum. Sed vt adimpleatur sermo qui in lege eorum scriptus est: Quia odio habuerunt me gratis. *Psal.108.*

EODEM FESTO DIE EPIST.

ROMAN. VIII.

SCimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sanctis. Nã quos præscivit & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinauit hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iustificauit. quos autem iustificauit, illos & glorificauit. Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Quomodo non etiã cum illo omnia nobis donauit? Quis accusauit aduersus electos Dei? Deus qui iustificat? Quis est qui condemnet? Christus Iesus qui mortuus est, imò qui & resurrexit, qui est ad dextram Dei. qui etiam interpellat pro nobis? Quis ergo nos separabit à charitate Christi, tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius (sicut scriptum est, Quia propter te mortificamur, tota die æstimati sumus, sicut oues occisionis. Sed in his omnibus superamus propter eũ qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neq; principatus, neque virtutes, neque instãtia, neque futura, neque fortitudo, neq; altitudo, neq; profundũ, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu domino nostro. *Psal.43.*

SERMO VNICVS QVANDO hæc festiuitas in vicesimam secundam Dominicam Trinitatis incidit.

NON incongruè Simonis & Iudæ Apostolorum festiuitas dominicali Euangelio atque Epistolę cõuenit. Vtrũque euim Euangeliũ præter & iuxta fidem proximi quoque dilectionem, non sine singulari seueritate à nobis exigunt, Tũ quod Paulus in Epistola docet verbis manifestè in amborũ Simonis & Iudæ considerabimus exemplis. Hoc mãdo vobis, vt diligatis inuicẽ, Christ⁹ ait, Seueriſsimè dictũ: neq; enim facilè id genus voces multas inuenias, Mando, præcipio. imò nusquã, nisi vbi de proximi dilectione loquitur. Hanc non simpliciter proposuisse, sed mandasse vult. Mandatum, inquit, nouum do vobis, vt diligatis inuicem, Hoc est, præceptum meum, vt diligatis inuicem sicut dilexi vos. & hîc, Hoc mando vobis. Atque hîc, consilium an præceptum sit vide: an in tuo arbitrio ſter facere, an necessitate astringaris. Vtique proximi dilectio necessariò fidei additur, si modò Christiani dici, corámque Christo perstare voluerimus. Hoc mãdo vobis, inquit Christus, Atque hæc sanè piis dicta sufficerent: sed adhuc seueriùs in Dominicali Euãgelio isthæc proposita dilectio est. Illic enim proximi dilectio nõ modò præcipitur, verùm etiam sub grauissima Dei iræ pœna, æternáq; dãnatione cuique nostrum imponitur, quódque hoc suum mandatum seueriſsima intentione exacturus sit Deus, indicatur. Est enim totum illud nihil aliud, quàm si diceret, Videte & considerate, discipuli mei, qui erga vos ipse fuerim, qualem me fore promiserim. Peccatores fuistis, recepi vos in gratiam: multa debitorum onera vobis incumbebant, remisi omnia: potuissem ego pro iustitiæ seueritate in vos animaduertere, misericordiam præstiti: idem facio quotidiè, nec quicquam non facturum me spopondi, quandocúnque gratiam petitum ad me ieueritis. Sed idem inuicem faciatis, operam date, sin verò, & ipse cõtraham manum meã, oculos mentémque à vobis auertam: non vos meos cognoscam, sed veluti seueriſsimus Iudex inexorabiliſque ero. Licèt benignus antè fuerim, talisq; porro esse erga vos magis

Ioan. 15.

Matth. 18.

gis elegerim. Atque hæc Euangelij dominicalis intētio est. Sic & pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris. Et hæc sanè satis strictè dicuntur, & demonstrant, quare alibi Christus dicat, Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem. Ecce quomodo pulchrè hæc duo Euangelia consentiant, quæ ideò aliquantò plus roboris in nobis haberent, quòd non vno aliquo Christus in loco, sed vbique tanta grauitate de dilectione loquitur, vt quàm maximè in suis requirat, sine qua ne credentes quidem suos agnoscat. Sint ergo hæc de vtroque Euāgelio dicta: iam etiam Epistola dominicalis cum ipsa festiuitate conferenda est. Sic Paulus ait, Cōfido in vobis, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vsque in diem Christi Iesu, Sicut est mihi iustum hoc sentire pro omnibus vobis: eò quòd habeam vos in corde, & in vinculis meis, & in defensione, & confirmatione Euangelij socios gaudij mei omnes vos esse. Testis enim mihi est Deus, quomodo cupiam vos omnes in visceribus Iesu Christi. Et hoc oro, vt charitas vestra magis magisque abundet in omni scientia & in omni sensu: vt probetis potiora, vt sitis synceri & sine offensa in diem Christi repleti fructu iustitiæ per Iesum Christum in laudem & gloriam Dei. Ecce, quæ Pauli erga alios dilectio, cura, condolentia fuerit. Testis est mihi Deus, inquit, quomodo cupiam vos omnes in visceribus meis. Eiusmodi si quam mentem occupat dilectio, atque regnat, facit vt nihil tam cogitemus, quàm qua ratione proximus iuuari queat, quomodo acceptæ gratiæ dona illi communicemus. Hanc non vnus Paulus, sed cæteri quoque Apostoli omnes habuerunt genuinam dilectionem. Exiuerunt, atque Euangelium vbique prædicauerunt ea grauitate eáque seueritate, vt citiùs famem, sitim, contumelias, persecutionésque, imò ipsam etiam mortem tuissent passi, quàm neglexissent quę aliis prodesse ad salutem potuissent. Quotquot enim erant, omnium tamen, Luca teste, cor vnum & mens vna erat. Nempe illud ipsum est quo se veros Dei filios, discipulos, atque imitatores Christi ostenderunt. Tales enim filios Deus requirit, tales & ipse Christus discipulos exigit. Atque ex his, arbitror, facilè erit quomodo non solū ambo Euangelia, verū etiā Epistola atque hæc festiuitas pulchrè sibi cōsentiāt: & q̄ non simplex, sed quadruplex credētibus ad dilectionē incitamentū hodiè detur colligere. Euāgeliū enim Domi-

Phil. 1.

Act. 3.

nicale dilectionem respicit, festiuale eandem præcipit. In Epistola suam quoque Paulus ostendit, & hanc ipsam ambobus Apostolis considerauimus. Tot ergo dilectionis incitamẽta ne fratres, ventis committamus, sed in charitate ambulemus magis vt simus filij Patris nostri qui in cœlis est. Gratia Dei nobiscum, Amen.

IN DIE OMNIVM SANCTORVM DEI EVANGELIVM MATTH. VI.

VIdens Iesus turbas ascendit in montem: & cũ sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius, & aperiens os suum docebat eos, dicens, Beati pauperes spiritu; quoniã ipsorum est regnũ cœlorũ, Beati mites: quoniam ipsi possidebũt terrã. Beati qui lugent: quoniam ipsi consolabũtur. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam: quoniã ipsi saturabũtur. Beati misericordes: quoniã ipsi misericordiã consequẽtur. Beati mũdo corde: quoniã ipsi Deũ videbunt. Beati pacifici: quoniã filij Dei vocabũtur. Beati qui persequutionẽ patiũtur propter iustitiam: quoniã ipsorũ est regnum cœlorũ. Beati estis, cùm maledixerint vos homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malũ aduersum vos mentientes propter me. Gaudete & exultate: quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.

EODEM FESTO DIE EPISTOLA APOCAL. VII.

ET *vidi alterũ angelũ ascendentẽ ab ortu solis, habentẽ signum Dei viui: & clamauit voce magna quatuor angelis, quibus datum est nocere terræ & mari, dicens, Nolite nocere terræ & mari, neque arboribus quoadusque signemus seruos Dei nostri in frõtibus eorum. Et audiui numerũ signatorum, centum quadraginta quatuor millia signati ex omni tribu filiorum Israel. Ex tribu*

Iuda

Iuda, duodecim millia signati. Ex tribu Ruben, duodecim millia signati. Ex tribu Gad, duodecim millia signati. Ex tribu Aser, duodecim millia signati. Ex tribu Nephthalim, duodecim millia signati. Ex tribu Manasse, duodecim millia signati. Ex tribu Simeon, duodecim millia signati. Ex tribu Leui, duodecim millia signati. Ex tribu Ioseph, duodecim millia signati. Ex tribu Beniamin, duodecim millia signati. Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, stantes ante thronum, & in conspectu agni, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum. Et clamabant voce magna dicentes, Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, & Agno. Et omnes Angeli stabant in circuitu throni & seniorum, & quatuor animalium: & ceciderunt in conspectu throni in facies suas, & adorauerunt Deum, dicentes, Amen: benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor & virtus, & fortitudo Deo nostro in secula seculorum, Amen.

SERMO PRIMVS. SIC HONORABITVR, SIVE HOC HONORE DIGNVS EST, QVEMCVNQVE REX VOLVERIT HONORARE. Esther 6.

CONVENIENTIVS huic sermoni exordium nescio, quàm verborum, quibus olim diuus Augustinus vsus est, recitationem. Hodie dilectissimi, inquit, omnium sanctorum, sub vna solennitatis lætitia celebramus festiuitatem, quorum societate cœlum exultat, quorum patrociniis terra lætatur, quorum triumphis Ecclesia sancta coronatur, quorum confessio quantò in passione fortior, tantò est charior in honore: quia dum creuit pugna, creuit & certantium gloria, & martyrij triumphis, multiplici passionum genere adornatur, per quæ grauiora tormenta gratiora fuere & præmia. Beati estis, inquit Christus, cùm maledixerint *Matth. 5.* vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos, mentientes propter me. Gaudete & exultate: quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Dei enim ineffabilis & immensa bonitas etiam hoc prouidit, vt laborum quidem tempus & agonis non extenderet, nec longum faceret aut æternum, sed breue: & vt ita di-

cam,

cam momentaneum. Vt in hac breui & exigua vita agones essent & labores, in illa verò quæ æterna est corona & præmia meritorum: vt labores quidem citò finirentur: meritorum verò præmia sine fine durarent: vt post huius mundi tenebras visuri essent candidissimam lucem, & accepturi maiorem passionum cunctarum acerbientibus beatitudinem,
Rom. 8. testante hoc Apostolo, qui ait, Non sunt cõdignæ passiones huius temporis ad superuenturam gloriam, quę reuelabitur
1. Cor. 2. in nobis. Et iterum, Non oculus vidit, nec auris audiuit, nec
Isa. 64. in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se. Quàm læto igitur sinu de prælio reuertentes ciuitas cœlestis excipit, de hoste prostrato trophæa ferentibus occurrit. O magnitudinem honoris atq; gaudij, quando Christus ipse ões suas in æternum ouile suum annumerauerit, vnicuique mercedé promissam dederit, pro mortãneis æterna, pro terrenis cœlestia: vbi ad paternæ eos claritatis faciẽ adduxerit, in cœlestia bona collocans, regnum cœlorum aperuerit, æternitatémque amatoribúsque suis & immortalitatem largitus fuerit, atque eos quos sanguinis sui viuificatione reparauerit, denuo in Paradisum reduxerit: idq; fide & veritate suæ pollicitationis. Hæc hæreant firmiter sensibus nostris, hæc intelligantur plena fide, hæc toto corde diligantur, hæc indefinentiũ operum magnanimitate acquirantur. Via salutis strata est multa millia nos præcesserunt,
Ephe. 2. tantùm ne tardantes nobisipsis impedimento simus, Curramus iter vitæ, reuertamur ad ciuitatẽ cœlestẽ, in qua scripti sumus & ciues decreti: non sumus hospites, sed ciues sanctorum & domestici Dei, etiã illius hæredes, cohæredes autem Christi. Consideremus inclytam vrbis huius, huius fœlicitatem, in quantũ considerare possibile est. Vt enim verè est, comprehendere nullus sermo sufficit. Et quid Scriptura dicit? Ciuitas illa non egebit lumine solis, sed Dominus omnipotẽs illuminabit eã. Et lucerna eius est agnus. Et portæ eius non claudentur per diem: nox enim nõ erit illic, nec intrabit in eam aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens, & mendacium: dolor tristitia & gemitus aufugient.
Isa. 35. Et quid hac vita beatius, vbi nec egestas, nec morbus timetur? nemo læditur, iratscitur nemo, nemo inuidet. Non est senectus, non miseria, cupiditas nulla exardescit, nullum sibi desiderium, nulla honoris pulsatio, aut potestatis ambitio. Nullus diaboli metus, insidiæ dæmonum nullæ, terror gehennæ

hennæ procul: mors vbi nulla, nec corporis, nec animæ. Verùm super hæc omnia est consociari angelorũ & archangelorum cœtibus, thronis etiam & dominationibus, principatibus, & potestatibus. Ad hæc omniũ fœlicissimũ est Deum videre, cuius decus, pulchritudo, virtus gloria, magnificentia, atque majestas omnem sermonem aufugit. His verbis diuus Augustinus in hac olim solennitate ad populum vsus est. Et sanè cui rei, hæc solénitas seruiat, ex his facile erit intelligere, quando tantam nobis spem consolationémq; adferant, nempe quod Deus non iam temporanea atque spiritualia, verumetiam æterna daturus sit. In lege quidem terrena promisit, in Euangelio spiritualia: hæc verò solénitas æterna pollicetur, hæc veram fœlicitatem cõferunt sola: verùm iustis tantùm reposita. Hæc sunt quasi funiculus triplicatus, quo Deus nos trahit, & sanè his qui non trahitur, spem nullam de se pollicetur. Et Publicani quidem atque Ephori nec Deum nec fœlicitatem curabant: attamen vbi Christus spiritualia promittebant, accurrebat. De Iudęis nihil dico, qui animales, tantùm carnalibus acquiescebãt. An verò pios non trahere, his tribus simul propositis omnibus: quemadmodum hodie nõ in vno aliquo, sed in multis fratrum millibus completa videmus? Hac nos parte laboramus maximè, quod hãc festiuitatem non respicimus: alioqui satis impelleret atque incitaret. Copiosiùs igitur aliquantò de hac solenni celebritate mihi dicendum est. Neque enim toties admonere, tantáque grauitate impellere possumus, vt non vel maxima pars desides torpescant. Sed ne longiùs vos suspendam, vnicam tantùm historiam libet proponere, imò verò cogitandam vobis permittere. Et ea quidem eiusmodi erit, quæ ad docendum ea quæ hodie meditanda sint, quæ sanctorum Dei vita fuerit, quæ modò beatitudo ipsorum, quæque futura sit in æternum, quid in illis mundus, quid Deus operatus sit atque fecit, sufficiat. Est autem ipsa Mardochæi historia, quæ meo quidem iudicio, non iniquè huic conuenit festo, hæc inquam, ad incendendum in sanctorum vestigiis nos incitabit, faciétque nos minus dubitare, imò quicquid ad hanc festiuitatem attinet, ostendet. Accipe ergo quid in illa historia referat. Refert liber Ester, Assuero Monarcha Persiæ, duos fuisse viros in regno ipsius longè diuersissimos, alterum Aman potentem quidem illum in aula, sed impium: alterum Mardochęum Iudęum, non quidem *Ester. 6.*

dem

dem mundo celebrem, sed Dei timentem, fidúmque Regi, illum quidem opulentia, honoribus, fortunis, maximè verò Regis fauore eò adactum fuisse arrogantiæ, vt suiipsius oblitus, sibi immeritos honores appeteret, omnium genicalationem atque adorationem exigeret: verùm contra Mardochæum, qui id solus facere nollet, ira desęuiisse, mortis in illum pœna, nec solùm in illum, verumetiam in omnes reliquos Iudaicæ gentis animaduertere statuisse, atque eò rem deduxisse, vt edicto quodam, omnium Iudæorum interitioni indicta esset dies. Ad hæc patibulũ in suis ædibus erexisse, scilicet necis Mardochæi instrumentum, huiúsque potestatem à Rege posterà luce sibi promisisse, nec quicquam ad totam hanc rem perficiendam præter tempus, quo Regem adire liceret postulauisse. At Regem noctem illã duxisse insomnem (Deo ita prouidẽte) iussisséque historias atq; annales priorum tẽporum adferri, ventúmque fuisse ad illum locum, vbi scriptum erat, quomodo nuntiasset Mardochęus insidias Eunuchorum, Regem iugulare cupientium. Hæc tum audienti, & quid pro hac fide præmij consecutus fuisset Mardochęus, quęrenti Regi, responsum esse, nihil. Tum, accersito Aman, necémque Mardochæi illa ipsa hora paranti, dixisse, Quid debeat fieri viro, quem Rex honorare vellet, illum verò, nihil minus quàm Mardochæo tantos honores parari cogitantem, séque ipsum solùm iis dignum somniãtem, respõdisse: Hominem, quem Rex honorare cupiat, indui debere vestibus Regiis, imponíque super equum, qui de sella Regis est, & accipere regium diadema super caput suũ, huius equum tenere primum de principibus ac tyrannis regiis, pérque plateas præire, clamare ac dicere, Sic honorabitur quemcúnque Rex voluerit honorare. Paulò post autem Aman ipsum indignationem Regis promeritam incidisse, ínque non his vsibus suæ domus patibulum paratum, fuisse suspensum: cõtrà Mardochæum summis honoribus exaltatum horrendę comminationis edictum reuocauisse, aliúdq; illi contrarium, quo decretum erat, hostes persecutorésque Iudæorum vna die iugulari, erigi procurauisse, atque ita factum fuisse piorum omnium exultatione & tripudio, impiorum verò extrema perditione. Hanc historiam hîc libet intueri, & quidẽ secularis quędam historia, nihil ad hanc festiuitatem faciens. Sed si penitius introspicere voluerimus, eadem Dei opera iudiciáq; in ea annotata cõperiemus, quæ

hodie

hodiè in electis prædicamus atq; extollimus omnibus. Nil refert Assuerum tanquam hominem Ethnicum huc non respexisse: imò verò verisimile est ipsum & cùm in Iudæos, & cũ in Aman decerneret, nec Deũ nec Dei cogitauisse iudicia: nihilominus tamen hæc mera sunt Dei iudicia. Et huius plus quàm Assueri iudicia considerandа sunt. nam & malorum sæpè consilia atque opera ad sua magnalia cõuertit. Si quæris exemplum, Deus per Christi mortem humanum genus liberare statuerat: Iudæorum tamẽ ad hanc rem vtitur malitia. Et hi quidem parũ admodum humanã redemptionem cogitabant, tantùm vt suam in Christo inuidiam explerent. Et longè aliter Euangelistæ indicant. Sic de Pilato, Voluit Deus filium suum per vniuersum mundum designari Regem. Ad hanc rem Pilati crucis titulum scribẽtis manu Deus vsus est. Id quod Pilatus minimè cogitabat, tantúmque Christum seditiosum euulgare, quo à nomine iniqui facinoris culparetur, volebat. Ita hic quoque ostendere volui impiorum interitum, piorum verò salutẽ. Et hanc rem idoneis, Aman & Assuero vsus est. Propterea nõ hi, nec etiam Mardochæus tantùm, sed in primis Deus intuendus est. Huius in hac historia, iudicia operáq; cõsideranda sunt. Aman quidem pios perdere studuit, Mardochæus damnationis sententiam sustinebat. Vtrobique Deus operabatur, tandem etiam suo iusto decernit iudicio, quo pij liberati, impij trucidati sunt. Annon etiam hodie eiusmodi iudicia Dei inueniri putas? quod Aman contra Iudæos, hoc etiamnum Satan cum mundo machinatur verè credentibus: quod Mardochæus cum suis sustinuit, idem nũc etiam pij à mundo perferre coguntur. vtrobique Deus permissio est, quę impiorũ in pios sæuientiũ malitiã ad tẽpus sustinet, sed non in æternum silet: piorum verò ad modicũ tribulationes aspicit, nõ tamen in finem misericordiã suam abscondit. Quia non relinquet Dominus virgam peccatorũ super sortem iustorũ, sed nouit suos de tẽrationibus eripere, nouit & perdere impios. Hæc præsens festiuitas ostẽdit. Et hac ratione Assueri regnũ, nil nisi prẽsens vita est, quę semper bonos mistos malis habet. Aman malorũ speculũ est, qui nec ipse Deũ reuerebatur, nec pios ferre voluit. Mardochæus piorum exemplũ est, qui Dei timens, omnia tamen aduersa expectare habuit. Vt igitur Aman Mardochæum, sic mundus impius istos nõ sustinet: id quod omnes testantur historiæ. Superioribus an

Psalm.124.

bus annis multis Ecclesiastica historia exẽplis ostendi, qua peruicacia Aman ab ipso exordio mundi contra fratres nostros in Ecclesia desæuierit, quidq; hi passi sint. Christus ea
Ioan.15.16. prædixerat, Si me persecuti sunt, & vos persequentur. Et, Venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obsequiũ se præstare Deo. Neq; enim Aman secus facit quãdiu hoc ipsi à Deo permissum fuerit, hoc festũ intueamur, & videbimus Deum non minùs mirabilẽ in mutatione fratrũ nostrorum quàm in Mardochęi variatiõe. Quibus ipsi persequuti sunt, interierũt: ipsi verò qui persequutionẽ passi sunt, ad sũmos honores euecti sunt, & huc Satanã atq; ipsum mũdũ suos labores conferre præter voluntatẽ, oportuit, quemadmodũ & Aman mortem quidẽ Mardochęi machinabatur, sed præire eũ, corámque omnibus honorẽ deferre, eiusmodi planè, quẽ ipse nunquã consecutus fuisset: in equum regium collocare eum, regiã vestẽ induere, diadema capiti eius imponere, anteire atq; acclamare, Hoc honore dignũ esse quẽcúmq; Rex honorare voluerit. Hæc Aman in Mardochæo obtinuit. Et quid præterea mundus lucratus est in fratribus nostris, nisi q ad summos honores perduxit? Tyrannos omnes recense, quid obfuerunt? nihil, quin hoc magis effecerunt sæuientes, quò nunc totus mundus ipsorũ prædicet fidẽ cõstantiámq;, Quòd si Tyranni non sæuiissent, dimidia Martyrum pars
Sapien.5. ne quidem conuersa fuisset. Visi sunt oculis insipientiũ mori, & exitus ipsorum æstimabatur insania. Quòd si non dum hoc videt Aman, suo tamen experietur tẽpore, quod Salomõ
Sapien.5. dixit impleri: Stabũt iusti in magna cõstantia aduersus eos, qui se angustiauerũt, & abstulerũt labores eorũ. Et nos quidẽ isthæc experientia didicimus: nihil contemptibilius in
Heb.11. terris fuit sanctis, nihil nunc iisdem prestantius, nomen eorum in vniuerso mũdo claret. Saulus initiò ipsos persequebatur: postea ipsis coniunctus defendebat atque laudabat. Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adempti repromissiones, obturauerunt ora leonum, & vim ignis extinxerunt, conualuerunt in infirmitate, effugerunt aciem gladij, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum. Annon & hic tibi Amã quidam fuisse videtur, qui quem priùs perdere voluit, huic postea equum ducit & clamat, Hoc honore dignus est quemcúnq; Rex honorare voluerit? Ecce hæc præsens festiuitas indicat, quæ meritò nos confirmãt aduersus omnia mundi aduersa, omnẽque tyrannidem

ni dem impiorum,quando hodie tot nobis proponũtur millia fratrum noſtrorum,quibus iſta non modò nõ abfuerũt, verumetiam vehementer profuerunt. Primò in iudiciorum Dei admirationem nos inducere debent, in quibus Deum omnia quæcũq; aduerſum nos moliuntur impij,in noſtram vtilitatem poſſe conuertere videmus. Tum iucunditate quadam nos erga fratres perfundere,in quibus iam dudũ Deus magnalia ſua operatus eſt. Sed & in omnem pietatem incitare nos,quòd tãto ſanctos honore dignari Deũ ipſorũ exẽplo diſcimus. Regis eos veſtibus ornat, imponit in equum regium ſuum,regio diademate decorat tum hoſtes ipſorũ præire,ipſorúmque laudes perſonare facit. Et quæ veſtis illa regia? quòd liberati nõ ſolũ à peccato, ſed & à peccati formidine,quã à nobiſipſis non habentes,iubemur emere. Regius equus eſt, ab omni malo ſecuritas, vnde confidentiùs agere poſſunt. Aureum diadema, plena animæ corporíſque beatitudo eſt,qua ipſos circundat vndequaque ne quid deficiat, & hoc digni ſunt honore: id quod ipſe etiam mundus nolit velit confiteri cogitur. Atq; ab initio quidem hunc honorem impedire ſtuduit,ſed non potuit, imo promouere coactus fuit. Atq; hæc nobis ad pietatem incitatio erunt. Non enim omnibus,ſed iis tantùm quos Rex honorare vult,contingunt. Iam verò hos honorare vult, à quibus ipſe priùs honoratus eſt,ipſi ſeruiunt. Mardochæus ſis oportet, non perſona,ſed imitatione,ſi tamẽ honoris huius particeps eſſe voluerís,vita imitanda eſt ſanctorum, ſi honorẽ conſequi voluerimus ſanctorũ. Regnum cœlorum in noſtra poteſtate conſiſtit: vim patitur,& violenti rapiũt illud. Aliud nõ quærit pretiũ,quàm teipſum,tantum valet,quantum tu es,te da & habebis illud. Nemo turbetur de pretio: Chriſtus ſemetipſum tradidit,vt acquireret te in regnum Dei patris, ita & tu teipſum da,vt ſis regnũ eius, ac non regnet peccatum in mortali tuo corpore,ſed ſpiritus in acquiſitionẽ vitæ. Vt igitur cũ Auguſtino exorſus ſum,ita cũ eodẽ cõcludã. Ad hæc, inquit,operũ ſalutariũ dilectiſsimi palmã libẽter ac prõptè certemus oẽs in agone iuſtitiæ, Deo & Chriſto ſpectãte curramus. Et qui ſeculo & mũdo maiores eſſe cœpim⁹, à curſu noſtro nulla ſeculi cupiditate tardemur. Si expeditos,ſi celeres in hoc operis agone, ſi currentes dies vltimus inuenerit nuſquã Dñs meritis noſtris ad præmiũ deerit remunerator. Quòd coronã purpureã in perſecutione pro paſſione dona-

Apoc.3.

Matth. 11.

uit,ipſe in pace viuentibus pro iuſtitiæ meritis dabit candidam. Nam nec Abraham,nec Iſaac,nec Iacob occiſi ſunt, & tamen fidei & iuſtitiæ meritis honorati inter Patriarchas primi eſſe meruerunt. Memores eſſe debemus voluntatem non noſtram,ſed Dei facere debere,atq; hæc hodie prodeſſe nonnihil poſſent. Gratia Dei nobiſcum, Amen.

SERMO SECVNDVS.

QVò cõuenientiore modo hũc ſermonẽ exordiar, quàm ſi ea quæ heri ex Regum libris audiuimus, rurſus in memoriã reuocauero,neſcio. Quanquã perinde eſt ac ſi nigrum albo cõpares. Illic enim quid Adam ſoboles cogitet, loquatur moliatur,efficiat: hîc verò quid Dei filij ſint atque cogitent,videmus. Illi pro terreno regno ſudãt: hi pro æterna patria certant,atq; hæc perinde atq; nigrũ ab albo diſſident: nihilominus ad rem faciũt, nẽpe vt cõparatiõe duorũ rectiùs q̃d Dei,q̃d mũdi huius ſpiritus ſit atq; faciat,cognoſcamus. Adde q̃ & reſponſionẽ facilioré facit cõtra eos, qui eiuſmodi feſtos dies,hãc maximè celebritatẽ rident, ſuperfluúmq;,omniũ ſanctorũ memoriã tanta honorificẽtia peragere,iudicant. Non enim ſpiritui ſancto vanũ quid,aut inutile viſum eſt: ſed & ſcripturis oſtenditur, quomodo Deus antiquitus ſua iuſtitia atq; ira in impiorũ animaduerſiõe vſus ſit,qui nihil aliud ſunt,quã vaſa iræ,præparata in interitũ,& in vindictã iræ Dei. Tũ verò nec hoc vanũ erit,qua ratione Deus miſericordiã ſuã gratiãq; in vaſis miſericordiæ atq; gratiæ oſtẽderit,cogitandum proponere. Illud quidẽ vt timere,ita hoc ſperare docemur. Illud timorẽ,hoc Dei dilectionẽ atq; amorẽ ſuadet. Iã verò omnino præſtat,omnia nos ex animo atq; vltrò facere,quã ad id faciendum impelli. Si ergo impij Roboã eiúſq; populi malitiã,imò impietatem & incredulitatem,tum ſequentẽ pœnam ſancta Scriptura tam apertè deſcribit,ad deterrendos monendóſq; poſteros: ſanè, q̃ in Eccleſia fidẽ dilectionẽ,patiẽtiã Dei electorum cõmemoramus atq; prædicamus, nemo mirari debet, nẽpe nobis cæteriſq; Chriſtianis omnibus exemplo atq; incitamẽto eſt quicquid in ſanctis cognoſcimus pulchrũ. Has duas ob cauſas hodierna feſtiuitas, heſternáq; Roboã hiſtoria pulchrè conueniunt: nẽpe vt Spiritũ Dei eiúſq; effectus ex oppoſitis rectiùs cognoſcamus,noſtrãq; hãc feſtiuã ſolẽnitatẽ meliùs defendamus. Et certè nõ parui momẽti,cui fundamẽto Eccleſiæ feſtiuitates innitãtur, & quid in piis Spiritus ſanctus

effic-

ficiat, cognoscere. Facilè enim in abusum abeũt Ecclesiæ festiuitates, quantũlibet rectè institutæ, quarũ causæ ignorãtur: cum citò ad prauã impiámq; vitã dilabimur, vbi non & iuxta Euangelij sermonẽ, exẽplũ eorũ in quibus Spiritus sanctus ab initio operatus est, proponitur, quod qui credere nolit, seculi respiciat huius mores, an non Ecclesiæ festiuitates apud plurimos, in pernitiosum abusum abierunt? Non hîc de plurima parte illorũ, qui his festiuitatibus in otium, imò peccandi occasionem abutuntur loquor: sed de his mihi sermo est, qui seueriſsimè iis intendunt. Hîc quanta superstitio, hypocrisis: quã nihil veræ pietatis, cultusq; Dei genuini est? Vnde id verò, nisi quod nulla, cur institutæ sint, cogitatio? Ea verò & aliarũ rerum cõditio est: an nõ totus Christianus orbis etiã illi, qui incõsultis, imò immeditatis prędicationibus suis nõ minima huius mali causa sunt, de vitæ impietate, nempe iuuentutis conqueruntur? vnde id verò, nisi sublatis è medio sanctorũ exẽplis: contrà, Ethnicarũ, Turcicarũ, bellicarum, inhonestarum, impiarúmq; rerum imagines ipsorum præfigimus oculis? Et quid hinc sperandũ tãdem est: quam posteris nostris relicturi sumus Ecclesia, qui Dei cultu superstitiosi, moribus Mahumetici sumus? Agè ergo, eò charior nobis hæc festiuitas erit, eò diligẽtiùs atq; alacriùs circumspiciemus ad eorũ exẽpla, qui in vita sua nõ modò in via Domini ambulauerunt: verumetiam modò patriam cõsecuti sunt. Et horũ hodie nõ vnus aliquis, sed multa millia ante oculos nostros ponuntur. Audiui numerũ signatorum, inquit Ioãnes, cẽtum quadraginta quatuor millia ex omni tribu filiorũ Israẽl. & iterũ, Vidi turbã magnam, quã dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis. Quòd si & nobis eiusmodi essent oculi atq; aures, quibus iucundum hoc spectaculũ videre atq; audire possemus, impossibile esset, quin & intimis affectibus exultaremus, & ad omnẽ pietatẽ redderemur promptiores. Quandoquidem ergo tãtùm nostra refert, non possum non de hac festiuitate aliquantò tractare fusius, verùm Roboã impium, seditiosãmq; eius cohortem hac vice missum faciam. Tamen ne vos æquo diutiore mora detineam, néue etiã ad ea quæ superioribus annis à me dicta sunt recida, placuit ex Paulo aliquid, quod & hodie in Ecclesia personuit, proponere: est autem prima laudũ antiphona, quam si hodie rectè meditati fuerimus, sanè nõ sine fructu hęc no-

Rom.8. bis solemnitas peribit. Agè ergo Paulus sic ait, Scimus quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt. Ecce Paulum nō leuem scriptorem, grauissimè testificantem. Quòd si & ea, quæ in Paulo his apposita sunt cogitare voluerimus, periucundam huius festæ diei conferent memoriam. Et licèt hæc tantùm verba initio legantur, occasio tamen per hęc præcedentia & quæ sequuntur cogitandi offertur. Da sapienti occasionem,

Prouerb.9. inquit Salomon, & addetur ei Sapientia. Iam verò hæc modò recitata Pauli verba, tam sunt consolationis plena, vt eius farinæ plura, & præcedere & sequi dubitare possit nemo. Neq; enim tantæ consolationis alia in toto Paulo facilè inuenies, maximè quæ, vt hęc, ita commodè huic solennitati conueniant. Proinde rectè totā illam verborum seriem, vnde hęc desumpta sunt, recitauero. Audiuistis ergo dixisse Paulum, Scimus quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, vocati sunt. Et hæc sanè intelligentibus sufficerent, tantúsq; magna diuturnæ meditationis causa essent. Tam magnificè enim Paulus de piorū fœlicitate loquitur, vt ad Christianismum posset pellicere eum, qui nunquā ea religione delectatus esset: deinde tanta prudentia sensus vtrobiq; format, vt nemo sibi quicquam his verbis possit tribuere aut polliceri, nisi ingenuè sit Christianus. Principiò enim non simpliciter de credentibus, sed de diligentibus. Id quod minimè illi incogitanti excidit: nempe verè credētes, in quibus per dilectionem fides operatur, intelligi voluit: aliàs passim de fide atq; eam habētibus nudè loquens, de ea fide intelligi fortè à quibusdam potest, quam se habere multi persuadēt, hîc verò aliquatò expressiùs perspicuè, vt de viua fide loqui necessariò intelligatur. Primò ait, Scimus quia diligentibus Deū omnia cooperantur in bonum. Deindè & alia cautelā addit: His inquit, qui secundum propositū vocati sunt sancti. Id quod ipsum quoq; immeditatus non dixit, sunt enim qui ad tēpus credāt, fidéq; suā dilectionis operibus ostendat, sed nulla his inest constantia: vocati quidē sunt, sed non secūdum propositum, verū secundū præsentē iustitiā. Propterea nec hi sunt, quibus omnia cooperātur in bonū. Ecce tā prudēter hîc Paulus loquitur: ac si diceret, Ingentia vobis de beatorū fœlicitate dicā, nō aūt de credēcibus simpliciter loquor, sed de diligētibus: nec rursus de his, qui ad tēpus credunt, sed qui secūdum propositū vocati sunt sancti. Et quid de his, Paule, dicis? Omnia iis coope

rantur in bonum. Primũ omnes creaturæ: ex his enim Deũ agnoscunt. Secũdò, quicquid à Dei manu suscipiũt bonorũ, ex his enim ad gratiarum actionem incitantur. Tertiò beneficia Dei in proximis visa: ex his enim similia à Deo sperat. Quartò, impiorũ peccata: ex his enim cautior fit. Quòd si & pœnam horum considerat: hinc timet. Si & ipse Dei animaduersionem per aduersa sustinet: seipsum agnoscere Deúmque precari discit. Si inimicis vel hostibus molestatur, ardentiùs orat: imò verò si & in peccata lapsus fuerit, Dauid exemplo fit ad pietatem feruentior, ad humilitatem propensior. Breuiter, omnia cooperantur illi ad bonum. Et hoc inquit Apostolus, Scimus. Vnde id verò? Ex Scripturis, ex promissione Dei, ex patrum historiis, experiẽtia, & hoc ipso festo. Scimus quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Et quid tali Christiano beatius, cui omnia cooperantur in bonum? Quod si ita est, vt verè est, haud dubiè contraria impiorum ratio est. Atque ita quidem omnino est. Sani sunt, & leues: diuites, superbi, in eminentia constituti, elati: si prosperè omnia succedunt, Dei obliuiscuntur: si aduersis impetuntur, contra Deum murmurant: si aliorum fortunas vident, inuident: Si mala considerant, exemplum impietatis sumunt: si labi contigerit, desperant. Ecce quanta hæc meditatione digna sunt? Neque tamen hic Paulus quiescit, plura enim eiusmodi addit. Quos præscinit, & prædestinauit conformes fieri imagini filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinauit, hos & vocauit: & quos vocauit hos iustificauit. Quos autem iustificauit, illos & glorificauit. Ecce hæc consequẽter in Paulo superioribus addita sunt: omnia verò huic omnium sanctorum festiuitati conueniant. Principiò, quis eos sanctificauerit audis, & quibus mediis, quícq; hîc considerandum nobis sit, omnẽ Paulus iustitiam, sanctitatẽ, glorificationem, non nobis, sed Deo ascribit. Deus illos præscinit & prædestinauit, inquit Paulus. & Christus ad discipulos loquens ait, Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. & Dauid, Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriã. &, Cũ essemus inimici Dei reconciliati sumus per mortem filij eius. &, Non ex operibus iustitiæ, quę fecimus nos, sed secundũ misericordiam suam saluos nos fecit. Huc & illud pertinet quod Ioannes scribit, sanctos omnes Deo & agno honorem salutémq; tribuisse. Deinde & media Pau

Rom. 8.

Ioan. 15.

Psal. 113.

Rom. 5.

Tit. 3.

Apoc. 7.

lus enumerat, per quæ Deus suos ad se attrahit, à peccato ad iustitiam, à iustitia in gloriam, quorũ multa recenset: primò præsciuit, deinde prædestinauit. Et hoc aliquanto amplius est, nam & malos quidẽ præsciuit: sed hos, pura sancto-, etiã prædestinauit conformes fieri imagini filij sui, hic atque in futuro. Vnde omnes persequutionẽ passos sequitur. Et quid prætereà? quos autem prædestinauit, hos & vocauit, quos autem vocauit, hos & iustificauit: quos autem iustificauit, hos & glorificauit. Ecce media, per quæ Sancti ad gloriam perrexerunt. Et per hæc ipsa nobis quoque eò perueniendũ est. Atque hic optima omnia considerandi causa datur, qua ratione Deus in suis efficiat. Verè enim hic locũ habet: Mirabilis Deus in Sanctis suis, mirabilis in prædestinatione, mirabilis in vocatione. An non admiratione dignum est, quod de prædestinatione loquitur? Elegit nos in Christo, ante constitutionem mundi. Adhuc magis mirandum est quod Christus ait, Confiteor tibi pater domine cœli & terræ, quia obscondisti hæc à Sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Et in Malachia, Nónne frater erat Esau Iacob, dicit Dominus? &, dilexi Iacob, Esau autem odio habui. Hæc sanè Paulus admirari satis non potuit, cùm exclamat, O altitudo sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia, inuestigabiles viæ eius: vtique fateri oportuit, neminem huius causam indicare posse. Eadem & vocationis ratio est, Annon admirandũ quid est, quod Paulus ait, Non multi potẽtes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, Annon plenum miraculo est, Christum in Euangelio eum vocare, qui moram trahebat, alium vitro se offerentem ablegat? annon admiratione dignum est, Neronem persequi Christianos, Senecam verò Pauli familiaritate vti: Diocletianum, tot Martyres facere, ipsius vxorem ad fidem vocari? ita consequẽter de Decio & aliis: annon miraculi locum habet, Deum Iudæos pulsare, Gentes ad se vocare? Vide quanta hîc in Sanctorum vocatione consideranda sint, eadem & in iustificatione ratio est: annon admirãdum quid est, Deum ex peccatore iustum, ex filio Adam, Dei filiũ facere? & hoc in omnibus Sanctis effecit. Eratis aliquando tenebræ, inquit Paulus, nũc autem lux in Domino. & alibi, Sed hæc fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis per nomen domini Iesu, & per spiritũ Dei nostri. Verùm quomodo electos suos Deus

Eph. 1.
Matt. 11.
Malach. 1.
Rom. 9.
1. Cor. 1.
Matt. 8.
Ephes. 5.
1. Cor. 6.

in futuro

in futuro sit glorificaturus, nulla lingua enarrare sufficit. 1.Cor.2.
Nõ oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascẽ
dit, quæ præparauit Deus diligentibus se. & Ioan. Nũc filij
Dei sumus, inquit: & nõdum apparuit quid erimus. Scimus 1.Ioan.3.
quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam vide-
bimus eũ sicuti est. Vita nostra abscondita est cum Christo
in Deo: cùm autem Christus apparuerit vita nostra, tunc &
apparebimus cũ ipso in gloria. Ecce quanta hîc considera-
da occurrũt, si quis excutere velit, quomodo singulos Deus,
& ad quid vocauerit, quomodo iustificauerit. Sed ais, Nun-
quid hæc de Sanctis cogitare sufficit? minimè: neque enim
nostri obliuiscì nos docet. Quid ergo ad hæc dicemus? qua
ratione Dei in electis operibus vtemur? Quid inde discẽdũ
est? Paulus hoc docebit: hoc nimirum, ℣ Deus pro nobis est.
Certa omnino iudicia Dei sunt, ℣ diligit nos, quòd propitia
tur nobis, ℣ pro nobis solicitus est, nobísque benè velit: qui
enim aliquãdo fuit, idẽ & hodie est: quod promisit, non ne-
gat: quod aliis præstitit, nobis exhibere paratus est. De⁹ pro
nobis est, charíssimi: ídque hac festiuitate docetur in tã mul
tis millibus, quos omnes præsciuit, prædestinauit, vocauit,
atque iustificauit: idẽ in nobis experimur. Nulla ergo tanta
est potentia, quæ nobis in Christo manẽtibus incõmodare
potest. Quid ergo aduersus Deũ hîc cũ suo Principe mũdus
audebit? Si Deus pro nobis qs cõtra nos? & illa quã præsens
festiuitas docet, spes est, & hãc quidẽ Paul⁹, quã maximè in-
culcare cupit, difficilis enim creditu est. Duo sunt quæ nos
pusillanimes reddunt, peccatũ, deinde aduersitas. Quando
enim peccatores esse nos, ℣ peccauerimus, & ℣ peccemus,
recolligimus, difficillimè Deũ tam vilem creaturam quic-
quam æstimare, multóque minus diligere, credimus. Tum
aduersitatibus ingeminatis nouisque præteritis sequẽti-
bus rursus an Deo curæ simus, an nos tueri velit, dubitam⁹.
Semper enim si nos diligeret, tanta mala in nos non missu-
rum esse cogitamus. Hîc contra Paulus validissimè pugnat
vult ne quid nos vel peccatum, vel aduersitas deiiciat. Sed
magis semper fiduciã habeamus Deũ pro nobis esse. Certus
sum, inquit, quia neque mors, neque vita, neque angeli, ne-
que principatus, neque virtutes, neque instãtia, neque futu- Rom.8.
ra, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundũ, neque
creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in
Christo Iesu Domino nostro. Hæc quotíes ingenuè Chri-

stianus de Deo credat, si te peccatum terret, cogita quia Deus est, qui peccatores iustificat. Quæris, hoc vnde sciam? quòd filium suum misit vnigenitum, nec illi pepercit. Et quod eius rei euidentius testimonium erit? Si enim proprium filium dedit, vtique vanam & inanem hanc largitionem esse non sinet, si, inquam, filium dedit nobis, vtique per eum & iustitiam & salutem & omnia dedit. Quòd si adhuc maiora huius rei testimonia quæris, audi quàm graphicè Paulus hunc mediatorẽ depingat: Mortuus est, & resurrexit, & interpellat pro nobis. Ad quod ista enumeratio? ideò, vt eò melius firmiúsque credamus, q; Deus nobiscum, siue pro nobis, nos iustificet. in morte enim Christi oblationis admonemur: in resurrectione & ascensione, potentiæ: in interpellatione sempiterni ipsius sacerdotij. Iam verò Christus nec frustra oblatus est, nec sine causa hanc potẽtiam accepit, nec *Hebr.4.* inanis eius erit interpellatio. Quid ergo de Dei dilectione hæsitas? Quid tua indignitate deiiceris? Habẽtes ergo Pontificem magnum, qui penetrauit cœlos, Iesum filiũ Dei, cũ fiducia adeamus ad thronũ gratiæ eius, vt misericordiã cõsequamur, & gratiã inueniamus in auxilio oportuno. Ecce tibi gratia proposita facta est, & quæ maior, oblationi, officio, interpellationíque Christi contumelia fieri potest, quã tantum esse peccatum arbitrari, vt nec oblatione, nec officio, nec interuentu Christi possit expiari? Nulla ergo pusillanimitatis causa est, si quis, vt docet, Christi oblationẽ, officium, dilectionémque considerate perpenderit. Huc ergo Pauli ad Hebræos verba respiciunt. Si enim angustiati fuerimus, Spiritus sanctus interne testimonium dat: si tribulationibus molestati, interne: (si modò cor nostrum mũdum fuerit) si denique persecutionem sustinemus, promissionẽ habemus, quia regnum cœlorum obtinebimus. *Matth.8.* Qui confitebitur me corã hominibus, cõfitebor & ego eũ corã patre meo. Si esurimus, cœlestẽ panẽ habemus paratũ. Si nudi sũmus, vestẽ habemus, in qua corã Deo persistere possumus. *Psal.22.* Si in periculis positi, dicere possumus, si ambulauerimus in vmbra mortis, non timebimus mala, quoniam tu Deus nobiscum es. Et hoc est quod Paulus ait, Superabũdamus, propter eũ, qui dilexit nos, in omnibus. An fortè hîc nos aliqua aduersitas territabit, quasi à Deo nõ diligeremur? An mors nos separabit à charitate Dei? nullo modo, Scriptũ quidem *Psal.43.* est, Quia propter te mortificamur tota die. Idq; nos experimur

rimur quotidie. sed non ideò non diligimur à Deo, sed & in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos. Hac intentione hæc festiuitas cõsideranda est: primò quid in sanctis operatus est Deus: deinde quid nos ab ipso sperare debeamus. Etenim non modò alios, sed nos ipsos respicere necesse est. Illi quidem præcesserunt nos, sed expectant nos, vt qui sine nobis perfectam gloriam non obtinent. festinemus ergo, vt huius vitæ peracta fabula, in æternam lætitiam introeamus. Gratia Dei nobiscum, Amen.

IN DIE OMNIVM ANIMARVM, EVANGELIVM IOAN. VI.

OMne quod dat mihi Pater, ad me veniet: & eum qui venit ad me, nõ eiiciã foras: quia descendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meã, sed voluntatẽ eius qui me misit. Hæc est volũtas eius q̃ me misit Patris, vt omne q̃d dedit mihi nõ perdã ex eo, sed resuscitẽ illud in nouissimo die.

EODEM DIE EPISTOLA II. MACHAB. XII

FOrtissimus Iudas hortabatur populũ conseruare se sine peccato sub oculis videntes, quæ facta sunt pro peccatis eorum, qui prostrati sunt. Et facta collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Hierosolymam, offerri pro peccatis mortuorum sacrificiũ. benè & religiosè de resurrectione cogitans. Nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum & vanum videretur orare pro mortuis. Et quia considerabat, quòd hi qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam repositam haberent gratiam. Sancta ergo & salubris cogitatio, pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.

SERMO VNICVS ANNO 1545. habitus. Respondet autem priori de omnibus Sanctis habitus.

IESTERNVM sermonẽ cũ Augustino exorsus sum, hodiernũ verò cum Salomone auspicabor. Da, inquit ille, sapienti occasionẽ, & addetur *Prou. 9.*

ei sapientia:doce iustum, & festinabit accipere. Vtique verum dictum hoc est:nã & prouerbium vulgò fertur, Doctis bonum esse prædicare. Neque verò multa hortatione eget sapiens,qui ex minima quantũlibet voce profundæ meditationis occasionem sumit:stultus verò etiam si multa audiat atque loquatur,nihil tamẽ proderit ei. Id verò multa demõstratione non eget, vt quod plus æquo omnibus manifestũ est,& multorum etiam è nostris exemplis probatur:si enim saperemus omnes,nõ esset opus multis,quæ nũc fiũt necessariò. Quia verò(dolor)nõ vti debemus,sapimus,quia stultorum semper maior est numerus, calcaribus opus est. Sic Paulus Romanis scribens ait,Sapientibus & insipiẽtibus debitor sum.Idem Ecclesiæ vsus docet:quoties enim congregamur,populúsq; fidelis in sua deuotione persistit, semper Euãgeliũ & Epistola,aliæq; Scripturæ proponũtur. Et hæc prudẽtibus sufficerẽt:sed quia maior pars,imprudentior est, externis quibusdam cæremoniis,festiuitatibúsque opus est. Hac ratione heri omniũ Sanctorũ festiuitas,hodie omnium animarũ memoria instituta est: at prudentibus neutro horũ opus est. Lex iusto non est posita,inquit Paulus: nec est necesse,prudentibus facienda,omittendáue perscribas: per se enim quod bonum est facit,quod malum refugit. Idẽ & hîc ego dico,prudenti nulla festiuitate priuata opus est. Et cur sic?sibi enim cùm sit lex, quæ iusta sunt facit, gaudet cum gaudentibus,flet cum flentibus:cogitationibus suisnũc sursum cœlos penetrat, nunc deorsum ad inferna descendit: nec solùm pro gratia à Deo accepta exultare, verùm etiam miserias, quæ nobis ex nobis sunt cogitare nouit. Et hoc sapientis est: sed horum pauci sunt. Quot verò sunt,qui nec acceptæ à Deo gratiæ meminerunt, nec propriæ indigentiæ recordantur? Ecce hi non modò omnium Sanctorum festiuitate, verùm etiam omnium animarũ memoria egẽt. vt altero Dei gratiam,altero propriam egestatem agnoscere discant,atque vtinam vel sic sapere inciperẽt. nemo pius propterea has duas diuersissimas meditationes ita continuas meretur. Si enim sapimus, multa nobis rectè cogitandi occasio data est, quòd si nec sic intelligere quis voluerit, videat ne eorum ex numero sit, de quibus dicitur, Noluerunt intelligere,vt benè agerent. Nescire enim, peccatum non est:sed nil velle discere,nemo excusauerit. Suæ quisque saluti intendat, satis magna enim occasio suppeditatur,

Rom.1.

Psal.35.

quam

quam si susceperimus, nostro bono arripiemus: sin verò, ne mini alteri, cum perierimus, imputemus. Vtinam saperent homines & intelligerent, inquit Moses, ac nouissima præuiderent. Pium sanè votũ, sed sine effectu: plurima enim pars imprudens perseueraui, atq; vtinam prudẽres imitaremur: nam & hoc abũdè sufficeret. Egregiũ quid sanè est, sibiipsi posse cõsulere: veruntamen perpulchrum est, eum qui hoc nescit, optima rectè consulentes sequi. Verũ si quis nec ipsi suis rebus consulere potest, nec aliorum sequi vult monita, hic sanè minimam de se spem præbet. Atque hæc ideò dixerim, vt eo minùs refutemus, quæ nostris cõmodis seruiunt. Iam verò quòd omnium Sanctorum festiuitas nobis cõmodet, heri dictum est: nunc porrò cui rei & quantùm hęc dies seruiat, videamus. Principiò ergo hanc diem nõ vita functis tantùm, sed & nobis residuis commodare. Id quod vel ex eo liquet, quòd non modò pro defunctis vtimur precibus, verumetiam Euangelia, Epistolas aliáque scripta ad consolandos viuentes recitamus. Idque non sine causa, imò optimè ita constitutum est. Minus enim nostra esset prudentia, tantùm orare pro mortuis, & non etiam nos consolationibus munire aduersus mortem. Econtrà nec reprehensione careret, nostri solummodo curam velle gerere, charorum verò nostrorũ qui in Domino obdormierunt, obliuiscì pœnitus. Propterea hæc duo coniunxit Ecclesia, & ita sanè oportuit: licèt non omnibus ex æquo placeat. Nam quod consolamur viuos, nemo arguit: quòd autem pro defunctis preces fiunt nonnullis displicet. Cui sanè non minimam occasionem præbuerunt tot circa defunctorum memorias abusus: quemadmodum & alia quædam per se quidem bona sunt, propter tamen abusus à multis hac ætate reiiciuntur. Equidem speraßem fore, vt Ecclesiæ proceres expergefacti, quam inimicus humani generis zizaniam in bonum semen insemina ßet, considera ßent. Sed nemo huc vsque manum admouit, nemo cogitauit, id quod & mihi (& quod res est fateor) prædicandi adfert tædium: nempe cùm nemo sit, qui quod malum est, tollere velit. Neque tamen, vt alij, qui propterea cum zizania euellunt triticum, quòd abusus quidam irrepserunt, totum negotium condemno. Indoctus habetur Medicus, qui inter ipsum morbum & accidens morbi nihil discernit, atq; eiusmodi omnino est, sic haud dubiè crassius erit Theologus, qui inter rei substantiam atq; abusum nul-

Deuter. 32.

lam

lam nescit differentiam. Quòd in Ecclesia pro mortuis preces fiunt, per se malum non est: neque id quisquam probauerit vnquam. Principiò enim constat, ab initio in Ecclesia nō modò Latina, verùm etiam Græca, in vsu receptū fuisse: & horum hominū consensus mihi sufficit, vbi expressam Scripturam non inuenio: & Ecclesiam quidē Paulus columnam
1. Tim. 3. & firmamentū veritatis vocat: tum Christus perpetuā suis, Spiritus sancti præsentiam promisit. Cùm igitur catholica Ecclesia hoc antiquitus perpetuo cōsensu obseruauit, dubitare potest nemo, ex Spiritu sancto esse, maximè cùm scripturis non repugnet, imò validè ex ea cōuinci possit. Quęris quî hoc? ecce heri audiuimus, quomodo Ioannes totam Scripturam, atque vniuersa præcepta in vnum quasi fasciculum comprehendat: Hoc est, inquit, mandatū Dei vt credamus in nomen vnigeniti filij eius Iesu Christi, & diligamus inuicem, sicut mandauit nobis. Quicquid ergo nec fidei in Christum Iesum, nec dilectioni proximi contrariū est, nec Scripturæ sacrę repugnat. Iā videamus quæ sit fides nostra, quid possit dilectio: sic ergo habet fides nostra, esse Ecclesiā catholicam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum, resurrectionē carnis, & vitam æternam. Sic Christiani credimus, hæc nostra est confessio. Huic autem fidei nullum detrimentū adfert, quòd pro defunctis oramus, sed magis commodū. Hoc ipso enim testamur, inter eos qui Christi sanguine sanctificati sunt, veram constantem æternámq; esse cōmunionē: imò verò si non pro mortuis orauerimus, pertinere eos ad nostrā communionē diffidimus. Præterea & corporum resurrectionem credimus, atq; confitemur. Ad quid enim illæ super sepulchris defunctorum cæremoniæ? imò his cessantibus, cessante & oratione pro eis, multi nihil hominis superesse post rogū arbitrarētur. Postremò aliam etiam sempiternámque vitam confitemur, post hanc vitā. & cur precaremur pro eis, si omnino interiissent? vides ergo ex his orationem pro defunctis non repugnare Scripturæ,
2. Cor. 13. multóq; minus dilectioni. Principiò enim ipsam dilectiōis naturam ex Paulo nouimus, quòd non modò patiēs, verùm etiam benigna sit, quòd cessante fide atq; spe, sola nūquam excidit, quòd morte robustior, nec morte nec vita destruetur. Deinde etiam Christianæ vitæ normam nouimus: Gau-
Rom. 12. dete cum gaudentibus: flete cum flentibus, & quare? Alter
Gal. 6. alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.

Tertiò

Tertiò etiam hoc vnius corporis membrorum communicatio confirmat. Veritatē sectantes, inquit Paulus in charitate crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus: ex quo totum corpus cōpactum & connexum per omnem iuncturam submin istrationis secundùm mensuram vniuscuiusque membri augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate. Sítque hoc maximum. Sed nouimus quia de vnoquoque verbo otioso rationem reddituri simus, in die nouissimo, tùm quòd nihil immundum intrabit in regnum cœlorum, &, Esto consentiens aduersario tuo citò, dum es in via cum eo. Iam verò experiētia didicimus, quosdam præoccupari, quosdam etiam minus præparatos esse ad mortem, hos tamen ita derelinquere, atq; diabolo tradere non possumus. Agè ergo, hîc non erit contra charitatis naturam, imò ipsi conforme erit, naturam membrorum ostendere, gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus, aliorum portare onera, recuperare eleémosinis, præcibus, ídque genus aliis pietatis operibus, quod ab ipsis neglectum est, Deúmq; suæ admonere pollicitationis, id quod minimè illi displicere potest. Scriptum quidem est, Sinite mortuos sepelire mortuos suos: sed nihil ad nos, cui enim illa dicebantur, alterius intētionis erat atque propositi. Vocatus, moram trahebat, patrémq; sepelire volebat: hìc contrà Christus. Nos verò cùm pro defunctis oramus, nō à Christo recedimus, sed ad Christum confugimus, in hoc Martham sequentes, quæ quidem amicos atque cognatos habebat plurimos: fratris tamen sui obliuisci non potuit: móxque, vbi Christum accessisset, de fratris sui morte conqueritur. An ergo eorum nos obliuisci æquum est, qui fratres nostri defuncti sunt, vt nos eos Christi committamus pietati? imò cui rectiùs eos cōmittemus, quàm illi, qui & resurrectio est & vita? Proinde, inquam, nihil ad nos illa Christi verba. Sine mortuos sepelire mortuos. Imò nec quicquam nobis rei erit cum mortuis. Illi enim verè mortui sunt qui in incredulitate obierunt, nostros non mortuos iudicamus, sed viuere credimus. Præterea & Iacobi locum contra eos valere iudicamus, cùm ait, Orate pro inuicem, vt saluemini. Atque ex his arbitror non erit difficile videre, quomodo orare pro mortuis non sit per se malum: sed cōtra bonum, pium, laudabile, Christianum, atque Scripturis consonum. Est enim opus fidei, in qua sanctorum cōmunionem, carnis resurrectionem, & vitam æternam

Ephe. 4.

Matth. 5.

Matth. 12.

nam confitemur. Est opus dilectionis, qua defunctos etiamnum membra nostra esse testamur & officium gratitudinis, qua erga benefactores nostros grati sumus, & quid decētius, quàm benefactoris honorificè meminisse? Deniq; est & iustitiæ opus erga eos, quos aliquādo ad peccandum incitauimus, vt ipsorum propter peccata solicitemur, precemur, pœnitentiámque agamus. Atq; hoc, quia per se bonum sit orare pro defunctis, ostensum esse arbitror, de ipsa rei substantia loquor: nil mihi cum abusibus negotij est. Præterea, multis nostris commodis seruit, quòd defunctorū in Ecclesia obseruatur memoria. Atque hoc est, quod initio dixi, tam nostri quàm defunctorum causa hāc diem institutam esse, imò si rectè rem attenderimus, necessarium omninò institutum est. Quæris cur ita? nempe hoc ipso docetur, quomodo patres minimè risum arbitrati sunt, aut iocum esse, quod Salo-
Eccles.7. mon dixit, Melius est ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij. In illa enim finis cunctorum admonetur hominum, vt viuēs homo cogitat, quid futurum sit. Hæc quia serio cogitauerunt patres, vbique mortis imaginē sibi præfixerunt, vehementérque circa mortuos occupati, cum ipsis perseuerauerunt, ipsorum funera deduxerunt, sepelierunt, nec longè sed proximè humarunt, anniuersarias memorias instituerunt & obseruarūt, ideò, ne quo modo obliuiscerentur defunctorum. Iam verò hac tempestate omnino contrarium facimus. Præterea ideò etiam memoria defunctorum in Ecclesia necessaria est, ad fidei nostræ confirmationē: qua sublata omninò, interire hominem corpore atq; anima arbitrarentur multi. Adde quod & Scripturæ, quæ hìc leguntur, manifestè iudicant, quomodo non defunctorum causa tātùm, sed & viuorum instituta hęc sint. Tria enim sunt quę nos grauant, mors, prædestinatio, iudicium. Aduersus hæc omnia defunctorum nos cōsolatur memoria. Mors te territat? Ecce Euangelium tibi, Ego sum resurrectio & vita. At prædestinatio conturbat? audi Christum dicentem, Omne quod dedit mihi Pater, ad me veniet, & eū qui venit ad me, nō eiiciam foras. Sed iudicium te angit? Sicut Pater suscitat mortuos & viuificat, ita & filius quos vult viuificat. Atque his finem imponens, hæc sufficere arbitror, vt nemo rectè defunctorum fugillare possit memorias. Quòd si quis hac parte contentiosus esse voluerit, cum Paulo respondeo, Nos
1.Cor.11. talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia. Spero autem

autem atque confido, vt his contenti pij, rem exactè sint consideraturi affectu Christiano. Gratia Dei nobiscum, Amen.

IN DIE SANCTI MARTINI EVANGELIVM LVCAE XII.

SInt lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris, & vos similes hominibus expectantibus Dominum suum quando reuertatur à nuptiis, vt cùm venerit & pulsauerit, confestim aperiant ei. Beati serui illi, quos cùm venerit dominus, inuenerit vigilantes. Amen dico vobis, quòd præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiés ministrabit illis. Et si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, & ita inuenerit, beati sunt serui illi. Hoc autem scitote, quoniam si sciret paterfamiliâs qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non sineret perfodi domum suam. Et vos estote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet.

EODEM FESTO EPISTOLAE LOCO LECTIO ECCLES. XLIIII.

ECce sacerdos magnus qui in diebus suis placuit Deo, & inuentus est iustus, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio. Non est inuentus similis illi, qui cõseruauit legem Excelsi, & fuit in testamento cum illo, & fecit illum crescere in plebem perfectã. Benedictionem omnium gentium dedit illi, & testamentũ suum confirmauit super caput eius. Agnouit eum in benedictionibus suis, & dedit illi hæreditatem, & dimisit illi partem in tribubus duodecim, & cõseruauit illi misericordiam suam, & inuenit gratiam in oculis eius. Statuit illi testamentum sempiternum, & dedit illi sacerdotium gentis, & beatificauit illum in gloria, fungi sacerdotio, & hæbere laudem in nomine suo, offerre sacrificium Deo, incensum & bonum odorem suauitatis.

SER

SERMO VNICVS.

INTER multa alia quæ Patrum noſtrorum diligentiã, & cõſeruandæ poſteritatis in vera fide ſtudiũ indicãt, meo quidẽ iudicio, nõ minimũ eſt, quòd iuxta Euangelij ſermonẽ, admonitionéſq; pias, etiã cuiq; Eccleſiæ ſingulare, quòd priuati patroni, exemplũ ordinauerũt ac propoſuerũt, eóſq; eorũ ex numero, qui ſe Chriſti imitatores doctrina, vita, mortéq; oſtenderũt ingenuos. Et hos patronos dixerũt, non vt homines à Chriſto ad ſanctos retraherẽt, in ſanctis idololatriã inſtituerent, Chriſtóq; æquarẽt (id quod nũc Eccleſiæ mẽdaciter atq; iniquè affricatur) ſed vt imprudẽtiores doctrinã pariter & exemplũ habentes rectiùs, quæ regia ſit via, cognoſcerent, huic ſe cõfidentiùs cõmitterent, vbi tot támq; manifeſta præcedentiũ viderent veſtigia: tum certiùs ſibi eorũ, quos audacter ſequerẽtur, beneuolentiam promitterent: denique etiam maiore ſpe ipſorum, qui iam appuliſſent, ſuffragiis, portum optatum expectarent. Et hoc quidem credentibus magnopere commodauit: quanquam & Satan minimè quieuit, ſuúmque ſemen inſeruit, quemadmodum & in omnibus aliis ſemper fecit, facítque etiamnum, vt etiam communis Prouerbij locum habeat, illic Satanam ſacellam proximè extruere, vbi Dei templum ſit. Atque hoc inde eſt, quòd Paſtores & Patres Eccleſiæ tandiu (proh dolor) dormitauerunt, qui ne nunc quidem, quanquam in extremo res verſetur periculo, expergiſci volunt. Nullam, inquam, tot malorum cauſam video aliam, quantum ad homines, quàm paſtorum negligentiam. Iudicium Dei ſemper excipio, quod haud dubiè maximè in hac re valet, iuxta propheticam comminationem, Zach. 11. Ecce, ego ſuſcitabo paſtorem in terra, qui derelicta non viſitabit, diſperſum nòn quæret, & contritum non ſanabit, & id quod ſtat, non enutriet, & carnes pinguium comedet, & vngulas eorum diſſoluet. nunquid autem hæc plurimos annos experta Eccleſia didicit? Verùm non nunc meum propoſitum eſt, quomodo iam, ſed qua ratione olim in Eccleſia vixerunt homines. Et quidem patres noſtri idem quod Euangelium habuerunt, legerunt, cantarunt, ſcripſerunt, prædicauerunt, audiuerunt, nihilominus tamen id quoque cogitauerunt quod ſuperiore Dominica Paulus dixerat,

dixerat, Imitatores mei estote fratres, & obseruate eos, qui *Phil. 3.*
ita ambulant, sicut habetis formam nostram. Ac hac ratione quoque Ecclesia vel vnum tantùm in exemplum sumpsit, alia alium atque alium. ideóque hos varios atque diuersos proposuerunt ne cui pusillanimitatis daretur occasio. Si enim omnibus Ecclesiis vnus tantum præpositus fuisset patronus, cogitare homines imprudentes possent, exiguum admodum esse electorum numerum: ac dicere, si ita est, quis potest saluus fieri? sicque relabi. Verùm, cùm tot sint exempla, quot Ecclesiæ, omnibus spes datur, etiamnum manum Dei non esse abbreuiatam. Atque hæc de festiuitatibus dicta sint: nunc porrò etiam de Diuo Martino nonnihil audiamus. Patres nostri Diuum Martinum in patronum suũ elegerunt, qui tamen vir virtutis suæ specimen in Francia edidit. Et licuisset alia plura exempla habere, sed excellens quoddam & egregium habere voluerunt, quod non vnius ciuitatis, aut Ecclesiæ, sed totius ditionis ageretur negotium. Nec fefellit eos electio, etiamsi enim duplo plures essemus, omnibus his vnus tamen negotium facesseret. Atque vtinam per omnem vitam nostram tandem aliquando eum, qui Martino primus fuit, gradum apprehendere possemus. Perquirantur omnes omnium historiæ: non tamen iam inde ab Apostolorum temporibus vnum aliquem facilè inueniemus, qui autoritate, nomine, gloria atque honore, Martino nostro comparandus sit. Verissimum enim est, quod hodie Ecclesia de eo testata est, tot nationes partem aliquam sibi pietatis studio, in Martino vendicare. Pannonia exultat genitrix tanti filij: Italia exultat alitrix tanti pueri. & in his Gallia, quarum quæq; eum præsulem flagitat habere. Turones corpus tenent: nos quoq; in eo cum Gallia nostrã partem tenemus. nobis enim veste pauperi diuisit, Christum ostendit. Sed & Aegyptũ & Græciam nomen illius percrebuit. Et quid aliorum de eo iudicio multis enumero, ipsa facta qualis fuerit testantur. quomodo? Nulla ecce ætas tam prona in vitia, quàm iuuentus: sed & iuuenis Martinus pius esse potuit. Deinde, nullum hominum genus militibus, aut crudelius, aut magis impium: & in his Martinus iustus fuit. Præterea, in omnibus Ecclesiæ hostibus, Iuliano crudelior nemo: & sub hoc tamen, Martinus fidei confessionem constanter tenuit. Quartò, nulla hæresis Arriana violentior, diuturniórque fuit, quæ & Reges, & Imperatores,

& Episcopos, & Liberium Papam fascinauit, multum sanguinem fudit, horrendásque in orbe mutationes induxit. Martinus tamen in ea Catholicus perstitit. Annon hæc tibi videntur egregia esse exempla? quàm paucos hac tempestate eiuscemodi inuenias. Eò igitur diligentiùs considerandus est Martinus, modò Catholicissimus nobis cordi fuerit. Quia ergo in eius omnino mentionem incidi, quod reliquum est sermonis, in ipso complebo. Neque inutilem me insumere operam puto, eiusmodi enim eius exemplum est, vt quàm plurimis illud infigi cupiam. Omninò enim me affectum video, quemadmodum Comicus ille, qui aliquantò fortuitò viro bono conspecto, Quàm pauca, inquit, id genus exempla video, quàm me noua perfundi intelligo lætitia, eiusmodi superesse exempla: atque si vniuersi tales essent, reuiuiscerem. Ita hîc quoque de Diuo Martino loquor. Vtique admodum pauca eius generis exempla supersunt, merito recreat horum aspectus, meritò viuere delectaret, si omnes tales essent: Sed adhuc peculiare quid de Martino audiamus, de quo hodie inter cætera hæc cecinimus. *O virum ineffabilem, qui nec mori timuit, nec viuere recusauit. O beatum virum Antistitem, nec labore victum, nec morte vincendum, qui nec mori timuit, nec viuere recusauit.* Hunc vnicam Antiphonam considerandam vobis propono, quæ & ipsum nobis Martinũ satis perspicuè describit, & quàm nihil eius spiritus in terris sit, ostẽdit. Quatuor autem hîc innuuntur, egregia illa atq; præstantia, sed in terris rara, omnes tamen Christianos decentia. Primũ in nullo labore victum esse, hoc est, nullum laborem refugisse, nullius laboris piguisse aut pertæsum fuisse. Id verò eiusmodi est, vt sit & per se præstans, & consequatur à paucis. Neque enim vehementer labores appetimus quicúnque alia ratione nominis immortalitatem venantes. Et cui genti ea grauitate labor
Hebr. 12. præcipitur, atq; nobis, qui Christo nomen dedimus? an non Paulus sæpe ad laborem hortatur? Manus remissas, inquit,
Gal. 6. & soluta genua erigite, & rectos facite pedibus vestris. &, Bonum facientes non deficiamus, dum tempus habemus, operemur bonum. Annon totam hanc vitæ cursui in studio
1. Cor. 6. cõparat, vbi de brabeo certatur? an non Petrus ait, Magis sa-
1. Petr. 1. tagite, fratres, certã vocationẽ vestram, & electionem facitis per bona opera? Hæc enim facientes, ait, nõ peccabitis aliquãdo: Atq; hæc omnibus in genere dicta sunt. Existimo autem

rem hoc esse ad laborē incitare, sed pastores & proceres Ecclesię adhuc seuerius vt suū officiū faciant, cōpellūtur. Annon eiusmodi illis nomina Christus indidit, quæ laborē requirunt? nusquā enim dominos eos, sed vbiq; Apostolos, Pastores, Legatos, vocat. Annon eius verba sunt ad Apostolos? Quicūq; voluerit inter vos fieri maior, erit vester minister: & quicūq; voluerit in vobis primus esse, erit omniū seruus. Marc. 10.
&, Ego posui vos, vt eatis, & fructum afferatis & fructus vester maneat. &, Leuate oculos vestros, & videte regiōes: quia albæ sunt iam ad messem. Et qui metit, mercedē accipit, & cōgregat fructū in vitā æternā, vt & qui seminat simul gaudeat, & qui metit. Ego misi vos (non ad otium) sed metere. Ioan. 15. Ioan. 4.
Annon Paulus dicit, Labora sicut bonus miles Christi? Solicitè cura probabilem teipsum exhibere Deo, operariū inconfusibilem, rectè tractantem verbum veritatis. &, Prędica verbum, insta opportunè, importunè, argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina. Vtique & hoc est Episcopos atque animarum curatores, ad laborem adhortari. Sed quæ vtrobiq; luctatio? Quàm paucos verò vtrobique, tum etiam in præpositis inuenias, qui non vincantur labore, qui non fugiant, aut certè operando non fatigentur? Vulgus quicquid acerbum videtur, refugit: sine labore cœlum appetit, quasi Christus abundè omnia satisfeciisset. Tum etiam Ecclesiastici nostri aliud perscrutati sunt compendium, quando maximam laboris partē inde volunt, ipsi sibi retinētes & nomen cōmodū. Sed & alij quidē laborāt, sed sæpe isto vincuntur, & tædet. Quare ita? nemo cognoscit, nemo cogitat, quid sit quod Christus dicat, Dignus est operarius cibo suo, & qđ Paulus, Laborātem agricolā oportet primū de fructibus accipere. Atq; hęc Ecclesię conditio. Quid autē de Martino legimus? Qui labore nō est victus, multominùs verò laborē fugit. Annō Martini exēplū sequi nos, maximū Ecclesię adferret emolumētū? Labore cōstat Ecclesia, quæ per pastorū negligentiā propè corruit. Quòd si adhuc tādē aut ipſi laborarēt, aut fideles operarios instituerēt, hísq; adstarēt, fortè instaurāda foret. Atq; hîc nobisipsis aggrediēdū esset qđ in Martino prædicamus, Huic honori æterno ducitur apud Christianos omnes, qp labore vinci se non permisit, imò ad finem vsque in labore perstitit, pro se in omnium virtutum exercitio, in carnis castigatione in pietate erga pauperes, in dandis eleemosinis: pro Ecclesia verò, docendo, cōsolando; Matth. 10. 2. Timo. 2.

exhortando, corripiendo. Quæ sanè hodie etiam immortalitatem nominis in mundo mereri possent, ne dicam sempiternam apud Deum remunerationem. Et quid est, quòd nostra, etiamsi prælati, & opulenti rerum fuimus, nomina tam citò pereunt? nempe nullum vel mediocre facinus operati sumus viuentes, nec Ecclesiæ, nec nobis quicquam præstitimus: ideò memoria nostra perit cum sonitu. Misericordes obliuiscentur eius. Agitè ergo fratres, non alienæ virtutis spectatores simus tantùm: si enim vnquam aliquando operandi, operarióſq; instituendi, siue pro se quenq;, siue in cõmune, siue pro Ecclesia, tempus fuit, nũc certè maximè est. Videmus quid Satan moliatur, quam negligentia cladem Ecclesiæ importauerit: quóq; maior nostra est negligentia, eò pertinacior Satanæ diligentia: contrà quò nostra porrò fuerit maior alacritas, eò minus ille efficiet. Hæc meditare ac cogita, quotiescúnq; Martini memoria inciderit, qui labore victus nõ est. Beatus ille seruus, quem cùm venerit, ita inuenerit. Et hoc primum, quid nũc porrò? Nec morte vincendum. Hoc illo maius est, maiórq; requiritur fortitudo. Molestus quidem labor est, sed mortis periculum timórque acerbior. Inuenias qui in labore persistat immobilis, dum tamen labor est, verùm accedente periculo, hic labitur. Sic Petro accidit, non perinde laborem atque crucis periculum formidauit, impigrè Christum sequebatur: at in mortis periculo negare ac detestari incipit. Sic multis post, eum vsu venit in tentatione, qui strenuè quidem laborauerunt, sed mortem & crucem vincere non potuerunt. Martinus verò non modò labore, verumetiam morte victus non est. Atque hîc quidem nõ faciles illi incubuisse labores videmus, quos sæpe cum capitis periculo sustinuit. Periculum ex parentibus, ꝙ se Ecclesiæ tradidisset: periculum ex Iuliano, ꝙ militiam eius declinaret: ex incredulis, quòd idola eorum destrueret: ex Arrianis, quorum hæresin respueret: ex Diabolo, cui tot animas surriperet: ex propriis discipulis, qui gratiã donáque Dei inuiderent. Quibus rebus verus Pauli imitator fuit, bonum se pastorem ostendit, cui satis non est laborare ac pascere, vbi securum est, verumetiam lupo irruente fugiendum esse non ducit. Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis. Sic Paulus fecit cùm ait, Ego autem libentissimè impendã, & superimpendar ipse pro animabus vestris, & ministri Christi sunt, & ego. Sed hîc demõstratione

Ioan. 10.
2. Cor. 12.
2. Cor. 11.

opus

opus est. Ego quidem me ministrum Christi dicere non vereor, sed & talem esse me demonstrare possum. Alij verbis iactitent, ego ipso facto testor. In quo quis audet (in insipientia dico) audeo & ego. Hebræi sunt, & ego: Israëlitæ sunt, & ego: Ministri Christi sunt, & ego: vt minus sapiēs dico, plus ego. In laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis supra modum, in mortibus frequenter. A Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepi, ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte & die in profundum maris fui, in itineribus sæpè, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex Gentibus, periculis in ciuitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus, in labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & siti, in ieiuniis multis, in frigore & nuditate: præter illa quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, solicitudo omnium Ecclesiarum. Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego nō vror? Si gloriari oportet, quæ infirmitatis meæ sunt gloriabor. Deus & pater Domini nostri Iesu Christi qui est benedictus in secula, scit q̄ non mentior. Damasci præpositus gētis Aretę Regis custodiebat ciuitatē Damascenorū, vt me comprehēderet: & per fenestrā in sporta demissus sum per murum, & sic effugi manus eius. An non eiusdē animi fuisse Paulus & Martinus tibi videntur? his pastoribus stetit Ecclesia. Deum immortalem, quàm longè inuicem distamus. nemo nunc laborare amplius vult, ne dicam pati. Si enim laborē fugimus, cætera pertimescere quid mirū? & quales tandem pastores sumus? quomodo coram supremo pastore consistere poterimus? quid respondebimus, vbi de ouibus reddenda est ratio? Hæc si quis rectè considerauerit, proculdubiò timebit. Diligentiùs ergo veterum intuenda exempla sunt, modò Christiani, maximè Ecclesię ministri esse voluerimus. Obfirmatis animis opus est, nō modò aduersus duros labores, verumetiam contra mortis horrorem. Et quid de Martino legitur? nec mori timuit. Hoc ipsum illū respicit, vt intelligamus eū non modò aliis fidū fuisse pastorē, verū sibi etiā ingenuū extitisse Christianū. Quid enim est aliis bonum esse, sibi verò iniquū? si tamen possibile est aliis esse fidelem, qui sibiipsi sit iniquus? Neque enim frustra dictum est, Qui sibi malus, cui bonus? Verūtamē inuenias, qui magna fide laborēt, doceant, curent quidē, sed impiè viuant, &

veluti æs resonans, sibi sunt inutiles, quomodo & Christus
Matth.23. de quibusdam loquens, ait, Quod dicunt vobis, facite: secundum opera autem illorum nolite facere. An fortè hos promptos ad mortem arbitraris? qui potest non timere mortem, qui in peccatis viuit? O mors, quã amara est memoria tua. hic verò mortem quòd timeat non habet, qui in Christum credit, bonam conscientiam fouet. Si ergo Martinus mortẽ non timuit, hoc ipso demonstratũ est, quòd fide vitáque ingenuus minister Christi fuerit. Et hoc tertium. Quartò nec viuere recusauit. Id quod perfectum consensum voluntatis eius cum Dei beneplacito ostendit, indicium est magni cuiusdam amoris erga fratres atque ouiculas. In terris nihil præter aduersa, labores, pericula ídque genus alia habuerat, iamque metam accesserat, vt non modo requie, verũetiam mercede frueretur proximè. Paratus tamen est, rursus inchoare, Deo si id fuisset visum: nõ recuso laborem. Hoc demum piè precari est. Fiat volũtas tua. Atque hic ille Paulinus animus est. Cupio dissolui, inquit ille, & esse cum Chri
Phil.1. sto, & Christus mihi viuere est, & mori lucrũ. An igitur hęc Antiphona piis mentibus abundè satis, quod meditẽtur, indicare nõ videtur? O festã diẽ Christianis omnibus dignã, qua his cogitationibus occupamur. Et quid est, quod nũquã ferè quã hoc ipso tẽpore magis insanimus crapulis? sed hæc nostra in diuos diuorúmque vitas intentio est. An autẽ hoc nõ est ridere & Diuos & vniuersam Ecclesiã? Eò igitur dili gentiùs in Martini exemplum respiciamus, si modò vt suos nos apud Deum cognoscat, volumus. Gratia Dei nobiscum, Amen.

IN DIE PRAESENTATIONIS MARIAE, IN TEMPLVM.

EVANG. MATTH. 1.

LIber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abrahã. Abrahã genuit Isaac. Isaac autẽ genuit Iacob. Iacob aũt genuit Iudã & fratres eius. Iudas autẽ genuit Phares & Zarã de Thamar. Phares autẽ genuit Esrõ. Esrom aũt genuit Arã. Aram aũt genuit Aminadab. Aminadab autẽ ge

nuit

nuit Naaſon. Naaſon autē genuit Salmō. Salmō autē genuit Booz de Rachab. Booz autē genuit Obed ex Ruth. Obed autē genuit Ieſſe. Ieſſe autē genuit Dauid regē. Dauid autē rex genuit Salomonē, ex ea quæ fuit vxor Vriæ. Salomon autem genuit Roboā. Roboam autē genuit Abia. Abia autē genuit Aſa. Aſa autē genuit Ioſaphat. Ioſaphat autē genuit Ioram. Ioram autē genuit Oziam. Ozias autē genuit Ioatham. Ioathā autē genuit Achaz. Achaz autē genuit Ezechiā. Ezechias autē genuit Manaſſen. Manaſſes autē genuit Amō. Amon autē genuit Ioſiā. Ioſias autē genuit Iechoniā & fratres eius in exilio Babylonico. Porrò poſt exiliū Babylonicū, Iechonias genuit Salathiel. Salathiel autē genuit Zorobabel. Zorobabel autē genuit Abiud. Abiud autē genuit Eliachim. Eliachim autē genuit Azor. Azor autem genuit Sadoc. Sadoc autē genuit Achin. Achin autē genuit Eliud. Eliud autē genuit Eleazar. Eleazar autē genuit Mathā. Mathā autē genuit Iacob. Iacob autē genuit Ioſeph, maritū Mariæ. Ex qua genitus fuit Ieſus, qui dicitur Chriſtus.

EODEM FESTO EPISTOLAE LOCO LECTIO ECCLE. XXIIII.

EGo quaſi vitis fructificaui ſuauitatem odoris, & flores mei fructus honoris & honeſtatis. Ego mater pulchræ dilectionis & timoris, & agnitionis, & ſanctæ ſpei. In me gratia omnis viæ & veritatis: in me omnis ſpes vitæ & virtutis. Tranſite ad me omnes qui concupiſcitis me, & à generationibus meis implemini. Memoria etenim mea, ſiue ſpiritus meus ſuper mel dulcis, & hæreditas mea ſuper mel & fauum, memoria mea in generationes ſeculorum. Qui edunt me, adhuc eſurient: & qui bibūt me, adhuc ſitient: qui audit me, non confundetur, & qui operantur in me non peccabunt: & qui elucidant me, vitam æternam habebunt.

SERMO VNICVS.

MAGNA charissimi, hodie adest celebritas, præsentationis inquam, Mariæ aduenit festiuitas. Quæ quidem in postremis Ecclesiæ festiuitatibus cœpit celebrari: vnde à quibusdã non magni momenti habetur, quibusdã eriã animo non celebratur, nobis tamẽ ideò minimè erit abiectior, quando ingenuorũ liberorũ est, plus quid pius pater doceat, quàm quid alij pij non faciant respicere. Id quod facientes aliquando, cùm suprema iudicij dies venerit, non quid alij prætermiserunt, sed quid nos fecerimus interrogabimur. Vnusquisque enim de suo facto rationẽ red-
Rom. 14. det. Certissimũ est autẽ, hanc quantũlibet multis aspernatã festiuitatem, piis mẽtibus vehementer commodare. Nã
Rom. 8. & Paulus testatur, omnia diligentibus Deum cooperari in bonum. Tùm (quod experientia docet) multi sæpè ex paruis ansis magnas res meditari incipiunt atque facere. Titulos Psalmorũ inspice, & videbis, Dauid leuissimis sæpè occasionibus motum maximos composuisse psalmos. Ita & hæc celebritas (quemadmodũ de aliis etiam festiuitatibus dixi) piis multa cõmodare posset. De quib⁹ hîc supersedeo: illud tantùm indicans, quòd si nihil hæc festiuitas prodesset præterquam quòd indicaret, quàm decens, vtile, bonum, salutare, atque necessarium sit, optimis atque diuinis ministeriis à prima ætate assuesci, à nullo credente reiici, aut aspernari possit. Quis enim in hac rerum perturbatione non videt, quàm sit omnino necessarium pueros à primis annis statim ad meliora educare? Sed hæc negligere nos manifestum est imò palàm videmus plurimam parentum partem liberos suos mundo atque peccato assuefacere, liberos, nunquam, per se nimium (heu) ad eam rem promptos, nullóque doctore egentes. Interea miseri nihil considerant, quam liberis suis calamitatem inferant ipsi, sese condemnent, & totimundo ridendos exponant. Annon horrendum mundo homicidium? an non coram Deo scelestissimum facinus esset, si quis liberis suis panem subtraheret? venena citiùs perituris porrigeret? Quid autem aliud facis, cùm eos ab omni virtute abstrahis? ab auditione verbi diuini retrahis? insuper peccandi occasionem suppeditas? An hoc non est salutare subtrahere cibum, & toxicum propinare? Quod si homicidium

micidium quoquo modo perpetratum, tanta pœnæ seueritate arguitur, & à Deo vindicatur. Qui velis in iudicio perstare vide, qui non corpus, sed animam, multò præstantiorem occidis, maximè eorum qui à Deo peculiari ratione tibi tuæque fidei ante omnes commissi sunt. Longè secus atque rectiùs hodierna nos docet festiuitas. Ioachim enim atque Anna tempestiuiùs in ipsa adolescentia filiolam suã in Dei templum præsentarunt. Tum ipsa tenera admodũ virguncula sponte & expedita templum domino ministratura accurrit. Vnde etiam hanc primam gratiam quotidiè Deus augebat, ita planè, vt breui tempore viuum Dei templum facta, ipsum Dei vnigenitum requiescentem corporaliter in se contegeret. Ecce quantum sit liberos statim ab incunabulis ministerio Dei consecrare. Quod si hoc exemplum secuti fuerimus, in nulla gratia deficeremus. Et quidem totus mundus de iuuentutis nostræ conqueritur leuitate, per se sanè maxima. quod si aut rectè voluerimus singula considerare, nosmet in culpa esse intelligeremus. quam enim pietatem filij filiæque tui addiscent, qui nullius pietatis vestigium ipse exhibes? quomodo Dei timentes erunt, quos à diuinis ad mundana abstrahis? quomodo pudicitiam amabunt, qui impudicitiam meram in te conspiciunt? Enm te filiis tuis exhibe, quem Tobias atque Iob, quorum ille filium suum à pueritia ad Dei timorem erudiit, hîc quotidie pro filiis suis sacrificans dixit, Tãtùm ne peccent filij mei. hos sequere, nec deerit Deus sanctis conatibus. Ecce huic rei præsens seruit festiuitas. Quod si nihil aliud hinc commodi concipere potes, vel hoc solum, qua ratione filios filiásque tuas Deo præsentes, disce: sic nec frustra hæc tibi dies præterierit. Quòd si & maius quid volueris, teipsum etiam offeras Deo & sistas. Id si puer neglexisti, hodie incipe, adhuc tempus est, tantùm ne nunc quoque negligas, neque enim Deus sacrificium contẽnit aut aspernatur vespertinum. Denique si quid piè meditari desideras, quid virguncula hæc in templo egerit commemora. Euangelium hodierna Dominica die lectum respice. Si enim plebs ob miracula quædam, tãtam erga Christum pietatem desideriũque conceperunt, vt in desertum vsque sequentes inuiti ab ipso auellerentur: quæ arbitranda est Mariæ deuotio, quæ omnia Dei magnalia tam exactè recensere eáque cantare nouerat? contrà, si Deus ingrato atque defecturo populo

tineum, quia ad tempus lactebatur Christum, tãta beneficia exhibuit, quam pu[illegible] Mariæ gratiam exhibuit, quæ semel se Deo deuouens, [illegible] abeo declinauit? Ecce tibi ea, quibus præsens festiuitas [illegible], quę si secutus fueris, vti que omnia ad Dei honorem, ad Virginis laudem, tuámque vtilitatem conuertentur. Gratia Dei nobiscum, Amen.

IN DIE SANCTAE CATHARINAE EVANGELIVM MATTHAEI XXV.

TVnc simile erit regnum cœlorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas exierunt obuiam sponso & sponsæ. Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudẽtes: sed quinque fatuæ acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum: prudentes verò acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus. Moram autem faciente sponso: dormitauerunt omnes, & dormierunt. Media autem nocte clamor factus est, Ecce sponsus venit, exite obuiam ei. Tunc surrexerũt omnes virgines illæ, & ornauerũt lampades suas. Fatuæ autem sapientibus dixerũt, Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguntur. Respondérunt prudentes, dicentes, Ne forte non sufficiat nobis & vobis, ite potiùs ad vendentes, & emite vobis. Dum autem irent emere, venit sponsus, & quæ paratę erant, intrauerunt cum eo ad nuptias, & clausa est ianua. Nouissimè verò veniunt & reliquæ virgines, dicentes, Domine, Domine, aperi nobis. At ille respondens ait, Amen dico vobis, nescio vos. Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam.

Eodem

EODEM FESTO [illegible]OLAE LOCO LECTIO [illegible]S. II.

Confitebor tibi Domine R[illegible] laudabo te Deum saluatorem meum. Confitebor nomini [illegible] quoniã adiutor & protector factus es mihi, & liberasti corpus meum à perditione, à laqueo linguæ iniquæ, & à labiis operantium mendacium, & in conspectu astantium factus es mihi adiutor. Et liberasti me secundum multitudinem misericordiæ nominis tui à rugientibus præparatis ad escam, de manibus quærentium animam meã, & multis tribulationibus quæ circundederunt me, à pressura flammæ quæ circundedit me, & in medio ignis non sum æstuatus. De altitudine ventris inferi, & à lingua coinquinata, & à verbo mendacij, à Rege iniquo, et à lingua iniusta. Laudabit vsque ad mortem anima mea Dominum, & vita mea appropinquauit inferno deorsum. Circundederunt me vndique, & non erat qui adiuuaret. Respiciens eram ad adiutoriũ hominum, & non erat. Memoratus sum misericordiæ tuæ Domine, & cooperationis tuæ, quæ à seculo sunt, quoniam eruis sustinentes te Domine, & liberas eos de manu Gentium.

SERMO VNICVS IN Euangelium, deinde in festiuitatem.

IN hoc Euangelio Christus duplicem docẽdi viam tenet, cũ nunc similitudine nunc expressis verbis quid velit, edocet. Summa autem totius Euangelij his verbis consistit: Vigilate, quia nescitis diem neque horam, in qua Filius hominis veniet. Atq; hæc prudenti sufficerent. Christus verò in ea re etiã decem virginum similitudine vtitur, in qua perspicuè videre licet, quantũ vel commodi vel incommodi adferat, iis in rebus quæ vel Deum vel animæ salutem respiciunt, vigilia aut somnolentia. Quinque ex illis vigilarunt, quinque dormierunt. Verùm non de corporis somno hoc intelligendum est, quo nemo carere potest: tum nec de mortis somno interpretari potest, quia & hic communis est omnibus. Doctus & indoctus simul pereunt. Tum ipsum etiam Euangeliũ omnes dormiuisse testatur. Alius somnus quidem, alia vigilantia est, quę has virgines discernit. Quicúnq;

cunq; ergo in [illegible]acb. atq; rebus diuinis solicitus, diligens atque [illegible]vigilat: qui verò sine cura, solicitudine, timore [illegible]arum prouidentia desi det, sanè hic in vt[illegible]amu[illegible]tas [illegible]formit. Hic inter virgines id est, Christianc[illegible]em, Alij prudentes sunt, futuraque præuident, in hæc se aptant, promptósque reddunt, vt non modò hic in hominum conspectu, verùmetiam coram Deo possint consistere. Et hi prudentes illæ virgines sunt, quos nunquam improuisa mors subruit, lampides earum lucent perpetuò, his aperta est ianua. Alij verò superbiũt, minimé-que futura cogitant, lãpades quidẽ, sed sine oleo ferẽtes, formis rerum credunt, quales interius sint nihil curãt: hos semper insperata mors præuenit, semper impeditos inuenit, ideóq; ianuas non aperiendas frustra pulsant. Hæc Christus hac vult parabola innuere, eáque apertis verbis docet. Vigilate, inquit, quia nescitis qua hora dominus venturus est. Quia ergo Christus ipse iuxta expressum sermonẽ, etiam exempla atque figuras apposuit (simplicium bono) nemini nouum aut rarũ videatur, quod in Ecclesia præter doctrinã Christi etiã exempla eorũ, qui summo studio Euangelij doctrinam sequuti sunt, proponantur. Id quod non his tandem temporibus inuentum est, sed semper in piorũ cœtu obseruatũ est. Nihil ea teueritate Iudęis aut toties inculcatũ fuit, qua Abrahæ, Isaac, atq; Iacob fidei vitæq; exempla. Deinde aliorũ etiam exẽpla proposita sunt, Iudith, Tobiæ, &c. Paulus simul omnes in mediũ proponit, nubem (vt ipse inquit) testiũ. Idem etiam patres nostri fecerũt, vt grauissimè Dei voluntatem verbúmq; docuerunt, ita studiosè eorũ qui verbum voluntatémq; Dei vita moribúsq; expressérunt, exempláque proposuerunt. Hac intentione hodie diua Catharina proponitur, ingenua Dei puellula, sancta virgo, fœlix martyr, in qua vna omnes videre possemus omnia, nõ modò quę in Euãgelio Christus docet, verumetiam quæ aliàs ad Christianũ hominẽ pertinent. Idque paucis ostendam, vt omnes videant, quàm meritò huius virginis in Ecclesia memoriã celebremus. At à minimis, nẽpè nomine exordiar, hinc ad vitam, à vita ad passionem progrediar, qui sanè ipsi gradus sunt cuilibet Christiano scandendi. Nisi enim ab inferioribus inceperis, nunquam ad summa peruenies, qui proprii nomen non cogitauerit, ad vitæ pietatem nunquam perueniet, multò verò minùs mortis aget triumphum. Videamus

ergo

ergo quis ordo non[illegible]
rit. Principio ergo [illegible]
obtinuit, quod ip[illegible]
id quod maxim[illegible]us est
nominis præstantia, sin[illegible]arina à Græco est καθαρὸς, Latinè purus, castus, immaculatus. Et eiusmodi omnes Christianos dici atque esse cõuenit, non quemadmodum Nouatiani, olim seipsos dicebant Catharos, puros, séq; præferebant cæteris, quod ad pœnitentiam non admitterent eos, qui semel in capitis periculo negassent Christũ, vt nunc Catabaptistæ se ab aliis discernunt, sibi de puritate blandientes, omnes alios damnantes. Non autem eo modo Christiani cathari erimus, vt nosmet puros mundósq; æstimemus, sed vt verè puri coram Deo simus, atq; hominibus. Cuiusmodi hęc Catharina fuit: pura enim pudica, immaculata, sine felle, simplex, innocẽsq; virgo fuit: ita vt hac parte non absurdè Nathanaëli cõparare possim, de quo Christus ait, Ecce verus Israëlita, in quo dolus non est. Ita hîc, Ecce vera Catharina. Quid autem pulchrius in homine, & bono nomine, & huic conuenienti vita? verùm quid illo nunc rarius? Nulla vnquam indendorum nominum maior ambitio: nulla contrà vnquam respondendi nominis significationi maior execrabiliórque incuria. Id quod non modò in Baptismo acceptis nominibus videre est, verumetiam in appellationibus atque agnominibus fortunæ atque officij. Hîc inquam rarò, videas quod in Nathanaële atq; Catharina: de paucis enim dici potest, Ecce verus Israëlita, Ecce vera Catharina. Verus Christianus, bonus pastor, pius sacerdos, Monachus, iudex, maritus, Ioannes, hoc est, qui accepta gratia, rectè vtatur: Petrus, qui in fide firmus perstitat. Et quid est, quod de raris & præstantibus nominum titulis glorianur, cùm omnes contrarium rideant? Hîc verò & nomen & rem simul vides. Nomen quidem Catharina, pura pudica: nec secus res ostendit. Videte ergo, quantum etiam in hoc minimo deficiamus. Quid verò iam in hac virgine contemplandum restat? vita. Cùm vitam dico, non externam rerum formam, sed omnia quæ externè internè ad vitæ Christianæ pietatem pertinent, quorũ initium à fide, finis verò per media deductus, charitas est. Id quod Christus in virginibus, virginúmque lampadibus ostendere voluit. Virgines sumus omnes, Christo nimirum desponsati: lampas, fides: oleum, chari- Ioan. 1.

[illegible] ...icatem pertinent, ...nus esse tradi- ...ed & o...e vitáque ...nus? Superbè quidem lamp... ...magna de Christi de- ...spõsatiõe iactitamus, va... ...is ne...us de ...le insolescimus, sed multorũ lãpades vacuæ sunt, mortua fides, quę Deo nec placent, nec placere possunt. Vnde illæ tantùm intromittũtur, quæ lãpadibus atq; oleo paratæ sunt. Vt enim minimè Deo opera nostra sine fide placent, ita etiam fides sine operibus grata ipsi esse non potest. Vtrunque scriptura docet, omnes etiam pij vtrunque coniunctum habere studuerunt, nec credens quisquam fuit, siue vetus siue nouum Testamẽtum respicias, qui sine lãpade aut oleo, hoc est, sine fide aut charitate saluari præsumpserit: nemo inquã, hæc vel sperare ausus fuit. Multa quidẽ Pharisæi de operibus suis iactitabant, sed oleum sine lampadibus erãt. Vnde etiã à Christo aspernantur. Nos contrarium tuemur, de lampade vacua, hoc est, fide nuda salutem nobis promittimus: licèt in omnibus historiis, vitis atq, monumentis omnium piorum videamus, quã omni pietati studuerũt semper, ita, vt nimirùm cuiquã videri possit, vnde isthæc persuasio inter nos nata sit, sola fide atq; adeò otiosa salutem promittere, vtique huic virgini nosmet compararemus, cuius nomen respondet vitæ, vitáq; Euangelio consona est, & hoc tandem vtrunque valet Deóque placet. Optimum Christiani nominis approbatio, consensus vitæ est. Optimum vitæ piæ documentum est, si cum Euangelio consonet, quod verbum vitæ est. Restat nũc vt quomodo non modò ingenua Dei filiola atque virgo, verumetiam Martyr Christi hæc Catharina fuerit vera, consideremus. Et huius quidem generis testes plurimos Christus habuit. Stephanus omnium primus est, vnde etiã solus protomartyr dictus est, qui de Christo corã Senatu Iudaico testimoniũ reddidit. Alij idem coram Gentibus præstiterunt,

Ioan.15. quemadmodum prædixerat Christus ipse: Et vos, inquit, testimonium perhibebitis de me, quia ab initio mecum estis.

Act.9. Et de Paulo vas est mihi electionis, vt portet nomen meum coram Gẽtibus & Regibus. Catharina nostra Christo testi-

Iudith.17. monium dedit coram Maxentio, ea seueritate, vt rectè de ea dicere possim. Persæ habuerunt constantiam eius, & Medi audaciam. Id quod propriè quidẽ de Iudith dictum est, quæ

Holo-

Holof[illegible]
Vnde [illegible]
ranni,[illegible]
mus quod in[illegible] verò
prædicamus atq; ext[illegible]ristiana cõ-
stantia atque fortitu[illegible]Dei Christi[illegible]ani, hîc loquor
constantia atq; fortitudine, neq; enim omnis audacia lau-
dem meretur. In Dauid quidẽ Christiana constantia perspi-
cua est, quum ait: Quis est incircũcisus iste, qui ausus est ma- 1. Reg. 17.
ledicere exercitui Dei viuentis? In Paulo eadẽ videtur, qui Act. 21.
ait, Ego non solùm alligari, sed & mori in Ierusalem para-
tus sum, propter nomen Domini Iesu. At mundus quoque
sæpe eiusmodi sibi fingit fortitudinem, quæ tûm mera per-
tinacia potiùs dicenda est. Sic Iudæi fortes sibi videbantur,
qui propriè desperati erant, aut, quemadmodum Scriptura
loquitur, duritia, imò excæcatio Dei in Catharina vtranq;
videmus, bonam Christianámque audaciam atque constan
tiam. Vtrunque enim coniungi necesse est. Audacia per se
non sufficit, constantia illam comitetur oportet. Nam ipse
etiam Petrus audaculus initiò erat, sed Christiana audacia
non erat, propterea citò peribat: verùm quæ Christiana est
& ingenua constantia, in finem vsque perseuerat. Agitè er-
go, propositum in Catharina exemplũ sequamur: sic enim
præsentem festiuitatem rectè, vt pios decet, peragemus, ad
Dei laudem, nostrûm verò omnium æternam vtilitatem.
Gratia Dei nobiscum, Amen.

FINIS.

Regestum.

†abcdefghiklmnopqrstvxyz. ABCDEF
GHIKLMNOPQRSTVX.

LVGDVNI,

EXCVDEBAT

HECTOR

PENET.